
37
39 D
13





SYNOPSIS ANNALIUM SOCIETATIS JESU IN LUSITANIA


Ab
Anno 1540.

usque ad

Annum 1725.

Authore

R. P. ANTONIO FRANCO
Societatis ejusdem
Sacerdote.

Auguftæ-Vindelicorum & Græcii.
Sumptibus Philippi, Martini, & Joannis Veith, Hæredum.
Anno M. DCC XXVI.

Privilegium Cæſareum.

EGo Maximilianus Galler Societatis JESU per provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis DD. Philippo & Martino Veith bibliopolis Auguſtanis poteſtatem facio imprimendi librum, cui titulus: *Synopſis Annalium Provinciæ Luſitaniæ Societatis JEſu à P. Antonio Franco* ejuſdem Societatis ſacerdote conſcriptum, à tribus Theologis noſtris reviſum & ab A^dm R^do P. Noſtro *Michaële Angelo Tamburino Præpoſito Generali* approbatum. Reliquis verò typographis, bibliopolis & quibuſcunque aliis vi privilegii Cæſarei noſtræ Societati clementiſſimè conceſſi ſub pœnis eodem diplomate ſtatutis inhibeo, nè prædictum opus vel recudant, vel alibi impreſſum intra S. R. Imperii atque regnorum & provinciarum hæreditariarum fines importent. Actum Græcii die *16*. Decembris Anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimo quinto.


(LS.) Maximilianus Galler.

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS.

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm Librum, cui titulus: *Synopſis Annalium Provinciæ Luſitaniæ Societatis JESU:* à P. Antonio Franco Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut Typis mandetur; ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia, has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 3. Decembris 1723.

(LS.) Michael Angelus Tamburinus.



CHRISTO
Rerum omnium Domino,
ac
DEO Supremo
De Cruce suspenso.



Quum non est, mi Rex dolorum, ac tormentorum patientissimè, ut detur luci aliquid laboris mei, quod non prodeat Tuo Nomini, ac Numini consecratum. Hanc vitam, quam unicè Tibi debeo, indulsisti mihi non solùm communi cæteris mortalibus beneficio, sed singulari dono, cùm iniquissimi sicarii petitus ferro tantùm non effudi animam, non meâ, sed tuâ innocentiâ me tutante. Ferebam tui de cruce pendentis simulacrum intra vestem occultum: quod mihi scutum fuit inexpugnabile, ne ictibus proditoris percussus occumberem. Ex eo tempore Te de crucis patibulo pendentem elegi rebus meis singulare numen, præsidium, & dulce decus. Idem piissi-

mum

mum ſimulacrum tanquam monumentum perenne præ oculis habeo in cella, idem geſto appreſſum pectori, cùm itinera ſuſcipio: ut ubique mihi mundi mare naviganti ſis pharus accenſa, quam ne meis ſceleribus patiaris extingui, etiam, atque etiam oro. Excipe, & intuere placidiſſimis oculis, Rex benevolentiſſime, hoc quale quale obſequium: tenuiſſimum fateor. Verùm illud mihi animos facit, quòd à ſervo viliſſimo nullus Dominus potentiſſimus donum, quod ſe deceat, expectet; ſolùm attendens, quid poſſit ſervi tenuitas. Compendium offero rerum omnium, quas tua Societas Luſitana ſub tuis auſpiciis feliciter eſt aggreſſa ab annis octoginta quinque ſupra centum. Obitus illuſtres, & facta illuſtria tuæ Societatis filiorum continet hujuſmodi donarium. Unde Tibi non noſtra, ſed tua ſiſtimus: ſimiles illis, quos locupletant ampli Reges, qui gratum adverſus Principem oſtenſuri animum, ex ipſis, quas acceperunt, divitiis honorarium adornant Regi præſentandum. Fac, Domine mi, ut, quidquid egero, & ſcripſero, tuæ ſit augendæ gloriæ conſonum, tuæ crucis vexillo magis explicando idoneum, tuis ſanctiſsimis plagis illuſtrandis aptiſsimum.

Minimus Tuæ minimæ
Societatis

Antonius Franco.

Præfatio ad Lectorem.

NEscio, quâ vi occultâ ſenſerim pluribus ab annis incitari me ad eripiendas hominum oblivioni res geſtas à Majoribus noſtris in hac Luſitana Provincia. Sunt enim per ſe magnæ, ac dignîſsimæ, quæ commendentur æri, & memoriæ perennaturæ. Scriptoris quoq; felicitas eſt, ſi videat labores ſuos immunes ab interitu. Neque riſu, ſed laude dignum cenſeo, qui cumulando, limando, & locupletando volumina vitam & annos conſumpſerit: cùm ſit honeſtiſſimum, ſaltem ad vitandum otium, vitiorum omnium radicem, conſcribendis libris inſudâſſe. Certè cùm animum adjeci, & manum ordinandis meorum Majorum factis, quæ tenebris delitebant ſepulta, mihi alia mens non fuit, niſi tempus, poſt expleti muneris mei penſa, ſupervacaneum fallere negotio valde conſono homini religioſo, qui nollet vitam ſuam inanibus curis deditam tranſigere. Poſtea opere creſcente, me urſit ſtudium vulgandi, quæ collegeram, ut Fratribus meis in Domino chariſsimis eſſent utiles labores mei; dum facilè poterant Majorum noſtrorum res illuſtres perlegere, séque ad imitationem incitare. Voti ſum factus compos, editis in lucem quatuor voluminibus de viris illuſtrioribus hujus noſtræ Luſitanæ Provinciæ. Hæc ſunt conſcripta ſermone patrio. Ne ſolùm eſſent familiaria Luſitanis, noſtrorum hominum facta, & virtutes compoſui Latinè, *Annum glorioſum Societatis in Luſitana Provincia*, in eo per anni dies, ac menſes ſuccinctâ narratione complexus tum virtutes hominum illuſtrium, quorum vitas in lucem edideram, tum aliorum imitatione dignîſsima exempla. Id opus excuſum Viennæ in Auſtria. Cùm viderem Provinciam noſtram carere monumentis, quæ poſteritati legendas offerrent Collegiorum, ac Domorum fundationes, & alias res geſtas, quæ multæ ſunt, & glorioſæ; devovi me totum Annalibus Provinciæ ſcribendis. Quatuor voluminibus non parvæ molis ſermone patrio concluſi res notabiliores, quæ à Societate condita ad noſtrum usq; tempus in hac Provincia contigerunt. Hanc omnem rerum vaſtitatem in Latinum redegi compendium, quod lectorem ſatis edoceat geſtorum ſubſtantiam, & ſuccum. Credo hujusmodi laborem non parùm ſcriptores noſtros adjuturum, qui ſuas curas impenderint illuſtrandis faſtis univerſæ familiæ: ſimul allaturum ſingulare ſolatium ſociis aliarum gentium, qui cupiunt ſcire primordia, & progreſſus ejus Provinciæ, quæ totius ordinis prima fuit. Sanctiſſimus Fundator mittens ad Magiſtrum Simonem Rodericium patentes litteras, *Magiſtro Simoni*, inquit, *primo Societatis Provinciali*. Etenim ad id tempus Romana Provincia carebat juſtâ Provinciæ formâ. In aliis regnis, ac ditionibus Principum admodùm pauci de noſtris erant. In Luſitania Regum favore robuſtas vires paucis annis, quæ ſatis eſſent formandæ Provinciæ, Societas acquiſierat. Faxit DEus Opt. Max. ut meus hic qualis qualis labor augeat ejus gloriam, cui ſerviunt unicè hujus minimæ Societatis filii, quos inter, licèt immeritum, me Numinis indulgentia miſericors dignata eſt recenſere. Illud poſtremò velim animadverſum, ut ſi lector, quod facilè potuit evenire in tanta rerum varietate collecta ex diverſis documentis, offendat in ſcriptis meis aliquid ſibi pugnans, id corrigat juxta hanc Annalium ſynopſim, quibus, ùt laboris mei poſtremis, non pauca, quæ ex aliis peccaveram, emendavi. Non ideo auſim affirmare, caviſſe omnia. Nam immenſa rerum moles, & varietas ſemper eſt erroribus obnoxia; quamvis adhibeatur, ut reapſe adhibui, vigilans cura. Scimus, inquit Horatius, & hanc veniam, petimúsque, damúsque viciſsim.

Pro-



Proteſtatio Authoris.

CUm ſummus Pont. Urbanus VIII. die 3. Martii anno 1625. decretum ediderit, quod confirmavit menſe Julio anni ejusdem, quo prohibuit typis mandari novas vitas hominum, qui ſanctimoniæ, vel Martyrii famâ de vita migrârunt &c. Profiteor, me, quæcunque in hoc opere ſcribo, nolle alio ſenſu recipi, quàm eo, quo Sanctiſsimus permiſit ſimiles narrationes vulgari typis, & me nihil velle, niſi quòd ſit conſentaneum Matris Eccleſiæ placitis, & ſanctionibus, ac decretis ſummorum Pontificum.



Catalogus
Domiciliorum, quæ ſunt, & pertinent ad jus Societatis in Provincia Luſitana.

Angolanum Colleg. *Angola em Africa.*
Angrenſe Colleg. *Angra ilha Terceira.*
Bejenſe Colleg. *Beja.*
Benguenſis Reſid. *Bengo em Angola.*
Bracharenſe Colleg. *Braga.*
Brigantinum Colleg. *Bragança.*
Canalenſis Reſid. *Canal.*
Caniſſenſis Reſid. *Caniſſos.*
Carquerenſis Reſid. *Carquere.*
Cetobricenſe Colleg. *Setuval.*
Conimbricenſe Colleg. *Coimbra.* cum ſcholis minoribus Academiæ.
Eborenſe Colleg. cum Academia. | *Evora.*
Eborenſe Semin. Theol. | *Evora.*
Eborenſe Semin. Convict. | *Evora.*
Elvenſe Colleg. *Elvas.*
Faſſalaminenſis Reſid. *Faſſalamin.*
Fayalenſe Colleg. *Fayal.*
S. Felicis Reſi. *S. Fins.*
Funchalenſe Colleg. *Funchal ilha da Madeira*
Inſulana, ſive à parvis inſulis, Reſid. *Ilheos no Braſil.*
S. Joannis de longis Vallibus Reſid. *S. Joam de longos valles.*
Labrugiana Reſid. *Labruja.*
Lapenſis Reſid. *N. Senhora de lapa.*
Maſagonenſis Miſsio. *Mazagamem Africa.*
S. Michaëlis Colleg. *S. Miguel ilha.*
Paſſus de Souſa Reſid. *Paſſo de Souſa.*
Pedroſana Reſid. *Pedrozo.*
Pernenſis Reſid. *Pernes.*
Pharnenſe Colleg. *Faro.*
Portalegrenſe Colleg. *Portalegre.*
Portuenſe Colleg. *Porto.*
Roriſſenſis Reſid. *Roris.*
Scalabitanum Colleg. *Santarem.*
Sergipenſis Reſid. *Sergipe no Braſil.*
Stevalium Reſid. *Eſteval.*
Valbonia Reſid. *Valbom.*
Villæ novæ Colleg. *Villanova de Portimam.*
Villævicoſæ Dom. Prof. *Villaviçoſa.*
Villa franca Reſid. *Villa franca.*
Ulyſiponenſis Dom. Prof. | *Lisboa.*
Ulyſiponenſe Colleg. S Ant. | *Lisboa.*
Ulyſiponenſis Dom. Prob. | *Lisboa.*
Ulyſiponenſe Colleg. S. Xav. | *Lisboa.*
Ulyſiponenſe Sem. Hybern. | *Lisboa.*
Ulyſiponenſis Novitiatus Indicus. | *Lisboa.*
Ulyſiponenſe Colleg. pro miſſionibus Indicis inſtitutum ab Archithalaſſo Caſtellæ, Legionis. | *Lisboa.*

Domus Profeſſæ 2. Collegia 20. Domus Probationis 2. Seminaria 3. Reſidentiæ 18. Miſſio 1.

Nar-

Narratio summatim prævia
de singulis domibus, Collegiis, Seminariis, & Residentiis Lusitanæ Provinciæ.

UT lucidiùs, vel ab ipsis primordiis innotescant, quæ par est, hac in acta referri, placuit de singulis domiciliis eo, quo nata, ac fundata sunt, ordine Lectorem edocere. Primum sibi locum vendicat *Divi Antonii* Ægyptii *Residentia*, quam Conimbrica sui, & quidem primi in Societate JESu Collegii, imò universa Lusitana Provincia velut foecundam suæ felicitatis parentem veneratur. Anno siquidem 1541. Societas JESU, quæ superiore anno Lusitaniam erat ingressa, à Rege Joanne hujus nominis III. dono accepit Commendam, ùt vocant, Carquerensem: quam Simon Rodericius cum D. Antonii Cœnobio intra diœcesim Guardiensem ad radicem Castelli Ulysiponensis sito commutavit, & sibi, suisque, quos adduxerat, sociis in stabile domicilium elegit, atque illud incolere cœpit 5. die Januarii anno 1542.

1. Residentia D. Antonii Ulysipone 1542.

Neque intra hos angustos unius Residentiæ limites se diu contineri passa est munificentia regia Joannis. Novum, & quidem magnificum, ac opulentum *Conimbricæ Collegium* meditatur; cujus initia ut poneret Rodericius, eò absque mora se conferre jubetur. Paruit voluntati optimi Principis vir religiosissimus, & quidem adeò feliciter, ut per summam animi contentionem pias intentiones piissimi Regis eodem adhuc anno 2. Julii adimpleret, & sanctissimo Nomini JESU novas has ædes dicaret. Accessit Collegium artium, in quo tum mansuetioribus litteris, tum Philosophiæ placitis, Hebraicæ & Græcæ linguæ notitiâ imbuitur juventus, in quam Rector Societatis peculiari quidem, & separatâ, non tamen minori, sed pari, quâ in suos Academicos Rector sæcularis, utitur potestate, Religiosi nostri præter sacrarum litterarum interpretem, suos quoque habent Theologiæ Professores. Episcopi Conimbricensis propensum in utilitatem publicam studium effecit, ut scholasticis etiam externis conscientiæ casus explanentur. Collegium adjunctum habet tironum domicilium.

2. Collegium Conimbricense 1542.

Collegium Eborense anno 1551. Serenissimus Lusitaniæ Infans Cardinalis Henricus, tunc Archipræsul Eborensis, postea Rex Lusitaniæ, sub Spiritûs S. patrocinio fundavit, dotavitque liberalissimè iis reditibus, qui sufficiant nonnunquam sociis octoginta supra centum sustentandis. Idem Serenissimus Infans authoritate Pontificiâ, & Regiâ erexit in urbe eadem Academiam celeberrimam, & non tantùm gradus Philosophicos, & Theologicos conferendi potestatem, sed etiam plenam totius Academiæ administrationem nostræ commisit Societati.

3. Collegium Eborense, & Academia 1551.

Regit Præterea Eborensis Rector per Vice-Rectorem Jesuitam, duósq; Consiliarios Collegium à *Purificatione* dictum, quod idem Princeps fundavit pro 50. personis è Clero sæculari. Sed ut commodiùs alerentur, hic numerus summi Pontificis jussu dimidio est diminutus. Cæterùm quemadmodum hujus Collegii Rectori subjacet Nosocomium pro scholasticis egenis curandis ab eodem Serenissimo fundatum; ita idem Rector est Superintendens

dens Collegii à *Matre DEI* per Hectorem Pinam Senatorem Regii Consilii, & illius piissimam Conjugem Franciscam Brittam Sacottam in utilitatem suorum consanguineorum dotati; gubernatur tamen per sacerdotem externum ab nostro Rectore electum. Nostro Collegio juncta est tironum domus.

Collegium Ulyssiponense D. Antonii Abbatis habuit initium anno 1552. Residentia enim, de qua suprà, jussu S. Protoparentis Ignatii conversa est in Collegium, in quo sequenti anno Gymnasia ad tradendas Latinas litteras, & quæstiones morales sunt aperta. Regis, & piorum eleemosynæ socios aluerunt usque ad annum 1564. quo Serenissimus Infans Cardinalis Henricus creatus archipræsul Ulyssiponensis Collegii se dixit Fundatorem, ac donavit reditu; quem auxit Rex Sebastianus optimâ pensione in mercibus Indicis. Cùm esset angustum nimis ædificium, constructum est aliud nobilissimum, in quod migravimus 9. die Novembris anno 1593. Collegium Ulyssiponense D. Antonii 1552.

Templum augustum ejusdem Collegii condidit D. Philippa Sa Comes Linariensis, S. Patri N. Ignatio sacrum, 1. Januarii anno 1613. posito primo lapide. Cœpit esse usui 26. Julii 1652. Post opus omni ex parte absolutum, certus numerus presbyterorum, quem Fundatrix designat, ibidem cantabit officia divina, ac pro ea faciet missæ sacra. Sustentat Collegium socios ampliùs quinquaginta.

Domus Professa Ulyssiponensis dicata divo Rocho habuit principium mense Octobri anno 1553. Fundatorem agnoscit Joannem Regem, quem titulum vivens nunquam admisit, eò quòd Societas pro religiosa sua, quâ par erat, modestia noluerit condi opus tam magnificum, quàm Rex pro majestate sua & munificentia est meditatus. Multis annis post Regis mortem illi Societas dedit & Fundatoris prærogativam, & suffragia. Est secunda totius Societatis Professa domus. Alit corrogato ære socios ampliùs quinquaginta. 4. Domus D. Rochi 1553.

Collegium Bracharense cœpit 29. Julii anno 1560. Gloriatur Ven. P. Ignatio Azevedio primo Rectore. Fundatorem agnoscit mirabilem heroem Bartholomæum de Martyribus Archipræsulem Bracharensem. Dum vixit, Fundatoris honorem recusavit sperans, futurum, qui propter hunc titulum & suffragia Collegii dotem augeret. Verùm Societas id post ejus obitum non sustinuit. Cardinalis Henricus ejusdem Collegii est Confundator: idcirco suffragia pro ambobus æqualiter fiunt. Socios censet nonnunquam penè quadraginta. Dicatum est Collegium S. Paulo. 5. Collegium Bracharense 1560.

Collegium Portuense divo Laurentio sacrum numerat annos suos ab 10. die Augusti anni 1560. Jecit illius primordia S. Franciscus Borgia, cùm secessit in eam urbem. Annos 14. vixit ex eleemosynis instar Professæ domus, caruitque scholis ob pertinaces civium contradictiones, quæ post annos plures sunt mitigatæ. Illius suscepit fundationem Illustrissimus D. Ludovicus Alvrius Tavora Eques Melitensis Lessæ Balius. Socios complectitur viginti, & ampliùs. 6. Collegium Portuense 1560.

Collegium Brigantinum Sanctissimo JESU Nomini dedicatum cepit exordium 22. Decembris anno 1561. Caret fundatore. Illius dos debetur diversis Benefactoribus, præsertim Brigantino Duci Theodosio hujus nominis primo, & Antonio Pinerio Episcopo Mirandensi. Alit penè viginti socios. 7. Collegium Brigantinum 1561.

Totidem *Collegium Madeirense*. Fundatorem agnoscit Regem Sebastianum ab anno 1570. sacratum divo Joanni Evangelistæ. Et templi & Collegii ædificium opus dignum est Conditore suo. 8. Collegium Madeirense 1570.

9. Collegium Angrense 1570. Angrense Collegium fundatore pariter gaudet Sebastiano Rege. Illuc missi Collegium intercepturi mense Majo anni 1570. portum ingressi Junii die primâ: magnis plausibus à Nonio Alvrio Pereira Episcopo Canonicis & civibus in ædes conducti novis hospitibus paratas. Joannes Silva Cantus donavit Societati has ædes cum sacello dicato B. Virgini de Nivibus, unde Collegio nomen, dum illic viximus. Propter nonnulla incommoda placuit magis hâc statione illud spatium, ubi nunc est Collegium, cui positus lapis primus mensis Maji die 10. post ascensionem Domini; propterea Collegium dicatum Dominicæ Ascensioni. Ad illud migravimus 16. Februarii an. 1608. Structura templi processit lentiùs, an. 1651. apertum est, ac sacratum D. P. Ignatio. Ad 15, aut 20. sustentat.

10. Collegium Angolanum 1575. *Angolanum Collegium* in Africa, sive Guinea octavo gradu trans æquatorem nomine Residentiæ sumpsit initium Februario anni 1575. De Lusitania solvit Octobri antecedentis anni Paulus Diasius. In ea classe novem navium sunt vecti de nostris quatuor. Ad Loandam insulam appulsus Paulus urbem condidit futuram ditionis Lusitanæ sedem: ipsi nomen indidit à S. Paulo; tamen invaluit Loandæ nomenclatura ex insula Loanda. Pluribus annis habitavimus ædes tenues, donec confectum optimum templum, & pro numero incolarum amplum ædificium jucundissimis gratum prospectibus. Gaspar Alvrius, qui Societatem iniit, & apud nos mortuus, donavit firmum reditum, quo sunt condita Gymnasia. Sanctissimo JESU Nomini consecratur Collegium. Non habet proprium fundatorem. Rex Sebastianus jussit de suis vectigalibus aliquem dari reditum annuum, sed præcipuus conflatur ex aliorum donationibus. Duodecim, aut ampliùs, sociis victum præbet.

11. Collegium Michaëlense 1591. Pontadelgada urbs est primaria insulæ *S. Michaëlis*. Collegium nostrum dicatum omnibus Sanctis inchoatur anno 1591. Caret fundatore, Subsidia, ac donationes benefactorum complevêre dotem. Plurimis annis tenuit Residentiæ nomen. Anno 1636. præfectus illi primus Rector Ven. P. Ludovicus Lopius. Socios amplius quindecim sustentat.

12. Seminarium Ulyssipon. 1593. *Seminarium Ulyssiponense* Divi Patritii institutum est anno 1593. ad educandos Hibernos adolescentes, qui possent scientiarum absolutis studiis redeuntes in patriam juvare in spiritu & fide conservanda populares suos. Id piissimum opus erexère suis industriis noster Joannes Olingus Hibernus, & Petrus Fonseca. Nonnullis annis Sodalitas Nobilium eorum sustentationem curæ habuit. Anno 1605. Seminarii regimen traditum est nostræ Societati. Acceptavit fundationem vir nobilis & locuples Antonius Fernandius Ximenius. Habitant illic de nostris sex, vel septem. Collegarum numerus non fixus est, sed pro reditu.

13. Domus tironum 1597. *Domus Probationis*, sive tironum Ulysipone consecrata B. Virginis assumptioni habuit initium 18. Decembris an. 1597. in villa suburbana dicta *Campus Lidius*. Illic annis aliquot tirones consedêre: postea verò aliò amandati, ut ex tirocinii reditibus novæ domûs fabrica citiùs consurgeret, quæ tandem cœpit incoli 13. Junii an. 1619. Fundatores sunt Fernandus Tellius Menesius, qui summa cum potestate Indiam rexerat, & ejus conjux D. Maria Noronia. Tenuem dotem auxit tantis incrementis noster Laurentius Lombardus, ut meritò vocari posit ejus domûs Confundator, licèt talis titulus ipsi non sit concessus. Alit plerumque ad 30. tirones, præter sacerdotes, & Coadjutores ad bonam administrationem necessarios.

Col-

Collegium Farense in Algarbiis memorat sua primordia ab anno 1599. Fundatore Fernando Martinio Mascarenio ejus diœcesis Episcopo. Alit septem, aut octo socios. Dicatum S. Jacobo majori. 14. Collegium Farense 1599.

Domus Professa Villæviſſoſæ consecrata D. Joanni Evangelistæ, fundatore Duce Brigantino Theodosio II. inchoata est Novembri mense anni 1601. Dum non constructum esset ædificium, incoluimus emptas ædes in platea de Fidalgis vocata. Die festo S. P. Ignatii anno 1659. inde migravimus in domum, quamvis nondum perfectam. Eleemosynis alit 8. vel 10. 15. Domus Prof. Villævisſosæ 1601.

Collegium Portalegrense Divo Sebastiano dicatum Fundatorem veneratur P. Simonem Almeidam nostræ Societatis. Cœpit anno 1605. Septem sustentat socios, non plures; eò quòd in novo ædificando Collegio annui consumuntur reditus. 16. Collegium Portalegrense 1605.

Collegium Scalabitanum B. Virginis illibatæ Conceptioni sacratum fundatorem suspicit P. Eduardum Costam nostræ pariter Societatis. Cœptum est anno 1621. Postea anno 1643. Rex Joannes IV. donavit Regium palatium. Victum dat penè 30. sociis. 17. Collegium Scalabitanum 1621.

Collegium Helviense inceptum Februario anni 1644. divo Jacobo majori sacrum, agnoscit fundatores Didacum Britum, & ejus conjugem Dominam Aldonsam de primaria nobilitate. Habet socios 7. vel 8. quòd in consurgente ædificio redituum insumatur major pars. 18. Collegium Helviense 1644.

Collegium Fayalense sub patrocinio D. Francisci Xaverii fundatum anno 1652. in oppido Horta ab Francisco Dutra Quadrio, & ejus conjuge Elisabetha Silveira apud eas insulas nobilissimis. Templum fundavit D. Joannes Alvrius Medeirus presbyter multæ virtutis, & nobilitatis: dicatur B. Virgini *de Prazeres* sic nuncupatæ propter concepta gaudia ex conspectu filii de mortuis suscitati. Vivunt illic novem, vel decem socii. 19. Collegium Fayalense 1652.

Collegium Setuvalense, seu *Cetobricense* habuit exordium an. 1655. sacratur D. Francisco Xaverio, quem cives in suum titularem Patronum postea delegerunt. Fundatores sunt Andreas Velius Eques militiæ Christi, & illius conjux D. Philippa Paredia. Alit octo, vel novem. 20. Collegium Cetobricense 1655.

Collegium Villænovæ Portimanensis in Algarbiis pariter sub tutella D. Francisci Xaverii cœptum est anno 1660. fundatum à D. Didaco Gonsalvio, qui fuerat œconomus maximus Petri Sylvæ Pro-regis Indiæ, & prætoriæ cohortis Ductor. Septem, vel octo socii hìc aluntur. 21. Collegium Portimanense 1660.

Collegium Bejense, seu Pacis-Juliæ nactum tenuia principia sub nomine Residentiæ anno 1670. Perpessum non paucas contradictiones adusque annum 1693. quo Serenissima Lusitaniæ Regina Sophia Neoburgensis voluit esse hujus Collegii Fundatrix. Divus Sesinandus Martyr illustris apud Cordubenses Bejæ natus, est urbis patronus, ipsique cives dicàrunt ædem sacram, quam donaverant Societati. Cùm foret parva pro magnitudine Regii Collegii, jactus novo templo, & ædificio primus lapis 12. Martii an 1695. Templum D. Sesinando, Collegium consecratur S. Xaverio, cujus obsequiis mirùm dedita fuit Serenissima. Collegium ædificatur pro septendecim sociis. 22. Collegium Bejense 1670.

Collegium S. Francisci Xaverii in ea Ulyssiponis regione, quæ dicitur *Alfama* initium habuit anno 1679. fundatore Domino Georgio Fernandio Villanova viro æquè nobili, ac pio. 23. Collegium S. Xaverii Ulyssipone 1679.

XX 2 Domus

24. Domus tyronum pro missionibus Indicis. 1705.

Domus tironum Ulyssipone pro missionibus Indicis ad fontem Arroyum sita Regiâ gloriatur fundatrice Serenissima Catharina Anglorum Reginâ, filia Joannis IV. Lusitaniæ Regis. Acceptavit fundationem anno 1705. Cùm hæc scribuntur an. 1721. majori ex parte confectum est admodùm pulchrum ædificium. Domus ex voluntate fundatricis consecrabitur divo Xaverio; templum verò B. Virgini Nazarethanæ propter Dominum Joannem Serranum insignem domûs benefactorem, cui mens fuerat instituere talem ædem in Nazarethanæ Virginis obsequium. Alet ex Reginæ fundatione tirones duodecim, præter sacerdotes & Coadjutores administrationi domûs necessarios; & alios tirones, qui ex reditibus Domini Serrani sustentari commodè poterunt.

25. Collegium Archithalassi.

Excellentissimus D. Joannes Thomas Henriquius Cabrera Castellæ & Legionis Archithalassus in Lusitaniam secedens anno 1702. condito testamento jussit institui Collegium pro missionariis Indicis, vel Indiæ Occidentalis, si Carolus tum III. Hispaniarum Rex, hodie VI. Romanorum Imperator solium Hispanicum occuparet; vel Orientalis, si illud non assequeretur: injungens designatis à se testamentariis, ut expectarent belli exitum. Pace jam conclusâ, agitur de deligendo Ulyssipone loco, fabricâq; Collegii B. Virgini à conceptione dicandi, cui fundator legavit universas divitias, quas secum in Lusitaniam asportaverat.

Præter enumerata Collegia Residentias 18. numerat Provincia Lusitana, quarum nomina in præfixo Catalogo invenies. Cætera huc spectantia suo loco, & tempore dicam.



An-



Annus Domini 1540.
Societatis JESU I.

I.



LUsitaniam Societatis JESU Provinciam cum ipsis nostri Ordinis primordiis natam, conjunctámq; esse nemo ullus in rebus nostris vel mediocriter versatus ignorat. Præsens itaque, quod suscipimus, scribendi argumentum videtur exigere, ut Provinciæ ejusdem Annales ab eodem anno ordiamur, quo Societas JESU per supremum in terris Christi Vicarium Paulum III. sacras inter familias à Sancta Sede Apostolica approbata est, & adscripta. Primorum Patrum exempla, quemadmodum antehac Parisios, ita etiam Urbem totius orbis Christiani caput, omnémque Italiam, gloriosâ nominis famâ implevêre.

Initia Lusitanæ Provinciæ. Ut primum Nostri venerint in Lusitaniam.

2. Hæc secum reputans Didacus Govea Lusitanus Bejensis, qui olim, dum Collegio S. Barbaræ præerat Parisiis, Ignatium publico flagrorum supplicio afficere meditabatur, rem minimè ingratam DEO se facturum credebat, si Joanni III. Lusitaniæ Regi consuleret, ut ad Fidem Catholicam in Oriente propagandam nonnullos è Societate viros in suas terras evocaret. Suam igitur mentem primùm Ignatio aperit: atque ubi illum, ejúsque socios ad nutum Summi Pontificis, cui se voto obstrinxissent, omnino pronos intelligit, Joanni Regi novam hanc familiam, ejúsque Fundatorem multis laudibus per epistolam commendat, atque illi, ut à Summo Pontifice pro Indiæ, gentiúmque necessitatibus exposceret nonnullos, persuadet.

3. Commodùm evenit, ut sub idem tempus in eandem ferè sententiam ex Urbe scripserit Petrus Mascarenius, Regis ad Romanam Curiam Legatus. Multa ille de Ignatio, suo tunc Confessario, multa de Eleonoræ Mascareniæ & natalibus, & virtutibus clarissima, ac præpotente in aula Cæsaris matrona, ejúsq; in socios affectu, æstimatione, & veneratione referebat. Hæc enim postquam Ignatium Hierosolymis reducem de Sacris in Palæstina Christi monumentis disserentem Compluti audiverat, singulari, & quidem tantâ virum sanctum prosequebatur benevolentiâ, ac beneficiis ornabat, & ferè onerabat nascentem hanc familiam, ut Ignatius eandem Societatis matrem compellaret, ac honoraret.

4. Vix epistolam legendo Rex absolvit, absq; mora per Legatum sex Sacerdotes ad jaciendam in Indiis fidei sementem à Paulo III. exposcit. Remissus ad Ignatium Legatus, ut inter se consilia conferrent. Variis rationum momentis maturâ deliberatione expensis, visum est è tam exiguo Sociorum manipulo nonnisi duos posse concedi. Rodericium itaque, & Nicolaum Bobadillam, illum in Senensi urbe, hunc in Calabria Apostolicis laboribus intentum acciri jubet. Prior, etsi quartanâ laboraret, confestim se Romam contulit, atque inde 5. Martii digressus, quoniam suscipiendo terrestri itineri vires deficerent, 9. ejusdem Mensis Anni 1540. navem conscendit, ac è portu centum cellarum in Lusitaniam solvit.

5. Interea Legatus Bobadillæ adventum anxiè præstolatur. Verùm ubi Romam appulit valetudine adeò attritâ, ut vel innixus baculo ægrè gressum moveret: Legatus autem ultrò morari non posset, nec absque Sacerdote Socio, itineri se committere vellet, instituit, ursitque Ignatium, ut alium substitueret loco Bobadillæ. Annuit votis vir sanctus, nec sine peculiari Numinis providentia delegit Franciscum Xaverium, qui cum Legato viâ terrestri in Lusitaniam profectus. Multa, eàque verè mirabilia Xaverium in eo itinere fecère gloriosum, quæ quia omnibus Xaverii vitam legentibus sunt aperta, operæ pretium non duxi, eadem huc transscribere: Ea proinde, quæ in navigatione sua Simoni Rodericio acciderant, tanquam minùs nota referamus.

S. Franciscus Xaverius proficiscitur in Lusitaniam.

6. Navigium ergò conscenderat Rodericius cum Paulo Camerte Sacerdote, qui se nostris adjunxit in viæ comitem, laborúmque Socium. Mascarenius quidem prospexerat abundè, ne quid Rodericio deesset, hic verò religiosâ modestiâ deprecabatur, in DEI bonitatem, quæ dat escam volatilibus cœli, unicè confisus. Victu igitur mendicato, vitam ægrè sustentant cum Socio Rodericius. Labor illius, cura, & sollicitudo maxima, ut nautas hominum genus petulans intra divinarum legum terminos coërceret. Valida tempestas saluti erat fœminæ perditæ, quam dum Simon multis argumentis in saniora consilia flectere non poterat; exterruit procella, & ad DEum convertit, ita ut ad pedes Rodericii provoluta conscientiam expiaret, & post aliquot annos deinde in Lusitania piè transactos, vitam reliquam inter pœnitentiæ lacrymas transigeret in loco non procul dissito à magnæ illius pœnitentis divæ Magdalenæ sepulchro.

Quæ in navigatione Simoni Rodericio contigerint.

7. Adolescentem prætereà, qui omnem propè frontem exuerat, quíque effusis adversus DEum, Sanctósque blasphemiis cœlum lacessebat, crebrò admonuit, poneret modum malitiæ; ni faciat, expectet ultorem DEum. Salutaria monita ridebat improbus. Nec diu suspendit DEUS vindictam: dum enim linguam blasphemam denuò, ùt solebat, exerit, adeò illa fœdum in morem intumuit, ut cum horrore circumstantium à scelesti faucibus pendula hæreret manifestum divinæ ultionis spectaculum. Arripuit inde Simon occasionem opportunam contra insanam jurandi, blasphemandíque consuetudinem differendi. Tandem pro misero ad Deum preces fudit, recitavit Evangelium, linguæ nefarii adolescentis sacras applicuit reliquias, sícque dum linguæ pristinam formam restituit, posthac loqui magìs recta, & sapere docet meliora.

8. Alius speculaturus maria cum carbasis insisteret, obscœnis cantibus erat plurimis in navigio lapsis offensionis. Iterum, iterúmque Rodericius admonuit, ut vel taceret, vel cantaret saniora. Id fuit surdo canere. Sed ecce brevì vindicem Dei manum est expertus: nam lapsus è summo carbaso ad pedes Simonis prope malum consistentis multis horis jacuit exanimi simillimus. Postquam autem restitueretur sensibus, Simon homini adhuc trepidanti sacram homologesim suasit, & persuasit: amplexus est pœnitens salutare consilium opportuno adhuc tempore; vix enim expiatus animam egit.

9. Demum Barcinonem feliciter cum Socio Camerte appulsus est. Ubi dum navis morari cogitur; Simon intereà templum Virginis de monserrate invisit. Sacrificanti DEus revelat, Xaverium Bobadillæ substitutum, quámque viam teneat cum Mascarenio Legato Lusitano. Reversus ergo Barcinonem, relicto in navi Socio, terrestri itinere in Lusitaniam tendit, in Beirensem Provinciam, & præsertim oppida Almeidæ finitima Apostolicus verbi divini præco excurrit, ibidem adventantem Xaverium præstolaturus.

10. Nec aliter res evenit. 12. Maji adest cum Xaverio Legatus, qui non sine causa per Vallisoletum tunc Hispanicæ aulæ sedem, iter suum direxerat. Ruit ergo Simon in amplexum Xaverii: & extemplò extincta est omnino quartana febris, quâ Simon complures Menses laborabat. Uterque Legatum comitantur Ulyssiponem, non tamen nisi, quod unicè precabantur, itinere pedestri. Annuit quidem Legatus, quanquam invitus, nec tamen negare audebat: tantâ siquidem viros sanctos prosequebatur veneratione. Almeidâ igitur Trancosum se conferunt, ubi novos hospites singulari humanitate, & liberali animo in

Simon, & Xaverius tendunt Ulyssiponem.

in sua recepit Parochus vir primæ fidei, & morum. Trancoso profectionem instituunt Fataunsum Vousellâ Simonis patriâ, maternísque ædibus dimidiâ tantùm leucâ dissitum. Simon tamen æmulatus Xaverium, nec salutatâ, quæ adhuc vivebat, matre, iter suum acceleravit Ulyssiponem.

11. Non levis tamen est controversia nostros inter Scriptores, an Simon Rodericius terrâ, an mari Barcinone in Lusitaniam iter instituerit, & quâ die cum Xaverio Ulyssiponem sit ingressus? R. P. Orlandinus l. 2. n. 101. iter per mare confecisse affirmat. P. Tellesius in Chronico l. 1. c. 4. n. 4. & in Hist. Æthiop. l. 2. c. 3. id ipsum suspicatur; in eo tantùm discrepantes, quòd primus navi eum Ulyssiponem devectum, alter Centobricam scribat: quorum opinionem sum secutus in vita P. Simonis à me typis mandata. At nunc re maturiùs perpensâ, & examinatis testimoniis P. Alvari Cobo, P. Emmanuelis Escobar, P. Petri Novasii, qui Simonis consanguineus erat, ab ejúsque ore se accepisse autumat, P. Simonem per Hispaniam iter fecisse; aliísque documentis, quæ fusè in Annalibus refero; puto P. Simonem Hispaniam itinere terrestri transmeâsse, & Barcinone intra 25. dies Almeidam usque pervenisse; ut evidenter constat ex antiqua Scheda in tabulario Conimbricensis Collegii asservata, cujus hæc sunt verba: *Inde* (id est Almeidâ) *profecti ambo Ulyssiponem, quam sunt ingressi mensis ejusdem* (id est Maji) *trigesimâ die S. Felicis Papæ & Martyris.* Consonat epistola Xaverii Ulyssipone data 3. Julii 1540. ubi ait: *Est autem ab appulsu huc nostro jam mensis evolutus.* P. Simon itinere terrestri Ulyssiponem cum Xaverio ingreditur 30. Maji 1540

12. Posteaquam ergo Servi DEI urbem hanc totius Lusitaniæ principem tenuerunt, triduum quieti indulgent in ipsius Legati ædibus Carmelitarum Cœnobio vicinis, in quorum templo ad aram operatus esse Xaverius constanti memoriâ perhibetur. Die tertiâ adière aulam regiam novi hospites, ubi à Rege ipso singulari benevolentiâ sunt excepti. Vultus modestiâ, & sermo sanctimoniâ & Spiritu DEI plenus, conceptam de ipsis æquârunt opinionem, imò Mascarenii commendationem superârunt. Aderant in palatio aulæ Proceres, multíque confluxerunt allecti cupiditate videndi viros illos, de quibus fama, quæ prævolaverat, & itineris comites, qui cum Mascarenio Româ advenêre, spargebant admiranda. Benignè excipiuntur à Rege.

13. Cùm Rex Patres è suo conspectu dimitteret, multa in eorum laudem disseruit, illósque sæpius verè Apostolicos viros compellavit. Inde origo, quòd nostros hodiedum, receptâ jam consuetudine, Lusitani vocitare soleant *Apostolos.* Xaverius certè, & Simon adeò grande, adeóque nobile nomen factis suis & asseruerunt sibi, & ad posteros usque in hodiernum diem transmisêre. Jussit Rex benignissimus ædes instrui, ubi nihil ipsorum deesset commodis. Verùm ex Ignatii præscripto, gratiis Regi habitis, adduci non poterant, ut diverterent extra publicum nosocomium ab omnibus Sanctis nominatum. Huic præerat per id tempus Ludovicus à Conceptione vir eximiâ fide, & Sanctitate ex Congregatione S. Joannis Evangelistæ, qui licèt viros sanctos mirificâ exceperit charitate, illi tamen pauperum instar victu nonnisi ostiatim mendicato alebantur. Procurabant sanitatem languentium cum corporum, tum animarum. Hospitantur in nosocomio.

14. Rex sæpè ipsos in aulam accivit, multa de novæ vitæ tenore multa de instituto sciscitatus cæpit pari alacritate, studióque res nostras ùt suas curare. Protinus itaque dedit litteras tum ad Franciscum Galliæ Regem sibi in paucis amicum, tum ad Carolum Imperatorem, Elisabethæ sororis suæ conjugem, ut unitis secum viribus, in aula Pontificia, ad quam suas litteras jam expediverat, urgerent Societatis confirmationem. Quàm utilis fuerit regia hæc benevolentia, docuit eventus, quando Paulus III. 27. Septembris eodem hoc anno Pontificio diplomate, & Apostolicâ authoritate eam solemniter confirmavit. Ut autem beneficium hoc foret plenum, omníque ex Parte perfectum, voluit Rex Bullæ Romanæ expeditionem suo ære persolvi. Petente Joanne Rege confirmatur Societas.

15. Intereà Rex florem regni, ac Lusitani nominis, juventutem aulicam, quæ à regiis obsequiis erat, centum ferè capitum tradidit Patribus in spem regni educandam. Quod munus, onúsque ad Sebastiani Regis mortem maximâ semper Patrum occupationes.

laude & fructu continuabant. Instruxerant enim adolescentes regni nobilissimi moribus sanctissimis, quot hebdomadis per Confessionem animas expiabant, & Angelorum pane se reficiebant. Videbatur id portento simillimum: erant siquidem adeò afflicta tempora, ut extra Quadragesimam vix esset ullus, qui sacram mensam adiret.

16. Xaverius autem, & Simon bonam noctis partem cum oratione, tum lectione sacrorum librorum transigebant. Manè facto sacro, solabantur ægrotos, deinde populum edocebant, adibant carceres, & triremes, miserrimis quibusq; consulebant. Fama hæc ex urbe, in quam totum regnum confluxerat, sic dimanavit in omnes Provincias, ut in universa Lusitania nihil esset celebrius & nomine, & factis Apostolorum. Per id tempus, & quidem primus in hoc regno tribus sociis accessit P. Gonsalus Medeirus natione Lusitanus ex metamfrio in Transmontana Provincia, vir eximiæ virtutis, olim Parisiis, ubi litteris operam dederat, Ignatio notissimus, de quo plura legere est in vita typis vulgata. Intereà Regis animum occupabat cogitatio novum condendi Collegium, in quo educarentur, qui & regno prodessent, & gentium conversionem solerter promoverent. Piam Regis intentionem Mascarenius probavit plurimùm, faventibus conciliis fovit, & promovit.

Cum Rege secedunt Almeirinum. 17. Sub hybernum tempus Rex, cùm more solito in Almeirinum secederet, locum capiendæ quieti, & reficiendis viribus opportunum, nostros quoq; in eundem locum evocavit, eósque commorari voluit in ædibus regio horto vicinis. Eandem stationem Societati tradidit, imperavítque, annis sequentibus in meliorem, ampliorémque formam redacta nostris esset usui, quoties Reges animi relaxandi gratiâ Almeirinum se conferrent. Sacellum ibidem erat divo Rocho sacrum, ubi quotidie ad aras operabantur. Eadem præterea obibant ministeria, quæ Ulyssipone. Refert Sacræ domûs ad Virginem Nazarethanam dictæ historia, Xaverium super virum nobilem ex rixa, lethali vulnere Saucium, peplum virginis extendisse, sic hominem propè exanimem repentè non sine prodigio valetudini restitutum.

Annus 1541. Soc. 2.

1.

Sententiæ circa navigationem Patrum. INterim se offerebat in Indias navigandi opportunitas, quam unicè Patres suspirârunt. Regi tamen, & compluribus aulæ ministris mens erat longè alia. Videbatur admodùm difficilè, utroq; sancto Servo DEI Lusitaniam spoliare, ex quorum præsentia, & laboribus tanta jam in universum regnum bona dimanâssent. Rex igitur piissimus negotium Sanctiori consilio definiendum committit Aderant Henricus, & Ludovicus, uterque Regis frater. Ille quidem ob pestilentes, qui tunc ubique grassabantur, Lutheri errores, fraudes nonnullas latere suspicatus, multa congessit argumenta, quibus persuadere contendebat, nostrorum operâ non egere Lusitaniam, proinde in Indiam expediendos. Hic verò nobis magis benevolus in contrariam abibat sententiam, & compluribus, iisque gravissimis rationum momentis disseruit, nostros in Lusitania retinendos; fundandum Collegium, in quo velut Seminario educarentur plurimi, quorum alii in Indiam mitterentur, alii in regno subsisterent intenti tum juvandis Lusitanis, tum novis, quos DEus vocaret, instruendis operariis ad Orientis vineam excolendam. Placuit hæc sententia, & siquidem Regis animus eò inclinare videbatur, pars major eandem est secuta.

2. Patres jam sub adventûs sui initia propensionem Regis subodorati, de singulis, quæ agebantur, ritè edocebant Ignatium, dolentes vehementer, sua vota cadere in irritum. Re cum summo Pontifice collatâ, per epistolam significat Patribus, placere Pontifici Maximo, sibique, ut arbitrio Regis se totos committerent, & regiæ acquiescerent voluntati. Litteras simul in eundem ferè tenorem ad Mascarenium expedivit: Subjecit tamen: Quòd si Rex meam explorare velit

velit sententiam, hæc foret, ut Xaverius migraret in Indiam; in Lusiatnia Simon remaneret. Vix Mascarenius Regi legit litteras Ignatii, confestim annuit, atque ita, nec aliter faciendum decrevit.

3. Ad hæc Simon, qui nihil magis, quàm Indicos labores mente conceperat, indoluit vehementer. Xaverius autem adlectis itineris, & laborum Sociis tribus Sacerdotibus, Paulo Camertio Italo, Francisco Mansilia, & Didaco Rodericio, Lusitanis, die 7. Aprilis prætoriam navim conscendit cum Martino Alphonso Sousa Supremo Indiæ Præfecto. Quæ, quantáque in hoc maritimo itinere egerit vir verbo potens & opere, satis aliunde est manifestum. Satagebat quidem, ùt meminit Sacchinus, Xaverii abitum impedire Benedictus Uguvionus Dynasta Castellanus, dein Collegii Bellimarensis Fundator; sed frustra: ratum, fixúmque erar Regi, quod constituerat. Xaverius proficiscitur ad Indiam. In 4. part. Hist. Soc.

4. Intereà Rex Conimbricæ, loco prorsus opportuno Collegium fundare meditarur: cujus commodis ut ritè provideret, Commendam, ùt vocant, Carquerensis monasterii, tunc perorpportunè vacantem in Collegii dotem applicavit ipsâ Solemnitate Virginis in cœlos assumptæ. Omnium prima fuère hæc bona immobilia, quæ Societas possedit. Merentur profectò hujus Commendæ initia, quoniam plena sunt antiquitate, & veneratione, altiùs repeti, & explicari. Donatur Societati Commenda Carquerensis.

5. Henrico Lusitaniæ Comiti natus fuerat Alphonsus Henriquius, quem postea primum Lusitania Regem est venerata. Vivebat quidem infans, sed in dolorem parentum pedes quasi vinculo constricti adeo arctè, ut nec usui aliquando futuri crederentur. Egæ Munisio, quem educandi pueri cura tangebat, multúmque angebat, per quietem spectabilis adest Virgo mater, imperat, Carqueram cum puero festinet, jubet templi eversi fundamenta scrutari, simúlque locum, situm, signa indicat, ubi Marianum lateret simulacrum, quod tamen olim magna erat in veneratione. Mandat insuper, ut aram erigat, ibíque ereptum è suis tenebris simulacrum constituat, infantem altari erecto imponat, & nocturnas inter vigilias fusis precibus DEO pusionem commendet, certámque opem præstoletur. Virginis Carquerensis patrocinium.

6. Paruit jussis Munisius. Et ecce omnia votis respondent. Sub auroram incredibili tum Munisii, tum parentum gaudio puer salvus recipitur. Henricus Comes itaque in grati animi testificationem prodigiosæ granarum Matri erigit Ecclesiam, commune deinde populi in desperatis rebus perfugium. Addidit anno à partu Virginis 1099. cœnobium Canonicorum sub regula D. Augustini, quod cum ille, tum Rex Alphonsus Henrici filius amplissimis reditibus locupletavit. Post multas rerum, temporúmque vicissitudines bona cœnobii Carquerensis duas in partes sunt divisa: pars una collata est Canonicis; pars altera, quæ attributa est Priori, tandem aliis de causis in Commendam redacta, posteà Societati cessit.

7. Verùm licèt meliora hinc sperare cæperit Rodericius; cumprimis tamen in votis erat, ut Societati nostræ fundaretur aliquod domicilium Ulyssipone, in quo reciperentur Socii tum ituri ad Indos, tum illi, qui novæ Provinciæ negotia curarent. Res erat perquàm ardua, multúmque difficilis, non tamen prospero caruit eventu. Placuit ergo Carquerensem Commendam cum D. Antonii cœnobio ad radices montis sito commutare. Reditus illius plerique erant eleemosynæ toto regno collectæ. Eleonora Regina olim claustrum aliquod Sacris è D. Dominici familia Virginibus extruxit. Statio hæc videbatur Sanctimonialibus incommoda, eò quòd omni ex parte montes immineant. Eleonora tamen molem ædificii, quam cæpit, prosecuta: *Sinite*, ajebat, *fabricam exurgere: venient tempora, quibus ex hac domo totius Lusitaniæ reformatio orietur.* Erat id vaticinio non absimile: quod postea complures de Societate sunt interpretati. Simon molitur Ulyssipone domicilium

8. Sacræ tamen Virgines ob dicta incommoda brevi inde immigrârunt Cœnobium D. Antonii. Canonici verò in novam hanc Eleonoræ fabricam transferuntur. Erat per id tempus aliud in diœcesi Guardiensi, & quidem totius ordinis præcipuum D. Antonii de Benespera Cœnobium: huic parebat &

Ulysiponense, & præterea duo oratoria, alterum Scalabitanum, alterum Pineliense à S. Antonio de *Aveleira* dictum. Extinctis omnino Canonicis, Benesperense & Ulysiponense cum Oratoriis in Commendam sunt redacta.

9. Sed quæ sunt rerum vicissitudines, divinâ sic disponente providentiâ, accidit, ut per idem tempus, quo Societas Lusitaniam est ingressa, Illustrissimus & Reverendissimus D. Ambrosius Pereira Episcopus præcipua duo Divi Antonii cœnobia, quorum alterum Benesperæ in diœcesi Guardiensi, alterum Ulyssipone, à Canonicis olim sub titulo Præcepturæ, aut Commendæ inhabitata unà cum oratoriis Scalabitano, & Pineliensi possideret, omnésque ex illis proventus perciperet. Simon igitur cum pio hoc Ecclesiæ antistite sua confert consilia, mentem candidè aperit eâ felicitate, ac dexteritate, ut Præsul, accedente regio consensu, suam commendam, utrumque nempe cœnobium, & annexa eisdem oratoria cum omni onere, & commodo Societati transscriberet, ac cum nostrate Carqueriensi commenda commutaret.

10. Domus quidem erat admodùm misera, nec nostris usibus accomodata, paucis instructa cubiculis, insuper imbribus & ventis pervia. Ipsæ ædes sacræ splendoris, ac decoris habebant nihil: sola in parietibus relucebat vetustas. Pedreanius vir bonus, ac timens Deum Ecclesiam hanc curabat solers ædituus, qui postea ab Hieronymo Natali Visitatore in Societatem adoptatus, primus domûs Professæ ædituus vitæ cursum ibidem sanctè consummavit 26. Martii Anno 1566.

Prima Domus propria in tota Societate. Fuit tamen hæc prima domus propria, quam in orbe universo Societas incoluit: nam Romana ad id tempus solùm erat pretio conducta.

Professio primorum PP. 11. Neque hìc prætermittendum, quòd Ignatius novæ familiæ Præpositus Generalis cum reliquis, qui Romæ commorabantur, primis Patribus die 22. Aprilis solemnem professionem emiserint. Franciscus Xaverius, cùm ad Indias abiisset, per constitutum à se Procuratorem idem egit. Quâ die autem Simon Rodericius se votis eisdem obstrinxerit, mihi compertum non est.

Annus 1542. Soc. 3.

I.

Migrat Simon in domum D. Antonii. Die quintâ Januarii rebus, ùt oportebat, ritè instructis, Simon Rodericius unà cum Gonsalo Mederio è nosocomio, vel ædibus pretio conductis, in Ulyssiponense D. Antonii cœnobium commigrat. Die sequenti adscribit Societati Bernardinum excalceatum, quem *à Regibus* compellari voluit, eò quòd in Festo Epiphaniæ Domini in nostrum ordinem sit receptus: vir erat admodùm pretiosus, divinis & cœlestibus propè immersus: cùm Sacrosanctam Deo litaret hostiam, visus est è terra sublimis, non sine totius populi admiratione. Annis labentibus fungebatur munere Indiæ Procuratoris.

Crescit usus Sacramentorum. 2. Simon, & Gonsalus absque ulla mora nostra cœperunt obire ministeria: populus magnâ frequentiâ confluere, explanationem Evangelicam, & Christianam doctrinam avidis, attentísque auribus excipere, per frequentem SS. Sacramentorum usum suam studiosè salutem procurare, admirandæ fieri animorum conversiones. Urbs tota in meliorem, & à priori omnino diversam immutata renovabatur. Videtur id cœlesti lumine illustrata jam dudum præsensisse Eleonora Regina, de qua supra: res ipsa comprobavit, & sequentes anni in tota Lusitania abundè confirmârunt.

Init Societatem Emmanuel Godinius, & alii. 3. Neque tamen Simon dum aliorum salutem promovere satagit, intentus esse desiit sacro suo ordini propagando. Undecimâ die Martii novæ huic militiæ accessit Emmanuel Godinius Vianensis ex Transtagana Provincia, generis, & morum nobilitate clarus adolescens. Regi erat ab obsequiis: postquàm verò Duce Xaverio totius anteactæ vitæ nævos expiâsset, ita nos, résque nostras dilexit, ut ægrè à nostrorum consortio posset avelli. Exercitiis excultum, votis nuncupatis, peregrini habitu à Simone missus est ad S. Jacobi in Gallæciam, jussúsq; Conimbricæ in reditu subsistere, ibique litteris dare operam, ne tamen vel verbis

verbis, vel habitu se proderet esse hominem Societatis, ut sic faciliùs, suaviúsq; in animos influeret Academicorum. Jussa hæc fideliter, & feliciter Godinius est executus.

4. Post hunc admissus est in Societatem Emmanuel Fernandius Tingotanus, insignis deinde præco verbi divini, qui etiam gloriosâ morte, ùt suo loco dicetur, Societatem illustravit. His accesserunt Antonius Cardozus, & Lanzarotius Seixius. Eodem tempore Sacræ in Lusitaniam suppetiæ missæ sunt ab Ignatio, Didacus Miro Valentinus, Magister Pontius Cogordanus Gallus, & Franciscus Roxas Castellanus. Paulò pòst adventârunt Franciscus Villanova, & Alphonsus Cyprianus, uterque Hispanus; ille Complutensis Collegii fundator, iste magnus in India Apostolus. Tandem auxit numerum Angelus Paradisius, Isidorus Brilinus, Martinus Parmesanus, Itali, Franciscus cognomento Gallus, & natione.

Missi à P. Ignatio.

5. Adeò copiosum Sociorum numerum dum Simon observavit, Collegii fundationem non ampliùs differendam ratus, Ulyssiponensem tum adhuc Residentiam Patri Gonsalo Mederio regendam relinquit, adjunctis ei laborum Sociis Alphonso Cypriano, & Bernardino à Regibus. Cum altero Sociorum manipulo Simon Conimbricam proficiscitur. Attulit secum litteras à Rege ad Dionysium Priorem monasterii S. Crucis exaratas, quibus Patres nostri religiosæ Prioris benevolentiæ commendabantur, donec opportunam stationem in urbe invenissent.

It Simon cum Sociis Conimbricam.

6. Nonâ Junii se in viam dedêre Patres; Conimbricam autem ingressi sunt 13. die Divo Antonio Sacra, cui Collegium illud à suis cunabulis se admodùm obstrictum agnoscit. Hic singulari benevolentiâ in regium S. Crucis Monasterium sunt recepti. Nonnemini Sociorum adeò placuit hæc religiosa charitas, ut relicto nostro, Institutum ejusdem monasterii sit amplexus. Non multas tamen post horas pœnitudine ductus, rejecto habitu monastico, quem paulò ante sumpserat, ad Simonem revertitur. Noluit hic virum animi adeò inconstantis in suorum numerum iterum admittere, ratus, parùm, aut omnino nihil frugis è genio tam versatili sperari posse. Quis ille è sociorum numero fuerit, tacent monumenta vetera. Solùm reperio Antonium Cardozum, & Lanzarotium Seixium è Societate dimissos.

Unius inconstantia.

7. Curas interim omnes, ac sollicitudinem eò Simon intenderat, ut reperiret locum novo, quod meditabatur, ædificio opportunum. Nullus in tota urbe videbatur aptior monte *Ribella* dicto. Novam ædium seriem (plateam Regiam vocant) Rex antehac parari jusserat, ut easdem incolerent Academiæ suæ Professores. Locus hic præplacuit. Domum itaque Simon eligit, suorúmque usibus aptat, ædiculam sacram adornat, & 2. Julii die visitantis Elisabeth Virginis, cum Sociis inhabitare cœpit, sícque factum est initium omnium primi, quæ Societas in universo orbe habet, Collegii Conimbricensis: cui suam debent originem tot nobilissimæ Provinciæ Societatis per totam Hispaniam, & Indias propagatæ.

Eligit Simon locum ædificio.

Initium Collegii Conimbricensis.

8. Pusillo gregi præfectus Rector Didacus Miro nondum Sacerdos. Solus siquidem Pontius Cogordanus Sacerdotali eminebat dignitate. Quoniam verò confirmatâ jam tunc Societate, nullæ tamen extabant totius ordinis constitutiones; Simon interim certas leges scripsit, quibus staret tota religiosæ domûs disciplina, donec Ignatius Fundator provideret. Rebus in hunc modum ordinatis, Simon redit Ulyssiponem fundationis commoda apud Regem promoturus, cùm Rex alendis Sociis interim ex privato ærario prospiceret.

9. Quanto autem fervore nova hæc sacræ familiæ primordia æstuârint, vix potest quis assequi cogitatu. Præibat exemplo suo Rector, qui in se adeò erat Severus, ut Ignatius factus certior alium præfecerit, qui Rectoris fervori modum statueret. Die 25. Julii Renovationem votorum instituêre. Placuit ad hanc piam Solemnitatem ædiculam eligere Spiritui S. dicatam non procul ab urbe prope cœnobium PP. Capuccinorum, in quo Divus Antonius Seraphici Francisci habitum suscepit. Locus certè umbrâ arborum, & fontis susurro peramænus ad cœli deli-

Renovant vota.

delicias fovendas, & augendas factus videtur. Illic Pontius ad aras operatus singulos Angelorum pane refecit: quisque sociorum manu aræ impositâ pias inter lacrymas sua renovavit vota iis verbis, quæ calens igne divino animus dictabat. Exorta hinc ingens scrupulorum anxietas; quos ut posthac evitarent, quemadmodum suo loco dicetur, votorum formula certis verbis est concepta.

Novi incolæ. 10. Ejusdem mensis die 29. auxêre numerum Martinus de S. Cruce, Castellanus, secundus Collegii Rector, Guilielmus Codurius Gallus, Nicolaus Lancilotus, Hercules Bucerius, & Antonius Criminalis, Itali, Româ omnes à S. Fundatore missi: quorum postremus, primus de nostra Societate vitam pro Catholicæ fidei Confessione profudit. Incolis crescentibus, labente tempore nova ædificii moles surrexit. Nec aliud est super, nisi cubiculum, quod olim Ven. Josephus Anchieta inhabitabat, conversum in ædiculam sacram.

Admittuntur nonnulli. 11. Septem, vel octo sunt adscripti de novo Societati. Memoriam peculiarem meretur Adamus Franciscus, quem brevi, sed grandi elogio in suo apud Indos obitu Xaverius extollit. Joannes de S. Michaële ex Gallæcia oriundus, verbi divini præco prorsus insignis. Multùm res nostras promovit Godinii simulata persona. Et verbo, & laudabili vitæ exemplio fuit incitamento multis, ut nostrum Institutum sequerentur.

Franciscus Nettus venit in Societatem. 12. Ulyssipone ad nos venit Franciscus Nettus Sacerdos Castellanus, Archiepiscopi Concionator celeberrimus. Hic sub finem Sermonis: hactenus, ajebat, aliis, nunc adesse horam, ubi sibi concionaretur; ne fortasse suspicari possitis, à me laudari, non verò amplecti rerum contemptum. Quod ut magis intelligatis, exequor facto, quod laudavi verbo. Ex hoc igitur loco in Divi Antonii ædes festino, ut inter illos DEI servos vitæ meæ cursum consummem. Dictum, factum. Annis sequentibus in Castellam abiit, ibique sancto fine vitam conclusit.

S. Ignatius dissidium componit inter Pontificem, & Joannem Regem. 13. Dissidium admodùm grave exarsit hoc anno inter Paulum III. & Joannem Regem, Societatis nostræ parentes. Michaëlem Sylvam Visensem Episcopum è Lusitania clàm profectum Summus Pontifex non solùm benignè excepit, sed in sacrum purpuratorum Patrum cœtum cooptavit. Dolebat Serenissimus, quòd Pontifex hominem aulæ Lusitanæ invisum ad tanti honoris apicem eveheret. Dolebat Sanctissimus, quòd Rex Cardinali à se creato Episcopales reditus, & congruam sustentationem denegaret. Concitatis utraque ex parte animis gravissimæ timeri poterant perturbationes, ni citò pax aurea dissidentes Principes ad pristinam concordiam revocâsset. Innotuit S. P. Ignatio apprimè gnaro, quantum Principi utrique ipse, quantum ejus familia deberet, re DEO per se, suósque seriò commendatâ, eos pacificandi provinciam, partésque suscepit; ac post diuturnos conatus, singulari Numinis beneficio, modum invenit, quo salvo Pontificio, Regióque honore, omnes finirentur contentiones, & pristina amicitia revivisceret: ob quod Pontifex Ignatio habuit, & Rex haberi jussit gratias pro tam salubri consilio, fructuosóque labore.

Rex Eboræ Collegium vult ædificare. 14. Præter unum, quod jam fundavit, Collegium, aliud meditabatur Eboræ Rex Joannes. Quem in finem jussit, ut spatium illud, quod nunc Collegium de Matre Dei dictum occupat, Stephanus Aguiarius emeret cum horto, & ædibus vicinis. Rex tamen postea mutavit sententiam: videbatur siquidem, ùt suo loco dicetur, gloriam hanc DEUS Optimus Henrico Regis fratri destinâsse.

Annus 1543. Soc. 4.

1.

Contemnit nos Academia, mox veneratur. QUòd artificium Simonis in dissimulatione Godinii, vitâ, & conversatione inter externos de cœlo fuerit, dies ipsa magis, ac magis aperuit. Initio contempsêre nos Academici, nominibus ridiculis nos exprimebant. Nullam, aut exiguam de nostro Instituto æstimationem hactenus Academia conceperat.

ceperat. Rectorem Sacerdotio non insignitum risêre plerique. Famam, qui domui nostræ conciliaret, non erat vir ullus aut admodùm litteratus, aut Concionator illustris. Sed quæ vis occulta virtuti est, ipsa abundè supplevit clarorum hominum penuriam. Godinius ubique erat nostrûm Laudator, atque defensor: nunc hos, nunc illos optimæ spei juvenes adducebat in domum nostram: secuta est æstimatio, & affectus.

Plurimi adolescentes egregii ineunt Societatem.

2. Quatuordecim hoc anno Societatem inière, multi & ingenio, & natalibus præclari, meriti profectò, ut eorum nomina Annales nostri ab interitu vindicarent. 9. Martii Melchior Nunius Barretus, qui primus, postquam Lusitaniæ navarchi, in remotiora Indiæ littora aditum reperêre, Christum in Sinis prædicavit, nobili natus loco in urbe Portuensi. Aprilis 25. Melchior Carnerius Conimbricensis, unus è tribus primis, qui è nostra Societate Episcopali dignitate fulgebant. 9. Julii Gonsalus Silveira, filius Comitis Sorteliensis, sanguine pro Christo in Monomotapa effuso clarissimus, ortus Almeirini. Ejusdem mensis 14. Rodericus Menesius è primaria Nobilitate Ulyssiponensi. Hos duos Miro è conspectu urbis clàm subductos in villa trans urbem Portum munivit exercitiis S. P. Ignatii adversus Consanguineorum insultus, quos postea multos & validos egregiè vicère. Junii 20. accessit nobis Ludovicus Grana, postea Provincialis in Brasilia virtutis admirandæ. 8. Julii Antonius Correa Portuensis è nobili familia, primus in Hispania tironum magister post nostras Constitutiones promulgatas. 1. Augusti Nonius Riberius, qui apud Molucenses animam pro Christo posuit. 5. Novembris Emmanuel Moralius probatus à S. Xaverio, & in Oriente mortuus. Eâdem Antonius Soarius, obiit in obsequio pestiferorum serviendo malignâ lue infectis.

Cogordani Zelus.

3. Pontius Cogordanus unicus Collegii Sacerdos indefessus erat in sacro tribunali: piis exhortationibus in studium virtutis incendebat scholasticos: non paucas prostitutas mulierculas ad meliorem frugem reduxit. Magister Simon eis, ne in antiquas redirent sordes, de certis ædibus prospexit, leges condidit, & necessaria vitæ alendæ subsidia procuravit.

Possunt esse plures quàm 60. Professi.

4. Professorum numerus in Societate Sexagenario hactenus definitus ad Martium hujus anni perduravit. Quem limitem per suum diploma sustulit Summus Pontifex. Emmanuel Godinius, qui dexteritate magnâ, utilitate maximâ Religiosum, quod tamen reverâ profitebatur, Institutum dissimulaverat, tandem in domum nostram jussus est reverti. Quod cùm demum germanus illius Monachus Carmelita intelligeret, suâ opinione se delusum esse agnovit, ac propterea multùm adversus Societatem est commotus.

Simon non acceptat Episcopatum. Fit Magister Principis.

5. Mirum in modum & virtus, & prudentia Simonis sibi Regis animum ita conciliârunt, ut vacantem Episcopatum Conimbricensem Rex eidem conferre constituerit. Verùm horruit vir modestissimus, & habitis gratiis pro tanta de nostris rebus existimatione, generosè depulit à se honorem, ac dignitatem. Id multò laudabilius est, quòd per id tempus adhuc Professi nostri non obstringebantur voto non acceptandi dignitates extra Ordinem. Ast uti à primordiis sacræ hujus familiæ omnibus nostris altè mens eadem insederat respuendi quascunque dignitates; ita mens hæc pro lege fuit. Rex itaque Joannem Soarium ex Eremitis D. Augustini, Principis Magistrum ad eandem infulam promovit; Simonem verò Joanni filio suo Instructorem, & conscientiæ arbitrum præfecit.

Simon it Conimbricam.

6. Festis Domini natalitiis facultatem Simon à Rege obtinuit adeundi Conimbricam tum ad Sociorum, tum suum solatium. Eos illic transegit dies, ac noctes summâ omnium pietate. Inde trahit originem consuetudo in hac Provincia conveniendi in feriis natalitiis ad Sacellum, ut tempus loquendi post cœnam inter colloquia suavissima, & pia cantica coram DEO recens nato consumatur.

Franciscus Villanova Complutum mittitur.

7. Franciscus Villanova, quem DEUS ad grandia destinaverat, expertus Cœlum Conimbricense valetudini suæ parùm amicum, à Simone sub initium anni currentis in Castellam mittitur, id volente S. P. Ignatio, qui de Villa-

nova spes conceperat non vulgares. Erat jam Compluti Aprili mense. Quæ, & quanta illic annis sequentibus gesserit; ùt fundaverit Societatis Collegium sapientissimorum virorum Seminarium, nullus est, qui nescit, nisi omnino in nostris Annalibus peregrinus. Nec parva gloria Conimbricensi accedit Collegio, quòd inde tanti operis primus author, & conditor sit profectus. Profuit valetudini patrium Cœlum, & cæpit ipse operam dare Grammaticæ præceptoribus, quippe alias præter elementa litteras ignorabat.

Annus 1544. Soc. 5.

1.

Multi ingrediuntur Societatem.

PRimi menses anni novis incolis non parum auxêre Collegium. 15. Januarii Societatem nostram ingressus est Franciscus Vieira natus Arrudæ, Missionarius Indicus. 25. Franciscus Perius viro sancto Xaverio magnopere commendatus. 1. Februarii Antonius Monisius de nobilitate præcipua, qui post turpem è Societate fugam in se reversus Romæ obivit in D. Ignatii complexu. 7. Gonsalus Vasæus Mellus stemma, nobile, res, & spes maximas contempsit. Præter hos accrevêre septem, quorum præter nomen nulla memoria est super.

Per Lusitanum Regem Societas ingreditur Castellam.

2. Avebat ardentissimè S. P. Ignatius Societatem videre in dominiis Regis Catholici propagatam. Nec minùs id cupiverat Rex Joannes, quem, vel ipso Ignatio teste, Societas parentis instar venerabatur. Nupsit Philippo, Principi Maria Regis filia. Non poterat affulgere commodior opportunitas. Idcirco Rex per Simonem, & per suum Legatum Romæ degentem petiit ab Ignatio, sibi mitteret è primis Sociorum alterutrum, vel Laynium, vel Fabrum, & simul Joannem Aragonium, & Alvarum Alphonsum Sacerdotes, olim domesticos Mariæ, & Joannæ: utraque filia erat Caroli V. Imperatoris.

3. Electus fuit Petrus Faber, qui tamen, quoniam in Germania cum Pogio Nuncio Apostolico versabatur negotiis magni momenti expediendis intentus, non poterat itineri se protinus dare. Ubi Rex Joannes intellexit ex Simone mentem Ignatii circa nostros in Castellam mittendos, doluit vehementer id primùm sibi innotuisse, postquam jam filiæ suæ arbitrum conscientiæ nominâsset. Erat quidem Serenissimæ in votis, ut id munus Magistro Simoni conferretur; sed obstitit, quò minùs id peteret, reverentia parentis, cui sciebat Simonem adeò esse charum, & pretiosum, ut eum ægrè sineret à se avelli.

Franciscus Strada cum aliis à Fabro mittitur in Lusitaniam.

4. Faber ubi se negotiis liberavit, festinavit Lovanium. Magnos illic inter Academicos ciebat animorum motus tum ipse, tum suis concionibus noster Franciscus Strada. Plures, contemptâ sæculi vanitate, Societati dedêre nomen. Stradâ Duce, missi sunt Conimbricam undecim, selecti omnes, non pauci Magisterio in Academia insignes: Petrus Faber Hallensis in Theologia Baccalaureus Concionator; Didacus Looftius Rhetoricæ, ac Dialecticæ, Magister Boenus Canonicus Ethicæ Professor. Joannes Covillonius, quem postea ut Tridentino Concilio assisteret, in suum Theologum Dux Bavariæ elegit. Leonardus Kesselius. Maximilianus Capella. Daniel Donderamunda. Cornelius Vistaveus. Thomas Poghius. His adjunxit Faber Andream Oviedum, qui in fama Sanctitatis obiit Æthiopiæ Patriarcha, & Mosen Joannem, quos secum ipse Lovanium adduxerat.

Joannes Beria.

5. Vix Corunnæ in Gallæcia sunt expositi. Confluit undique populus novos advenas videndi cupidine. Franciscus Strada non sinebat opportunam elabi occasionem, confisus in DEUM, in Nomine Domini misit retia, ferventer ad circumfusam turbam perorat: nec eum spes fefellit: in sua retia inclusit Joannem Beriam Canonicum, qui, suis omnibus relictis, Nostros Conimbricam secutus, vale mundo, se totum dedit Societati, & Apostolicis laboribus plurimùm Indorum salutem promovit.

6. Decimâ

6. Decimâ sextâ Februarii Conimbricam sunt ingressi. De Strada, licèt sacris ordinibus nondum initiato, insolita tamen magni nominis fama prævolavit. Peculiaribus ubique religiosæ charitatis officiis erant excepti. Per id tempus succedaneâ operâ Socii foras efferebant domûs purgamenta. Ut erant demissionis studiosissimi, felices inter dies numerant illos, quibus ea sors ipsis obtingebat. Strada novus hospes demandat sibi idem humilitatis ministerium, sèque aliis laboris socium adjungit. Hujus profundæ humilitatis exercitio vir ille omnino magnus adhuc majora jecit & virtutis, & crescentis in dies existimationis fundamenta. Stradæ humilitas.

7. Conimbricensi Collegio Rector præficitur Martinus de S. Cruce, dum Didacus Miro, sic jubente Ignatio, Valentiam concedit, in ea urbe & regno initium Societati facturus, cum Antonio Monisio, Jacobo Romano, & Francisco Rozas Castellano. Stradæ interim concionandi munus, onúsque à Simone imponitur. Primus è nostris verbum DEI Conimbricensibus prædicavit. Lætis admodùm auspiciis: quâlibet Quadragesimæ Dominicâ bis è sacro pulpito dixit ad concionem. Reliquit scriptum P. Franciscus Araujus ex antiquioribus hujus Provinciæ, Stradam, quòd Sacerdos non esset, non superpelliceo, sed communi pallio in concionibus suis usum. Verùm etsi Sacerdos non esset, vix tamen explicari potest concursus audientium. Necessum erat eligere amplissimam in Regis palatio aulam, quæ numerum capere posset auditorum. Habuit Strada illud prorsus divinum, ut, cùm adversus malos mores fulminaret, mitum in modum incenderet, quóque vellet, animos inclinaret. Hic Stradæ plausus magno depressis nostris rebus præsidio fuit: Academicis namque, quibus antea derisui, cæpimus esse admirationi. Didacus Miro Collegii Valentini ponit initia. Incipit conciones Strada magno proventu.

8. Intra decem mensium spatium, ex quo cæpit Strada concionari, præter complures alios, flos Academiæ quindecim præcellentis ingenii juvenes nostram familiam auxêre Joannes Dicius Belga. Balthasar Nunius. Antonius Quadrius, sanguine non minùs, quàm virtutibus illustris. Georgius Serranus, postea in Eborensi Academia primus Theologiæ Professor. Didacus Vieira Madeirensis, vir obedientiæ tam cæcæ, ut à Rectore jussus se in sacello DEO commendare, preces suas per totam noctem in alteram usque diem continuârit, donec Rector id observaret. Antonius Gomius Doctor Theologus, felix, si magnas dotes æquâsset humilitate, ob cujus defectum à S. Xaverio è Societate exturbatus. Valerianus Mendesius, antea Christophorus, in sacris concionibus habendis igneus, & animarum Zelator. Verbo indies adeo crescebat Sociorum numerus, ut centesimum, quem Rex alere constituit, explerent, ac proinde Simon ad P. Ignatium litteras dederit, rogans, ne ex aliis regionibus novas copias substituat. Ideo & ædes sacra, & domus nostra ampliorem formam induit. Multi veniunt ad Societatem. Mira obedientia.

9. Augusto mense, die Bartholomæo Apostolo Sacrâ Petrus Faber appulit Ulyssiponem: inde Eboram, & hàc tandem est Conimbricam profectus, antequam, ùt erat constitutum, æstivo calore remittente, Maria Regis filia eò proficiscatur. Ibi à Rege, & Simone, ac Antonio Araozio multis benevolentiæ signis, in posteriore loco communi omnium sociorum solatio est exceptus. Reversus ægrotavit Ulyssipone, ùt vult Tellius noster; vel Eboræ, ùt scribit Orlandinus, quòd id temporis Reges residerent Eboræ, cui urbi Rex Joannes adeò addictus erat, ut communi famâ Eborensem Regem cumpellarent. Utut res accidit: Faber valetudinis causâ nequivit, mitigato æstu, Serenissimam Infantem, ùt statutum erat, comitari. Faber in Lusitania. Tell. l. p. l. I. c. 4. n. 9.

10. Id videtur è Regis voto evenisse. Spectata enim Fabri comitas, mores amabiles, & nota probitas, ac prudentia ita Regis animum occupârunt, ut Araozium in Castellam dimittens, Fabrum tamen in Lusitania constituerit retinere. Vere appetente, Conimbricam abiit Araozius, deinde Almeirinum, Ulyssiponem, & Eboram. Ubique locorum, velut missus è coelo Numinis internuntius, è sacro pulpito audiebatur. Vir erat verbo potens, & opere, & ùt

S. Ignatium arcto affinitatis gradu contingebat, ita etiam gloriæ Dei propagandæ Zelum æmulabatur: præclaris naturæ dotibus sociavit virtutem, & in rebus agendis prudentiam non vulgarem. Hinc promeritus, ut eundem in Castellæ regnis, veluti Societatis nostræ, & Christianæ fidei columen veneremur.

Faber redit Conimbricam.

11. Interim Faber Conimbricam rediit, partim ut valetudini suæ meliùs consuleret, partim ut Collegii res, & statum lustraret. Profuit multùm ejusdem commoratio cùm domesticis, tum externis. Reliquos inter conversationis suæ fructus numerat Joannem Nunium, postea Æthiopiæ Patriarcham; & Emmanuelem Nobregam, virum ingenio, & virtutibus præcellentem, dein primum per Brasiliam Provincialem: utrique, ut Societatis institutum amplectentur, author fuit.

Joannes Nunius, & Emmanuel Nobrega ineunt Societatem.

Procella adversus Simonem, & Societatem.

12. Hactenus Societas secundis ventis navigabat in Lusitania. Hoc anno sæva tempestas repentè est exorta. Dimisit è nostra domo P. Simon hominem religiosæ pacis turbatorem: illius frater nomine Fernandus id tulit ægerrimè. Quare unà cum expulso non contentus, & Simonis & universæ Societatis famam libellis, & criminationibus, linguâ & calamo obscurabat; insuper violentas etiam, & Sacrilegas manus injecit Simoni. Invicto animo, & religiosâ modestiâ pertulit omnia vir Deo plenus. Non tamen Rex optimus distulit vindictam. Supplex Regi accedit Simon, ut reis parceret; delictum gravissimum per ignorantiam facti minuere contendit. Justam quidem Regis indignationem nonnihil flexerat: impetrare tamen non potuit, quin è regno Lusitaniæ proscripti perpetuo exilio mulctarentur.

Exercitia obedientiæ, ac propriæ demissionis.

13. Morante Simone à natalitiis Domini ad majorem hebdomadam Conimbricæ, visum inardere Collegium novâ divini Spiritûs flammâ. Ut mensæ assidentes, dum corpus cibo reficiunt, sacrâ etiam lectione mens & animus pascuntur. Contigit, ut ex opere Joannis Climaci *Scala Cœli* dicto veterum in eremo Patrum virtutes recenseret anagnostes. Simon ad eorum imitationem socios hortatur, atque ut alternis hebdomadis alterno obedientiæ, & humilitatis exercitio, jam imperantis alter, jam alter obsequentis personam sustineat. Pulchrum inter Socios certamen, & dignum DEO erat spectaculum. Nec ille tot ardua poterat imperare, quin alter plura, & difficiliora exequi desideraret. Videbantur omnes nihil aliud, quàm improperia Christi sitire, nullâ prætermissâ occasione, vel studio virtutis.

14. Non patiebatur se igneus ille fervor, & demissionis studium domesticos inter parietes coarctari, quin se in publicum effunderet. Nam sumptis vilissimis indumentis, & galeris patvulis valde attritis per mediam urbem ivère ad Mondam fluvium, ac plenis amphoris humero impositis domum reversi. Multo risui fuerant quibusque obviis. Id temporis ad sancta opera foras prodire, etiam Rectore inscio, tam absonum non erat, atque hodie. Tamen ubi id cognovit Simon, severè reprehendit: esse optima, ajebat, desideria serviendi Deo, sed ordinanda à moderatore, non cujusque arbitrio. Si belli ardores militum à Duce non temperentur, ab ipsôque regantur, sæpe magis nocere, quàm prodesse.

Judicium Doctoris Navarri de Nostris.

15. Juvat hic loci celeberrimi Doctoris Martini Aspilcuetæ Navarri judicium referre de virtute, & abnegatione nostrorum, quàm honorificè vir ille æquè religiosus, ac sapiens per id tempus de Conimbricensi Societatis Collegio senserit, & scripserit, scriptùmque reliquerit posteritati. Quæsitum arcanâ fide ab illustribus sanctioris Consilii viris, quid sentiremus, quid ominaremur de nova Societate? Optima quæque nos de illa judicare, augurari maxima quæque candidè exposuimus, imò auctas esse spes nostras ex iis, quæ vidimus, quæque integro septennio in primo Societatis Collegio Conimbricensi observavimus, & prodigiorum instar attoniti & venerabundi suspeximus. Nullæ quidem tum in contrarium, quia primo totius ordinis Collegio, extabant regulæ, quibus aliàs in sacris familiis humana frænatur libertas. Centenis plures in Collegio numerabantur, quibus victum, aliáque necessaria Rex optimus largè subministrabat.

Ea

Eâ fruebatur libertate, quâ juventus sæcularis, ita quidem ut solus quisque nec petitâ etiam facultate, domo prodire in publicum posset, quò liberet, ad quæque pietatis opera, quæ Spiritus Domini dictabat. Invitârant omne genus hominum sine discrimine personarum sexûs utriusque, tum ut bonos in virtutis studio stabilirent, tum ut impios á malo arcerent. Erant illi quidem invisi, & exosi omnibus, Ecclesiasticis, & Sæcularibus, Monachis, & Sanctimonialibus, & quisque illos livido intuebatur oculo, quisque eorum dicta, factâve curioso obtutu observabat, omnes ferè gressus eorum dinumerabant, pedúmque dimensurabant vestigia: nunquam tamen ab ullo hominum, etsi plurimi sint oculati censores, & ad judicandum prompti, & ad detrahendum propensi, illorum vitam, morésque carpi audivi, vel reprehendi, ita ut nec labem vitii, nec umbram mali in eisdem fuerit observare. Nonnulli id solum cavillabantur, quòd nimiùm severè carnem suam excruciant, nimiùm honorem suum, suorúmque, ac famam, & nominis æxistimationem prodigunt: alii, quòd nimiùm vilibus uterentur indumentis; officia quælibet quantumvis abjecta, & humilia domi, forisq; obirent; mundi vanitatem, vitæ brevitatem continuò die, ac nocte declamarent. Quæ tamen profectò, si æquâ trutinâ ponderentur, non vituperio, sed laude potius digna sunt, & commendatione. Hoc testimonium publicum dare voluimus, & debuimus primò ad majorem DEI, & D. N. JEsu Christi gloriam, cujus nomine hæc Societas gloriatur. Quæ omnino in se verum esse ostendit, quod refertur in Glossa cap. *Nisi cum pridem.*

Tu spiras, ubi vis; tu munera dividis, ùt vis.
Scis, cui das, quod vis, quantum vis; tempore quovis.

Secundò, ut intelligant,, & sciant, inter cuncta alia ejusdem Societatis Collegia, quæ mirâ celeritate per totum orbem Christianum sunt excitata, quanto miraculo florere cæperit primum omnium Collegium Conimbricense, quondam magnificentissima Lusitanorum Regum aula, nunc florentissima Academia. Postremò, ut meminerint, quantùm satagere debeant, ut semper bonum nomen & famam in angustis illis natalibus & initiis acquisitum indies magis, ac magis augeant, curéntque diligenter, ut finis principio respondeat. Hactenus Doctoris clarissimi laudabile de rebus nostris testimonium.

16. Sacra divi Brunonis familia singularem suam erga nostrum odinem benevolentiam testatam fecit datis ex Generali Ordinis Conventu ad Ignatium litteris, quibus minimæ Societati nostræ totius Sanctissimi illius Ordinis merita peculiari quâdam ratione. Videbatur id meritus fuisse singularis ille affectus, ac veneratio, quâ Ignatius unà cum omnibus filiis suis ubique terrarum sanctissimam illam familiam prosequebatur. Quam mutuam piorum operum participationem inter hanc, multásque alias familias sacras Societas universa in quinta Congregatione Generali Decreto 26. constabilitam voluit. *Participatio operum cum Carthusianis.*

Annus 1545. Soc. 6.

1.

PEtrus Faber hactenus magno nostrorum, & externorum commodo Conimbricæ commoratus, Eboram revertitur, acturus cum Rege de sua profectione. Sacras reliquias, quas è Germania secum attulerat, duo videlicet Virginum & Martyrum è divæ Ursulæ Societate Crania, donavit Regibus. Ipse Faber in ara Sacelli aulici reponere est jussus. Alia verò similia sacra Lipsana Sociis Conimbricensibus per Stradam submisit, illisque annum earundem cultum commendavit. Fideliter id præstitêre Conimbricenses, sacris his pignoribus mirificè recreari, atque ùt tunc dies Virginibus iis sacra concione, jubilæo, & diversi generis poëmatis celebrari cæperat, ita in præsentem usque diem peculiaribus pietatis officiis Sacras easdem Virgines prosequuntur. *Cultus undecim millium Virginum.*

2. Non exiguam expertus est Faber difficultatem, ut obtineret à Rege veniam, in Castellam discedendi. Patet id ex litteris Eboræ datis mense Martio: *Faber cum Araozio Vallisoletum proficiscitur.*

Martio: *Hactenus, inquit, ad vos nequivi scribere aliquid certi de mea profectione. Rex post adventum meum in hanc curiam mihi facultatem concessit sed paulò pòst eam negavit. Verùm ex DEI voluntate tandem intelligo, superatis difficultatibus, obtinuisse, quod erat majus Numinis obsequium, ut in Castellam me conferam.* Itaque Faber cum Araozio litteris commendatitiis Regis ad Philippum generum, & Mariam filiam comitatus die 4. Martii Eborâ recedens Vallisoletum pervenit 18. ejusdem mensis. Benevolè ubique à Proceribus regni est exceptus. Magna hic erat exultatio populi, dum sub initium Julii Maria enixa est Carolum tot regnorum hæredem. Sed breve fuit gaudium: mors inopinata Mariæ Principis ex partu secuta tantum Philippo mærorem attulit, ut Vallisoletum tanquam infelix solum aversatus, aulam regiam transtulerit Madritum. Perdidit in ea Principe magnum præsidium nostra Societas: per illam enim, ejúsque serenissimum parentem, quod Ignatii jussu jam olim Faber tentaverat incassùm, facultatem obtinuimus, in omnibus Hispaniæ ditionibus Collegia erigendi.

Hist. Prov. Tolet. L. p. pag. 44. Col. I.

Scholæ majores in Regis palatio.

3. Hoc anno Severiores litteræ translatæ Conimbricæ ad Regis palatium, ubi nunc locum tenent, nostro Collegio viciniores. Hunc in finem Rex fundator ædes illas, & spatium concessit, quod aulæ Academicæ erigendæ destinaverat. Plurimi adolescentes felici ingenio, aliisque gratiæ, & naturæ dotibus prædìti Socios auxêre. Aprilis die 27. Ludovicus Gonsalvius Camera Theologus, vir præcipuæ nobilitatis; Emmanuel Sa, grande apud nos scientiarum lumen; Gonsalus Fernandius, postea dictus Urbanus. Primum nobis adduxit religiosa comitas, & amæna Fabri conversatio; in Fabro enim videbatur Ludovicus alterum venerari, & admirari Augustinum, ejúsque verba veluti oracula excipiebat. Omnes sacris Ignatii exercitiis exculti, missi sunt Valentiam sub Didaco Mirone tirocinium subituri. Nolo illorum laudi pluribus immorari typis publicis eorum gesta circumferuntur.

Societatem intrant.

4. Heroes istos secuti sunt Emmanuel Moralius, Franciscus Henriquius, illustres in excolenda Domini vinea apud Indos operarii. Ferdinandus Mascarenius. Alphonsus Barretus, frater Joannis Nunii patriarchæ. Gonsalus Rodericius vir in rebus Indicis nominatus. Henricus Henricius Villavissosanus, Secundus in ora Piscaria post Xaverium Apostolus. Vincentius Rodericius, & Joannes Aspilcueta, ambo apud Brasilos fidei propagatores egregii. Michaël Sousa, æquè sanguine, ac virtutibus illustris. His adnumerandus venit Emmanuel Lopius Portuensis scholasticus Theologus, præcipuus Collegii ad S. Michaëlem benefactor: habuit fratrem, nostrum Henricum Henricium, virum doctissimum, & Joannem Lopium, non habitu, sed affectu nostrum.

Ambrosius Ferreira.

5. Non tacendus Ambrosius Ferreira, qui, ut ad Societatem aditum impetraret, non horruit Simonis jussu arduum subire experimentum, nec erubuit abjecto pallio per frequentiores urbis vicos, hominis emortui cranium gestare manibus, & stultitiam simulare. Ubique sequebatur verum Christi imitatorem populi sibilus, risus, & ludibrium: quem tamen Socii, dum Collegii limina gloriosus mundi, suique victor ingressus est, fraterno complexu excepêre.

Opinio de nostris.

6. Academicos inter seu jocus erat, seu vera vigebat opinio, eam nostris precibus inesse virtutem, ac efficaciam, ut quicunque in nostræ Societatis odium famam arrodetet, sine mora mutatus in alium hominem nostræ accederet Societati. Idcirco nonnullus, Ego, inquit, his non accedam, quòd hactenus eorum facta non momordi; propterea liber sum ab eorum oratione.

Initia Collegii Gandiensis.

7. Dux Gandiensis Franciscus Borgias anno præsenti fecit initium Collegio Gandiensi. Conimbricâ 18. Augusti missus est primus Rector Andreas Oviedus, & secum adduxit Hermen, & Maximilianum Flandros, ac Franciscum Onufrium Gallum, Scholarum Magistros,

Ad Indiam profecti.

8. Litteræ Xaverii in omnibus ubique Sociis tantas excitabant flammas, ut, si M. Simon morem geretet petentibus, totum Collegium in Indiam navigaret.

vigaret. Tres solùm facti sunt voti compotes: Antonius Criminalis, qui primus deinde è nostra Societate Martyr Christi. Nicolaus Lancilotus Italus ex Urbino, qui Apostolicos inter labores animam posuit. Joannes Beroa natus in Gallæcia, qui Molucensium salutem immensis laboribus promovit. Tres hi erant primi ex hoc Collegio Sacerdotes, qui venturis annis viam aliis ad Indos aperuerunt.

9. Conimbricæ nostrorum precibus commotus Episcopus Joannes Soarius domum erexit, in quam se colligerent honestæ puellæ, quarum periclitabatur pudicitia. Ibi educabantur ad annos nubiles. Plurimùm nos, résque nostras suo fovit, ac protexit patrocinio Soarius, multùm nostris detulit consiliis; dum vixit. Societatis homines solebat vocare *Castra DEI*, quòd adversus vitia pro DEI gloria semper starent in armis. Domus pro honestis puellis.

10. Indictâ Tridentinâ Synodo, Rex Joannes Eborâ litteras dedit ad Simonem Conimbricæ morantem, in quibus eidem commendabat, inspiceret, & cum viris litteratis Collegii perpenderet, si quæ occurrerent, quæ Regis nomine ad corrigendos mores Concilio proponi judicarent. Tanti faciebat sui Collegii sententiam, cùm tamen ad id tempus vix primordia superâsset. Insuper quoniam noverat optimè, quanti nostrâ interesset, si sacrosancta Synodus Societatem protegeret: huic igitur Ordinem nostrum verbis amplissimis commendavit, & quàm utiles ejus essent cum in Lusitania, tum in India labores, deprædicavit. Joannis Regis existimatio de Societate.

11. Volebat autem divina bonitas hanc nimiam Societatem non tam prosperis, quàm adversis bene probatam stabilire: ideo permisit, ut ingens nos jactaret procella. Monachus Emmanuelis Godinii frater hanc excitavit; ægrè ferebat ille fratris sui frequens, ac familiare cum nostris commercium; metuebat, ne sub specioso virtutis prætextu malesanæ hauriret virus doctrinæ. Implacabilior exarsit, cùm Godinium nostrum esse, ac se jamjam in Collegium recepisse intellexit. Non deerant, qui Monachi probarent, & foverent timores. Deplorabant tot adolescentes Regni, & Academiæ florem, falsis, ùt ajebant, umbris infascinatos. Procella adversus nos, & inquisicio de nostris moribus.

12. Pabulum flammæ addidit falsus rumor ille, qui ubi percrebuit, nostris eo tempore, quo Spiritum sanctis Ignatii exercitationibus excolunt, varias objici visiones, spectra prorsus mirabilia; hinc nostrorum vultus prorsus exhaustos, ac macie confectos dictitabant: nec deerant, qui passim spargerent, nostros succensæ paleæ fumo sibi ejusmodi pallorem ascíscere, ut sibi ubique conciliarent opinionem Sanctitatis. Confirmabat sinistram eorum opinionem nonnullorum è nostris per urbem occursus, qui quia sacris meditationibus abrepti per vias urbis incedebant, quasi à sensibus alieni, & amentes credebantur.

13. Igitur ut tantum, quod putabant, malum tempestivè averterent, crimina plurima, seu potiùs criminum figmenta, & accusationis capita calamo mendaci coacervant, chartis mandant, præsertim adversus exercitia, quæ indignis prorsus modis traducunt. Et quoniam Regi, quem sciebant res nostras benigno oculo intueri, libellum tradere non audent, eundem ad Cardinalem Henricum, utpote Inquisitorem Generalem, aliunde nobis minùs addictum deferunt. Qui tamen postquam rem omnem Regi aperuit, addidit, necesse itaque esse, ut, præmisso ritè examine, partes sui muneris expleret. Annuit quidem Rex, monuit tamen, ut Cardinalis ageret providè, & circumspectè, ne fortasse Societati infamia sequatur.

14. Ut autem prævisa tela minùs feriant, Simonem protinus Rex facit certiorem. Famæ mendacia risit Simon, ùt solet mens recti conscia, actisque Regi gratiis pro adeò benevolo in nos affectu; adjecit consultum sibi videri, ut, dum accusationis capita discutiuntur, ipse ex suæ Majestatis mandato, carceri inclusus hæreat, ne detur locus fugæ, si criminis convincatur. Mirificè placuit Joanni & intrepida securitas, & imperturbata mentis serenitas, index certus animæ innocentis.

15. Quæ-

15. Quæstio est commissa Fratri Didaco Mursiæ Academiæ Rectori. Nostrum ergo adit Collegium, eos acciri jubet, quos novit parentibus invitis Societati nomen dedisse. Jurejurando Rodericum Menesium edicere compellit, veráne sint, quæ de exercitiis, & visionibus vanis circumferuntur? Quærit, an ipse quoque nonnullas sit expertus? Equidem, respondet, mi Domine, ego mira conspexi. Existimavit Rector prædam jam esse in cassibus; urget, rem omnem edisserat. Tunc ille: hactenus, mi Domine, tam cæcus vixeram, ut me non viderim: in hujusmodi sanctissimis exercitiis me novi, me vidi: & hæ sunt visiones, hæc spectacula, quæ se nobis objiciunt in sacro hoc recessu. Hæsit Rector audito responso adeò modesto, & sapienti. Nec cæterorum discrepabant responsa. Hæc ubi Mursia ad Cardinalem Henricum retulit, qui cœpit paulatim sinistras, quae de nobis conceperat, opiniones ponere, mentémque ita immutare, ut vix fuerit alius, qui Societatem nostram teneriori prosequeretur affectu.

S. Ignatius primò scribit Reg: Joanni.

16. Necesse videbatur Ignatio, ut cum Simone, cæterísque antiquioribus Patribus de Societatis summa conferret, constitutiones à se concinnatas, priusquàm ederet in lucem, traderet inspiciendas, séque à regenda Societate liberaret. Quem in finem Simon Romam erat evocandus. Quoniam autem id sine Regis annutu fieri non posset, idcirco hoc anno vir humillimus, qui modestiæ causâ ad Regem Joannem hactenus nullam dederat epistolam, silentium rupit, & litteras humanitatis officiis plenas expedivit, quibus Regi supplicabat, ut Simonem redire in urbem pateretur. Sed quòd plura in contrarium occurrerent impedimenta, obtinuit nihil.

Mortificationes publicæ.

17. Cæterùm quæ hactenus domi, hoc anno publicè suscipiebantur. Varias carnis mortificationes, alii plurima religiosæ demissionis exercitia, mediastinorum vilissima obibant ministeria; alii non tam necessitatis causâ, quàm sui vincendi studio emendicatam per frequentiores etiam urbis plateas ostiatim cophino eleemosynam colligebat, licèt Rectori Collegii necessaria vitæ subsidia Senatus offerret. Alii dato campanulâ signo, quantâ poterant, vocis contentione, *Infernus*, clamabant, *Infernus paratus est illis, qui vitam vivunt in peccato mortali.* Alii præsertim Antonius Gomius, & Strada in vitia publico in foro invehebantur. Nonnulli, & quidem pauci admodùm, gloriosa hæc virtutum spectacula probabant; damnavère plurimi: imò non deerant, qui & carceres, & Inquisitionis officium Sociis comminabantur, si posthac ad populum ejusmodi facerent conciones, utpote quæ non essent dicendæ, nisi in urbe, in qua cives forent similes Ninivitis. In tanta sermonum varietate, quid sentiret? interrogatus Ludovicus Montoya ex sacra Eremitarum D. Augustini familia, vir certè exquisitæ virtutis, Apostoli verba reposuit: *Spiritualis homo omnia judicat, ipse à nemine judicatur.* Quibus significabat, latere in eis, quas mundus reputabat stultitias, sublimiorem, quàm ipsi perciperent, Philosophiam.

18. S. P. Ignatius tamen de his omnibus edoctus in sua ad Socios Conimbricenses epistola: *Nolo*, scribit, *existimetis mihi displicere vestras mortificationes, has, & alias sanctas stultitias. Scio ego in usu esse cum fructu viris sanctis: magni certè apud DEUM meriti est, ut quisque se vincat, adquirátque gratiam uberiorem, præsertim in principiis vitæ sanctioris. Verùm studiorum tempore, atque ii, qui jam habent dominum in amorem proprium, ut scripsi, reduci debent ad prudentem mediocritatem: id optimum censeo, si nunquam ab obedientia recedant.* Hactenus sanctus noster Legislator. Annis sequentibus harum mortificationum usus frequens erat in Collegio. Constans siquidem docuit experientia, his multùm Evangelicæ perfectionis, & abnegationis studia promoveri; nec oportebat Societatis virtutem, ut solida esset, aliis niti fundamentis.

An-

Annus 1546. Soc. 7.

I.

ANni principio M. Simon de more suo Conimbricam se contulit ad transigenda Dominicæ Nativitatis solemnia. Constituit nonnullos expedire ad Indias. Quisque pro ardentissimo suo animas salvandi studio laborabat, ut foret ex electis. Novem tantùm ad tam gloriosum munus sunt destinati, nempe Alphonsus Cyprianus Sexagenario proximus, Henricus Henricius, Nonius Riberius, Franciscus Henricius, & Franciscus Perius, Sacris initiati. Nicolaus Nunius, Adamus Franciscus, Balthasar Nunius, & Emmanuel Moralius, nondum Sacerdotes. Cum Laurentio Pirio Tavora supremo septem navium Præfecto 8. Aprilis solverunt, Xaverio auxilium collaturi in neophytis augendis, & excolendis.

Profecti ad Indiam.

2. Novas econtra suppetias Deus optimus submisit Societati. Prætermissis aliis, ad nos venit Franciscus Henriquius Ulyssiponensis, vir tantæ ad gubernandum prudentiæ, ut, licèt esset tantùm litteris ad sacerdotium necessariis instructus, ad solemnem 4. votorum admissus sit professionem. Gaspar Barceus Zelandiensis in Flandria heros omni major commendatione. Melchior Gonsalvius apud Indos in odium fidei veneno extinctus. Leo Henriquius primæ nobilitatis, qui etsi Ludovici Gonsalvii Cametæ in Societatem ingressum ægerrimè tulisset; hunc tamen, quoniam vocanti DEO ultrà resistere non poterat, generosè est secutus. Vascus Ferrazius Canonicus Portuensis, quem nobis pepérere conciones Stradæ. Emmanuel Alvarus Maderensis, uti & Leo, notissimus arte Grammatices, quæ omnium manibus evolvitur. De quibus, quoniam eorum vitas typis commissi, plura referre non vacat.

Plurimi Societatem ineunt.

3. Franciscus Strada jam Sacerdos cum duobus aliis ad S. Jacobum in Gallæciam peregrinationem instituit. Vix potest explicari, quanti ubique, præsertim in urbe Portuensi tempore nudinarum secuti sint motus animorum. Stradæ, ubi deficientis Concionatoris vices ipsâ die D. Archangelo Michaëli sacra supplere jussus est, aderat fortè Vascus Ferrazius Ecclesiæ præcipuæ Canonicus, homo vanissimus: hic habitu sæculari urbem, & forum pervagatus non sine scandalo sub ipsa concione indecorum factus est spectaculum vanitatis, & nugacitatis, ita ut verbi divini præconinm ludere videretur. Conscendit ergo cathedram Stradra: mirabantur alii imberbem novi Concionatoris adolescentiam, alii indignabantur. Verùm ubi vox aurea Stradæ insonuit, ubi audita & verborum fulmina, & graissima rationum momenta, in stuporem conversi omnes, in uberrimas lacrymas solvebantur. Ferrazius cumprimis ita corruptos vitæ suæ mores, & vanitatem pristinam est detestatus, ut per calcatum patrem, & matrem, nequidquam obnitentibus consanguineis, Conimbricam profugerit, & ad vexillum Crucis Christi evolârit.

Quid P. Franciscus Strada egerit in Portu.

4. Nobiles viri plurimi alium vitæ morem instituêre. Quorum veluti Dux erat, & antesignanus, Henricus Nunius Govea, unus è primoribus totius urbis. Hic omnium parentis instar in suscipiendis Sacramentis frequentiam, & sanctioris vitæ consilia etiam in aliis promovit. Hic est, qui S. Franciscum Borgiam in domum suam recepit, nobisque suarum ædium partem contulit erigendo, ac inchoando Collegio opportunam. Imò ante mortem obtento consensu piæ conjugis, & gratioso Borgiæ Generalis annutu vota Societatis nuncupavit.

5. Auditorum numerus, qui Stradam dicentem avidis, attentisque auribus excipiebat, semper tria, vel quatuor millia capitum excessit. Altum erat silentium. Nec miraculo absimile videbatur, quòd in remotissimo Ecclesiæ loco non minùs vox perorantis articulatè perciperetur, quàm in vicino. Die dicatâ SSS. Trinitati quater ad populum dixit. Et quidem postquam in Ca-

pella pro vinctis in carcere ejus consilio erecta primus sacrificâsset, sub Missæ finem, nec depositis vestimentis sacris, in dictionis tesseram usurpavit verba illa: *Benedicta sit Sancta Trinitas.* Populus complebat plateas, & locum omnem, unde posset audiri. Processit dein ad templum Sanctimonialium D.Claræ, fusis ibidem ad DEUM precibus, adit pulpitum, & per sesqui horam declamavit super verba: *Jugum meum suave est.* Eâdem die horâ secundâ post meridiem in templo monialium D. Benedicti per sesqui horam dixit è suggesto in ea verba: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Tandem postremò, cùm avidum verbi divini auditorem adverteret, ad D. Francisci Ecclesiam se contulit, & vix interpositâ quartâ horæ parte è sacris rostris peroravit in verba Isaiæ: *Quiescite agere perversè.* Et ecce! dum fervet concio, duo repentè templi limina subeunt, larvæ, ut videbatur, infernales, dæmonis speciem referentes, & resonantibus crepitaculis attentum populum perturbant. Quid hoc? clamat Stradra, DEus immortalis! Mox ad nequissimos ludiones conversus, sancto ardens zelo; Homines, exclamat, verè maledicti, impudentes, protervi, dæmonibus pejores, qui excusso omni DEI timore sacra templi subire limina, & verbum Dei impedire non exhorruistis, quos ad æterna usque supplicia sequemini post mortem. Ite hinc, ocyùs isthinc recedite è domo DEI. His absterriti dicto citiùs fugâ se abripuêre. Sequenti manè iter in Gallæciam per alia oppida continuavit.

6. Invitante autem Archiepiscopo Bracharensi in metropolitana ejus urbis Ecclesia solito proventu est concionatus. Intereà Cives Portuenses à Simone efflagitârunt, juberet Stradam in Portu subsistere. Subscripsit Simon precibus Civium, ne sine fructu laboris impensi.

Monasterium S. Felicis datur Societati. Ejus notitia.

7. Auctum est novo stabili reditu Collegium Conimbricense. A Rege Serenissimo dono accepimus monasterium in loco amæno prope Minium intra montes situm, à S. Felice dictum, cum omnibus bonis annexis, quæ Monachis Benedictinis sunt arrepta, quòd renuerent se subjicere uni, eidémque, quod statutum erat, per Lusitaniam totius Ordinis moderatori. In antiquissimo arcu lapideo januæ monasterii incisum visitur sacrosanctum JEsu Nomen, tanquam occulto vaticinio futuram Societatis domum significans.

Creatur status Coadjutorum.

8. Paulus III. 5. Junii, rogante S. Ignatio Bullam, quæ incipit: *Exponi nobis nuper fecistis*, expedivit; hâc facultas conceditur in subsidium Professorum Coadjutores spirituales admitti, uti & temporales ad ministeria domûs, rémque œconomicam procurandam destinatos.

Litteræ Simonis circa regulas.

9. Crescebat in dies Sociorum numerus; nec tamen S. Fundator regulas, quibus res Societatis administrandæ forent, hucusque expedivit. Quare Simon ad Martinum de S. Cruce Collegii Conimbricensis Rectorem sequentem epistolam exaravit: *Pater Magister Ignatius gravioris momenti negotiis occupatus, nobis hactenus subvenit opportunis directionibus. Sæpe quidem apud eundem per litteras institi, nobis mittat leges, & regulas, quibus juxta Instituti nostri rationem gubernemur; nullum tamen hucusque responsum accepi. Ne igitur confusè sine illo ordine, & quisque pro suo arbitrio vivat, confeci, quod necessarium judicavi, certam quandam, & communem omnibus normam vivendi, quæ substantiam eorum contineat, quæ videbantur omnium profectui convenire. Etsi omnino de me prædicare possim:* in malevolam animam non introibit Spiritus sapientiæ. &c. *Dominus nobis suum sanctum amorem largiatur. Scalabi 13. Aug. 1546.* Regulæ à Simone missæ, quas brevitatis ergò hìc non insero, sanctitatem, prudentiam, ac spiritum Societatis ex ipso fonte Ignatio haustum in omnibus, & per omnia redolent.

Simon primus Provincialis in tota Societate, & Lusitana Provincia prima omnium.

10. Cùm autem Societas in Lusitania majora indies, quàm in aliis regionibus sumeret incrementa, S. Fundator hoc anno tandem erexit in Provinciam, cui etiam Magistrum Simonem, ùt in litteris patentibus videre est, primum Societatis Provincialem præfecit. Romanæ Societati ipsemet Ignatius præerat;

Quæ

quæ tamen non adeò erat numerosa, ut necesse non haberet in tale administrationis genus converti: quod pluribus pòst annis factum.

Simon periclitatur Subditorum indifferentiam.

11. In nascentis Domini feriis M. Simon patentes de nova Provincia litteras promulgavit, Bullámque explicuit Pontificiam de statu Coadjutorum. Præmissâ exhortatione, voluit Simon periclitari subditorum animos, & religiosam in hunc, vel alium gradum indifferentiam, aut propensionem. Jubet igitur, ut quisq; ex scripto perhibeat de seipso testimonium. Et ecce! una penè omnium fuit sententia, se velle unicè, quidquid tandem sancta statuerit obedientia. Cæterùm si omnino eligere statum juberentur, præplacere vitam in culinæ, valetudinarii, aliisque humillimis domus ministeriis.

Fit renovatio.

12. Aucturus Simon fervorem, votorum renovationem instituit, simúlque in hunc tenorem formulam concepit: *Mi Domine JESU Christe, ego coram tua divina Majestate, & gloriosa Virgine Maria, sine ulla æquivocatione, juxta communem verborum sensum, & mentem Superiorum Societatis offero me juxta illius Constitutiones factas, & faciendas ad perpetuò serviendum Deo in statu Professi, aut Coadjutoris, prout Superior destinaverit. Promitto insuper, quoadusque sim Professus, vel Coadjutor, servare paupertatem, & castitatem, quas Collegium habet pro institutione, & obedire Superioribus Societatis in omni, quod mihi imperaverint.*

13. Renovationem hanc in Constitutionibus jussit S. Ignatius fieri natalitiis festis, & paschate. Qui tametsi exposcebat binam à nobis annuam renovationem, quin vellet nos cogere ad designatos à se dies; unaquæque Provincia pro sua in DEUM, aut Divos devotione eos sibi delegit, qui sibi magis cordi erant; & Provincia nostra decrevit debere à non Professis, vel formatis instaurari vota die Circumcisionis Domini, ac Apostolorum Petri & Pauli. Tirones verò, quibus S. Parens ante finitum biennium eadem vota permittit, ea nuncupare die S. Joannis Evangelistæ, & Visitationis Beatissimæ Virginis.

Annus 1547. Soc. 8.

I.

Ingressi Societatem.

ANno labente sex supra viginti nomen dedêre Societati. Hos inter Vascus olim, dein mutato nomine Ignatius Martinius Goveensis, sanctæ doctrinæ insignis Magister, unus ex illustrioribus Lusitaniæ Societatis alumnis. Gaspar Serpius, postea Mauritius, Sebastiano Regi à consiliis sacris, qui in eodem cum Rege prælio occubuit. Joannes Fernandius Oviedus Coadjutor, S. Francisci Xaverii in itinere Japonico Socius, & apud eas gentes, inter quas obivit, præclarus Missionarius, duro experimento probatus; nam mercator adolescens holosericis ornatus, strigoso jumento impositus per mediam Ulyssiponem jubetur adire domum nostram, plebeculâ innumerâ quà sibilis, quà clamoribus inconditis eum sequente: Accessit subinde nostrorum exemplis commotus Joannes Alencastrius Joannis primi Ducis Aveirensis filius; alter & Joannes Carvalius, qui è paterna domo profugus, vestimenta sua cum vilissimi mendicabuli centonibus commutavit, & tandem multis precibus à Simone in Societatem admitti impetravit. Sed in neutro fervor erat diuturnus: uterque iterum à suscepto proposito defecit.

Ludovicus Gonsalvius Rector.

Martinus à S. Cruce it Romam.

2. Præfectus Collegio Rector P. Ludovicus Gonsalvius Camera P. Martinus de S. Cruce cum Michaële Botelio, & Isidoro Belino Sacerdotibus, Barcinonem itinere pedestri, inde maritimo Romam abiit ad componenda litigia, quæ nobis ob occupata monasterii S. Felicis bona fuêre intentata. Noluit S. Ignatius in domum nostram, quæ ex collectis eleemosynis victitabat, hominem litigia procurantem admittere: quare se in domum Legati Regis Lusitani recipere est coactus,

P. Paulus de Valle.

3. In tirocinium etiam recipitur Paulus de Valle, natus Visonii; cujus virtus multùm probata est divo Xaverio. Apud Indos fidei causâ tulit pluri-

Missi Romam. ma, ærumnis pro Christo toleratis confectus è vivis excessit. Quinque jam necessariis ad nostra ministeria scientiis exculti, hoc anno Romam missi sunt, ut S. Ignatius eosdem, quocunque vellet, expediret.

Liberalitas Regis, & obsequium Simonis. 4. Cùm ad centenarium usque crescente sociorum numero egeret multis Collegium, id Regi significavit Provincialis. Hic sine mora jussit dari centum cruciatorum millia. Obstupuit tantam liberalitatem Simon, & religiosâ modestiâ repudiatis aliis, non nisi octodecim millia accepit. Sparso dein rumore, Turcam ingenti classe Septæ in freto Gaditano obsidionem meditari, Simon Regem adit: Non possum tibi, inquit, Rex maxime, servire aliter, nisi in iis, quæ aliunde tua sunt: en octodecim cruciatorum millia nuper mihi dono oblata: his utere in præsentes publicas Septæ periclitantis necessitates. Plurimi fecit Rex in tantis rerum angustiis Simonis liberalem animum; & licèt eâ usus sit pecuniâ, hanc tamen cum fœnore multiplicato compensavit.

Primus lapis Collegii. 5. Dum Aula Regia vernum tempus Almerini exigeret, opportuna ei videbatur occasio, ut Collegio erigendo lapidem primum jaceret. Rex ipse fertur suâ manu ichnographiam ædificii descripsisse, longè, quàm opus erat, amplioris; sicque potiùs & animi sui, & regiæ munificentiæ amplitudinem prodidit, quàm nostræ prospexit necessitati. Illud profectò indubium, quòd vix reperire sit ædificium ad nostros usus magis accommodatum. Siquidem Rex liberalissimus in amæno urbis colle ea, quæ olim extruendæ aulæ Academicæ destinata erant spatia, domúsque nobis contulit, ac insuper declivia, quæ tum Septentrionem, tum Orientem respiciunt, collis latera adjecit; imò vallem amplam nunc à Canonicis D. Augustini occupatam regio ære in nostram utilitatem comparâsset, nisi Simon, ut Rex pluribus expensis parceret, modestè fuisset deprecatus. Imò annis sequentibus, indulgente P. Claudio, multùm supplicante urbis Senatu, partem aliquam, quam possedimus, justo pretio cessimus sacræ divi Hieronymi familiæ.

6. Igitur Simon Conimbricam contendit. Ponendo primo lapidi destinat Aprilis diem 14. Tiburtio, Valeriano, ac Maximo sacratam. Præmisso Missæ Sacrificio de SS. JEsu nomine, ligonibus instructi procesſêre omnes ad locum ædificio destinatum; fundamenta aperiunt: ipsa inter laborum initia erupit de terra examen apum; felici sanè, lætóque omine, quòd ex eo Collegio Evangelicorum præconum agmina in omnes mundi plagas essent prodituræ.

7. Horâ post meridiem tertiâ rursus conveniunt: positis humi genibus quot SS. JEsu Nomen litteras complectitur, totidem psalmos Davidis recitant. Adjecit Simon aliquot Matris Ecclesiæ orationes, signavitque benedictione lapides aliquot in fundamentis locandos. Et quidem primum eidem, cui ex asse dicatum erat Collegium, nempe JEsu humani generis Salvatori, bonorum omnium authori, alterum in gratam Paulo III. memoriam, tertium in S. Ignatii Fundatoris monumentum perenne. Mox alios tres posuit, Regi nempe Collegii, imò & Societatis Parenti, alterum Serenissimæ Conjugi Catharinæ, postremum Serenissimo Principi Joanni. Tandem ut quisque intelligeret, quibus Simon fundamentis Collegium vellet inniti, in perennem sanctæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ observantiam tres lapides collocavit. Simonis exemplum alii socii secuti sunt, quisque pro sua vel in Cœlites, vel primos Societatis Patres pietate. Imò nonnulli lapides sunt positi pro inimicis Societatis, insignibus Benefactoribus, utpote, qui & patientiam probant, & religiosam perficiunt vitam, promovent profectum.

8. Interfuêre solemnitati prima hujus Provinciæ luminaria, Gonsalus Silveira Martyr, Rodericus Menesius, Ludovicus Gonsalvius Camera, Leo Henriquius, Joannes, & frater ejus Melchior Nunius Barretus, Gaspar Barceus, aliique viri illustres cum Simone. Finis tandem impositus devotè recitato de genibus cum hymno Ambrosiano, tum Psalmo *Memento Domine David.* Trium SS. Martyrum nomina, quorum honoribus dies illa erat sacra, à Simone tribus sociis sunt indita, Antonio Quadrio Tiburtii, Georgio Serrano Maximi, Chri-

Christophoro Mendesio nomen obtigit Valeriani, qui solus ad mortem usque nomen hoc retinuit. Præterea constituit, primum, qui posthac in Societatem receptus fuerit, Ignatii nomine compellare. Is erat Vascus Martinius, qui certè S. Patriarchæ, cujus nomen obtinuit, etiam mores, vitámque sanctam laudabiliter expressit. Demum in triclinio elegantem sermonem habuit Ludovicus Grana, & Gonsalus Rodericius, uterque in historiis Societatis commendatus.

9. Ut autem pateret rem DEI esse, gravis adversitas imminebat. Conquerebantur cives, ædes nonnullas suæ jurisdictioni olim subjectas eripi, impediri vias publicas, muros everti, urbem minui amplissimi operis magnificentiâ. Senatus igitur à plebe comitatus apponunt obicem, ne ædificium continuetur. Plebs tumultuabatur furore percita, muros, quibus collata urbi montis latera cinximus, disjecit. Murmur Ulyssiponem usque se extenderat. Regem ajebant prorsus immemorem esse, ut præsidiis Africæ prospiceret, thesauros omnes, regnique nervum, & sanguinem in Religiosos, & Apostolos profundi. Cessimus itaque furori populi, opus suspendimus. Interim nova in favorem nostrum adferuntur diplomata regia; severæ iis statuuntur pœnæ, qui assurgentem murorum molem destruere attentarent, suis expensis ruinas reparaturi. Adversitas contra ædificium.

10. Sublato obice, operi denuo manus applicuêre nostri, licèt pars magna quidem nostrorum è præcipua foret regni nobilitate, fæcundam tamen nacti exercendæ humilitatis materiam, certatim se miscuêre vilissimis operis. Alii bigis è furno calcem, alii de fluvio aquas, alii cæmentum adferebant. Nullum laboris genus erat, quod avidissimè non expeterent. Coadjutores tamen nonnullos spiritus superbiæ abripuit in triumphum: puduit eos bigam ad flumen ducere, etsi tot juvenes ætate teneri, & progenie illustrissimi id minimè recusarent. Quâ de re Ludovicus Rector Provincialem fecit certiorem. Hic justâ commotus indignatione, tenore, quo sequitur, rescripsit: *Hujusmodi sociis denunciato, si parati non sint agere plaustrarium, facessant è nostro cætu; ego per has litteras me offero, ut sim plaustrarius: id pluris faciam, quàm Magisterium Principis. Crux Christi importata humeris, non intra domum, sed per mediam Hierosolymam. Qui non amat Christum crucifixum, anathema sit. Hinc excedat, quærat sibi Christum alium, nos Crucifixum volumus.* His, aliisque verbis in eandem sententiam superbiæ eorum injecit pudorem. Nostri operarum explent vices.

11. Dissimile fuit Joannis Dicii propriæ demissionis studium. Vir innocentissimis præditus moribus, multùm agitabatur scrupulis, mentem fatigabant imagines, & phantasiæ fædissimæ. Convenit Simonem, petiitque suo morbo remedium. Alia quidem, atque alia inculcabat Simon; Dicius tamen non quieverat, novis semper implexus difficultatibus, ùt fieri solet eâ laborantibus ægritudine. Tum Simon aliis remediis quærendis omnino fessus: ergo, inquit, si te posthac invaserit solita tempestas, sine mora accurre ad consuetum domûs tintinnabulum, pulsa, & coram congregatis Sociis tuas fædissimas tentationes exprome, eorúmque pro te preces implora. Non quidem ex animo hæc Simon consuluit; imò putabat, quòd homo scrupulis plenus jocum, ùt erat, intelligeret. Verùm Dicius vir cæcæ prorsus obedientiæ, recurrente eâdem procellâ, ad campanam domesticam properat, & coram omnibus uberes inter lacrymas de genibus miserias suas, & mentis vexationes exponit, supplicat, se juvent ad DEUM precibus; notum sibi esse, nullâ re magis absterreri dæmonem, quàm si ejus insidiæ patefiant. Mirum est, quantùm Dicii profunda hæc animi demissio placuerit Altissimo. Evanuêre extemplò obscænæ, & importunissimæ cogitationes, nec rediêrunt ampliùs. Joannis Dicii virtus in vincendis tentationibus.

12. Ut huic sua ad salutem proderat sinceritas; sic tribus aliis perniciosa fuit improbitas: quippe ægrè ferentes imperia Majorum obedientiæ parùm obsequebantur. Ob id quidem publicè reprehensi, & puniti, emendatione neutiquam subsequente. Imò communi consilio decernunt è Societate fugam. Ne soli abirent, ad alium sibi amicum dant Ulyssiponem litteras; impensè commendant Dimittuntur tres.

mendant latori, ut securè, solique tradat illi, cui erant inscriptæ. Verùm hic, ne & alieni criminis reus fieret, litteras protinus ad Simonem defert. Quibus acceptis vir sanctus spiritu, & zelo DEI plenam ad Ludovicum Gonsalvium Rectorem scribit epistolam, simúlque mandat eam legi publicè, omnibus sociis ad eam audiendam convocatis, ternósque inimicos Crucis Christi ex eo loco jubeat ad communem domûs januam deduci, & cum summa ignominia ex domo DEI foras expelli.

Missiones.

13. Plurimis excursionibus sacris probatus est zelus, quo ad salvandas animas flagrabant omnes. Emmanuel Nobrega cum alio socio Beirensem Provinciam, alias regiones alii suis Apostolicis laboribus excolebant. Nonnulli ad confirmandam valetudinem secessêre ad S. Felicis Residentiam; nec tamen hic ardens charitas quievit. In oppida Minio vicina pedites excurrebant, ad sincerum amorem virtutis, & assiduum salutis studium excitabant incolas; quo in genere peculiarem Gonsalus Vasæus Mellus vir Apostolicus meretur commendationem. Intereà cibo emendicato victitabant, nec alium in locum, ac in publica nosocomia diverterant.

Monita pro Missionariis.

14. Superior Residentiæ S. Felicis, hæc Gonsalo Vasæo, ac socio præcepit observanda. Animadverterent, ut in hac expeditione Apostolica primo loco suum, deinde aliarum animarum profectum promoverent. paupertati consulerent maximè; ex una, in diem aliam nihil reservarent. Diebus singulis mendicarent. Dominicâ die, nec non feriâ quartâ, & sextâ pueros rudimenta fidei edocerent. Nonnisi domi pranderent, cænaréntve. Verrerent nosocomia, ibique morbidis inservirent; & ubi esset oblata occasio, cum pauperibus manducarent. Vilibus, & attritis vestimentis uterentur. Postremò ut præclara, quæ in Societate, & præsertim in Christo Redemptore vidissent exempla, semper, & ubique animo circumferrent. Sic comparatos dimisit. Longum esset copiosos referre fructus ex Apostolicis his missionibus collectos.

Nostri in Congo prædicant.

15. In Africæ regno Congensi jam olim anno 1484. sub auspiciis Lusitaniæ Regis Didacus Camus Eborensis has terras detexit. Cæpit converti ad fidem anno 1491. quo orbi natus est Ignatius. Diversis è familiis sacris viri eò fidem intulêre. Per hoc tempus Didacus Rex Christianus, præerat sacris Joannes Baptista magni zeli, & pietatis antistes. Defectu operariorum silvescere inceperat vinea illa, & ad Ethnicos mores, avitáque vitia declinare. Igitur Rex Didacum Gomesium Sacerdotem Lusitanum sibi in paucis charum in Lusitaniam mittit Legatum, ut aliquot operarios Evangelicos à Joanne Rege efflagitaret.

16. Placuit id Regi, & aulæ ministris. Rex itaque Simoni, hic verò Ludovico Gonsalvio Rectori commendat, tres è nostris cum uno Coadjutore Sacerdotes expediat, & quidem Georgium Vasæum, Christophorum Riberium, Jacobum Diasium, & non Sacerdotem Didacum Soveralium. Ludovicus periclitaturus subditorum fervorem, antequam nominaret designatos, exposuit Dei gloriâ plenissimam expeditionem. Vix dici potest, quanto quisque ardore hanc sibi provinciam expetierit. Emicuit cumprimis Leo Henriquius cœlesti igne æstuans, velut sui impotens, prosilit in medium, pedibus Rectoris advolvitur, & quà lacrymis, quà gravibus rationum momentis sibi sacram hanc missionem exposcit.

17. Quoniam verò viros suprà nominatos jam Simon destinaverat, id saltem importunis precibus suis Leo obtinuit, ut cum designatis Ulyssiponem concederet Præsidi Provinciæ ardentissima sua desideria coràm expositurus. Ast vana erant vota, Precésque Leonis. Conimbricam igitur est remissus. Alii verò regio diplomate sunt instructi, partim ut Præfectus insulæ à S. Thoma de navigio, aliisque necessariis prospiceret; partim ne Congensis Episcopus ullam Patribus molestiam afferret.

18. Accidit interea, ut Didacus Gomesius Legatus, suæ inter nos commorationis tempore, statuerit nostrum amplecti Institutum. Re tamen cum P. Georgio communicatâ, visum est ex majori DEI obsequio sancta hæc pro-

posita

posita tantisper differre; cùm enim esset Didaco Regi perquàm acceptus, oportebat eundem & Confessarii, & supremi Sacellani munus sustinere, ad negotia sanctæ religionis meliùs promovenda.

19. His igitur Didacus acquievit consiliis. Mense Septembri navigatione prosperâ Zairum flumen ingressi Pindam appulêre. Vix de illorum adventu Rex factus certior, misit complures æthiopes, qui novos hospites pro more gentis ligneis equis, seu potiùs oblongo tigno insidentes ad curiam deferrent. Prope urbem à S. Salvatore dictam Rex cum filiis, & regni proceribus, ac universo populo obviam processit, & adventantes peculiari humanitate excepit. Tradiderunt itaque Patres commendatitias Joannis Regis sui litteras, quæ videbantur longè gratissimæ. Jussi deinde Patres ædes incolere pro more regionis ex sepibus, stramine, paleáque constructas. Salutato Rege, adiêre Episcopum, virum prorsus insignem, qui singulari studio, in spirituale animarum commodum factus videbatur reviviscere solo novorum adjutorum conspectu.

20. Protinus ergò Patres nihil de successu dubii, nihil anxii de eventu agrum hunc spinis & sentibus horrentem excolere incipiunt, in villas & oppida è regia urbe excurrunt, plurimos adjungunt Christo. Didacus Soveralius non exiguo animarum lucro ludum aperit, puerísque prima tradit elementa. Prospera hæc erant initia. Verùm corrupti gentis mores & Regis inconstantia fecêre, ut boni agricolæ frustra bonam jacerent sementem. Volebant enim Congenses nomine gloriari Christianorum, nec tamen deserere vitia, nec veneficia, quibus à teneris assueverunt, nec superstitiones Majorum. Ferre hæc diutiùs non poterat Lusitani Regis Legatus. Quare cum Soveralio in Lusitaniam reversus, ut Joanni Regi singula referret. Sacerdotes tamen alii, vel quia meliora sperabant indies, vel quia per Regem commerciorum utilitate ductum è regno Congensi abire non licuit, ibidem usque ad annum 1553. perstitêre: quo Georgius reliquorum Superior ærumnis confectus abiit ad æternam laborum suorum mercedem. Viro hoc demortuo, alii omnes ad negotia ab Instituto suo aliena descivêre.

21. Meretur peculiarem memoriam susceptum à Fernando Mascarenio iter Romanum. Author hic fuit S. Ignatio consolandi suis litteris Socios Conimbricenses. Plurima hoc in itinere tulit incommoda, præsertim verò in Gallia, quoniam ubique Castellanum esse judicabant. Petulantes nonnunquam pueri aciculis eundem pungebant. Ob grassantem, ùt rumor erat, luem pestiferam diversoriorum nullibi indulgebant cives aut oppidani. Avenione Romam usque non rara subiit mortis discrimina, quam sæpius illi comes itineris, pertinax Lutheri asseclâ, erat comminatus. *Fernandus Mascarenius pedes it Romam.*

22. Tandem 25. Martii Romam pervenit, non tamen statim à S. Parente est admissus ad colloquium. Statum totius Conimbricensis Collegii, & Sociorum exposuit, precésque Patris pro singulis filiis efflagitavit. Sanctè nonnulli invidebant sortem suam Fernando, quòd eidem licuerit charissimum Parentem coràm intueri, & venerari. Ut Ferdinandi precibus, & sociorum desiderio satisfaceret S. Pater, 27. Maji ad Conimbricenses plenam spiritu dedit epistolam, quâ & sponte currentes commendat, & currentibus novos stimulos addit ad assiduum in virtutibus progressum, ita quidem, ut totum Collegium novum quasi conceperit spiritum ad magna quæque pro gloria Dei audenda. *S. P. Ignatius dat epistolam ad Socios Conimbricenses.*

23. In Solemnitate nascentis Domini M. Simon pro pia sua consuetudine Conimbricam concessit. Postridie natalis Christi Ludovico Gonsalvio in Collegii præfectura successorem constituit P. Ludovicum Granam. Priorem tum sanctæ abnegationis, tum exempli boni causâ ad culinæ ministeria destinaverat: paruit vir humillimus, magis ea sorte, quàm honorato antehac munere contentus. *P. Ludovicus Grana Rector præficitur Collegio.*

24. P. Franciscus Strada suis concionibus uberrimos hoc anno fructus collegit Ulyssipone. Multi, contempto sæculo viam ingressi sunt Evangelicæ perfectionis. Magna ubique advertebatur Sacramentorum frequentia. Feriâ *P. Strada Ulyssipone.*

sextâ

sextâ sub finem ditionis confluebant innumeri, & flagris in se sæviebant. Decanus Ecclesiæ Cathedralis, quòd domus Ulyssiponensis commoda non esset, Conimbricam petiit, ut exercitiis S. P. Ignatii spiritum excoleret.

Moritur Vascus Ferrazius. 25. Vascus Ferrazius, vir in se omnino severus, quem Stradæ conciones à mundi vanitatibus abstraxerant, in urbe Portuensi 23. Martii sanctissimè expiravit, ùt in ejus vita typis excusa refero.

Annus 1548. Soc. 9.

I.

Moritur P. Martinus de S. Cruce. P. Martinus de S. Cruce Romam ad conficienda Collegii Conimbricensis negotia expeditus, cùm ars medica nihil omnino proficeret, post gravissimos morbi dolores 27. Octobris in domo Legati è vivis excessit. Reliqua inter, illud liquido erat solatio, quòd Martinus JEsum sæpius invocans, in comprecantium sociorum corona, in manibus S. Ignatii, quas vicinus morti continenter stringebat, spiritum Deo reddiderit. Examine corpus templo nostro, & tumulo est illatum. Vir erat Martinus patriâ Toletanus, egregiis virtutibus instructus, dignus certè tanto parente filius.

Miro modo innotescit Gaspar Barceus. 2. Cæpit hoc anno promicare è latebris grande illud Societatis lumen Gaspar Barceus. Dum Simon de iis, quæ ad spiritum pertinent, cum suis conferret, quæsivit repentè, num fortasse quis importunam aliquam sentiat tentationem? Surrexit Barceus rei vestiariæ præfectus, homo omnium judicio simplicissimus, & linguæ Lusitanicæ ferè ignarus. Hic igitur se continuò ad conciones dicendum tentari reponit. Vix qui aderant, risum continuère. Jussus itaque vicinum scabellum conscendere, & verba facere ad socios ibidem congregatos, paruit jussis, sed adeò ineptè Flandrica miscebat verba, ut non nisi risum, & ludibrum referret. Quærit itaque Simon secundò, an eadem adhuc animum pulset tentatio? Barceus primo, quod dederat, inhæret responso. Jubetur proinde alterâ, & tertiâ vice è superiori loco perorare; & quoniam semper ineptè, tunc reprehensus est. Iterum ergo, an eâdem adhuc tentatione laboret, interrogatus: ad hæc humilis DEI servus: Quamvis millies è superiore loco perorarem, hæc tamen ad conciones propensio non cessabit.

3. Simon, ùt erat vir sagax, & qui humana à divinis rite novit distinguere, advertit eam cogitationem ortam esse ex alto. Jubet Barceum jam antehac in Flandria Philosophum, missis officiis domesticis, ad studia se conferre. Missiones. Sacris dein ordinibus initiatus mittitur Pedrogamum, ubi varia Societatis ministeria admirabili obiverat proventu. Etenim illa verba, ùt videbantur simplicia, sancto plena spiritu ad commovendos animos vim habuère admirandam: quæ latè in ejus vita exprimitur. Ituro ad Indiam, ùt infrà dicemus, successit in ea missione Ludovicus Gonsalvius è culina ad id extractus, & Georgius Moreira. Quorum ad vocem, præter alios non pænitendos fructus, viginti virgines nobiles castimoniam in perpetuum colere Sponsi Christi amore decreverunt, atque ex pecunia pro matrimonii dotibus parata in oppido Figueiro cœnobium extruxère, ubi DEO laudabiliter militârunt.

P. Franciscus Strada. 4. P. Franciscus Strada, ut civium Portuensium desideriis satisfaceret, ad eosdem profectus est Ulyssipone, quem urbs tota velut Angelum Dei excepit, & suspexit. Magna quidem antehac eodem in loco præstiterat; sed & hæc plurimis auxit incrementis. Intra unius diei spatium quinquies dicebat ad populum. Vix ullus à sacro ejusdem tribunali se patiebatur avelli. Tandem Conimbricam abiit, ubi verni jejunii tempore peroravit è sacro suggesto. Celebre per Lusitaniam erat Stradæ nomen. Ipse sanctus Indiarum Apostolus solebat primùm de Ignatio, ac P. Simone, mox de Stradæ, tanquam de viri excellentis valetudine interrogare nostros in Indiam adventantes. Post illustratam Lusitaniam, hoc anno migravit jussu Majorum Vallisoletum, ubi jam erat mense Junio.

5. Octo

5. Octo supra triginta nomen suum huic sacræ militiæ dedêre, viri profectò insignes. Leonardus Nunius unus è primis in Brasilia. Ignatius Vogadus Coadjutor in Senium usque multa in Mauritania perpessus. Franciscus, & Antonius Pirius insignes in vinea Domini per Brasiliam operarii. Georgius Rius. Marcus Georgius. Petrus Fonseca. Petrus Diasius Arrudensis Christi martyr illustris, quem columbam sine felle S. P. Ignatius solebat compellare. Franciscus Rodericius. Emmanuel Paiva in Brasilia, quem virtus heroica plurimùm commendabat. Fernandus Pradus, qui in obsequio pestiferorum occubuit. Ignatius Azebedius nobilitate sanguinis, sed magis profuso ob Christi fidem sanguine illustris. Horum omnium sacræ memoriæ typis vulgatæ extant in anno glorioso Societatis JEsu in Lusitania. Ingressi Societatem.

6. Ut crescebat Collegium, sic liberaliùs succurrebat transmarinis Missionibus pro DEI gloria ab eo susceptis, & novas aggrediebatur. Decem in duobus navigiis subsidium misit Xaverio, Gasparem nempe Barceum, Melchiorem Gonsalvum, Balthasarem Gagum, Antonium Gomesium, Ægidium Barretum, Sacerdotes: Joannem Fernandium Coadjutorem Socium olim Francisci Xaverii, Franciscum Gonsalvium, Paulum de Valle, Martialem Vasæum, & Ludovicum Froium. In navi à S. Petro præerat Melchior Gonsalvius; in altera Gallæcâ nuncupata Antonius Gomesius. Hic periculum maris evasit; ille martyrium cum Paulo de Valle subiit: plurimùm tamen in ea navigatione Barcei virtus claruit. Profecti ad Indiam.

7. Consultum est etiam Christianis Tituami inter Mauros captivis. Alphonsus Noronius Septæ Præfectus, cùm nôsset, quot ærumnis pressi gemerent, piissimum Regem fecit certum, simúlque Magistrum Simonem. Subvenêre miseris Ludovicus Gonsalvius, & Joannes Nunius Barretus cum Ignatio Vogado Coadjutore. Septam appulsi præsidiarios permovêre, ut mores suos reformarent. Res adeò mira visa est Noronio Præfecto, ut ad Simonem scripserit, milites antea Mauris similes, modò videri Religiosorum imitatores. Missi Tituamum Ludovicus Gonsalvius, & Joannes Nunius.

8. Tituamum deducti ùt sunt, vix assequi quis poterit cogitando, quàm utilis fuerit miseris Patrum adventus. Adibant subterraneos & horridos specus, ubi noctu clausi tenebantur captivi. Nihil omittebant ministerii etiam vilissimi, quo ærumnas levare possint afflictorum. Plurimi annis decem supra octo conscientiam suam non expiârunt. Ludovicus febribus correptus Septam repetit, inde à Socio missus in Lusitaniam, ut nova colligeret subsidia. Post annos aliquot reversus est Nunius secum adducens complures à misero servitutis jugo redemptos. Redire meditantem Rex prohibuit, quoniam ad Patriarchales Æthiopiæ insulas destinârat, ùt infrà exponetur. Vogadum veluti obsidem Mauri Tituami diu retinuêre, quem tamen vel impii Mahometani tanquam virum sanctimoniæ raræ multùm reverebantur.

9. Decimâ quartâ Januarii anni currentis S. Parens Ignatius, postquam litteras suas magno solatio sociis Conimbricensibus fuisse intellexerat, dedit alias plenas affectu paterno, & illo cœlesti igne, quo cuncta incendere solebat. Servantur illæ non aliter, ac pretiosum monumentum, & pignus paterni amoris, quo S. Parens præ omnibus illud Collegium est prosecutus. S. Ignatius scribit ad Socios Conimbricenses.

10. Magna id temporis erat fama Conimbricensis Collegii, ex quo sparsi per orbem socii ingens cum epistolis acceperunt solatium, & exempla virtutum. P. Antonius Araozius scribens Abbati Domeneco inter alia hæc habet: *Ob quantum anima mea exultat, dum considero, quàm mirabilem se magnus Deus ostenderit in Collegio Conimbricensi; quoniam mihi videtur illud inhabitare Sol justitiæ Christus JEsus, atque ex illo tanquam è tabernaculo suo diffundere claritatis suæ radios per benedicti sui Regni hæmispherium. Ob quot ignorantes per eos sunt meliora edocti, quot vitia extirpata, quot afflicti inde acceperunt solatium, quot errantes in viam rectam reducti, quot peccatores conversi!* Opinio de Sociis Conimbricensibus.

11. S. Franciscus Borgia litteris hoc anno ad Simonem datis 18. Septembris ad calcem hæc ait: *Commendo me orationibus tuis, ac sociorum Conimbricensium.*

censium. Etenim ex Simonis consilio Joannes Rex Duci Borgiæ gratias egit per epistolam, quòd Collegium, & Academiam fundaverit Societati. Borgiæ id placuit vehementer. Paulò pòst à Simone postulat, ut ad Gandiensem Academiam, utpote jam confirmatam, nonnullos è nostris Scholasticis ad excipienda Theologiæ placita submitteret.

Moritur P. Emmanuel Barradius.

12. Hactenus è sociis nullus intra Collegium obierat. Primus hujus anni 5. Maji mortales reliquit P. Emmanuel Barradius, patriâ Bejensis, Societati adscriptus Novembri superioris anni. Dum animum meditationibus S. Ignatii excolit, suæ mortis diem instare divinitus intellexit, atque ad eundem diligenter se comparavit. Quoniam verò proprio templo adhuc carebat Collegium, eundem in vicinæ Ecclesiæ paracia intulimus sepulchro.

Rodericus Menesius.

13. Ulyssipone 9. Augusti spes non vulgares amisimus in Roderico Menesio nondum Sacerdote, viro præcipuæ nobilitatis. Studio virtutis omnes curas impendit: consummatus in brevi explevit tempora multa. Animi demissione erat tantâ, tantóque sui contemptu, quanto vix ullus. Corpus suum sancto odio prosequebatur: infinitos propè illud affligendi modos, artésque invenerat. Ulysiponem missus sacris ordinibus initiandus quintum diem sensit fatalem. Dicere solebat, quot in Societate annos numeraret, totidem se ad supremam hanc horam studiosè comparâsse: Morti proximus intentis in M. Simonem oculis placidè subrisit. Non videbatur timere mortem, sed lætus migrare ex hoc sæculo, ut intraret in gaudia Domini servus verè bonus & fidelis. Obiit cum magna fama sanctimoniæ, & excelsæ virtutis. Ludovicus Grana abiturus in Brasiliam ex Roderici ossibus reliquias expetiit in dulce solatium laborum.

Strada Vallisoleto scribit.

14. Franciscus Strada Vallisoleto per epistolam consolabatur Socios Conimbricenses, quos multùm afflictos esse non dubitavit.

Annus 1549. Soc. 10.

1.

S. Ignatius invigilat rei Æthiopicæ.

S. P. Ignatius 17. Januarii litteras dedit ad quendam è nostris in aula Joannis Regis versantem, explicuítque, quantum Romæ consuleret negotiis Serenissimi Regis, maximè circa Æthiopiam ad mare rubrum. Petrus Abyssinus natione, Romæ laborabat, ut Patriarchalem Æthiopiæ dignitatem obtineret. Multùm Ignatius profuit consilio, & auxilio Serenissimi Regis Legato, ut fortasse jus patronatûs, quo hactenus Lusitaniæ Reges gaudebant, salvum maneret, ac inviolatum.

Simon ex Lusitania abitum frustra tentat.

2. Porrò existimabat S. Parens Simonem iter meditari in Brasiliam, ut gentibus illis Evangelium Christi prædicaret. At morte Martini de S. Cruce præpeditus abstinuit ab hac navigatione. Interea tamen significavit Ignatio, Regi gratum fore, si è primis Patribus Claudium, vel Hieronymum Domenecum sui locò in Lusitaniam expediret. Verùm quia ille Ducis Ferrariæ, hic Pro-regis Siciliæ Confessarius amoveri non facilè posset, Simon in Lusitania manere est coactus.

Petrus Domenecus, qui fuerit, fundat orphanotrophium.

3. Petrus Domenecus Abbas Catalaunensis degebat Ulyssipone; quâ de causâ eò venerit, non est in comperto. Hic adeò nos dilexit, ut tandem Societati nostræ sit adscriptus. Reversus in Catalauniam emissis votis religiosis, impetratâ veniâ, suum administravit beneficium, & fundationem Collegii Barcinonensis promovit. Erat ob virtutes suas, quibus fulgebat, Regibus gratiosus. Negotia, quæ ad divinum obsequium, aut animarum salutem pertinebant, aggressus fortiter, præter spem omnium feliciter confecit. Ea fuit domûs orphanorum institutio, quam moliebatur. Ut opus stabile conderet, indefesso zelo laboravit; ipse obibat plateas & compita, vagos, & otio torpentes in ædes illas manu ducebat, nullúmque officii genus prætermisit, ut eos meli-

ora edoceret. Quem in finem ut bene cedat opus, Conimbricensium sociorum preces efflagitavit.

4. Quamvis inter tot prospera in Lusitania non deessent etiam adversa, quibus DEUS Opt. Max. ubique probat hanc minimam Societatem; præsenti anno, nî Divina providentia servos suos protexisset, indubia tempestas demersisset nos. Duodecimâ Junii Societatem ingressus est Conimbricæ Theotonius, legitimus Brigantini Ducis jam vitâ functi filius, & frater Theodosii Ducis, atq; Joannis Regis consanguineus. Incolebat ille monasterium S. Crucis, ibique dum litteris daret operam, sæpius nostrum invisebat Collegium. Visis igitur tot è prima nobilitate adolescentibus, qui religiosâ humilitate surgentis Collegii molem labore manuum suarum promoverent, concepit sancta desideria idem sequendi institutum.

Init Societatem Theotonius Brigantinus. Quanta procella inde orta.

5. Admitti itaque petiit, sæpissimè rejectus ob gravissima, quæ inde prævidebantur incommoda. Cùm verò non desisteret, visum est in Domino, votis Theotonii annuere, nec petito priùs fratris, aut Regis assensu, cujus impetrandi vix ulla spes affulgebat. Ubi fratri res innotuit, tulit ægerrimè. Convenit ergo Regem, multâque adversus Simonem questus rogat sibi fratrem reddi. Accitum in aulam Simonem Rex vultu severo excipit, Theotonium qoniam inconsideratè egisset, domum remitti imperat. Nec variis, quæ Simon modestè adstruebat, rationum momentis in aliam sententiam poterat inclinari. Imò Rex tenax propositi, quando, inquiebat, renuis sponte jussis parere, facies invitus, quod volo.

6. His maturè expensis, metuebat Simon, ne fortasse etiam alii, qui non tantâ pollerent authoritate, Regis imitarentur exemplum, moderatis quidem, gravibus tamen verbis reposuit se adduci non posse ad credendum, Majestatem suam permissuram, ut tanta Societati à se fundatæ fieret injuria. Quòd si tamen contra spem aliud eveniret, novas sibi, suisque sedes extra Lusitaniam quærendas. Hinc rebus jamjam Ulyssipone rite compositis, Conimbricam petiit, abitum suum, ac nostrorum Salmanticam paraturus, nisi suum Serenissimus consilium mutaret.

7. Arduum erat, regiis non stare promissis, aut Theodosium Ducem offendere; nec erat minùs difficile è regno illam, quam tantopere hucusque foverat, dimittere Societatem. Hæc inter multùm fluctuabat regius animus: tandem retinere Societatem statuit, ac furentem Brigantini Ducis animum ad mitiora, atque ut Theotonium Societati donaret, feliciter inclinavit. Theotonius liber his periculis eluctatus generosè cæpit sacra Christi vestigia sequi. Primus erat in vilioribus ministeriis obeundis. Optavit inter Coadjutores latere. In sui tamen odio modum excessit. Ferebat ægrè sibi poni terminos, quos transgredi non liceret. Nimis suæ adhærebat sententiæ. Quare Ignatius eum Romam evocavit, ut omnes tentaret vias, quibus eundem reduceret ad debitæ leges discretionis. Cùm verò nihil proficeret, collatus cum Rege consiliis illum à religiosorum votorum vinculo absolvit. Eborensi dein Ecclesiæ Archiepiscopus præerat magna cum laude, & suæ commendatione virtutis.

8. Præter Theotonium septem supra triginta auxêre numerum sociorum. Hos inter Gonsalus Alvarus, vir multis in Lusitania meritis clarus, qui tandem missus est in Indiam cum potestate Visitatoris. Emmanuel Lopius, consanguineus S. Antonii Lusitani, qui unà cum Gonsalo ad littus Japoniæ naufragio interiit. Martialis Vasæus. Franciscus Adornus. Emmanuel Alvarus. Amator Rebellus, postea Sebastiani Regis Magister. Michaël Estevius, pestiferâ lue obiit in obsequio charitatis.

Ingredientes Societatem.

9. Nihil hic annus refert gloriosius, quàm susceptam in Americam expeditionem Brasiliensem, quâ factum initium nostræ per Brasiliam Provinciæ. Divisa est hæc ora maritima in plures Præfecturas, quibus præsunt Lusitani. Ut verò erat Joannes non tam ad extendendos regni fines, quàm ad fidem propagandam intentus, mentem suam Simoni exponit. Primus, qui se ad hanc

Primi ad Brasiliam profecti.

Dominici agri culturam offerret, erat M. Simon. Regem multùm obnitentem tandem eò inclinavit, ut triennio absentiam indulgeret; quo finito rediret in Lusitaniam. Sed Ignatius non probavit, præsertim cùm intellexisset obitum Martini de S. Cruce, ac in varia negotia Simonis industria, & præsentia requireretur.

10. Igitur ad rem tantam non absque sanctâ cæterorum invidia electi sunt Emmanuel Nobrega Superior, Joannes Aspilcueta Navarrus, Antonius Pirius, Leonardus Nunius, omnes Sacerdotes, Vincentius Rodericius, & Didacus Jacomius, nondum sacris initiati. Profecti sunt Februario mense unà cum Thoma Sà futuro supremo Brasiliæ Præfecto. Felici usi navigatione, quà classiariis, quà vectoribus multùm profuerant; donec anchoræ jacerentur in portu Bahiensi. Ferebat Præfectus in mandatis, ut intra amplum illum sinum novam urbem conderet, sedem illius novi imperii futuram. Unde jure merito inter primos urbis Bahiæ fundatores prædicti servi DEI debent numerari. Ut enim Præfectus, aliíque disponendæ urbi curas impendêre; ita nostri barbaris, morum feritatem ut ponerent, ac fidei rudimenta caperent, nulli industriæ, nulli parcebant labori.

Simon adit Conimbricam.

11. Martii duodecimâ denuo M. Simon invisit Socios Conimbricenses. Ejus præsentiâ plurimùm animati sunt ad amorem & studium religiosæ perfectionis. Vix Collegium est ingressus, dum mensæ accumbebant socii, & ecce! sine mora, relictis epulis, festinant obviam, ruúntque in suavissimi parentis amplexus. Adeò tenebat omnes pium ejus alloquendi desiderium. Octobri mense cum P. Mose Joanne, & Francisco Henriquio secundo Conimbricam venit: pari ardore inflammavit socios, cum primis dum referret virtutes primorum Patrum, viásque mirabiles, quibus DEus eos deduxit ad condendam Societatem. Die Sanctis omnibus sacrâ nuncupârunt vota socii duo supra octoginta. Id temporis moris non erat sub finem tirocinii, quod tunc non ultra annum extendebatur, vota emittere; sed necesse erat nonnihil eadem differre, donec Majorum arbitrio destinaretur dies, quâ plures se DEO offerrent in holocausta.

12. Die illâ Gonsalus Sylveira primùm verba fecit ad nuncupantes vota, dein ad reliquam sociorum coronam. Simon autem postquam multa de zelo disseruisset animarum, indulsit, ut qui vellent, externos convenirent, miceréntque sermones de rebus divinis. Sanctissimis igitur incitati stimulis alii Professores Academiæ, alii viros præcipuos adiêre, felici adeò eventu, ut sine fastidio audirentur, & moverent animos ad pietatem, & studium virtutum.

Judicium Conimbricensis Episcopi de Societate.

13. M. Simon tum temporis invisebat Episcopum Joannem Soarium, hic ùt erat Societati admodùm addictus, librum Vincentii Ferrerii aperit de vita spirituali; ad calcem illius cæpit legere hujusmodi verba: Tria sunt à nobis singulariter, & assiduè meditanda. *Primo Christus Crucifixus incarnatus. Secundò status Apostolorum. Tertiò status virorum Evangelicorum futurus: & hæc debes die, noctéque meditari, scilicet statum pauperrimorum, simplicissimorum, mansuetorum, humilium, & abjectorum, charitate ardentissimâ sibi conjunctorum &c.* Hæc, & plura, quæ sequuntur ad finem usque capitis, decurrit optimus Præsul, omniáque, & singula, de Societate dicta esse, est interpretatus non sine rubore Simonis.

Benevolentia PP. Dominicanorum in Societatem.

14. Vigesimâ Januarii dedit Romæ litteras ad universum suum Ordinem Reverendissimus Franciscus Romeus, totius Sacræ Familiæ S. Dominici Generalis, verbísque amplissimis nostros socios suis filiis commendat. Sub gravibus pœnis vetat, ne quisquam suorum rebus nostris detrahere, nostrum impugnare ausit Institutum, quod Sancta Sedes approbavit. Hortatur, ut nos tueantur, ac protegant adversus inimicorum injurias. Singularis hic religiosus affectus nullâ unquam in Societate delebitur oblivione, quæ se huic sanctissimæ familiæ semper obstrictissimam profitetur.

An-

Annus 1550. Soc. 11.

I.

TRes supra Quadraginta hoc anno tironibus nostris sunt adlecti. Dominicus Cardosus, jam Doctor Theologus, qui deinde studio alienæ salutis Indiam petivit, & in eo itinere animam posuit pro Christo. Alphonsus Gilius contagiosâ lue periit victima charitatis. Leonelius Lima, primus Rector Brigentini Collegii. Sebastianus Moralius Mariæ Parmensis Ducis Confessarius, & primus Japoniæ Episcopus. Ingressi Societatem.

2. Cùm Societas nec domesticos intra parietes ullum hactenus habuerit, qui severiores litteras profiteretur, constituit hoc anno, ut esset, qui nostris traderet Philosophiam in Residentia S. Felicis, cui præerat P. Emmanuel Godinius. Per id tempus erat cautum legibus Academiæ, ne ullus præter Academicos esset Conimbricæ Philosophiæ Professor. Atque ideo ad Residentiam dictam studiis daturi operam concessêre Ignatius Azebedius, & Martinius, Marcus, Georgius, Gonsalus Alvarus, Martialis Vasæus, Alphonsus Barretus, Petrus Fonseca, aliique nonnulli, universim viginti. Duobus annis illic impenderunt se Philosophicæ facultati, magno litterarum, at non minore spiritûs profectu. Docetur Philosophia in Residentia S. Felicis.

3. Evangelici præcones non pauci è Collegio prodiêrunt in partes diversas, quò expetebantur. Portum, Bracharum, Pontemlimium, Portalegriam illustrârunt. Ludovicus Infans alios pro suo Cratensi Prioratu: alios Cardinalis Henricus jam nobis factus mitior pro sua Eborensi diœcesi postulavit, ad quem octo fuêre destinati. Hos inter unus erat Emmanuel Fernandius Apostolico plenus spiritu. Tanto fructu ubique impensa nostrorum opera, ut Cardinalis conceperit animum condendi Eboræ Collegium Regale, ùt infrà prosequemur. Emmanuel Fernandius cum Petro Pasada etiam hoc anno excoluit in Africa populares suos Tingitanos. Missiones.

4. Joannes Mellus Algarbiensis Episcopus impetravit Gonsalum Vasæum Mellum, & Gonsalum Rodericium, qui adeò sibi conciliârunt animos, ut Episcopus illos ita sit affatus: *Ex quo huc venistis, renuit populus ullum præter vos audire Concionatorem. Cuperem vestrum quemlibet cernere in plures partes divisum, eâ conditione, ut parte quâlibet unus fieret Concionator, ut vel sic oves meas Christi pabulo satiarem.*

5. Valeriano Mendesio è Transtagana Provincia reduci obtigit Vouzella M. Simonis patria excolenda. Pedrogamum, & Figueirium lustravit Melchior Nunius Barretus, & Joannes Gonvea. Sardoalium, & ad vicina oppida excurrit Didacus Vieira cum alio Sacerdote. Beirensi provinciæ, & Interamnensi Ludovicus Gonsalvius, & Ignatius Azebedius prospexit. Paucis: vix erat in regno angulus, cui non lumen cœleste affulgeret.

6. Præterea in transmarinas regiones Brasiliæ nova subsidia Collegium hoc submisit, Salvatorem Rodericium, Franciscum Pirium, Emmanuelem Paivam, & Alphonsum Blasium Sacerdotes. Blasius aliis præerat. Petrus Domenecus ex suo orphanorum seminario nostris Sacerdotibus adjunxit septem, qui Brasilos sacram fidei doctrinam edocerent. Cum ipse Domenecus, tum reliqua orphanorum turma eosdem ad littus usque Bethlemiticum, effusâ totâ ad hoc spectaculum urbe, est comitatus. De hac expeditione, & seminarii sui incrementis Domenecus pietate plenas scripsit litteras ad socios Conimbricenses. Profecti ad Brasiliam.

7. Non multis ante initia nostri Collegii annis condiderat Rex Joannes universitatem Conimbricensem, quâ & suum, & totius regi nomen supra modum illustravit. Necessum antehac erat, ut Lusitania vel Parisios, vel in alias orbis Christiani Academias suos mitteret indigenas litteris imbuendos. Academiâ itaque, & nostro Collegio vix quidquam inutilius instituerat Rex Joannes, utrumque profectò monumentum suo nomine, & æternitate dignum, au- Rex ad it Conimbricam.

lámque Professorum, hoc anno cum Regina, & Principe invisit. Nostri, quorum erant in Collegio quinquaginta supra centum, in area, quòd aula tantæ multitudinis capax non esset, Regis præstolantur adventum; Rex benigno nostros dignatus est oculo, imò etiam affatu, cumprimis Theotonium Ducis Brigantini filium, aliósque nonnullos, qui ante initam Societatem in aulæ erant obsequiis. Laudavit religiosam disciplinam, & spes magnas de illorum opera conceptas palàm declarabat.

M. Simon facultatem obtinet eundi Romam.

8. Tandem post lustratam à Rege Conimbricam Ignatius, quod multùm expetiverat, impetravit, ut Romam, quò alios socios vocaverat, Simon rediret. Constituit enim scriptas à se Constitutiones cum Patribus conferre, simúlque agere de regimine Societatis abdicando. Gonsalus Sylveira, & Joannes Dicius, viri doctrinâ eminentes, præmissi sunt Gandiam, ubi etiam Doctoris lauream sunt indepti. Opportunum siquidem judicabat Ignatius, ut Theologi nonnulli Simonem in urbem comitarentur, ut spectatâ in sua origine Societate, reduces in patriam, cæteris essent exemplo. Gonsalus tamen ad Regis jussa in Lusitaniam est revocatus.

Gonsalus Sylveira, & Joannes Dicius Theologi.

Annus 1551. Soc. 12.

1.

M. Simon it Romam.

M. Simon priusquàm itineri Romano se committeret, Provinciæ curam in Gonsalum Madeiram, Principis verò institutionem transtulit in Ludovicum Gonsalvium Cameram. Simonem intereà Rex per epistolam magnopere Summo Pontifici Julio III. commendavit, simúlque Apostolicos Societatis cum in India, tum in Lusitania labores multis laudibus est prosecutus. Cæterùm Patres nolebant Ignatii votis annuere, nec Societatis gubernium, quoad viveret, alteri demandare. Constitutiones autem probavêre omnes, quas tamen, cùm adeò diversi naturâ, ætate, & natione homines eisdem legibus essenr regendi, æquum erat sic constitui, ut nihil contineret violentum. Proinde nec Ignatius easdem voluit promulgari, donec experientia doceret, quid fortasse mutari oporteret.

M. Simoni quod non placet in constitutionibus,

2. Id unum Simoni displicuit, quod Generali daretur facultas transferendi reditus unius Collegii in aliud magìs indigum, & ubi sociorum labores utiliùs collocarentur. Ignatius ad omnia indifferens mentem suam per epistolam exposuit, & tollendam hanc constitutionem judicavit, si tamen Regi, & cæteris omnibus ita placuerit.

Initia Eborensis Collegii,

3. Absolutis negotiis, propter quæ Simon Romam adiverat, reversus est in Lusitaniam: nec parùm solatii concepit, dum Cardinalis Henricus post copiosè collectos è nostrorum laboribus fructus in longè alium mutatus fundationem Collegii Eborensis adpromisit. Ob quam singularem erga socios benevolentiam Simon Cardinalis manum est exosculatus. Ea proinde, quæ ad novi Collegii exordia essent necessaria, Simon disposuit mense Octobri, & Ulyssipone P. Joannem Cavillonium, Conimbricâ verò cum Melchiore Cameiro, destinato novi Collegii Rectore, P. Emmanuelem Ferdinandum concionatorem insignem, & tres alios non Sacerdotes, totidémque ad munia domestica adjutores Eboram pedestri itinere expedivit.

4. Arrayolii, dum in nosocomio nostri divertunt, Theodosius Dux Brigantinus in hoc utpote suæ ditionis oppido dignatus est pauperes Christi invisere. Henricus ùt charos filios excepit. Hospitium illis erat domus Didaci Ferreiræ Canonici templo maximo vicina, quæ dicitur *Freiria.* Inde migrârunt in domum S. Joannis à Divi sacello sic nuncupatam: in qua nunc visitur templum misericordiæ. Inhabitabant olim hunc locum sanctimoniales divi Joannis Melitensis, dein Estremotium translatæ ab infante Ludovico. Ne hîc diu substiterant. Ex facultate regia placuit Cardinali, ut aliquâ parte palatii

regii

regii uterentur, cujus extant hodie grandes ruinæ propę cœnobium Patrum S. Francisci.

5. Antonius, quem Ludovicus minimæ Societatis fautor maximus nostrorum numero adscribi cupiebat, nobiscum dabat operam audiendis præclaris Theologiæ Magistris, quorum unus erat Bartholomæus de Martyribus Ordinis S. Dominici, postea Bracharensis Archipræsul sanctissimus, & nostri in ea urbe Collegii Fundator. Plurimùm debet Societas viro venerabili Ludovico Granatensi per id tempus Eboræ degenti, cui Henricus commendavit, ut è sacro suggesto suam mentem populo declararet, simúlque novæ fundationis exponeret utilitatem. Abundè satisfecit Principis voto, totus effusus in laudes nostræ Societatis.

6. Cardinalis, ut ovibus suis prospiceret, ædificari jusserat Contubernium dicatum Spiritui Sancto pro Clericis ritè instituendis, & quidem in loco, quod nunc nostrum Collegium occupat, eâ mente, ut pars nostris, pars daretur Clericis Sæcularibus incolenda. Ab ea sententia Cardinalem dimovit Ludovicus Infans, suasítque nobis totum concederet ædificium; multa enim prævideri poterant incommoda, si domus una esset communis Religiosis, & Sæcularibus. Nostra ministeria communem ubique in urbe merebantur populi applausum, quem tamen socii minimè quærebant. Frequentia magna in concionibus, catechesi, nec minor in sacro tribunali. Provincia igitur altero Collegio aucta est, hactenus unico Conimbricensi definita.

7. Post suum Româ adventum M. Simon loco Ludovici Granæ, qui omnium satisfactione gubernârat, præfecit Rectorem Conimbricensi Collegio Urbanum Fernandium id temporis tironum magistrum, multùm nequidquam hoc munus deprecantem. Paucis pòst mensibus statu Provinciæ mutato, Præpositus domûs D. Antonii Ulyssipone renuntiatur; quod viro humillimo non minuit animi mærorem. *Urbanus Fernandius Rector Conimbricensis.*

8. Tredecim Religioni nostræ se tradiderunt. Duo præ reliquis memorandi, videlicet Josephus Anchieta, Brasiliæ thaumaturgus; & Petrus Joannes Perpinianus, oratorum lumen clarissimum. *Ingressi Societatem.*

9. Gonsalus Vasæus Mellus cum Fructuoso Nogueira ad preces antistitis reversus Lacobrigam, præcipuam regni Algarbiæ urbem, Sacramentorum frequentiam, non tamen absque difficultate persuasit. Videbatur prorsus insolitum, imò ridebatur extra verni jejunii tempora, si quis vel conscientiam expiaret, vel pane sacro reficeretur. Nonnemo religiosorum publicè è pulpito sacrum hunc usum improbavit: verùm re ad Episcopum delatâ, è cathedra, quæ antehac malè effutiverat, recantare est coactus. *Missiones.*

10. Gonsalus Sylveira pervagatus Interamnensem Provinciam, ubique novi solis instar, animorum tenebras dissipabat. Duo alii jussu Cardinalis Eborensem totidem Guardiensem, nec pauciores Pontalegrensem diœcesim excoluère.

11. Æstuabat Conimbricense Collegium ardentissimis votis Indicarum Missionum. Tredecim Simon elegit ex omnibus. Octo naves in illas regiones fuat expeditæ. Prætoriam conscendit Melchior Nunius Barretus nostrorum Superior, cum Antonio Heredia Sacerdote, Melchiore Diasio, Joanne Costa, & Alexio Madeira. Aliam P. Emmanuel Moralius Senior cum sociis Petro Almeida, Georgio Nunio, Thoma, & Guillielmo. Postremam sibi elegit P. Gonsalus Rodericius cum Antonio Diasio, & Emmanuele Teixeira. Petrus Domenecus autem ex suo seminario denuo nomen orphanos addidit ex Regis voluntate, qui sub nostra disciplina fierent apti Evangelicæ doctrinæ ministri. *Profecti ad Indiam.*

12. In ipso itinere maritimo piæ nostrorum excitationes reliquorum animos non parùm ad pietatem accendebant. Non defuère tamen morbi, quibus naves vexabantur. Georgius Nunius laguentibus adeò assiduus adstitit, ut eodem correptus morbo, posuerit animam in obsequiis aliorum, factus, ut Melchior Junius scribit, Martyr charitatis.

13. Cùm

Socii Conimbricenses scribunt ad S. Xav.

13. Cùm S. Franciscus Xaverius cuperet singulariter edoceri de statu, litteris, & virtutibus Collegii Conimbricensis, jussit Rector eundem de singulis informari per epistolam, si non expeditam, saltem exaratam 29. Novembris anni labentis.

S. Ignatius scribit ad moderatorem Residentiæ S. Felicis.

14. Primâ die Junii D. Ignatius ad Superiorem Residentiæ S. Felicis patentes misit litteras, quibus concedit, ut infirmis nostris cibos aliàs ab Ecclesia certis diebus prohibitos possit indulgere.

Benevolentia in nos Ministri Generalis Minorum.

15. Æquum non est oblivioni dare hoc loco Reverendissimi F. Andreæ de Insoa Ministri Generalis Minorum singularem erga nos benevolentiam. Aderat ille Ulyssipone die 18. Aprilis, suósque per epistolam non sine pœnarum comminatione hortatur, rebus nostris faverent, in lectionibus, concionibus, & sermonibus privatis non tantùm non carperent, sed potiùs ubique magnopere commendarent Societatis Institutum.

Donatur Collegio Conimbricensi monasterium S. Joannis.

16. Rex Joannes in sui Collegii incrementa semper intentus iterum in nos transtulit cœnobium S. Joannis de longis vallibus in ora Minii fluminis situm, olim à Canonicis sub regula D. Augustini congregatis possessum; postea Commendæ instar Eduardo Regis filio Bracharensi fel. mem. Archipræsuli collatum. Id cœnobium profectò adeò vetustum, ut, à quo sit conditum, omnino ignoretur.

Annus 1552. Soc. 13.

1.

Simon Magistratum deponit. Turbæ inde exortæ.

Vaticinium Simonis de mutatione facienda.

ANnum ordior plenum sanè turbis domesticis, quæ fortassis evenêre, vel ut palea separetur à tritico, vel ut Rodericii virtus probetur in adversis, magisque effulgeat. Tempestas hæc multis jam antè annis Simoni divinitus innotuit. Extat autographum testimonium Dionysii Pinti servatum in tabulario Conimbricensi: *Cùm*, ejus verba sunt, *è monasterio S. Felicis P. Simon migraret Conimbricam, me secum eò deduxit. Transiens hoc oppidum, jam nocte ad quietem compositus in ædibus matris meæ, altiori illustratus lumine præsagire videbatur omnia, quæ postea evenêre. Alia inter, tua, ajebat Dionysi, valetudo sinistra te minùs idoneum reddit Societati, non ea, quæ hactenus, ad delicias usque remedia experieris. In Societate magna erit mutatio. Ego Romam peto, & in exteris regionibus annis morabor plurimis. Tu duces uxorem in hoc oppido, domum ædificabis, ego veniam, & in ea te videbo.* Et profectò omnia & singula evenêre.

2. Igitur Simon Didaco Mironi Provinciæ tradit gubernaculum. Cùm enim vellet S. P. Ignatius promulgari constitutiones à se factas, videretúrq; abolendas esse consuetudines à Simone introductas, à Rege petivit, sineret M. Simonem, cui res ingrata non erat, Provincialis munere liberari. Annuit Rex; & Simon, qui nihil magis amabat, quàm Secessum, delegit S. Felicis Residentiam locum solitarium prope Minium, qui apparebat Simonis genio unicè factus. Novus Provincialis Emmanuelem Godinium Rectorem præfecit Conimbricensi Collegio, amoto Urbano, viro suo nomine digno. Uterque præsul tantùm consentiebant inter se, quantùm dissentiebant à subditis; rigidus uterque & austerus, gubernabant virgâ ferreâ. Vix domi erat officium, in quod se non immiscerent, opinantes pessum ire omnia, quæ ipsi non curarent. Hinc exoriri talia in subditis, qualia ejusmodi regimen consequuntur.

3. Collegium perturbatum Simon ingreditur iter faciens ad S. Felicis Residentiam. Ejus conspectu auctus est subditorum amor, & desiderium. Novos itaque moderatores aversabantur, tanquam homines supra modum importunos, & qui repentè vellent omnes, & singulos ad suum genium inclinare. Simonis prudentiam, & suavitatem gubernandi, quâ omnia ad optatos exitus feliciter deduxisset, & laudabant, & in novis moderatoribus requirebant, multique alium, præter Simonem præsidem, nollebant. Hinc orta suspicio Simonem

nem aliquo verbo, vel facto, etsi involuntario, igni accenso fomitem ministrasse: at dicendum cum Orlandino, aliquem potiùs ex maximè turbulentis, & crucis ossoribus, è Simonis ipsius conspectu, & Collegii in eum amore, occasione arreptâ, Satanicum opus adjuvisse: quod cùm Simon frænare posse desperaret, in S. Felicis Residentiam celeriter se contulit. Moderatores verò Provinciæ, & Collegii impares fluctuanti navi regendæ Romam scripsêre, non placanda maria, dum Simon in Lusitania subsisteret.

4. Idcirco festinavit in Lusitaniam Michaël Turrianus Rector Salmanticensis, cui S. P. Ignatius suas vices commiserat, ut hujusmodi negotiis pro re nata consuleret. Ideo miserat plura folia suo tantùm nomine subsignata, ad scribendum, quidquid in rem foret. Turrianus igitur accessit Regem, & dum ob immensa beneficia in Societatem collata gratias agit, unum illud pro gratiarum coronide addi supplicat, ut, quod maximè faceret ad Societatis tranquillitatem, in Simonis è Lusitania abitum consentiret. Annuit tum Joannes. Protinus Turrianus in folio chartæ ab Ignatio subsignatæ litteras exarat ad Simonem, mandátque quàm primùm contenderet ad Aragoniæ regendam Provinciam de novo institutam. Dubius nonnihil hærebat Simon de Regis voluntate, proficiscitur Ulyssiponem; nam P. Ignatius eum olim subjecerat Regis arbitrio. Non procul oppido Thomario traduntur illi regiæ litteræ Ulyssipone datæ 23. Julii, quarum erat sententia, Ignatium ad se scripsisse, æqui, bonique consuleret, ut Simon Valentiam se conferret, illique Provinciæ præesset. Gratum sibi itaque fore, si Ignatii jussis obsequeretur. Cognitâ Regis voluntate, socio Michaële Gomesio, Valentiam iter facit.

5. Hæc inter in Lusitania pro arbitrio Collegium deseruêre multi: nondum enim per id tempus erat Pontificium diploma adversus apostatas, quod primò obtinuimus, interveniente Sebastiano Rege à Pio V. anno 1565. Qui durioris erant cervicis, in tirocinium missi ad S. Felicis Residentiam, multis probati sunt experimentis. Pauci tamen illorum in Societate obiêre. Didacus Miro hac super re scribens ad Ignatium, omnem seditionis causam ipsis attribuit. Adolescentes erant, quibus nulla cura minor studio vincendi se ipsos.

6. Interea hic loci, quæ annis sequentibus accidêre, attingam summatim omnia. Michaël Gomesius adjunctus Simoni socius valetudinem causatus non diu aberat Lusitaniâ: reversus Joannem Regem, ac Proceres criminationibus multis in sanctissimum Fundatorem iniquissimè sparsis adeò suspensos tenuit, ut multi crederent extinguendam in illis terris Societatem. Fusiùs hæc recenset Orlandinus, simúlque refert, quâ ratione innocentiam Ignatii meliores filii sint tuiti adversus iniquissimè compilata Gomesii commenta.

7. Simon paulò pòst, cùm Aragoniæ, Orlandino teste, aliquo tempore præfuisset, valetudinis afflictæ causâ & ipse regressus in Lusitaniam, Ulyssipone adiit domum D. Antonii. Sed ex superioris imperio novus hospes à Janitore intra ædes non admittitur, eò quòd nec patentes litteras afferret, nec facultatem haberet redeundi in Lusitaniam, notúmque esset, quanti constiterit Ignatio, ut in Aragoniam migraret. Minimè quidem se latere, Simonem fuisse totius Provinciæ parentem; sed graviores esse causas, ut domi non retineretur.

8. Nihil optimo viro poterat acerbius evenire. Sed occurrit etiam suos Christum non recepisse. Demissis proinde oculis, animo pacato, in neminem culpam rejecit, quin laudavit religiosam erga majores fidelitatem. Constituerat ergo locum quærere in nosocomio, ut mendicos inter, valetudini prospiceret. Id Joannes Lancastrius Dux Averiensis ejus in paucis amicus non tulit, sed in ædes suas recepit. Pervenerunt tandem Ulyssiponem Ignatii litteræ datæ 12. Julii anni 1553. His paterno prorsus affectu imperabat, quàm primùm per valetudinem liceret, Romam sive mari, sive terrâ proficisceretur; adjecit tamen obedientiæ præceptum, quo jubebatur intra octavum diem ab acceptis litteris itineri se dare. Obtemperavit Simon, & sub finem anni Romam subiit cum Melchiore Carnerio primo Eborensis Collegii Rectore, dein Episcopo.

Tell. in Hist. Prov. 1. p. 1. l. 3. c. 36. n. 3. Alvar. Lob. in Chron. man. 1. p. l. 5. c. 24. & alia documenta.

9. Adventanti Alphonsus Lancastrius Regis Legatus tradidit diploma Pontificium, quo ab obedientia S. Ignatii liber, & exemptus vitam reliquam in Lusitania traduceret, quo placeret loco. Diploma hoc Simon Ignatio legendum exhibuit, sibique redditum in frusta scidit, cum addito: *Ut videas Pater, quanti faciam Societatis obedientiam, noverisque non à me, sed ab amicis meis hoc diploma procuratum: ego profectò eodem uti nolo.*

l. 14. n. 5.

10. Commeritis quidem laudibus id probavit Ignatius: quoniam verò Simon se per calumniam delatum asserebat; elegit S. Parens Professos aliquot è senioribus, qui rerum summam cognoscerent: hi examinatis documentis, ut habet Orlandinus, *censuerunt videri superiorum motuum culpam residere penes Simonem.* Nihil ille hoc judicio turbatus, suâ satis contentus innocentiâ, se totum permisit Ignatio. Hic, ne novis turbis occasio daretur, jussit, re cum aliis Patribus collatâ, iret Hierosolymam ad condendum Societati Collegium. Sed Venetiis ægritudine impeditus vixit in Italia usque ad annum 1564. Postea migravit in Hispaniam, ubi est moratus ad an. 1573. quo in Lusitaniam redivit, ut suo loco memorabitur.

Litteræ S. Ignatii ad Provincialem.

11. Ignatius, quem teneret gubernandi modum novus Provincialis, ad eum 17. Decembris litteras dedit selectis plenas documentis, quibus Superiores instruit, ut imitentur supremum Sphæræ cœlestis motorem, qui per inferiorum vim & virtutem ad privata descendit; monetque, ut potiùs agant subditi, quæ Superior emendet, quàm ipse faciat à subditis emendanda. Prudentiæ regulis magis conforme fore, si qui præest, per alios privata transigeret negotia, etsi ipse talentis & dotibus præcelleret. Hæc monita eò tendebant, ut Miro temperaret sibi, nec munia subditis injuncta solus & unus administraret. Id siquidem, ùt scribit Orlandinus præcipua erat Conimbricensium turbarum causa, & origo.

l. 12. n. 38.

S. Ignatius scribit ad Emman. Godinium.

12. Postremâ die Januarii litteras dedit P. Ignatius ad Emmanuelem Godinium. Rexerat hic annis superioribus Scholasticos nostros Philosophiæ in Residentia S. Felicis vacantes. Redditus Collegio procuravit bona ejusdem temporalia. Sanctæ solitudinis amore, atque ut spiritui, & perfectioni propriæ magis studere posset, rogavit Ignatium ab hoc onere amoveri. Cui respondit: curas temporalium ex S. obedientia susceptas non minoris esse meriti, imò majoris, si natæ sint ex ardenti, & forti charitate: propterea sacræ obedientiæ acquiescere est jussus. Quòd si tamen è majori DEI gloria aliud sibi videretur, Provinciæ Præsidi id aperiat.

Ignatius non permittit à Principis Confessionibus discedere Ludov. Gonsalvium.

13. Simonis loco elegit Rex in suum, suique Principis Confessarium P. Ludovicum Gonsalvium Cameram. Vir humillimus animi mærorem inde conceptum Ignatio significat. Verùm jussus est voluntati Regis obtemperare, nec ab aula secedere, aut si fecisset, absque mora ad illam reverti. Cùm verò Ludovicus reliqua inter meminisset hujusmodi Confessarios plerumque ad Episcopatus promoveri, quod admodùm nostro adversaretur Instituto, Reposuit Ignatius: ne timeat, Regem contra suam, & Societatis voluntatem id facturum; nam illius parens, ac Dominus est.

Diverberatio per urbem.

14. Sublatis è Collegio Zizaniis denuo virtus primæva, decorque effloruit. Frequens, domi, forisque mortificationum usus, quæ sæpenumero erant velut nova spiritûs fomenta. Emmanuel Godinius Rector præibat subditis exemplo, ratus se civibus fuisse offendiculo, tum quòd jura sua nimis acriter defenderit, ob litem nobis à Canonicis Regularibus monasterii S. Crucis intentatam, qui ferre nolebant, ut ex turri nostra cœnobio proxima prospectus pateret; tum ob varios rumores ab illis sparsos, qui Societatem nuper deseruêre. Statuit igitur publicâ pœnâ scandalum non tam datum, quàm acceptum expiare.

15. Octavâ die Novembris, sociis in sacellum accitis, jubet intentionem suam Deo commendare, preces fundere, easque, quoadusque monerentur, continuare. Intereà secessit ipse, & veste lugubri indutus, flagello instructus in urbem prodit, nudatas ferit scapulas; in nonnullis urbis stationibus, quantâ potest,

vocis

vocis contentione erratorum veniam à civibus poscit: domúmque repetens sacellum ingreditur, in se sanctè pergit desævire, sociis ad spectaculum adeò novum stupentibus rem omnem, causásque palàm affert. Protinus fervor idem ad imitationem omnes accendit: ordinato itaque longo agmine supplicantium in morem crucem, quæ præferebatur, sequuntur, atque per urbis compita ad templum misericordiæ longa diverberantium series procedit. In atrio Ecclesiæ iterum, iterúmque Godinius voce ad luctum compositâ veniam petit. Tandem recitatis ad aram precibus in ædes nostras eodem ordine revertuntur. Cives hoc insolito, nec viso unquam hactenus spectaculo mitiores nobis facti, sincero Societatem complectebantur affectu.

16. Ignatius 18. Decembris ad Mironem Provincialem scripsit. Summa erat, ne posthac dissimularet nonnullas animorum divisiones; nec eos, qui dicunt, *Ego sum Pauli, ego Cephæ:* imò nisi cervicem Christi jugo humiliter submitterent; vel pelleret è Societate: vel si spes emendationis affulgeat, Romam expediret: ipse quanquam aliis distentus curis in eis ad frugem redigendis operam collocaret suam. Hæc videtur fuisse causa, ob quam etiam Theotonius Brigantini Ducis frater Romam fit missus, cui sanguinis regii cognatio adeò excelsos indidit spiritus, ut nisi victos eosdem temperaret, Societati non parùm forent perniciosi. Quid S. Ignatius de parum obedientibus.

17. Quanquam bonos inquietæ res turbaverant; fuêre tamen non paucæ, quæ bonum Societatis nomen apud exteros promoverunt, & immodicum sociis attulerunt solatium. Gonsalus Sylveira vir profectò magni spiritûs, Apostolos strenuè æmulatus, Interamnensem Provinciam Apostolicis factis illustrabat. Gonsalus Vasæus Mellus Atgarbiam sui complebat veneratione. Ex Eborensi Collegio Cornelius Gomesius, & Petrus de S. Cruce à Joanne Mascarenio dynasta Casteldevidium evocati nobile illud oppidum sanctissimis instituêre motibus. Ipse dynasta exercitiis S. Ignatii excultus se ex animo Christianum esse ad suos scripsit, & operibus comprobavit. Plurimi adolescentes se religiosis familiis addixerant. Puellas nobiles ferè sexaginta invasit ardor in sacris parthenonibus ætatis florem DEO consecrandi. Perniciosi ludiones, animarum corruptores pessimi ex exilio mulctati. Erecta Sodalitas à charitate dicta, cujus erat egenorum necessitatibus prospicere. Leges datæ, quibus eorum sancti labores dirigerentur. Plurimi tempus statum impendebant orationi. Anteibat omnes suo, suorúmque exemplo Joannes Mascarenius. Missiones.

18. Didacus Miro Provincialis cum Alphonso Barreto in Eborensem diœcesim excurrit magno animarum lucro. Alphonsus quidem linguæ erat minùs solutæ, tanta tamen verbis illis virtus inerat, ut quoquò vellet, animos versaret. Vir nobilis Mourensis fassus est in suo oppido plurimos insolitam Mironis in dicendo suavitatem suspexisse, omnes pluris fecisse verba Barreti balbutientis, quòd mirabiles motus in omnium animis excitarent. Bejæ Emmanuel dignâ suo spiritu ad felicem deduxit exitum. Urbem reperit furore, & odiis plenam. Omnes in mutuam amicitiam rediêre. Cantilenas profanas abolevit. Nosocomium elegit pro diversorio. Juventutem sacris fidei mysteriis imbuit; tantáque in urbe morum facta est emendatio, ut velut cœlestem hominem summi, infimíque venerarentur.

19. Eboræ, ne tanti Collegii primordia prosperis innitterentur, non defuêre adversa. Duo perditæ vitæ homines altâ jam nocte, veste Societatis induti domum Canonici subeunt, aleatoribus se miscent, & lusu minùs feliciter cadente jurant, pejerant, blasphema verba eructant. Sub auroram ocyùs hospes, quid sibi accidisset cum duobus Apostolis, enarrabat pluribus, Verùm uti adhibita diligentia, fraus patuerat. Ne comprehenderentur, sibi fugâ consuluêre. Alter Didacus ab JEsu presbyter se Societatis hominem mentitus à pænitentibus, quos audiebat, subsidium pro Ecclesia nostra emendicavit. Re compertâ, ne Vicarii Generalis jussu in carcerem raperetur, ex urbe profugit. Adversitas Eboræ.

Mironis, & Gonsalvii humilitas.

20. Raræ demissionis exemplum nobis reliquêre Miro Provincialis, & Ludovicus Gonsalvius. Joannes Rex alterutrum in conscientiæ suæ arbitrum eligere constituit. Horrebat uterque vir humillimus tanti honoris splendorem, Miro ajebat se externum esse, & advenam. Cui Rex: singulos è Societate à se indigenas reputari. Ludovicus alias rationes prætendebat. Ubi id innotuit Ignatio, laudavit utriusque sanctam demissionem: factum tamen probavit, imò præcepit, Regi tam bene de Societate merito obsequerentur.

Moritur Gonsalus Medeirus.

Joannes à S. Michaële.

21. Anno currente P. Gonsalus Medeirus Mesam-friensis in diœcesi Portuensi 4. Aprilis mortem cum vita commutavit Ulyssipone in domo D. Antonii. Primus erat, qui in Lusitania nostræ Societati accessit. Virtutibus excelluerat, quæ in illius vita typis edita fusiùs exponuntur. Ibidem 4. Decembris Joannes à S. Michaële Medeirum secutus est ad æternitatem natus Betancorii in Gallæcia. Zelo fervebat ad sacras Missiones, & insignibus è sacro suggesto dicendi dotibus magnum animarum numerum cœlo est lucratus. In quadam ægritudine, conclamatâ jam salute, videndam se illi obtulit Deipara, promisitq; eo morbo non decessurum. Fertur divinitus ei horam mortis innotuisse.

Schola in Collegio D. Antonii.

Primus Rector.

22. Aucta est Provincia mutatâ in Collegium Residentiâ D. Antonii Ulyssipone. Mandavit hoc anno Ignatius, ùt Mironi Provinciali scripsit, scholas aperiret Ulyssipone, quas in Italia Societas esset experta maximæ utilitatis. Factum proinde scholis initium anno sequenti. Rector præficitur novo Collegio vir ille incomparabilis Ignatius Azebedius, re priùs cum Rege, dein cum Senatu urbis ritè communicatâ. Multum ad id contulit Franciscus Correa Dynasta Bellensis Senator maximæ in urbe authoritatis, & nostræ Societatis fautor insignis.

Annus 1553. Soc. 14.

1.

Aperiuntur Scholæ Ulyssiponenses.

DUm Ulyssipone negotium de scholis instituendis omnium plausu agitatur, Miro Provincialis Cyprianum Soarium, & Emmanuelem Alvarum Conimbricâ accivit, illum Oratorem, hunc Grammaticum excellentem, utrumque Sacerdotem. Hi 25. Januarii, ùt Cyprianus meminit in suis ad Ignatium litteris, profecti sunt Conimbricâ itinere pedestri. Quascunqne transirent plagas, ubique mysteria fidei populum edocebant. Mense Februario vix patuêre Gymnasia, confestim tot ad audiendum Cyprianum, & Emmanuelem confluxerant discipuli, ut paulò pòst, tertium laboris socium Rochum Santium Valentiâ oriundum addere fuerit necesse. Præter consueta scholæ pensa exigebatur, ut quotidie Sacrificio Missæ interessent, quot mensibus Sacramenta frequentarent, diebus verò Dominicis Christianam de fide, moribúsque exciperent doctrinam. Franciscus Correa interim Regis, urbisque mandato, viris de republica tam bene meritis de iis, quæ ad victum, & vestitum erant necessaria, sollicitè providebat.

2. Solis diebus festis vacabat Gymnasium, aliis ternas horas matutino, totidem vespertino tempore Magistri erudiendæ juventuti impendebant. Accessêre tandem alii duo, alter Latinitatis, alter Casuum conscientiæ Professor. Hic plures quadringentis numerabat auditores. Erat is Franciscus Rodericius, qui etiam Sphæram eruditè explicuerat. Pro felicibus auspiciis Cyprianus die divo Lucæ sacrâ elegantem dixit orationem. Apparatus litterarius, poëmata complura, scholarum atria exornabant. Puer annorum 15. Rhetoricæ theses sustinuit tantâ ingenii felicitate, eóque successu, ut in se & oculos, & animos converterit singulorum. Sæpius Rex ipse solatio perfusus, Magistros cum discipulis è suggestu ad se evocabat. Antonius Pinerius, postea Mirandensis, & Leiriensis Episcopus, vir omnino eruditus, & humanioribus præsertim litteris apprimè instructus palàm asseverabat, nunc tandem Parisienses Musas Ulyssiponem transiisse, cùm nec in Academia illa, in qua tamen diu commoratus fuerat,

rat, adeò excellentes audiverit Magistros. Rex inde permotus, ut nobis regendas daret Scholas Conimbricenses. Insuper Pinerius, jam Mirandensis Antistes, plurimùm favit nascenti Collegio Brigantino, eique non exiguam attribuit suarum partem decimarum.

3. Mense Martio Leo Henriquez Conimbricensi Collegio præficitur idem Rector, & nostrorum in morali Theologia Professor. Hic evicit, ut nostri, qui antehac Academiam publicè frequentabant, domi vacarent Theologiæ, Professore Georgio Serrano, dein primo, & præcipuo in Academia Eborensi Theologiæ Professore. *Leo Henriquez Lector Conimbricensis. Legitur ibi domi Theologia.*

4. Unus supra decem in Societatem sunt recepti. Compluti Ludovicus Molina, stella primæ magnitudinis deinde inter Doctores, natus Cuencæ in Castella. Vincentius Ruizius, & Emanuel Fernandius, postea inter Abyssinos celebris, uterque Sacerdos, natus Olivenzæ. Gaspar Alvarus pariter Sacerdos Transmontanus ex oppido Griso de Parada, vir singulari præditus virtute, qui demum obiit gloriosa victima in obsequio charitatis pestiferis impenso. *Ingressi Societatem.*

5. In Indias vela fecêre naves quaternæ. Prætoria recepit P. Urbanum Fernandium, antehac Rectorem Collegii Conimbricensis, Balthasarem Diasium Castellanum, Andreæ Oviedi Patriarchæ consanguineum, operarium zelo plenum, & indefessum; Alexium Diasium nondum Sacerdotem. Urbanus ægrotis inserviendo lethalem morbum contraxit, morbóque obiit 8. Maji. Navem alteram conscendit Franciscus Vieira Sacerdos, & Antonius Alvarus; sed hæc rimis & hiatibus plena Ulyssiponensem portum repetere est coacta. *Profecti ad Indiam.*

6. Brasilica Provincia suum etiam sortita est subsidium. Eò navigavit Ludovicus Grana, quondam Rector Conimbricensis: accessêre duo Sacerdotes Blasius Laurentius, & Ambrosius Pirius. Hic verbo potens in Brasilia Apostolus, sed minùs, ac decebat, humilis religiosus, Societatem deseruit. Redditus Lusitaniæ, spe suâ delusus in summa rerum egestate diem clausit supremum. His adjuncti sunt nondum Sacerdotes Gregorius Serranus, Joannes Gonsalvius, Antonius Blasquius Castellanus, & Josephus Anchieta Canariensis. Omnes recensiti 8. Maji solverunt cum Eduardo Costa novo Regionis Præfecto. 13. Julii Bahiam tenuêre. Nec minùs Congensi Regno submissæ sunt suppetiæ, de qua expeditione paulò post amplius est dicendum. *Ad Brasiliam.*

7. Ludovicus Gonsalvius Camera Romam petiit, ut S. Fundatorem de præsenti hujus Provinciæ administratione & statu edoceret, simúlque litigiorum causas exponeret adversus Collegium Conimbricense. Cæterùm cùm Ignatii fama cresceret indies Lusitani Reges, & Principes accuratam de vita ejusdem, & virtutibus notitiam desiderabant. Ludovico igitur impensè commendant, Ignatii dicta, factáque minutim observet. Et profectò solerti, ac prolixo calamo annotavit singula, & bene longa diaria, actionúmque seriem retexuit: arbori enim odoriferæ perquàm similem ajebat Ignatium, in quo nihil esset, quod non foret pretiosum. Idem Ludovicus, ut facilem ubique aditum inveniret, litteras à Rege, & Henrico Cardinali in favorem suum scriptas, ad summum Pontificem, Regem Galliæ, Cardinales, & Alphonsum Lancastrium Lusitaniæ Legatum Brigantini Ducis nepotem deferebat. Rex insuper per epistolam significavit, se eò faciliùs Ignatii de novo Provinciali dispositioni acquievisse, quò magis agnovisset id ad majorem Dei gloriam plurimùm conferre. *Ludovicus Gonsalvius it Romam.*

8. Conimbricæ 9. Novembris vitam clausit Alphonsus Vasæus Portuensis scholasticus. Virtutis studio nimiùm intentus, corpori vix somnum indulgebat, aut quietem, ut Deo vacaret. Hinc orta videtur invaletudo, quæ menses quinque non absque singulari patientiæ exemplo tenuit lecto affixum. Parentem, qui ægrum invisebat, commonuit, ne ploraret, sed exultaret potiùs, & gratias Deo ageret, quòd in Societate moreretur. In Collegio D. Antonii beata mors oppressit P. Mosem Joannem, olim Mariæ, & Joannæ Caroli V. filiabus charum in aula Sacellanum. Familiari alloquio peculiariter in animos influebat. P. Georgius Vasæus vitam suam ærumnis confectus posuit in Congo, no- *Moritur Alphonsus Vasæus. P. Moses Joannes. P. Georgius Vasæus.*

ſtrorum Superior, qui primus è Societate in eas regiones aditum invenit. Multis excellebat virtutibus, ùt in ejusdem vita typis data refertur.

Profecti ad Congum, & supplicium P. Christophori Ribeiri.

9. Christophorus Ribeirus, & Jacomius Diaſius, uterque Sacerdos, poſt mortem Georgii à ſanctâ profeſſione ſua ad negotiationem defecerunt. Vix id per Cardinalem intellexerat Michaël Turrianus Viſitator, abſque mora in Congum mittit P. Cornelium Gomeſium, & fructuoſum Nogueiram, jubetq; ut causâ rite cognitâ, Chriſtophorum in vincula conjicerent, & omne lucrum ab eodem turpiter collectum ſodalitati à miſericordia dictæ traderent in pia opera impendendum. Juſſis paruêre: conſtrictus vinculis reus ſingularia pœnitentis animi ſigna edidit, promptúmque animum exhibuit ad omnem pœnam, ſi modò ſervaretur in Societate. Cornelius ad mitiora flectere Turrianum ſatagebat, eò quòd Chriſtophorus videretur non tam deliquiſſe turpis lucri gratiâ, quàm inordinato erga matrem, & fratrem affectu, quorum inopiam ſublevare cogitaverat. Intereà tamen abiturus in Congum, juſſit, ut catenis vinctus teneretur, etſi graviter infirmus, donec opportunitate oblatâ in Luſitaniam navigaret.

10. Cornelius, & Nogueira cum Legato Regis menſe Julio Pindam maritimum Congi oppidum pervenêre. In itinere ad urbem regiam 50. leucis Pindâ diſſitam munere & vitâ defunctus eſt Legatus Luſitanus. Adventantes Patres Rex vultu truci excepit: à ſuo enim, qui Ulyſſipone reſidebat, Legato intellexerat, Cornelium Joanni Regi intimâſſe, Regem Congenſem ad idola rediturum, niſi Cornelius ipſe ſe Congum conferret. Tulit ægerrimè talem de ſe Regi Luſitaniæ injectam opinionem; ſiquidem licet eſſet moribus ethnico non abſimilis, volebat tamen credi cultor ſanctæ religionis.

11. Ut eſt cœlum regionis advenis valde inſalubre, ambo ex febribus decubuêre. Fructuoſus etiam 21. Octobris vitæ curſum complevit. E tribus pueris, quos è ſuo Seminario unà cum Patribus miſerat Domenecus, duos implicuit morbus, tertius & ipſis, & Patribus, dum ægrotarent, auxilio, & ſolatio fuit. Cornelius in regno illo usque ad annum 1555. vitam produxit exiguo lucro ſui impenſi laboris. Rex ſcatebat concubinis. Albi (ſic Europæos compellant) pari malo laborabant. Presbyterorum vita nihil differebat à corruptiſsimis: his immerſi vitiis ad aras operabantur. Abſolutio peccatorum nemini negabatur, nec ſacer panis. Vicarius Epiſcopi erat Regi à confeſſionibus. Declamabat Cornelius adverſus ſcelera; ſed canebat ſurdis, & in cœno ſepultis. Cùm videret oleum perdi, & operam, nec ſpem affulgere melioris rerum ſtatûs, cum duobus Domeneci orphanis, nam tertius deceſſerat, Pindam, & hinc nave Indicâ in Luſitaniam eſt reverſus. Regem de ſingulis informavit: nolle ibi, nec affulgere ſpem Collegii, aut Seminarii fundandi, quod Joannes Rex tanquam præſens ſalvandis Congenſibus remedium, & opportunum formandis nigrorum idoneis paſtoribus conſilium unicè contendit, & commendavit.

Petrus Domenecus abit in Catalauniam.

12. Petrus Domenecus Abbas Beltranenſis in Catalaunia hoc anno ſe recepit in patriam, fundationem noſtri Barcinonenſis Collegii promoturus. Ex condito ab ipſo orphanorum domicilio originem ducunt plura ejusmodi per Luſitaniam orphanotrophia. Nonnullos de ſuis velut peregrinos miſit ad D. Virginem Monſerratum, quo etiam juſſu Regis ſe contulit Domenecus, & poſtea cum ſuis novendiali pietate B. Virginem fuit veneratus; quos Barcinonem, & inde poſt decemdialem commorationem, ad ſuam Beltranenſem domum deduxit. Quâ ſanctitate illic vixerit, & animarum bonum promoverit, refert Orlandinus partim, partim Codex antiquus domûs orphanorum Ulyſsipone, inſtituitque alias domos Nabantiæ, ſive Tomarii, Portalegriæ, Caſteldevidii, & Cetobrigæ. Legitur etiam fuiſſe Sacellanus Regis Joannis III. & Canonicus Barcinonenſis.

l. 14. n. 72.

P. Hieronymus Natalis Commiſſarius promulgat Conſtitutiones.

13. P. Hieronymum Natalem miſit S. Parens cum poteſtate Commiſſarii ad promulgandas Conſtitutiones. Erat hic in rebus noſtris cumprimis verſatus, & eminentis prorſus virtutis, qualem res tanta poſcebat. Ejus adventus tum Regi, tum ejus fratribus Ludovico, & Henrico Cardinali erat gratiſsi-

tissimus. Rex sibi dari exemplar unum libri Constitutionum expetiit, ut per otium lustraret. Miratus ille, & Principes fratres earum legum structuram, quæ citra dubium est omnino admiranda. Facta est hæc promulgatio in D. Antonii Collegio coram Mirone Provinciali, & Turriano Visitatore. Diebus singulis hora una hunc in finem est extracta, magno tum Commissarii, tum audientium solatio. Rex præter eleemosynas, quibus fovit Collegium, 50. æreorum regalium millia singulis annis, & quidem in perpetuum, donavit. *Donatio Regia.*

14. Ulyssipone Eboram migratum est, ubi mense Augusto die consecratâ divo Augustino factum scholis initium. Habuit elegantem, & se dignam orationem Petrus Perpinianus Rhetoricæ futurus Magister. Marcus Georgius nondum Sacerdos moralem docturus erat scientiam. Alii duo P. Joannes Mellus, qui apud Brasilos est mortuus, & Rochus Sancius. His quatuor Gymnasiis constabant scholæ. Paulò pòst, crescente studentium numero, additus novus Magister Nonius Alvarus. Alios intra urbem esse litterarios ludos vetuit Cardinalis. Idcirco magisterium deposuerat Andreas Resendius Eborensis humanioris litteraturæ Magister cæteroquin adeò excellens, ut sæpe idem Cardinalis dignatus sit illum audire. Donavit Princeps ad nova sustinenda onera mille cruciatos annui reditûs Collegio. Hujusmodi scholis datum initium in palatio Regis, cujus hodie vix ulla rudera supersunt. *Scholæ Eboræ.*

15. Publicatis Eboræ constitutionibus, Ulyssiponem rediit Natalis. Nam sub principium Septembris S. Franciscus Borgia eò quoque concesserat à Rege, & Natali accitus. Dum transit montem Palarium Mondæ flumini imminentem, mula, in qua vectus Bustamantius Borgiæ Comes, ex præcipitio ruit. Respiciens Borgia casum inopinum, & extra salutis spem, salutis authorem JEsum precatur, ruentem sistat, & se unà cum mula per rupes volutantem. Auditæ preces: nam stetit & Bustamantius, & mula loco tam præcipiti, ut miraculo non careret; ope agrestium confluentium demissis funibus Bustamantius, & mula illæsi attrahuntur. Id retulêre Virgini Sanctissimæ in acceptis, cujus precationum globulos manu Bustamantius decurrebat. *S. Franciscus Borgia venit in Lusitaniam.*

16. Vix credi potest, quot, & quantis benevolentiæ signis Borgia sit exceptus à Regibus, Principibus, & Regni Proceribus. Intuebantur omnes ut hominem omni magnitudine celsiorem. Aulam totam familiaribus alloquiis, & sanctis exemplis in amorem DEI, ac virtutum incendit, præprimis Infantem Ludovicum, qui non contentus communi vitæ Christianæ tenore, Francisci incitatus exemplo Societatem ingredi cogitabat, id executus non est, quòd S. Ignatio, & Francisco è majore DEI gloria, rebus bene perpensis, id minùs expedire videretur. Frequentes ad familiam regiam habuit exhortationes, quas post ejus abitum duo de nostris Sacerdotibus hebdomadis singulis sunt prosecuti; alter Reginæ, alter Joannæ Principis familiam exhortabatur. Plurimùm tum Conimbricæ, quà transierat, tum Ulyssipone valuit ejus præsentia, ut mitigarentur animi nondum tranquilli ob M. Simonem à Provinciæ gubernaculis amotum.

17. Præter scholas introducendas in mandatis Ignatius Natali vehementer commendavit, ut Ulyssipone erigeretur Professorum domus. Adeò benigno, & favente oculo inspiciebat Joannes res nostras, ut tanquam suas curaret: proinde non erat difficile eundem in Natalis vota inclinare. Diversa itaque, quæ ædificio, nobisque opportuna forent, lustravit spatia. Præplacuit locus, ubi ædes divo Rocho sacræ visuntur. Non defuêre tamen superandæ difficultates à sodalitio Divi oppositæ. Res eò processit, ut cogitationes in Ecclesiam B. V. à Paradiso dictam transferrent. Id innotuit Helenæ Petri Mascarenii lectissimæ consorti, æquè nostris rebus studiosissimæ; non ingrato sale Francisco Correæ hoc negotium jussu Regis procuranti oggerebat: *mi Domine Francisce Correa, audio te velle in Paradiso meos habitare Patres: minimè placet; vivos ego volo ad divi Rochi, post mortem sint in Paradiso.* *Initium Domus Professæ Ulyssiponensis.*

18. Di-

18. Dictum nobilissimæ matronæ non minus Francisco Correæ, quam Joanni Regi supra modum placuit. Idcirco Petro Mascarenio, & Francisco Correæ mandatum est, ut Sodales divi Rochi in partem meliorem flectere adniterentur. Tandem Sodales adjectis conditionibus nonnullis annuêre. Calendis Octobris, rebus ritè dispositis, adivimus novæ domûs possessionem. Cuncta peracta solemnissimè. Natalis sacro operatus, concionem habuit S. Franciscus Borgia. Ut Rex distinctè cognosceret varios Societatis gradus, solemnem professionem nuncupârunt Gonsalus Silveira primus novæ domûs Præpositus, Gonsalus Vasæus Mellus, & Antonius Quadrius, ambo viri magnarum virtutum.

Solemnitas initæ possessionis.

Gradus Societatis.

19. Huic proximus est Coadjutorum spiritualium. Emisêre dein vota PP. Franciscus Vieira, Emmanuel Rodericius, Antonius Soarius, & Michaël Eltevius. Subsecuti coadjutores temporales, Bernardinus de Regibus, qui annis volventibus Sacerdos effectus, Dominicus Anius, Andreas Gomesius, & Andreas Fernandius; hic ex India venerat cum Bernardo Japonensi missus à S. Xaverio, Regem, & Protoparentem Ignatium de rebus Indicis edocturus. Dynasta quidam, cui nota Andreæ belli officia in Indica Classe præstita, miratus eundem in laicorum numerum referri, rem indignam ratus, eum privatim alloquitur, de vili statu deserendo monet, ædes suas offert, cum equis & famulis. Subridens Andreas: pluris, inquit, vilia hæc paupertatis insignia facio, quàm Regum sceptra, & coronas. Reversus in Indiam sacris initiatus pro Dei gloria strenuè gessit plurima in Ethnicorum conversione. Etiam tirones aliquot more suo vota instaurârunt.

20. Domus angustiæ non oberant, quò minùs in illam se reciperent tirones quatuordecim cum Turriano Visitatore, & Mirone Provinciali. Insuper magna ex hac domo in populum dimanabat utilitas. Dies quælibet in templo nostro par erat præcipuæ aliàs per annum solemnitati. Quare, nostris multùm quidem deprecantibus, Rex & Regina augustam extrui voluêre Basilicam, tantus Fundatoribus dignam. Cessit tandem Rex sociorum importunis Precibus, ne eos contristaret, quos intimè diligebat, eorúmque arbitrio totam ædificii structuram commisit. Succurrit quidem eleemosynis, non tamen admisit nomen Fundatoris. Interim Societas Regi defuncto & nomen, & suffragia Fundatoribus debita impertivit. Paulò post alia, eáque nobilia accessêre ædificia, ut tota domûs nostræ vicinia non exiguum urbi adderet splendorem.

Conimbricæ promulgantur Constitutiones.

21. Natalis cum Ulyssipone, tum Eboræ evulgatis Constitutionibus, ex ipsarúmque mente ordinatâ disciplinâ domesticâ, & scholarum, Conimbricam profectus 11. Octobris pervenit cum Mirone Provinciali. Expositæ similiter constitutiones, & religiosa disciplina constabilita. 8. Novembris inducta votorum renovatio, quod & peractum Eboræ, ac Ulyssipone ex formula certa, & omnibus communi. Tirones separati, primo instructore Patre Antonio Correa, qui & primus id genus magisterii obivit in Hispania. Hinc cæpit biennium tirocinii, cùm hactenus probatio annum non excessisset. Tirones novem duntaxat constituêre familiam. Additus Gonsalus Alvarus ad excipiendas tironum confessiones, & adjutor unus temporalis observantiæ & commodis eorundem invigilaturus.

Borgia, & Natalis recedunt in Bæticam.

22. Borgia Ulyssipone, magnâ sui relictâ admiratione, in Bæticam concessit. Eboræ ab Henrico Cardinali paribus, atque à Rege, benevolentiæ signis est exceptus. Rogavit Cardinalis, ut in templo maximo è sacro pulpito diceret: afferenti aliquas excusationes respondit, pro concione satis fore, quòd omnes intuerentur hominem, qui pro DEO tot titulos, honorésque, ac divitias contempserit. In eandem Bæticam, rebus ad votum in Lusitania compositis, contulit se Natalis Commissarius.

S. Ignatius epistolam de obedientia scribit ad Socios Lusitanos.

23. Cùm, DEO favente, tot in Lusitania Societas haberet incrementa, majoráque in dies exspectarentur; nam in aliis regnis vix erant Societatis recentis initia tenuia: voluit sanctissimus Fundator, nomine Lusitanæ Provinciæ universam familiam ubique gentium instruere, atque edocere, quam ipse virtutem

cum-

cumprimis in sociis desideraret. Idcirco ad Lusitanos 26. Martii scripsit epistolam de sancta obedientia, quæ per omnem Societatem usque in hodiernam diem sæpissimè cunctis audientibus recitari solet. In rem vix profundius, & absolutius aliquid potest considerari, aut excogitari.

24. Conservamus Conimbricæ inter Sanctorum reliquias autographum thecâ pretiosâ inclusum. Id notare libuit, quòd noster Alcassar in historia suæ Toletanæ Provinciæ glorietur hujusmodi primigeniam epistolam Madriti apud nos esse, relictam à P. Ribadeneira. Ideo recognoscebatur Conimbricæ theca, & epistola, an fors esset alia; nam multas ad id Collegium scripsit S. Pater. Facto examine accurato, repertum eandem esse, quam ad Lusitanos Socios misit Ignatius. Forsan primum epistolæ exemplum, in quo (ùt moris est) non pauca corriguntur, & mutantur, Madritum à P. Ribadeneira delatum; epistola tamen ipsa, sive secundum exemplar jam correctum, & mundatum in Lusitaniam missum à S. Parente, Conimbricæ, ùt dixi, religiosè asservatur. *Conservatur epistola Conimbricæ.*

25. Plurima contigerunt Conimbricæ, quibus mitiores erga nos redditi cives. Cùm æthiops mancipium necâsset dominum suum, Judicum sententiâ resti adjudicatus est, priùs per urbem forcipibus ignitis torquendus. Leo Henriquius Collegii Rector cum alio Sacerdote sedens in biga, quâ vehebatur mancipium, juvit piissimis verbis, & ad pœnas sustinendas quàm optimè comparavit. Ut erat Leo ob sanguinis prosapiam notissimus, omnium sermonibus ejus charitas celebrabatur. Plurium aliorum supplicia prætermitto qui in turbis superioribus Societatem deseruère. Non defuerunt subinde paterna Leonis monita, tametsi fortè neglecta. Sed planum apud nos est, & plurimis comprobatum experimentis, illud erga hanc Societatem DEI providentis indicium manifestum, quòd, si indignos diu sustinet Societas, ipsi semetipsos diu non ferant; sed hac illac impatientes tantæ misericordiæ, se foras trudant, velut pus venenatum, sive abscessus lentè nutritus, quem si ferrum non scindat, sibi viam aperiat, est necesse. *Leonis Henriquii charitas.*

Annus 1554. Soc. 15.

I.

PEtrus Mascarenius, is, quem diximus advexisse Lusitanis societatem, Indiæ Pro-rex designatus est. Cum eo sex maximæ naves omni referta instrumento bellico, & epibatis sub finem Martii è Tago solverunt. In prætoria duo de nostris sacerdotibus vehebantur, Franciscus Vieira, & Didacus Soveralius, plurimùm dominante in hac navi pietate; neque aliud Pro-regis sanctitas permisit. Excitati omnes ad amorem cœlestium quà piis exhortationibus, quà supplicationibus, & Litaniis. Non defuère tempestates insanæ. De navibus aliæ tenuerunt potum alium; unica prætoria Goæ jecit anchoras 23. Septembris. Vieira egregios labores sustinuit in Molucis ethnicos ad fidem convertendo. Soveralius claruit in ora Piscaria. Atat multùm dolebat Mascarenius è vivis cessisse Xaverium, quem sibi, ac suis rebus solatio futurum destinavit animo. *Profecti ad Indiam.*

2. Unus & viginti Instituto nostro se tradiderunt. Hos inter, Ludovicus Vasconcellius, filius Dynastæ Mafrensis, primus Angrensis Rector, vir notæ virtutis. Franciscus Govea, qui primus Angolam intravit. Eboræ, quamvis adhuc habitaremus in palatio Regis, cæperunt admitti tirones. Sub finem hujus anni jam numerabantur octo. Ex codicibus vetustis constat post constitutiones anno superiore promulgatas duos Eboræ adscriptos Societati, Jacomium Alvarum, & Joannem Pirium, ambos coadjutores. Primus scholasticus erat Antonius Araujus. Eum alii subsecuti. Cùm jam Collegium nostrum esset habitatione commodâ paratum, ad illud è palatio Regis emigravimus, numero decimum & sextum non excedente. *Ingressi Societatem.* *Initium Eborensis tirocinii.*

3. Interim Emmanuel Fernandius explicationibus doctrinæ Christianæ, aliisque Apostolicis ministeriis totam inflammabat urbem. Nondum mos fere- *Emmanuel Fernandius utilis Eboræ.*

bat hujusmodi expositiones fieri, ut modò, in locis publicis; sed in aulam maximam palatii, quòd fœminis illic non pateret aditus, viris unicè confluentibus DEI verbum maximo animarum lucro proponebatur. Postulavit Abbatissa monasterii D. Claræ, suas moniales consolaretur. Audito Emmanuele, notabilis secuta mutatio; nam reculas omnes suas amore paupertatis ductæ ad Abbatissæ pedes conjecère, ut, in quos vellet usus, converteret. Plurimæ S. Ignatii peregerunt exercitia. Moniales parthenonis Cisterciensis sic vixère memores opis ab Emmanuele ipsis collatæ, ut post ejus mortem in significationem grati animi Mariam Espinosam, Emmanuelis unicam sororem, sine dote ulla & receperint, & monialibus professis adscripserint.

Progressus scholarum. 4. Aucta etiam scholarum incrementa. Triginta Sacerdotes aderant Magistro moralis scientiæ. Viginti ex his donabat quotannis Henricus æreorum regalium decem millia in singula capita. Imponebat Magister lectionis pensum, quod ab ipsis solebat exigere, ut majori curâ dictatis intelligendis vacarent.

Missio Helviæ. 5. Emmanuel Fernandius, & Petrus de S. Cruce per vernum jejunium sermonibus suis Helviam excoluerunt. Nondum erat diœcesis ab Eborensi separata. Eos excepit nosocomium: victus mendicatus alebat in eam solùm diem necessariis. Concionatorum votis respondit abundans messis: nam inductâ sodalitate JESU itum obviam juramentis. Anteà erubescebant procumbere ad pedes Confessarii extra magni jejunii tempus: is pudor noxius paulatim abactus. Omitto plura, ex quibus cepit singularem voluptatem Cardinalis, cujus imperio eum laborem susceperant.

Humilitas Provincialis. 6. Mouræ in Eborensi diœcesi habuit sacram missionem Didacus Miro Provincialis cum Antonio Quadrio. Contigit, ut Provincialis ægrotaret, jacuit inter egenam languentium turbam, tanquam ex mendicis foret unus. Dum curatur in nosocomio, Mouram lustravit Archipræsul Cardinalis Henricus, ut erat piissimus, invisit pauperes morbo decumbentes; reperiens inter ipsos Societatis Provincialem, quam nescio, existimationem de hominis, ac societati virtute concepèrit. Jussit infirmum in commodiorem transferri domum, consulique ejus valetudini; quâ recuperatâ, Miro perrexit Ulyssiponem, quò vi muneris evocabatur.

Fit Societati ædes sacra Almeirini. 7. Almeirini, quo Reges subinde animi laxandi gratiâ secedebant, ædem sacram specialem ædificari Rex jussit, ac dari Societati, unà cum domo contigua ad quam nonnulli de nostris se receperant, solita ministeria exercendo, dum illic morabantur Reges. Ad Collegium D. Antonii modò pertinent ea semiruta ædificia, Regibus hodie eò non euntibus.

Pietatis exercitia in aula. 8. In Regia sanctimoniæ studium plurimùm floruisse nostrorum industriæ refertur. Exhortationes Gonsali Vasæi Melli cunctos incendebant ad curas cœlestium commentationibus applicandas. Elisabetha conjux Infantis Eduardi, Mater Mariæ Principis Parmensis, & Catharinæ Principis Brigantinæ non parùm vacabat divinis rebus meditandis. Regina diebus singulis audierat à Mirone Provinciali puncta meditationum de singulis DEI mandatis, ut ea perpenderet juxta primum è triplici, & faciliori modo orandi per S. Ignatium monstrato.

Moritur Princeps Joannes, & nascitur Sebastianus Rex. 9. Plurimùm conduxère pietatis exercitia ad temperandum immensum dolorem à Regibus conceptum die 2. Januarii ex præmatura morte Joannis Principis Regni hæredis, ac patris Regis Sebastiani, qui natus est posthumus ejusdem mensis die vigesimâ. S. P. Ignatius, quem id vulnus non leviter tangebat, Aprilis die 8. consolatorias litteras ad Regem dedit, cujus dolorem mitigabat DEI misericordiam commendando, qui unius mortem alterius ortu compensaret.

Joannes Nunius e Tituamo redit. 10. E Tituamo in Mauritania redivit Joannes Nunius post tot annos illic gloriosissimè consumptos. Etsi animus erat eòdem reverti ad continuandos labores

labores in captivorum sublevandis miseriis, Rex non admisit, cùm eum destinâsset ad insulas Æthiopicas, de qua re annus sequens.

11. Quia de nostris scholasticis nonnullos insigniri Conimbricæ gradibus scientiarum, quibus studuerant, videbatur consentaneum; voluit Rector præstari quædam juramenta exigi solita à condecorandis hujusmodi laureâ. Leo Henriquius id censuerat nostris non congruere legibus: idcirco, quid factu opus, consuluit S. Ignatium; qui respondit, prudenter ipsum egisse, quòd gradus sumi vetaret sub iis juramentis. Non probatur gradus sumi præstito juramento.

Annus 1555. Soc. 16.

I.

CLaruit hic annus primis Episcopatibus nostræ Societatis. Ab annis pluribus agitabatur de Patriarcha cum Episcopis, qui succederent, ad Æthiopiam juxta mare rubrum mittendo. Siquidem id temporis nulla res erat in majori hominum expectatione, quàm Schismaticæ gentis ad Romanam fidem conversio. Illa natio veram olim fidem ab Eunucho Reginæ Candacis edocta, temporum vicissitudine complexa est errores Alexandrini Patriarchæ, unde accipiebat sanctiones Ecclesiasticas. Cùm Lusitani suis armis id regnum à Turcis penè occupatum legitimo domino restituissent, inde oriebatur commercium inter eam gentem, & Lusitanos; volebátque David Abassiæ Rex Romana sacra amplecti. Primi Episcopi Societatis.

2. Eò jam missus fuerat Joannes Bermudius titulo Patriarchæ Alexandrini, ut nationem aggregaret Ecclesiæ Catholicæ. Sed Claudius Imperator, qui David patris sui vestigia pia non terebat, illius, universæq; Europæ expectationem delusit, coactúsque fuit Patriarcha Ulyssiponem, ubi piissimè obiit, reverti. Joannes Rex, cùm nos haberet in Lusitania, cœpit agere per Legatum suum cum Ignatio de aliquo è nostris eligendo. Jam anno 1544. Petrus Faber ipsi ad rem omnino fuerat designatus, sed eo moriente S. Ignatius ex commendatione Regis ad alios conjecerat oculos. Nec dictu est facile, quantâ contentione huic negotio insudaverit, quàm magna ex ipso concepisset: ipse instructiones plenas illo suo profundo judicio conscripsit, quibus res Christiana in Æthiopia administraretur.

3. Superatis igitur difficultatibus, ac diuturnis moris, quæ retardant magna negotia, Rex S. Ignatio injunxit, eligeret duodecim virtutibus & litteris præditos, quorum unus erat futurus Patriarcha, Episcopi duo, cæteri spatiosæ vineæ operarii. Exploraturus, quid haberet spiritus in nostris ad aggrediendum rem tam arduam, scripsit ad Moderatorem Provinciæ, sociis significaret, quàm vasta seges se nostris in Æthiopia ostenderet: qui sentirent incitatos animos ad tam gloriosam expeditionem, ad se darent epistolam. Exarserunt omnes, Romámque scripserunt. Ignatius mirificè recreatus, eligit in Patriarcham Joannem Nunium Barretum ex virtutibus sibi cognitum, & ex testimonio Ludovici Gonsalvii Cameræ, Romæ degentis; in Episcopos Andream Oviedum Castellanum, qui Neapolitanum Collegium regebat, & Melchiorem Carnerium, qui Romam cum Simone contenderat.

4. Certior de his Rex factus, probavit omnia, cumprimis electionem Joannis Nunii, quem ad tantum opus virum omnibus numeris absolutum existimabat. Trium humilitas coacta est præcepto. In eo patuit Patriarchæ sanctitas. Rogavit S. Ignatium, scriberet suam hac in re voluntatem, ut eâ chartâ se tueretur adversus dæmonis insultus: sibi concederet Antonium Quadrium, & Franciscum Rodericium, viros æquè sanctos, ac doctos, ut sibi essent à consiliis: prætereà designaret unum, cui ipse Patriarcha secretam præstaret obedientiam, & alterum, qui nomine Commissarii imperaret Patriarchæ. Humilitas Patriarchæ.

5. Supra modum Ignatius hujusmodi litteris gavisus, eas sæpe coram sociis legit. Rescripsit magnopere commendans illud nunquam satis laudandum

exemplum: noluit tamen ipsum ulli, præterquàm Christi in terris Vicario, præstare obedientiam. Appetente profectionis opportunitate, cùm ex urbe non pervenissent Bullæ Pontificiæ, ut Episcopi consecrarentur; visum est, mitti Carneirum Goæ initiandum, & Patriarcham cum Oviedo remanere, ituros anno sequenti. Quartâ die post navium profectionem allata sunt Pontificia diplomata. Igitur 4. Maji, cùm esset angusta ædes sacra domûs Professæ Ulysipone, in templo PP. Trinitariorum initiati sunt à Juliano Portalegrensi Episcopo, adjunctis Hipponensi, & Insulæ S. Thomæ Episcopis.

Profecti ad Indiam.

6. Quinque ad Indiam solverunt naves. In prætoria dicta à Domina de Barca vectus Antonius Quadrius cum alio Sacerdote, & quodam socio. In alia S. Philippi Melchior Carneirus, cum P. Emmanuele Fernandio, & uno socio. In tertia ab Assumptione nuncupata P. Hieronymus Cuenca cum P. Joanne Bochio Belga, & altero socio. In quarta à Conceptione PP. Andreas Gonsalvius Castellanus, Paschalis Catalaunus, cum Alphonso Lopio Navarro Theologo nondum Sacerdote. Quinta nullum de nostris ferebat. Exceptis Josepho Riberio, & Marco Nunio docturis Goæ Latinitatem, cæteros obedientia destinabat Missioni Æthiopicæ. Præfuturus omnibus ibat P. Antonius Quadrius. Calendis Aprilis reliquêre Tagum.

Judicium de his Infantis Ludovici.

7. Infans Ludovicus, qui res nostras tanquam suas tueri solitus, ad Petrum Mascarenium hæc dabat in litteris. *Rex tibi mittit hoc anno duodecim de Societate JEsu, qui satis sunt mundo convertendo. Certum, eos tibi majoris faciendos, quàm plurimam gentem bellicam. Assero tibi, me id magni æstimare, valdéque lætor videre tuo tempore, quod hactenus non inspexi. Non recordor, me intuitum ad Indiam proficisci simul homines duodecim, de quibus præsumeretur probabiliter, ipsos ire sine cupiditate, quæ ab his longè abest.*

Naufragium Navis à Conceptione.

8. Sola navis a Conceptione non tenuit Goam. Siquidem 22. Augusti dum noctu velis passis progreditur, induit se in brevia dicta de Petro Banio quarto gradu ab Æquatore Austrum versus. Infinitæ propemodum toleratæ à naufragis ærumnæ. Navarchus cum aliis furtim in scapha petivit Goam, inde venturus auxilio relictis in parva insula quadringentis. Hi è fragmentis laceræ navis adornaverant navigium rude; jam illi, quos capiebat, soluturi nostris obtulêre locum; cùm negarent se, deserto tanto numero, abire posse; rogârunt, ut unus saltem è sacerdotibus conscenderet navigium: inter duos pia satis contentio orta, dum alter alteri dat locum, & quisque cum remanentibus manere satagit. Moram non ferentes, vela fecerunt: habuêre obvium navis Præfectum, revertentem, ut colligeret naufragos; sed quantâcunque diligentiâ adhibitâ, parvam insulam reperire non potuit. Qui manserant, in ratem informem recepti nonnulli 27. Novembris anni sequentis appulêre Cocinum, similes è sepulchro suscitatis. Ex his cognita laborum series, quos passi sunt ad mortem usque nostri homines, miserrimæ turbæ unicum solatium, fame consumpti.

Rex Inquisitionem vult tradere Societati. Acceptat S. Ignatius.

9. Non cessabat Rex Joannes honoribus suam hanc Societatem cumulare. Decrevit, suadente Ludovico fratre, & idem optante Henrico Cardinali, sacræ munus Inquisitionis Ulyssiponensis tradere Societati. Acceptavit Miro Provincialis eâ conditione, si annueret S. P. Ignatius. Multùm id negotium Romæ agitatum, aliis alia sentientibus. Tandem majori parti eorum, quibus S. Ignatius rem discutiendam commiserat, visum est acceptandum hujusmodi munus. Et S. Parens horum adhærens sententiæ sequentes litteras dedit ad Mironem Provincialem. *Summa gratia, & amor Christi Domini nostri sit semper in adjutorium, & favorem tuum. Ex litteris tuis datis 4. Maji intellexi propensionem, quam sua Majestas ostendit, ut nostra Societas sumat munus sancti Officii Inquisitionis Ulyssiponensis, cùm vacet obitu illius, qui sub Cardinali occupabat, nisi contradiceret Instituto nostro; & etiam, quid responderis suæ Majestati. Profectò res est multâ consideratione digna, quæ habet in utramque partem rationes magni ponderis. Præterquàm quod ego eam consideravi, commendavique DEO,*

DEO, commisi sex aliis, qui sunt M. Laynius, M. Salmeron, M. Bobadilla, Doctor Olavius, Doctor Madridius, M. Polancus, ut triduo sacrum facerent, considerarent, & conferrent, captâ informatione à Ludovico Gonsalvio, præter eam à te missam; cùmque ipso agentes sententias suas in scriptis ferrent. Summatim quod nobis in Domino est visum, id fuit, ut omnia ponantur in manu suæ Majestatis obediendo in eo, quod judicaverit debere nos facere ad gloriam Domini nostri. Cùm enim hujusmodi munus non repugnet nostro Instituto, æquum non est Societatem nostram, quæ suæ Majestatis res in Domino est, recusare laborem in eo, quod tantùm attinet ad obsequium divinum, at religionis puritatem in isto regno. Ad vitanda multa incommoda oporteret, si placeat suæ Majestati, scribere ad summum Pontificem, nobis imperet hujuscemodi acceptare munus. Jam enim Sanctitas sua, quando agebat Decanum Cardinalium Inqisitorum, volebat in his regionibus societatem simile munus obire: propterea id non adversabitur illius sententiæ. Etiam rem adjuvaret epistola ad Cardinalem Carpensem Protectorem nostrum, qui nunc Decanus est Inquisitorum; & alia ad Legatum, qui tractaret hoc negotium. Verùm si videbitur non convenire has epistolas, fiet, quidquid ad gloriam divinam sua Majestas jusserit. Si præceperit acceptari, proponetur suæ Majestati, quòd salvo fine intento, juvabit, ut Societas meliùs, & cum majori ædificatione attendat huic sancto operi. Si non videatur suæ Majestati expectandum responsum à Pontifice, ut munus auspicaremur, posset unus, duóve servire muneri, quoadusque susciperetur imperio Summi Pontificis. Verùm his propositis, jam scripsi, fiat, quod suæ Majestati placuerit. Me remittens in aliis ad ea, quæ meo jussu scribit Secretarius Polancus, nihil addam amplius, nisi ut in tuis precibus ad DEUM me plurimùm commendes. Romæ 20, Junii anni 1555. Tuus in Domino nostro Ignatius.

10. Scriptores nostri aliud prodiderunt memoriæ. Ut in rebus magni momenti solent variari sententiæ: forsan qui scripsit adversaria, unde translatum ad historias, notavit alteram sententiam oppositam, quam certam credidit, maximè non secuto effectu, cùm sit conformior voto, ac Instituto nostro. Porrò legitur in tabulario nostro Conimbricensi testimonium Ludovici Gonsalvii affirmantis se interfuisse consultationi de hoc negotio Romæ, & S. Patriarcham acceptâsse, & scripsisse. Addit, caruisse exitu, quòd, cùm pervenêre Ignatii literæ, refrixerat negotium, præsertim obitu Principis Ludovici, & ægritudine Cardinalis. Duo de nostris duntaxat in Lusitania, Leo scilicet Henriquius, & Georgius Serranus egerunt munus Deputati, ùt vocant, Concilii Generalis Lusitanæ inquisitionis. Orl. l. 15. n. 100. Sacch. 4. p. l. 6. 215. Tell. 2. p. l. 4. c. 2. n. 7. 8.

11. Magnum vulnus Lusitaniæ, magnum nostris rebus inflictum 27. Novembris, cùm mors regno & mundo eripuisset Serenissimum Principem Ludovicum, hujus nationis delicium, gratiosum omnibus, Deo, hominibus, ac Regi, qui suas curas cum nullo magìs, quàm cum Lodovico partiebatur. Ex quo nos primùm conspexit in Lusitania, sic nos, ac nostra dilexit, ut videretur nullâ re magìs, quàm incrementis hujus minimæ Societatis recreari. Ille causa fuit, ut firma nobis sedes daretur in Lusitania. Ille nobis fratrem Henricum benevolentissimum effecit. Seipsum Societati, ùt supra dixi, tradere meditatus est. Antonium filium suum nostris adjungi castris avebat; sed fata adolescentem servârunt, ut esset annis secuturis ingens fortunæ ludibrium, & in orbis theatro Rex personatus. Moritur Princeps Ludovicus,

12. Postquam Ludovicus cassa vidit sua Societatis ineundæ desideria, sic vitam omnem, ac mores accomodavit sanctissimæ doctrinæ institutis, ut æmulatus sit, expresseritq́ Religiosum perfectum. Quidquid habuit pretiosæ supellectilis, & ornamentorum, divendi jussit tum debitis expungendis, tum tribuendis eleemosynis, inde usus summâ frugalitate. Castitatem Deo vovit, paupertatem, quam ejus status permitteret, & obedientiam divinis mandatis. Animò in contemplationem cœlestium immerso, meditandi puncta acceperat à nostro Mirone. Expiaturus conscientiam, per famulum rogabat Professæ domûs præpositum,

positum, ad se mitteret unum è nostris sacerdotibus, quem ipse vellet; nunquam enim determinaverat aliquem, cùm omnes æqualiter æstimaret. Tantâ cum nostris conversatus familiaritate, ut in Collegio Eborensi nostros ægros inviseret, tentarétque manu arteriam. Illius mors Echo fuit vitæ sanctissimæ. Latinâ oratione funebres ejus laudes dixit noster Perpinianus. Annum undequinquagesimum cum novem mensibus compleverat. Sepultus est in templo monasterii D. Hieronymi prope Tagum.

Ingressi Societatem.

13. Sex supra quadraginta in Societatem adlecti sunt Conimbricæ. Notiores ex his fuêre Joannes Moura è præcipua nobilitate, qui gloriosâ victima obiit peste afflatis serviendo. Emmanuel Rodericius, qui cum laude primos apud nos gelsit magistratus. Andreas Gualdamius, martyr apud Abyssinos. Cùm sint Collegio datæ scholæ Conimbricenses, necessum fuit augere numerum, ut satisfieri posset tot obeundis muneribus. Eboræ sex unicè nobis adscripti.

Traduntur Societati scholæ minores Academiæ Conimbricensis.

14. Additis scholis illustrius redditur Conimbricense Collegium. Nam Rex Joannes Conimbricensem fundaverat Academiam duplici velut corpore constantem. Unum majores complectebatur scientias, Theologiam, Jus Canonicum, Civile, Medicinam, & Mathesim; aliud minores, Philosophiam, Rhetoricam, humaniores litteras, Grammaticam, linguam Hebræam & Græcam. Hoc secundum corpus facultatum prædictarum hoc anno donavit moderandum Societati.

15. Multa Regem impulerunt. Sic se se liberabat ab importuno onere vocandi Magistros in ea Gymnasia. Damnosum res ipsa probaverat accivisse præceptores ex Gallia, & nationibus Aquilonaribus, in quibus, præter stipendia majora singulis tribuenda, veniebant multi hæresum erroribus scatentes, Lusitanæ juventutis certo discrimine. Non paucos ex hujuscemodi magistris punivêre sacræ fidei Quæsitores. Eos inter pestilentiæ præceptores venerat Georgius Bucananus, Latinas docturus litteras; cùm videret se non posse tutò virus suum discipulis instillare, secessit in Scotiam, cujus Regem Jacobum pestilenti imbuit veneno.

16. Accessêre non pauci hortatores Regi suadentes, Ludovicus Princeps, Cardinalis Henricus, Antonius Pinerius, Martinus Ledesma Dominicanus, & alii, quorum unicum erat studium hujus nationis adolescentiam tradi Magistris cum litteris fidei puritatem, & sanctimoniam edocturis. Plurimùm addebant pondus scholæ Ulyssiponenses, & Eborenses à Societate administratæ manifestâ rei communis utilitate.

17. Mironi Provinciali mentem suam Rex aperit; ille certum facit S. Ignatium de Regis voluntate. Gratias habens amplissimas sanctus Parens amantissimo Regi, atque in suam hanc Societatem munificentissimo acceptat illa magisteria. Paratis Magistris, & aliis in rem necessariis, jubet Rex suas tradi Provinciali litteras ad Didacum Tevium Artium Collegii, & minorum scholarum moderatorem, quem vocabant Principalem, ut eas, & Collegium quàm primùm dedat in Provincialis potestatem. Ne sæculares Magistri abirent tristes, à Rege Miro petiverat, ut vel officiis, vel pensionibus pro merito singulos donaret.

18. Igitur calendis octobribus inita Collegii, & scholarum possessio. Pomeridiano tempore, præsentibus Episcopo Conimbricensi Joanne Soario, & nostro Joanne Nunio Æthiopiæ Patriarcha, habuit in rem orationem eximiam noster P. Perpinianus. Leo Henriquius, qui regebat nostrum Collegium, primus Rector præpositus Artium Collegio. In eo educabantur convictores sæculares, quos dicebant Portionistas, quòd alerentur suis expensis. Horum etiam curam suscepimus, & plurimis annis sub directione & gubernio Societatis fuêre. In decreto 126. primæ Congregationis generalis, ubi de his convictoribus fit mentio, satis ostendit Societas, quàm invita talem administrationem sibi valde onerosam gereret, quàm cuperet ab ea liberari. Gessimus, dum id Artium Collegium inhabitabamus; ac etiam postquam deseruimus, aliquot annis, donec

Convictores in Artium Collegio.

nec ob plurima incommoda excusſimus onus valde moleſtum & importunum, & tale convictorum Collegium omnino eſt ſolutum.

19. Sed redeamus ad ſcholas. In quarto auditorio Philoſophico præfectus Magiſter P. Ignatius Martinius, in tertio Petrus Fonſeca, in ſecundo Georgius Serranus, in primo Martialis Vaſæus. Ut ſubſtituerent, deſignati Sebaſtianus Moralius, & Dominicus Cardozus. Omnes erant ingeniis præſtantiſſimis. De aliis Magiſtris ſolùm tres invenio ſuis expreſſos nominibus, Cyprianum Soarium pro Rhetoricæ primo Gymnaſio, Petrum Perpinianum pro ſecundo, pro tertio Emmanuelem Alvarum. Perpinianus Julio menſe dixerat S. Eliſabethæ Reginæ præclariſſimas virtutes, quas & duobus annis ſequentibus è ſuggeſto laudavit. Ea ſolemnitas diplomate Gubernatorum Regni à Julio ad Januarium tranſlata eſt. Novi Magiſtri. Oratio S. Eliſabethæ.

20. Scholas ſuſcepit Societas eis conditionibus, futuras ſcilicet omnino liberas à juriſdictione, & luſtratione Rectoris Academiæ; reditus deſignatos à Rege pro Magiſtris alendis à noſtris colligendos, quin idem Rector, aut ejus Academia ullam in re adminiſtrationem, aut jus haberet; poſtremò id Collegium acceptari, ùt cætera Societatis Collegia, idemq; in ipſum acquiri jus non rumpendum. Quæ omnia ut firma, inconcuſsáque manerent, Pontificiis, regiísque diplomatibus roborata fuêre. Quibus conditionibus ſcholas acceperimus.

21. Cæpimus Conimbricæ duo ſeparata Collegia habitare. In Artium Collegio erat Rector cum Magiſtris, Philoſophis, Studioſis humaniorum, & tironibus, qui ſtudiis impendebant operam. Initio migrârunt eódem Theologi, non multò pòſt reverſi ad ſuperius Collegium, quod aulis Academicis, ùt exiſtimo, erant viciniores, ubi audiebant Profeſſores; nam reperio adhuc anno 1575. ipſos veſpertinis horis ſolitos ire auditum Profeſſores externos, jubente id noſtro Generali, ne videremur aſpernari Academiæ frequentationem. Aliud Collegium incolebant cum Theologis cæteri ſocii, & tirones non incumbentes ad ſtudia. Ad annum 1566. occupavimus prædicta Collegia, ùt infrà dicendum erit. Duo Collegia Conimbricæ.

22. Poſt aditam poſſeſſionem ſcholarum Octobri menſe, P. Didacus Miro, multùm fatigato divo Ignatio, ut magiſtratu exoneraretur, Provinciæ gubernaculum tradidit P. Michaeli Turriano, qui præſidebat Bæticæ Provinciæ, & quem Regina Catharina ſibi volebat Confeſſarium. Didacus Miro, natione Valentianus, ſingularibus fulſit exemplis, & virtutibus. Ante ſacros ordines ſuſceptos egerat primum Rectorem Collegii Conimbricenſis. Mortuo Gonſalo Valæo Provinciali vicariâ poteſtate rexit Provinciam. Societatem gubernante S. Franciſco Borgiâ pro Luſitanis Provinciis Aſſiſtens fuit. Libros ſanctos non decurrebat oculis, niſi piis lacrymis affluentibus. In ſe caſtigando æquavit rigidiores. Deditiſſimus erat divinis rebus meditandis. Summarium noſtrarum Conſtitutionum ipſe primùm collegit, quod poſtea P. Everardus Mercurianus quartus Præpoſitus Generalis Societatis in meliorem formam redegit, omnibúſque obſervandum tradidit. Corporeis vinculis ſolutus eſt Romæ 25. Aprilis anno 1590. Novus Provincialis, & Didaci Mironis virtus.

23. Poſtremis anni menſibus, id rogante Cardinali, Epiſcopus Andreas Oviedus excurrit per Eborenſem diœceſim, ſacro chriſmate populos in fide muniendo. Vix pro ſe, & comite duo admiſit jumenta clitellis ſtrata; nam ephippia apparari non conſenſit. Hoſpitabatur in noſocomiis. Etſi Cardinalis cuidam è domeſticis ſuis injunxerat, anteiret Epiſcopum in oppida, domúmque diſponeret, illâ nunquam utebatur. Sæpe tranſegit noctem in ſtorea cubans ſuo tantùm tectus pallio, viatoria pera ſupplebat cervical. Ferventes ad populum exhortationes habuit. Dum per alias ſui muneris partes licuit, tribunali aſſedit confitentium. Non ferebat dominationis honorifico titulo vocari, pauperem ſe dicens eſſe religioſum. In alia ex aliis oppidis ibat pedes. Virum ubique Deo plenum venerabantur. Epiſcopus Oviedus excurrit per diœceſim Eborenſem.

24. P.

Occiditur in odium virtutis P. Emmanuel Fernandius.

24. P. Emmanuel Fernandius 18. Februarii sanctissimam animam martyrio laureatam profudit Eboræ prædicator Evangelicus, de quo multa scripsi tum in hoc opere, tum in ejus vita typis vulgata. In urbem Elvensem rediit ad perficienda multa, quæ in DEI obsequium cœperat. Inter alia dimovit nobilem fœminam ab antiqua consuetudine cum viro Ecclesiastico. Id insanus tulit ægerrimè, decrevitque rabiem suam saturare Emmanuelis sanguine. Reverenti Eboram fit obvius in loco deserto cum aliis velatâ, ne agnoscantur, facie; è jumento dejectum sacculis arenâ oppletis immaniter contundunt. Recedentes Sicarios voce, quâ potuit, anhelans ad se vocat, ut à nefario scelere dolentes absolvat. Unus permotus est, qui ad Patris pedes procumbens lacrymis detersit facinus. Hic jumento impositum deduxit Eboram. Post Emmanuelis mortem ex eo homine cognita est mortis causa, & modus; nam Emmanuel paucis diebus, quibus supervixit, rem inviolabili texit silentio. Primus fuit nostræ Societatis, qui in Europa martyrio suo nostram hanc familiam illustravit.

Litigium de turre, & aliis finitur cum monasterio S. Crucis.

25. Mense Augusto per tabulas publicas subscriptas à Domino Clemente Priore monasterii S. Crucis, & Leone Henriquio nostri Collegii Conimbricensis Rectore amicâ compositione transacta, ac terminata plurima litigia, quæ nobis moverat illud monasterium. Fenestræ turris, quæ in muro nobis à Rege dato sanctæ Crucis imminet cœnobio à nobis non coactis, sed volentibus clausæ sunt. Harum tabularum exemplum legi in chartophylacio Conimbricensis Collegii, constátque ejusmodi exemplar alterum in monasterio S. Crucis asservari.

Annus 1556. Soc. 17.

1.

Desistitur à Collegio superiori Conimbricæ, mox resumitur.

Duo, ùt superiore anno memini, Conimbricæ id temporis habebamus Collegia, alterum in montis vertice; ad ripam Mondæ aliud: & quia Provinciæ moderatori visum fuit haud modica esse incommoda in utroque conservando; destitit in manu Regis à possessione superioris Collegii, surgentisque illius fabricæ: Serenissimus spatium illud, murósque surgentes Religiosis Ordinis Christi pro extruendo cœnobio concesserat. Cum pervenit Conimbricam P. Ludovicus Gonsales Camera Visitator, qui re lentiùs examinatâ judicavit deserendum potiùs inferius, quàm superius Collegium, ideóque statim Ulyssiponem advolavit, ut à Serenissimo Rege obtineret, quod inconsideratè abdicaveramus. Res erat difficultatibus plena propter Regium verbum jam oppignoratum, sed adnitente Serenissimâ Reginâ, piissimus Rex Religiosos Ordinis Christi recepturi canere jussit, aliisque beneficiis compensavit factam donationem; nobis Collegium nostrum denuo restituit: quod dum steterit, ingens erit monumentum, tum Regiæ Joannis benevolentiæ, tum P. Ludovici dexteritatis.

Ingressi Societatem.

2. Duo supra triginta tirones Conimbricæ ad vitæ religiosæ fundamenta jacienda sunt aggregati. Ex ipsis plurimùm eminuêre Christophorus Gouvea Portuensis, filius Henrici Nunii Gouveæ viri piissimi. Balthasar Barreira Ulyssiponensis, Guineæ Apostolus. Franciscus Gouvea, & Petrus Silva, Ulyssiponenses, & magnæ virtutis. Petrus Martinius, & Gaspar Gonsalvius Conimbricenses, in Academia Eborensi postea Doctores, & Professores. Ille Episcopus Japonensis, primus tanto insignitus gradu ea regna penetravit. Eboræ sex admissi: inter eos numeratur Franciscus Henriquius, Navarrus, sanctimoniæ excellentis, ùt restatur ipsius vita typis impressa.

Profecti ad Indiam.

3. Quinque solvebant naves ad Orientem, omnium Præfecto Joanne Menesio Sequeira. Prætoriam conscendit cum aliis Patriarcha; alteram Episcopus, & nonnulli; tertiam Gonsalus Sylveira, & reliqui. Erant omnes quatuordecim, sacerdotes septem. Franciscus Rodericius sine baculo gressum movere non poterat ob pedes à nativitate claudos: cùm roganti facultatem, ob

id

id negâssent, respondit, non ad incedendum suis pedibus, sed ad navigandum eam petere; illam D. Ignatius concessit: vir fuit magnus litteris & virtutibus, atque in India gessit præclara. Naves eæ, in quibus nostri vehebantur, habuêre similitudinem religiosæ familiæ, vitiis omnibus exterminatis, Christianísque moribus accitis. Navigatio contigit prospera; quamvis diverso tramite, aliæ ab aliis separatæ naves fuerint, Mosambiquii sunt conjunctæ, Septembri Goam intrârunt.

4. In itinere obivit Fernandus Sousa Regis Legatus. Compertum est res Æthiopicas alio esse in statu, atque existimatum in Lusitania: Illas enim exploraverat noster Gonsalus Rodericius. Propterea visum est præmitti Andream Oviedum cum aliis, ne dignitas Patriarchæ exponeretur risui Schismaticorum. Oviedus inter eos barbaros sanctissimè vixit, ac obiit. Ex sociis Oviedi Andreas Gualdamius, & Gonsalus Cardozus martyrio clausêre vitam.

5. Postremâ Julii Cœlitum auxit numerum gloriosissimus nostræ Societatis Parens Ignatius, cujus giganteæ virtutes & facta magna complent volumina. Neque laudibus æquari unquam poterit, altior omni mortalium commendatione. Grandia in eo omnia, prudentiæ celsitas, & pondus in agendis rebus, divina potiùs vita, quàm humana. Animus illi, qui omnia magna complexu caperet, quibusque rerum difficultatibus sublimior. Nihil aliud in verbis, ac factis spiravit, quàm majorem DEI gloriam: hæc fuit Ignatii scopus unicus, hæc omnium laborum meta. Vidit Societatem universo orbe propagatam duodecim Provinciis, quæ constabant domiciliis supra centum. E vivis sublato sancto Parente, Professi, qui Romæ aderant, Didacum Laynium constituêre Vicarium Generalem. *Moritur S. P. Ignatius.*

6. Turrianus nostræ Provinciæ moderator, accepto nuncio, Professos, erant paucissimi, convocant Almeirinum. Illic morabantur Reges, & ex suo munere Confessarii Reginæ curiam secutus Provincialis. In hujusmodi conventu, qui formam Congregationis non sortiebatur, fuerunt electi Romam comitaturi Provincialem Ludovicus Gonsalvius Camera, & Gonsalus Vasæus Mellus. Locò Procuratoris Provinciæ, ùt primordiis in usu fuit, designatur Emmanuel Godinius; nomine Procuratoris Indiæ, & Brasiliæ Georgius Serranus. Rex præbuit necessaria ad itineris sumptum. Erant jam Eboræ, cùm litteræ adsunt Româ, quibus iter differre jubentur. Certatum est, ubi forent cogenda generalia comitia: nonnulli censebant Ulyssipone, expectantes Regem pro amore, quo nostram prosequebatur Societatem, sustenturum expensas; at Patres Lusitani nunquam huic sententiæ subscripsêre, utpote nec menti Fundatoris consonæ, qui Romæ voluit congregari Societatem. Eas opiniones sustulit Pontifex jubens Romæ habendam Congregationem. *Conventus Patrum in Lusitania.*

7. Cardinalis Henricus in dies intentus ad scholarum Eborensium incrementa obtinuit à Rege, ut Eboræ doceretur Philosophia. Rex enim metuens, ne minueretur Conimbricensis Academiæ concursus, extra ipsam ægrè patiebatur publica scientiarum magisteria. Eam cathedram moderari occepit Ignatius Martinius, de quo in hoc opere non semel injecta, atque iterum, & iterum injicienda mentio. *Eboræ Philosophia.*

8. Tirones hoc anno educari cæperant in Domo Professâ Ulyssiponensi. Undecim reperio, qui ab Aprili ad finem Julii sunt illic adoptati in Societatem. Verùm ad 16. Martii anni 1558. ne unus quidem est ingressus. Ex catalogis conjicitur hos undecim absolvisse tirocinium. *Tirones in Domo Professa.*

9. Leo Henriquius, adhuc vivo S. Ignatio, & ipsius jussu Conimbricâ Eboram ad illud Collegium regendum migravit: ubi acceptissimus fuit Cardinali Henrico, qui dum inter vivos fuit, illo utebatur Confessario, probatâ hominis virtute rebus etiam admirandis in ipsius Leonis vita fusè explicatis. *Leo Henriquius Eborensis Rector.*

Annus 1557. Soc. 18.

I.

Moritur Rex Joannes III. Ejus virtus, & amor in Societatem.

Die undecimâ Junii, quam jure in nefastis numeret Societas, fatale mortis imperium subiit Ulyssipone anno ætatis 55. regni 35. Joannes III. Lusitaniæ Rex, & post Ignatium, ipsiusmet Ignatii Confessione, alter Societatis Parens. Nam DEus Opt. Max. Joannem destinavit, ut hanc minimam Societatem recèns natam soveret complexu suo, imò antequam nasceretur. Nondum eam Sancta Sedes numeraverat religiosas inter familias, cùm Joannes suscepit protegendam. Neque propagavit solùm intra limites dictionis suæ in Europa, Africa, Asia & America, sed in dominiis aliorum, dum Joannis patrocinio vel in ea intravit, vel ingressam stabiliri fecit.

2. Eminebat omnigenis virtutibus, quæ Christianum Regem exornant. Si spectetur in DEUM, ac res sanctas veneratio, & studium augendi religionem, vix erit angulus in Lusitana Monarchia, quà latè patet, ubi Joannis pietas non erexerit monumenta perennia. Ille nominavit primos Episcopos Leiriensem, Portalegrensem, Mirandensem, ac primum Eborensem Archiepiscopum; primum capitis viridis Episcopum, Æthiopiæ Patriarcham, & Episcopos duos, si quid humanitus contingeret, successuros; Coccinensem, & Malacensem primos, & in America Bahiensem.

3. Intra suam ditionem innumera jussit ædificari templa, designato reditu tum pro conservandis iis, tum pro alendis animarum Curionibus. Nihil magis Indiæ Præfectis, & cæteris ultramarinis commendabat, quàm fidei ministros, fideique amplificationem. Nostram Societatem præprimis dilexit, quòd intellexisset à DEO missam, ut fidem apud idololatras, & incultas gentes propagaret. Quoniam agnovit, quantum fidei propugnaculum foret tribunal quæsitorum, in Lusitania, & India introduxit. Sacras familias, quas vivendi libertas corruperat, curavit instaurari per viros litteris & virtute excellentes è Castella accitos. Ne tam pia opera frigerent; nulli pepercit sumptui. Præter nostram Societatem illius favore sedem mansuram fixêre in Lusitania PP. Capuccini, & Franciscani.

4. Omitto infinita pietatis, ac divini cultûs exempla, quibus æquavit Reges sanctissimos. Monumenta illius sunt ære perenniora Conimbricensis Academia, & nostrum Collegium ab ipso fundata, regiâq; dotata liberalitate: & in eadem urbe Collegia PP. Dominicanorum, monachorum S. Hieronymi, S. Augustini, Carmelitarum, & Religiosorum Ordinis Christi, quæ vel fundavit, vel auxit: monasterium S. Gonsali Amarantii, ubi coluntur divi cineres. Regium templum Bethlemiticum Ulyssipone à parente suo conditum, ab ipso absolutum. Adjecit nosocomio regio de Sanctis Ulyssipone bonam ædificii partem. Eboræ restituit aquæ ductum, opus Sertorii Romani, sed longâ annorum serie penitus dejectum. Plures arces validissimas extruxit. Regiis eleemosynis juvit loca pia, & nosocomia, ac cœnobia, nonnunquam etiam Gallæciæ & Castellæ religiosos. Nostris domibus, ac Collegiis Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, & Germaniæ jubebat dari ex aromatibus Indicis & Brasilicis condimentis ampla subsidia.

5. Si regias dotes inspiciamus, benevolentissimus fuit, ac prudentissimus. Mentis pondus, & consilium venerabantur, quos sua in consilia adhibebat. In eligendis Ministris, & Præfectis rem communem sive domi, sive belli administraturis singularem nactus felicitatem: per ipsos in regionibus ultramarinis gloriosissimas victorias obtinuit. In præmiandis de regno meritis nullus eo magnificentior. Classibus suis potentissimis terrore complevit vastissimas Orientis regiones, & contrivit Turcicam potentiam per mare rubrum.

6. Plura

6. Plura adhuc regiæ in nos beneficentiæ reliquit monumenta. Goæ divi Pauli Collegium amplum & augustam condidit. Jecit initia Regii Bahlensis, quæ prosecutus Rex Sebastianus. Porrò Academiam Conimbricensem nobis regendam tradere voluit: at rejectum munus Rectoris Academici, quòd infinitis negotiis forensibus intricetur religiosam pacem citra dubium turbaturis. Tum Rex, quòd nobis non liceret alias profiteri facultates, obtulit moderandas Theologiæ cathedras. Ad hæc Patres: esse sacras familias antiquiores; extingui, quæ habeant, incitamenta ad incumbendum naviter in litteras; Societatem illis reddi per hoc odiosam, & invidiæ obnoxiam. Scio Tellium nostrum, & Sacchinum memorare, alio id tempore contigisse, quod attinet ad Theologiæ cathedras, Tellius ait, Reginam Catharinam eas obtulisse. Forsan id evenit Rege vivo, & iterum post ejus mortem gubernante Reginâ. Tel 2. p. l.6 c. 24. n. 4. Sacch. 4. p. l. 6 n. 115.

7. Significavit tum Reginæ, tum cæteris Principibus, sibi gratum fore, si illis Patribus honoratis, (sic nostros vocabat) uterentur ad confessiones. Propterea omnes apud nostros exponebant conscientias. Societati erudiendos tradidit Dynastarum filios, & Principem Joannem, uti suo loco dictum. Moriens commendavit, ut nepos Sebastianus sub disciplina Societatis adolesceret. Ad id vocatus Româ Ludovicus Gonsalvius, ùt infrà referetur.

8. Arduum est explicare, quanti fecerit Protoparentem nostrum Ignatium. Nullius erat hominis sententia, quæ plus momenti apud ipsum haberet, quàm Ignatii; quod præsertim palàm fecit, cùm Divo postulante, consensit Simonem virum sibi gratissimum è Lusitania exire. Petiverat à Pontifice Julio, sibi mitteret in Lusitaniam Ignatium, ut posset ejus frui conspectu: pio voto non annuit Pontifex, quòd inde magna, Societati, & Ecclesiæ bono incommoda orirentur.

9. Nihil pariter Ignatio potius, quàm optimi Regis voluntati morem gerere. Ejus negotia plurimùm promovit. Henrici Cardinalis sacra purpura, & amplificatio potestatis Inquisitorum per Ignatium expedita. In suis litteris frequenter appellat Joannem Societatis Patrem. Fatetur, quidquid ea sit, ipsi debere, *ipsum esse totius Societatis bonum & fulcimentum.* Parentem sanctum in cognoscendo, & confitendo, quantùm Societas deberet Joanni, sunt imitati filii sancti Franciscus Xaverius, & Franciscus Borgia. Plurima sacra, & preces aliæ pro ipsius anima sunt indicta per universam societatem. Conimbricense Collegium exequias celebravit tum oratione Latinâ, tum poëmatis, & cætero lugubri apparatu.

10. Vulgatâ Regis morte, Carolus V. Imperator ad consolandum in tam acerbo funere, & tam communi, ac privato luctu Reginam sororem misit Ulyssiponem S. Franciscum Borgiam. Iter aggressus est adhuc urente Sirio, & viribus parùm firmis. Eboræ cùm jam nequiret iter continuare, in lectum decidit morbo gravissimo oppressus. Deploratâ salute, dixit Borgia, se intra diem quartum profecturum Ulyssiponem. Maximâ omnium admiratione ita evenit. S. Borgia venit in Lusitaniam: quæ illi contigerint.

11. In transitu Tagi furente procellâ, cùm non paucæ scaphæ & vectores mergerentur, Borgia sospes appulit ad littus. Jussu Reginæ hospitatus in palatio Enzobregæ, quod flumini proximum, ut in loco illo saluberrimo vires reficeret. Pauci abierant dies, cùm insperatò socios urget Borgia, ut migrent in nostram Professam domum. Credebant socii id amore paupertatis fieri; verùm nocte se intendente supervenit insana procella, quâ validissimæ naves Indicæ inter se collisæ, & confractæ ruptis rudentibus tristi ruinâ littora compleverunt, Tagique undæ proximum ripis Enzobregæ palatium penè obruerant. Unde Borgiæ, & sociis nox contigisset planè formidanda, nisi divinitus habitâ fœdissimæ tempestatis notitiâ declinâsset periculum. Borgia finitâ legatione, & nostris suâ præsentiâ recreatis in Castellam revertitur. Regina, cui Rex moriens mandaverat reipublicæ curas, plurimùm favit nostræ Societati, ùsque est nostro Michaële Turriano Confessario. Regina favet Societati.

Cardinalis mirabiliter à Leone sanatur.

12. Cardinali Henrico ex mærore ægrotanti Ulyssipone, divinitus apparuit Leo Henriquius, qui tum Eboræ degebat Collegii Rector, apprehensâq; illius manu pristinæ sanitati restituit, atque ocyùs iterum ab Angelo Domini, vel modo alio mirabili restituitur Eboræ. Inde nata Henrico ingens de Leonis virtute existimatio, & auctus amor in Principe adversus nostram Societatem.

Moritur Alphonsus Barretus,

13. Ulyssipone 12. Februarii vitam naturæ reddidit Alphonsus Barretus Portuensis, germanus Joannis Nunii Patriarchæ. Excelluit sui contemptu, & multo animarum zelo, quem vel tiro notum fecit raris exemplis, ùt in ejus vita refero. Barcellis (oppidum est nobile diœcesis Bracharensis) è vivis migravit

P. Andreas Ramirius,

P. Andreas Ramirius: post morbum diuturnum eò missus fuerat, aurâ patriâ restituendus valetudini; at resurgente malo, patriam & vitam liquit. De ipso scriptum comperio, *instar hominis sancti vitam efflâsse, speculum fuisse virtutum.*

Occasio fundandi Collegii Brigantini.

14. Hoc anno commentum insolitum ansam præbuit fundationi Collegii Brigantini. Presbyter quidam Castellanus hominem se fingens de Societate adierat Brigantium, nostráque ministeria bonâ famâ egerat. Cùm cives erexissent ædificium monialibus habitandum, ipsis persuasit Fradiquius, id illi nomen, darent potiùs nostræ Societati: citra dubium futuram suis ministeriis, & filiorum instructione valde utilem: adirent P. Franciscum Borgiam Commissarium, ut urbis voto subscriberet. Placuit omnibus. Electi duo nobiles, pater, & filius; sed visum, iret cum ipsis Fradiquius. Timens suam nudari strophams, negabat id esse necessarium: verùm consensit volentibus, atque omnes se viæ dederunt Vallisoletum.

15. In medio itinere Fradiquius de comitatu se subtrahens ampliùs non comparuit. Tum sibi persualère, Fradiquium non Apostolum esse, sed impostorem, ùt probabat res ipsa. Igitur deliberant, progrediendúmne sit, an domum revertendum Cùm esset superata major pars itineris, pergunt ire Vallisoletum. Conveniunt Borgiam, telam omnem retexunt, suæ civitatis tradunt litteras. Legatis auditis, Borgia manantibus piis lacrymis, genua flectit coram Crucifixi simulacro, clarâ voce habet gratias ob modos, quibus ad se vocet animas, & Societatem curet augendam. Post dies aliquot, visis documentis fundationis oblatæ, ac negotio perpenso, respondit acceptare se novum Collegium. Quæ in rem opus forent, scripsit ad Lusitanum Provincialem, ad urbis Senatum; atque ad Ducem Brigantinum. Anno 1561. cùm cæpimus Collegium habitare, recensebo initia, cùm ab eo anno computentur.

Annus 1558. Soc. 19.

1.

Societatem ingreditur Benedictus Toscanus.

EX eis, qui dedère nomen Ordini nostro, meretur specialem mentionem modus, quo DEUS sibi conjunxit Benedictum Toscanum Portuensem. Novembri ad nos venit Doctoris gradu in Jure Civili donatus. Quòd polleret ingenio, mens ipsi erat ad magisteria conscendere. Cùm hujusmodi Candidati lectione publicâ, ostentationem vocant, sui essent præbituri specimen; quo tempore Toscanus voluit adire suggestum, jus de more coram Academia expositurus, subitò sensit evanuisse de memoria, quidquid ipsi, tametsi aliàs fideli, commendaverat. Igitur immodico suffusus rubore è conspectu se proripit. Inter has nubes fulsit illi divinum lumen; nam cognitâ rerum humanarum vanitate, se mancipans societati, apud nos vixit magno exemplo, mortuus in Brigantino Collegio.

Provincialis cum sociis it Romam: quæ passi sint.

2. Mense Januario iterum Provincialis cum aliis Patribus, mutato solùm Ludovico Gonsalvio propter valetudinem, & ejus locò substituto Ignatio Azebedio, Romam aggressus est iter. Pervenerunt Complutum, cùm declaratum voce præconis jussu Philippi Regis bellum adversus Pontificem, & non permitti transitum Romam: idcirco Patres in Lusitaniam reversi. Sed rebus hoc anno inter Regem, & Pontificem compositis, tertiò iter idem terrestre suscepêre, nempe

nempe Michaël Turrianus Reginæ Confessarius Provincialis, Gonsalus Vasæus Mellus, Ludovicus Gonsalvius, Emmanuel Godinius Lusitaniæ Provinciæ Procurator, ac Georgius Serranus Procurator Brasiliæ, ac Indiæ, qui gradu Doctoris Romæ laureatus.

3. Non defuêre labores, ac incommoda: nam ingressi Galliam in oppido Daxio, quod Bajonâ distat diei unius itinere, tanquam exploratores missi sunt in carcerem. Commendaverant Turriano, ne loqueretur, ut posset latere. Quamvis ostenderent testimonia, cujus essent nationis, fides non est adhibita. Sed separatim examinati severè. Cùm Ludovicus Gonsalvius sciret Gallicè, crederétque eo idiomate benigniùs se audiendum, in statu pejori rem locavit; magìs enim inde suspectus erat. Interrogatus Provincialis candidè respondit: *Dicor Michaël Turrianus, Aragonensis natione, horum, quos habetis vinctos, superior, & in Lusitania Provincialis.* Hæc unicè dicta, quæ vis virtuti, ac veritati est, sic Præfecti mollière animum, ut liberos dimiserit; adjiciens, senem illum locutum nudam veritatem.

4. Per angustias alpium dictas à S. Adriano, qui transitus in eis montibus est difficilior, evalère ad Italiam. Maji 9ª. Romam subeunt primi omnium, qui ad comitia vocati fuerant. De Turriano venturo vix spes affulserat. Secundâ Julii Didacus, seu Jacobus, Laynius renunciatur universæ familiæ moderator. Ludovicus Gonsalvius Camera pro Societate Lusitana effectus Assistens: primus fuit in hoc munere. Comitiis his aderat M. Simon Rodericius, qui adhuc non exiit ab Italia. Sacchinus scribit è Venetiis accessisse. Noster verò Alcazar historicus Toletanæ Provinciæ, de Mursia ad Comitia profectum ait. Ut credo, secutus est Tellium nostrum, qui Simonem post iter Romanum, & colloquium cum S. Ignatio, Mursiam secessisse memorat. P. Sacchino potiùs credendum censeo. Laynius Generalis.

5. Absente Provinciali tenuit clavum Provinciæ Ignatius Azebedius. Ut fuit studiosus sui corporis affligendi, lustravit collegia iter faciens pedibus. Duo magni momenti interim accidêre. Ex Angola venerunt Ulyssiponem Legati Regis barbari postulantis Evangelicos operarios, qui de Societate JESU forent, alios se nolle. Regina, & Cardinalis rem Vice-Provinciali communicant, & commendant. Ille Conimbricam dat litteras, ut Collegiorum moderatores subditis rem faciant notam, quisque in charta notet, quem sentiat spiritum ad aggrediendum hujusmodi expeditionem, si ipsis injungatur. Prætereà scribant moderatores, & Consultores, qui videantur magis apti, & quos ipsi mitterent, si Provinciam gubernarent. Verùm cùm hæc expeditio variis de causis dilata fuerit usque ad annum 1560. in eum annum reservamus. Azebedius Vice-Provincialis. Angolæ Rex petit operarios de societate.

6. Per idem tempus vacante monasterio Pedrozo ob mortem Sancii Noroniæ Abbatis Commendatarii, illud Regina donavit Collegio Conimbricensi. Adhuc ibi vivebant Patres, vel Monachi quatuor sub domestico Superiore. Diplomata, quibus Pontifex talem donationem confirmavit, expedita fuerunt Junio anni 1560. Id cœnobium est in Portuensi diœcesi, ab Portu distat leucis duabus. Quis fundaverit, dissentiunt ea de re nimiùm vetusta scriptores. Sacrum erat divis Petro, & Paulo. Ab divo Petro nomen illi datum *Pedrozo.* Habuit amplas possessiones, quarum magna pars temporum vicissitudine interiit, aliis dominis in non sua irrepentibus. Rex Alphonsus Henriquius plurimas, quibus adhuc fruitur, immunitates concessit, ob quas monachi promisêre quotidianum sacrum, dum staret mundus. Promisso satisfit usque in hodiernam diem. Monasterium Pedrozo datur Collegio Conimbricensi.

7. Exquisitis gaudebat tum Christi Domini, tum Sanctorum reliquiis, quarum paucæ in templo conservantur. Inter eas cernitur culter, quo pellis avulsa est divo Apostolo Bartholomæo. Vix cum manubrio palmum excedit. Quotannis circumfertur in publica supplicatione. Aqua, cui immergitur, potata liberat febribus. Et quamvis tanto intervallo annorum toties aquâ sit tinctus, ignorat rubiginem. Culter, quo excoriatus est D. Bartholomæus.

 8. Ad

Ad Indiam profecti.

8. Ad Indiam concesserunt cum Pro-Rege Constantino de Bragansa, filio Brigantini Ducis, P. Marcus Pancrudus, & Andreas Fernandius, qui jussu S. Francisci Xaverii primus de Societate ex India venerat ad S. Ignatium de rebus Indicis edocendum. S. Parens dum vixit, ad Indiam regredi non permisit. Postea sacris ordinibus initiatus egregiam in convertendo animas impendit operam, multisque claruit virtutibus. Pancrudus domo Valentianus annos sexdecim laboravit in Molucis. Die 7. Aprilis solverunt è Tago. Non admisit Prorex alteri mensæ, præterquàm suæ, accumbere. Omnium tum corporis, tum spiritûs necessitatibus præstò fuêre.

Ingressi Societatem.

9. Qui de novo huic familiæ adscripti sunt, cæteris præstabant: Joannes Rebellus, insignis in sacris missionibus obeundis. Ludovicus Crucius, humanioris litteraturæ excellens Magister. Didacus Andradius martyr in itinere Brasilico. Emmanuel Pimenta, sui temporis Poëta præstantissimus. Laurentius Freitas in obsequio pestiferorum defunctus. Martialis Beliartius, Brasiliæ Provincialis, multa in eo perpessus itinere. Didacus Cisnerius in Jure Civili Doctor. Antonius Menesius, adolescens primæ nobilitatis, qui dein jussu Philippi Regis migravit in Italiam, ac Romæ vivorum de numero excessit.

Tirones in Domo Prof.

10. In Domo Professa Ulysiponensi tironum educatio instaurata, sive firmè, & stabiliter cæpta, eò missis aliquot Eborâ, & Conimbricâ. Anno 1556. jam retuli, quid in hoc certi compererim. Illic ad nos venêre Sebastianus Barradius Ulysiponensis, nostræ Societatis inter prima lumina jure numerandus: Antonius Monserratius vir exquisitissimæ charitatis.

Chorus in Domo Prof.

11. Paulus IV. Pontifex maximus in supra dictis Comitiis Patribus congregatis injunxit usum chori, non cantu figurato, sed simplici pronunciatione, more Theatinorum, quos ipse instituerat. Quamvis Patres proposuerint rationes validas, quibus S. Ignatius permotus sit ad suos hoc penso liberandos, flecti noluit. Idcirco in Domibus Professis (duæ tantùm erant, Romana scilicet, & Ulysiponensis) chorus institutus. Huic muneri satisfiebat ab aliquot Patribus & tironibus, ut cæteri forent expediti ad peragenda nostra ministeria. In Collegiis ea consuetudo non introducta. Cùm Pontificis imperium mandati vim non excederet, eo moriente expiravit.

Res Conimbricensis Collegii.

12. Conimbricense Collegium regente Didaco Mirone, florebant plurimùm studia litterarum. Confluxerant in scholas nostras penè mille discipuli. Eos inter numerabantur multi Franciscani, Divorum Bernardi, & Hieronymi Religiosi, atque ex Congregatione S. Joannis Evangelistæ, qui tum litteris humanioribus, tum Philosophicis disciplinis operam navabant. Diplomate Regio est obtentum, ut in Artium Collegio fierent examina Philosophorum; nam ad id tempus non sine magno nostro incommodo habebantur in aula Academiæ. Simul impetratum, ut litteraria munera tribuerentur ex ærario Academiæ Magistris, ac Doctoribus, qui in Philosophicis actibus objicerent argumenta.

13. Ne scriptitationibus fatigarentur auditores, visum est congruum ac utile componi cursum Philosophicum, qui typo mandatus, esset usui discipulis. Hujusmodi cura Petro Fonsecæ committitur. Verùm ille non discipulis, sed Magistris opus in Aristotelem edidit, sapientûm omnium encomiis celebratum. Cur ita fecerit, abundè explicat in voluminum proloquiis.

14. In Artium Collegio audiebatur magno plausu, & Academiæ concursu Georgius Serranus. Singulis diebus Dominicis pomeridiano tempore lectionem habuit in Davidicos psalmos. Eodem in Collegio educabantur 60. Convictores è præcipua totius Regni Nobilitate. Tantus erat illorum tum in litteris, tum moribus progressus, ut Regina, & Cardinalis suis ad Rectorem litteris magnopere laudaverint nostrorum industriam communis boni studiosam.

15. Die primo, quo scholas auspicabamur, propositæ theses Philosophicæ: in ejus facultatis auditoriis appensa genus omne poëmata: è suggesto Latinâ oratione laudatæ Joannis Regis virtutes, & gesta præclara: qui mos duravit aliquot annos. Perpinianus duabus horis cum dimidia coram Academicis de diva

diva Elisabetha tam elegantem habuit panegyrim, ut mirâ suspensione, silentio, & aviditate sit auditus. Nam vir ille in facultate oratoria sic Demosthenem, ac Tullium expressit, ut in dicendo ea ipsius oratio fuerit suavior, quæ longior, morâ acuente, non hebetante auditorem.

16. Inter Academicos fervores non elanguit cura consulendi animarum bono. Plurimi sæculares specum sibi domi nostræ delegerunt Manresanam, & S. Patris exercitiis exculti collegêre conscientiæ tranquillitatem. Ex transfugis, qui deseruerant Societatem, juvenes duo nobiles facti pœnitentes se restituere Collegio. Diversas regni partes percurrerant Evangelici præcones, Beirensem regionem, Prioratum Ctatensem, & Algarbia. Diebus festis Quadragesimæ socii Theologi Conimbricæ vicinos pagos adibant cum ad populum fidei mysteria edocendum, tum ad animos infensos amicitiæ vinculo inter se colligandos.

17. In Artium Collegio grassati morbi complures in lectum, quinque in tumulum dejecêre. Quippe ædificium ad montis radicem situm, nullis ventilatum Aquilonibus, reddebant parùm salubre aquæ putrescentes in lacubus ab inundatione fluminis vicini per hyemem relictæ, & æstu vitiatæ, atque corruptæ. Vapore noxio, auram, quâ vivimus, inficiebant. Inter mortuos unus fuit P. Petrus Toscanus, vir intimæ cum DEO familiaritatis. Illius pia exercitia comitabantur suaves lacrymæ sponte suâ ex oculis fluentes. Vexatus scrupulis ultra modum. Maligna febre contabuit.

18. Vel hoc, vel aliquo ex annis proximis res contigit non tacenda; unde visum infirma mundi sæpe à DEO eligi, ut fortia quæque confundat. Duæ factiones miserandum in modum laniabant Montem majorem novum oppidum illustre in Eborensi diœcesi. Ad animos pacandos miserat Cardinalis Venerabilem heroëm Ludovicum Granatensem. Nihil effecit. Etenim princeps factionum caput & fax nec authoritate Cardinalis, & aliorum, nec Ludovici virtute molliri potuit. Ejus duritiem Granatensis referens Cardinali, adjecit, sibi videri non frangendas iras, nisi rem aggrediantur duo Societatis sacerdotes; sibi compertum, DEUM ipsorum verbis vim addere specialem ad componenda dissidia. *Ope tironum ingens fructus.*

19. intereà terni tirones ex Eborensi Collegio consuetam obeuntes peregrinationem ingrediuntur montem majorem. Unus de more catechesim explicans in foro publico, percontatur: sitne aliquis in oppido animis, & odiis infensus adversus proximum suum? E turba vox prodiit: an aliquis sine odio sit, interrogandum erat. Ocyùs adhibitâ diligentiâ comperiunt, quantâ odia cunctos inflamment, & quinam sit tantæ flammæ caput. Igitur confisi DEO, hominem conveniunt; promunt, quæ in rem dictat spiritus. Hæret vir attonitus novitate: quò se vertat, nescit. Occurrit hinc authoritas Cardinalis, illinc Granatensis virtus & pondus, quibus non cesserat: mox venit in mentem, quanta sit levitas manus dare adolescentibus. Dum secum pugnat, mentem subit, eos adolescentes Dei vocem esse, quâ compelletur. Nec amplius aut valuit, aut voluit DEO vocanti repugnare, inter lacrymas ubertim cadentes ait: mei Patres, per vos facit de me DEUS, quod non fecit per viros authoritatis summæ; volo pacem, volo concordiam, volo cum proximis meis vivere tanquam Christianus.

20. Habent illi tirones gratias, ac sine mora conquirunt caput alterius factionis. Simili modo expugnant. In locum unum infensos omnes congregant; dantur manus & amplexus indices mutuæ amicitiæ, & firmatæ concordiæ. Non defuit, qui rem, ùt evenerat, scripsit ad Ludovicum Granatensem. Lætitiâ gestiens convenit Cardinalem, memorat extincta montis majoris odia. Quomodo id factum, reponit Cardinalis, si nondum misi, ut tecum constitueram, duos sacerdotes Societatis. Tum Granatensis legit epistolam totâ rei serie enarratâ. Miratur optimus Princeps, Deo agit gratias, quòd suum Eborense Collegium tam utilia gloriæ divinæ nutriat instrumenta.

An-



Annus 1559. Soc. 20.

1.

Ingressi Societatem.

CRevit Societas non paucis suppetiis recèns adjunctis. Præcipui fuêre Michaël Gomesius, qui obiit in officio charitatis. Amator Rebellus Magister Sebastiani Regis in characteribus legendis, ac formandis. Petrus Mascarenius Convictor nostri Collegii adolescens nobilitatis primæ. Alvarus Paciecus Juris Pontificii Doctor. Emmanuel Alvarus Coadjutor martyr in itinere Brasilico. Petrus Paulus Ferrerius, & Fernandus Peresius sacerdotes, & Theologici Doctores, M. Avilæ discipuli, missi à S. Francisco Borgia, ut scientias in nova Eborensi Academia profiterentur.

Missiones.

2. E Collegio Conimbricensi multi Evangelici prædicatores in diversas missi regiones ad excolendos populos. Duo in montem majorem novum, id petente Cardinali Henrico. Unus fuit Franciscus Adornus Italus Conimbricæ in Societatem cooptatus, strenuè rem agebat; cùm in Italiam à P. N. vocatus, multùm splenduit apud Italos. Georgius Serranus, & Fernandus Pradus, postulante Antonio Ludovici Principis filio, ipsum comitati lustrantem suum Cratensem Melitensis Ordinis Prioratum. Antonii mens erat societati Collegium Crati fundare: jam Præpositus Generalis oblatam fundationem acceptaverat. Duobus commendatum, cernerent locum construendo ædificio, ac referrent de cæteris in rem facturis. Omnibus maturè perpensis, destitum à tali fundatione.

Turrianus effugit infulas Bracharenses.

3. Vacante Bracharensi diœcesi, nitebatur Regina nostrum Michaëlem Turrianum ad eas infulas promovere. Memor ille cum religiosæ humilitatis, tum voti sui, ab ea sententia Reginam, cui erat à confessionibus, dimovet, suadétque, ut eâ dignitate exornaret Ludovicum Granatensem: at Ludovicus non inferiori demissione se subtrahens honori, inculcat Bartholomæum de Martyribus virum omni commendatione majorem; cujus virtus Provincialis PP. Prædicatorum præcepto cogenda fuit. Igitur Bartholomæus nostri Ordinis studiosissimus, antequàm iniret possessionem, rogavit, Bracharam aliquos præmitti, qui diœcesim excolerent. Ivêre Melchior Cota, ac Didacus Pirius sacerdotes, & Gregorius Mata non sacerdos. Laborantium industriis respondit copiosus proventus. Multam inde cepit lætitiam novus Præsul, cujus erat mens ædificare Collegium, unde universæ diœcesis bono consuleretur.

Missio Bracharæ.

Reginæ liberalitas in domum professam.

4. Cùm post Regis mortem lentissimè surgeret opus Professæ domûs, Regina sui conjugis serenissimi glor. mem. erga Societatem nostram æmulata munificentiam, concessit, ut Patres aliquas merces Indicas convehi curarent sine portoriis, & vectigali regio, & lucro ex ipsis divenditis promoverent templi, ac domûs opera. Simili liberalitate non semel usi Reges, donantes vecturæ, & regii vectigalis pretia. Verùm cùm postea visum sit latere speciem mercaturæ; censuerunt honestius nostri homines, eas immunitates vendere alicui mercatorum.

Gonsalvius fit Regis Magister, & Confessarius.

5. Cùm Rex Joannes morti vicinus Reginæ mandâsset, ut Ludovicus Gonsalvius Magister esset, ac Confessarius Sebastiani nepotis sui, litteras illa dedit ad Laynium, quibus in Lusitaniam mitti petit Ludovicum. Cùm respondisset, Ludovicum ab Comitiis Generalibus electum, & idcirco exquirendas priùs Provincialium sententias; putavit Regina conditum in responso artificium. Idcirco de novo institit, ac Laurentio Pirio Tavoræ, quem Romam Legatum mittebat, dat in mandatis, enixè desudet in obtinendo Ludovici reditu. Omnibus Provincialibus visum est, sine mora optimæ Reginæ parendum votis. Laynius Gonsalvium monitis prudentissimis instruit, quæ servare deberet cum in Regis institutione, tum circa seipsum, ne in tanti honoris gradu sui obliviscatur. Eximit à subjectione cujuscunque superioris præter Generalem, dummodo nunquam habitet extra domum societatis.

6. Novit

6. Novit bene Ludovicus, quantum suis humeris onus sit impositum. Sperabat facturus præsens, quæ absens nequiret; ea nempe à se proponenda rationum momenta, quibus Regina mutaret sententiam. Verùm egregiè delusus est. Quamvis illius rationibus accreverit afflicta in Lusitania valetudo, oculorûmque debilitas, nihil satis fuit, ut Regina, & Cardinalis aures excusationi præberent, causantes præter alia demortui Regis voluntatem.

7. Ad Brasiliam cum Episcopo Leitamo navem conscendêre septem de nostris. Joannes Mellus, & Joannes Dicius sacerdotes. Dicius natione Belga insalubrem expertus Brasiliam, ad Lusitaniam rediit. Quinque initiati non erant; ex eis tres, quòd suæ vocationi non satisfecerint, à Societate repulsi. Profecti ad Brasiliam.

8. Magnus splendor societati, & ejus scholis accessit erectione Eborensis Academiæ. Henricus Collegii Fundator id opus secum ab aliquot annis fuerat meditatus. Nihil tamen potuit ad exitus optatos deducere, vivo Joanne Conimbricensis Academiæ Fundatore. Ægrè adeptus est, Eboræ tradi Philosophiam. Rege mortuo, difflati obices. Locò Sebastiani Regina cum Henrico rem communem administrante, cuncta fuêre plana, nec mutire ausa Conimbricensis Academia. Exoratus Paulus IV. Pont. Max. 8. Septembris anni 1558. suum diploma jussit expediri, quo concessit facultatem Eborensem instituendi Academiam, ibique docendi scientias, exceptâ medicinâ, Jure civili, & Canonici Juris eâ parte, quæ pertinet ad forum contentiosum. Datur facultas creandi artium Magistros, ac Theologiæ Doctores, & in Jure Canonico, seu Pontificio. Erigitur Academia Eborensis.

9. Hoc verò anno Aprilis die 26. Pontifex idem aliud expedivit diploma, quo hujusmodi Academiam exornat, ac roborat eisdem immunitatibus, ac privilegiis, quibus gaudent Christiani orbis Academiæ. Quòd Serenissimus Fundator esset occupatus negotiis regni Ulyssipone, suas partes commisit Emmanueli de Sanctis Targensi Episcopo, ut ipse Academiam erigeret, ac Societati traderet. Scripsit Capitulo, & Senatui, ut interessent. Adfuit Michaël Turrianus Provincialis.

10. Solemnitati constituta prima Novembris dies. Matutinis horis Capitulum, ac Senatus ordinatâ majestatis plenâ supplicatione, veniunt in nostrum templum. Initio concionem habuit Georgius Serranus, futurus Theologiæ primarius Professor, & Cancellarius, exposuit operis utilitates. Mox Episcopus apparatu magno sacrum fecit. Quo finito, Simon Vieira Rhetoricæ Magister Latinâ oratione scientiarum laudavit dignitatem, & Fundatoris sanctissimam intentionem.

11. Protinus altâ voce promulgatum diploma erectionis, & immunitatum. Secundùm hanc lectionem Episcopus nomine Cardinalis Academiam tradit Societati, acceptátque Provincialis. His ritè peractis, Episcopus, & Canonici hymnum *Te DEUM* concinunt in gratiarum actionem. Pomeridianis horis theatro data tragædia de Saule Rege. Trinâ sequenti nocte equites per urbem variis lætitiæ artificiis discurrêre, cuncto populo novâ suæ civitatis gloriâ inundante.

12. Per eos dies Eboram accesserat Româ veniens Ludovicus Gonsalvius, tertianâ correptus in itinere, subsistere cogitur ad valetudinem curandam. Scripsit ad Cardinalem memorans pompam initæ possessionis, & communem urbis plausum. Simul refert Franciscum Borgiam, cùm ipse transiit Castellâ, iter parare Montiliam 40. leucis Eboræ distantem. Per id tempus Borgia furentibus procellis jactabatur, quas in ejus vita refert noster Alvarus Cienfuegos. Igitur 9. Novembris Infans Cardinalis cursorem expedit ad Borgiam, significátque, rem sibi gratissimam facturum, si veniat Eboram, ac suam lnstret erectam de novo Academiam. Simul rogat aliquot sapientes mitti Theologiam professuros. Missi, quos jam suprà retuli, adfuitque ipse Borgia 15. Decembris, affectus valetudine.

Antonius Franco. H 13. Con-

Cathedræ Academicæ

13. Constat Academia facultatibus, quæ possint optimum formare Ecclesiæ Ministrum: is enim fuit præcipuus Fundatoris scopus. Numerat Sacræ Theologiæ Professores quatuor, præter duos extra ordinem. Horum unus exponit divinam scripturam. Philosophiæ gymnasia quatuor. Moralis doctrinæ duo. Rhetoricæ, Humanitatis, & Grammaticæ octo, cum duobus elementaribus. Anno 1705. addita est cathedra publica Mathesis, ut fieret omnibus communis, quæ solùm pro nostris intra domesticos parietes explicabatur.

Prærogativæ Rectoris.

14. Leo Henriquius Collegii Rector primus rexit Academiam, quam gubernat cum per P. Cancellarium, & Præfectum nostros, tum per sæculares ministros, quibus præbet ea munia. Præter nostrum Collegium, quod plerumque alit 150. Religiosos, & ampliùs, ac Academiam, regit duo Collegia Sæcularium, alterum dictum à purificatione Theologorum per Pro-Rectorem nostrum, alterum Convictorum per Presbyterum sæcularem. Porrò dominus est Montis Agrafi, cui præficit omnes Ministros, per quos jus, fasque administratur. Amplitudo, majestas, & ornatus Atrii Academici tantus est, ut nihil sit spectabilius in tota urbe. Columnis marmoreis, & statuis, ac fonte perenni ex marmore cum statua sapientiæ, asarotis circumquaque parietem vestientibus, & aula primaria cultissimè depicta mirùm in modum oculos invitat, & moratur.

Aliquot Professores eborensis Academiæ.

15. Quàm egregiis hactenus sapientiæ luminibus splenduerit Eborensis Academia, satis produnt Petrus Fonseca, Ludovicus Molina, Fernandus Rebellus, Christophorus Gilius, Sebastianus Coutus, Franciscus Pinerius, Sebastianus Abreus, Franciscus Soarius Lusitanus, Benedictus Pereira, Franciscus Leitanus, Emmanuel Correa, Baptista Fragosus, Sebastianus Bartadas, Blasius Viegas, Franciscus Mendossa, Benedictus Fernandius. His adjungendi Alphonsus Mendes Æthiopiæ Patriarcha, Apollinaris Almeida Episcopus & martyr, Petrus Martinius, & Ludovicus Cerqueira Japonenses Episcopi. Nec parùm gloriæ huic accedit Academiæ, quòd in ea sit exornatus Doctoris gradu Franciscus Suarez Granatensis, nostræ Societas sidus primæ magnitudinis.

De Cathedris Juris Canonici.

16 Fama est Serenissimum Fundatorem cogitâsse de inducendis Cathedris Juris Pontificii: quod si fecisset, nihil plenius optari poterat ad Ecclesiæ Ministros numeris absolutos omnibus instituendos. Multa ille secum evolvit ad suam augendam Academiam; verùm tanta supervenit negotiorum varietas, ut nequiverit omnia, quæ conceperat, in lucem prodere.

Augentur reditus Eborensis Collegii.

17. Aprilis 15. Paulus IV. per diploma, flagitante Cardinali Henrico, ex horreo Eborensium Archipræsulum applicavit nostro Collegio triginta modios magnos tritici, & hordei decem in perpetuum annis singulis, ac quingentos cruciatos, & partem duplicem redituum parœciæ S. Marinæ de *Zezere*. Quas donationes postea confirmârunt alii Pontifices.

Missio brigantina.

18. Brigantium ad fovendam conceptæ fundationis spem missi per adventum Domini Leonellus Lima, Dominicus Cardozus sacerdotes, & Garcia Larena non sacerdos, is, qui postea initiatus, sumpto Simonii cognomine, rem gessit egregiè in Angola. Morati sunt illic ad quadragesimam sequentis anni, magnis animarum emolumentis. Hospitati fuerunt in urbis nosocomio, victúque mendicato se aluerunt.

Annus 1560. Soc. 21.

I.

Borgia Ulyssiponem pergit, & redit Eboram.

MEnse Januario, cùm jam Borgia haberet confirmatam valetudinem, Eborâ Ulyssiponem contendit ad Reginam & Cardinalem, id expectantes, consalutandos. Eum est comitatus Leo Henriquius Collegii moderator, solemnem professionem emissurus in templo domus professæ, quod factum purificatæ Virginis die festo, concionante ipsomet Borgia. Parùm Ulyssipone morati. Nam Borgia studio fugiendi curiæ strepitum, & Candidatorum importunas preces, ut suo patrocinio eorum negotiis faveret, se recepit Ebo-

Eboram cum Leone. Ubi in templo cathedrali conciones habuit diebus Dominicis per Quadragesimam, sic volente Cardinali; id multùm rogantibus S. Dominici Religiosis, quorum ex antiquo usu tales erat obire conciones. Cùm subinde ob podagram suis inniti pedibus nequiret, eum socii imponebant jumento, ex quo à templi janua ad Sacrum pulpitum inter sociorum brachia delatus, & finitâ concione simili modo reductus est. Concionatur Eboræ.

2. Sub finem Quadragesimæ venit Eboram Cardinalis. Petivit à Borgia, è sacro suggesto diceret. Causanti præsentem fatigationem, quæ contentionem vocis non permitteret, respondit: *Nolo, verbum ullum proferas, sed pulpitum duntaxat conscende: sufficit pro concione, quòd videant hominem, qui pro Deo tot divitias, titulos, & honores contempsit.* Opus non est explicare benevolentiæ significationes, quibus Cardinalis tractavit Borgiam: summæ fuerunt. Borgia tamen adduci nunquam potuit, ut cum ipso colloquens caput tegeret. Principe volenti intueri Academiam, Leo Henriquius cum Professoribus gradu insignitis, & omnibus ad eam spectantibus longo agmine processit ad palatium Principis. E singulis Gymnasiis duo Sholastici, alter Latino, alter Græco epigrammate Principem consalutârunt. Inde rediit agmen Academicum pulcherrimè ordinatum, quod Princeps claudebat. Cardinalis cum Borgia lustrant Academiam.

3. Borgia cum Ministro, Procuratore, & aliis ad januam domûs præstolatur venientem Cardinalem, ad cujus genua procumbens, Ego, inquit, & hi, quòd non profiteamur scientias, tuam Celsitudinem non sumus comitati; sed omnes nos tuis obsequiis offerimus, gratias habentes, quòd nostræ Societati tam benignè, ac liberaliter faveas. Ad templi ingressum cantatur hymnus *Te DEum.* Dein Cardinalis ad altare pronunciat divini Spiritûs implorationem, quam sine dulcissimis lacrymis nequivit absolvere. Protinus habuit gratulatoriam orationem Simon Vieira Rhetoricæ Magister.

4. Vespertinas horas consumpsit Princeps cum Borgia. Diebus sequentibus audivêre singulos Professores, disputationes, & repetitam in theatro tragœdiam de Saule. Tantam Princeps ex omnibus exercitationibus concepit voluptatem, ut eam dixerit par præmium instituto operi. Aprilis 24. die, præsentibus Cardinali & Borgia, Doctoris insignitus gradu noster Ignatius Tolosa Hispanus. Vigesimâ ejusdem mensis donati gradu Licentiatûs in Artibus octo supra viginti discipuli P. Ignatii Martinii, Cardinali, & Borgia celebritatem honestantibus. Curas deinde Princeps intendit ad ordinanda, quæ convenirent optimo regimini, & incrementis Academiæ, illud magnopere cavens, ne quid foret Societatis constitutionibus contrarium.

5. Adjecit animum firmando reditui Collegii: destinavit etiam summam pro scholasticis infirmis, & egenis in valetudinario curandis. *Duo adolescentium contubernia*, ait Orlandinus, *proventibus authoritate summi Pontificis ex æde maxima translatis instituit, ut in altero quinque & viginti Theologicis rebus, in altero duo-de triginta conscientiæ doctrinâ è tota Archiepiscopatûs diœcesi, præterquam ex urbe lecti, ad inscitiam fugandam, & commodos Sacerdotes creandos erudirentur. Idem ut aditus ad magisterii lauream cuivis pateret merenti, ac simul ineptis sumptibus parceretur, simul quisque non nisi ab ingenio ac doctrina sciret approbationem sibi, ac plausum expectandum; in publicis disputationibus vetuit stragulâ veste ornari gymnasia: tibicines, auledos, & quævis musica instrumenta summovit. Postremò magistratibus, qui Academicorum cognoscerent causas, tum laicorum, tum Clericorum, creatis, de mercatu quoque Academicorum opportunitatem indicendo cogitare cœpit.*

6. Tum Principis singularis voluntas, tum Borgiæ exemplum, & sanctæ exhortationes sociis currentibus admovêre calcaria. Multi erant in succurrendo vel addictis carceri, vel nosocomio; multi in promulgando Dei verbo, aliisque nostri Instituti piis operibus. Magistrorum exempla sequebantur externi discipuli: mundabant nosocomia, portabant amphoras aquæ plenas ad carcerem. Ardens studium exercendi virtutem omnes invaserat. Duo tirones dum Fervor Sociorum. Tironum modestia.

peregrinantur, pervenerunt in oppidum 4. vel 5. leucis distans Eborâ. Illic publico cautum Regis edicto, ut, si qui viribus integris stipem ad ostia colligerent, in aliorum exemplum virgis cæderentur. Cùm tirones de more suo mendicarent, rapiuntur in carcerem flagris publicis subjiciendi. Seorsim à Judice explorantur; respondent sincerè, non qui forent, sed itineris rationem. Evenerat, ut oppidum intrantes haberent obvium scholasticum nobilem, qui notos Eboræ invitavit ad hospitium: gratias habentes, obtentâ excusatione, rogant, ne vulget, qui sint. Jam virgæ expediebantur, cùm Scholasticus accurrens pandit omnia. Venerantur inde adolescentum modestiam, certatimque in domos suas invitant.

Cardinalis, & Borgia discedunt. 7. Cardinalis, & Borgia, rebus dispositis tum ad Academiæ, tum Collegii incrementa, Eborâ discedunt, Ulyssiponem Cardinalis, ad Sanfinensem Residentiam Borgia; hic in supremo discessu congregatis in locum unum sociis, Non verbis, inquit, sed factis res peragenda. Mox provolutus in genua singulorum osculatur pedes. Neque unquam Borgia apud socios concionatus est efficacius, quàm cum nihil dicendo locutus multa.

Borgia Conimbricæ. 8. Ab adventante Conimbricam vix iteratis precibus impetrârunt socii, ut diebus octo moraretur: quater intereà habuit in sacello exhortationem ad socios, bis dixit è suggesto ad populum. Plurimùm omnes socios in studia virtutum incendit. Ortus inde communis fervor faciendi vacationum tempore peregrinationes, quæ sunt concessæ 40. sociis. Præter vestem placuit uti calceis more sæcularium, ne dignosci possint, ùtque essent injuriis eos vocantium otiosos & vagos magis obnoxii. Non defuêre eventus illi similes, quem de tironibus proximè memoravi.

Primi solemniter Professi Conimbricæ. 9. Die SSS. Trinitati dicato Conimbricæ solemnem nuncupârunt professionem Antonius Correa, Gonsalus Alvarus, & Emmanuel Alvarus. Rei novitas Rectorem, Professores, & cæteros Academicos invitavit. Pro concione Gonsalus Vasæus Mellus exposuerat gradus Societatis, & præstantiam solemnis professionis. Hi primi fuerunt, qui Conimbricæ hujusmodi votis se obstrinxêre. In tantum sanctæ paupertatis amorem sunt accensi, ut etiam rebus ad usum necessariis se fraudaverint, quas iterum sumere coëgerunt Superiores.

Borgia in Portu. 10. Borgia prosecutus iter Portum intrat, divertitque in Xenodochio. Rodericus Pinerius Episcopus motus Borgiæ famâ, quæ compleverat Lusitaniam, illum invisit. Ad ipsius pedes Borgia provolvitur. Quanquam conatus Episcopus eum in suam domum deducere, vinci non est passa humilitas. Rogat, ut sequenti die ad solatium civitatis è suggesto dicat: paruit voluntati Præsulis, innumero populo concurrente. Post concionem iter continuat, 15. Maji pervenit in S. Felicis domum. Reperit stationem suis votis factam. Comites erant Bartholomæus Bustamantius, & Petrus Savedra Sacerdotes, & nonnulli coadjutores. Ibi se tradidit divinis commentationibus, & simul cum sociis erudiendo sacris mysteriis populo. Utrique rei favebat solitudo loci, & regio pagis abundans.

Borgia in domo Sanfinensi. 11. Haud diu frui licuit Borgiæ tam amabili felicitate. Dictu facile non est, quantum studium Portuenses inflammaverit habendi Societatem intra sua mœnia. Id ex tempore P. Francisci Stradæ desideraverant, ac à Rege petiverant, etiam indicato fonte, unde posset erui dos Collegii, videlicet reditu litigioso inter Regem, & Civitatem. Quod tunc eventu caruit, modò perfectum.

Domus Professa Portuensis. Henriquius Nunius Gouvea præcipius motor operis, atque difficultatum expugnator. Cùm Portuenses ex condito Collegio multa suæ civitati fingerent incommoda, nempe inducendam annonæ caritatem ex scholasticis confluentibus, premendos cives; maximè timendum, ne tali incitamento eò migraret Conimbricensis Academia, urbis celebritate invitante. Henricus ad ejusmodi inanes abigendas nubes, civibus suadet, permittant non Collegium, sed Professam domum, quæ nec habet Gymnasia, nec reditus, unde ipsi tot existiment incommoda nascitura. Placuit omnibus, Henrici sententia.

12. Fit

12. Fit certus Borgia, scribit ad Provincialem, quæ contingant in Portu. Nec Provinciali, nec Consultoribus visa est acceptanda fundatio, præsertim Domûs Professæ: laborare Provinciam penuriâ hominum mittendorum ad tales fundationes: inter manus esse Bracharense Collegium. Hæc, & alia congesta non absterruêre Borgiam Commissarium à proposito. Concesserat illi Generalis; vitam duceret, in qua domo, & ubi vellet. Igitur ad Laynium dat litteras: cupere se vivere, ac mori in aliqua Domo Professa semotum à commerciis magnatum: duas tantùm ad id tempus Domos Professas, alteram Romæ, Ulyssipone alteram, locis incommodis optatæ quieti: in Portu de novo offerri, quanquam Provincialis, & Consultores non annuant, sibi det facultatem eam acceptandi domum, inter amplexus paupertatis illic victuro, ac morituro.

13. His missis litteris in Portum redit, ubi in domo sua Henricus Nunius adornaverat hospitium, & sacram ædiculam. Illic S. Laurentii die festo Borgia fecit primum sacrum, & collocavit venerabile Sacramentum. Pro concione dixit Ignatius Azebedius Rector Bracharensis. In altera ædium parte habitabat Henricus, & ejus familia. Borgia nactus parem suis votis sedem, totum se, ac socios mancipavit animarum bono. Ipse tintinnabulo per plateas inopem turbam & pueros invitabat ad sacræ doctrinæ explicationes, quas habebat in area ante templum maximum. Nihil est in ministeriis charitatis, quod per seipsum non exerceret, maximâ omnium admiratione, qui tanquam hominem è Cœlo missum intuebantur. Regina 26. Augusti ad Borgiam dedit litteras, quibus significabat, quàm sibi fuisset gratum, quòd in ea urbe fixisset sedem Societati. Alteras ad Episcopum, & urbis Senatum, placere sibi eorum in Societatem benevolentiam.

14. Videbatur attamen secessus Portuensis incommodus officio Commissarii ob moras epistolarum, & tardiores negotiorum expeditiones. His accreverunt querelæ P. Araozii Castellani Provincialis, sibi unicè relictum nomen dicentis, cùm propter suam nimiam bonitatem Borgia volens omnibus placere, facilè mutaret, quæcunque Provincialis jussisset. Oriebatur inde, nescio, quæ divisio animorum, aliis in Borgiam, aliis in Araozium inclinantibus. Judicabat Laynius extinguendas omnium malarum herbarum radices, si cessaret munus Commissarii. Verùm artificio, & occasione opus erat, ac decenti prætextu. Is brevi est oblatus.

15. Cardinalis Ferrariensis Borgiæ consanguineus significavit Generali, cupere se Borgiam vocari Romam, ut ejus uteretur consilio. Idem optabat Laynius occupaturus in obeundo Lusitani Assistentis munere, quod vacabat, ex quo Ludovicus Gonsalvius fuerat applicatus Regis magisterio. Cætera de Borgia relinquo ad initium anni sequentis, quo jussu Pontificis Romam est profectus.

16. Primordia Bracharensis Collegii sunt recensenda à die 29. Julii, quâ possessionem adivimus atrii scholarum, quod unicum ædificium cum sacello D. Pauli Apostoli, unde nomen Collegio, nobis est traditum. Illud, quo vivimus, nos ipsi paulatim erexeramus. Ven. Præsul Bartholomæus de martyribus censuit nostros à Deo missos in tam calamitosis temporibus ad Christianos mores instaurandos, & inducendam Sacramentorum frequentiam. Designatus Archipræsul Bracharensis ab Laynio petiit decem, aut duodecim, qui pueros doceant, quæstiones de conscientia explicent, pro concione dicant, audiant pœnitentes, donec institueret Collegium. *Initium Bracharensis Collegii.*

17. Hæc evenerunt anno superiore: idcirco tres, quos diximus, missi sunt. Anno labente Ignatius Azebedius, & Petrus Lopius ad eandem segetem profecti, unà cum Archiepiscopo discurrêre per saltum Barrozum, quæ regio in ea vasta diœcesi, aditu difficilior est, atque egentior doctrinæ. Post reditum suas curas applicuit Societatis instituendo Collegio: at cùm obices & à civitate, & à Canonicis emergerent, visum est rem differendam in aliud tempus. Denunciat Ignatio, quo loco res essent, abiret Conimbricam, expectandam opportunitatem,

nitatem, & mitigandos animos. Collegit se Ignatius cum socio ad nosocomium D. Marci. Manè sequenti facturus iter, cùm nonnulli pœnitentes accessissent ad exponendam conscientiam, sederunt ambo, aliis, atque aliis supervenientibus, in meridie adhuc circumstabant confessuri.

18. Sanctus præsul ad se vocatos amplexu excipit, & profusis lacrymis, Hos ego, inquit, tam fidos & indefessos operarios abire sinam? non ita sum mei, & mearum ovium incurius. Igitur omnem collocat industriam, ut nodos objectos dissolvat. Erat Bracharæ Gymnasium in quatuor partitum auditoria cum S. Pauli ædicula. Inchoaverat Archiepiscopus Jacobus Sousa, perfecit Henricus Infans: Balthasar Limpus ejus successor sacerdotium destinabat ad Magistros alendos, consentientibus Canonicis. Res ad exitum non perducta, quòd Rex Joannes erat veritus, ne Academia Conimbricensis minueretur. Redintegrato per Notarium Canonicorum consensu circa sacerdotii applicationem, & institutum Gymnasium, in nos cuncta transtulit Archiepiscopus. & approbanda Romam ad Pontificem misit.

19. Aditâ 29. Julii possessione, jussit Borgia sex de nostris hactenus in nosocomio hospites ad atrium scholarum migrare. Costitutus Rector Ignatius Azebedius. Mensibus quinque uno in Gymnasio non amplo habitârunt. Rhetoricam docere cæpit noster Fernandius Pirius, cætera Gymnasia moderabantur sæculares Magistri, qui paulatim sunt dimissi. Anno sequenti Hieronymus Natalis, cùm jam essent novem, aut decem in eis angustiis, imperavit conduci proximam domum, & ad ipsam omnes migrare. Postea emptus hortus, ac vicinæ domus. Rex nobis turrim, & murum largitur.

20. Onera à Fundatore sunt tria Latinitatis Gymnasia, quibus subinde adjecimus duo; singulis trienniis cursus Philosophicus, moralis scientiæ unum Gymnasium, alterum scholasticæ Theologiæ, sed hoc mutatum est in secundum moralis scientiæ. Additus ludus puerorum elementa discentium. Hodie in hujusmodi Gymnasiis occupantur octo de nostris; nam ludum puerorum moderamur per scholarum Correctorem. Primus moralis scientiæ Professor fuit Ignatius Azebedius, qui simul regebat Collegium, & agebat Concionatorem. Illum sanctus Archiepiscopus solebat vocare *suum Angelum*. Dominicus Cardozus unicus fuit, qui tradidit scholasticam Theologiam. In nullis regni scholis auditoria moralis scientiæ æquant numero Bracharense Gymnasium. Nec alibi sunt tot, ac tam pinguia Sacerdotia, quæ studiosos incitent.

21. Ea Bartholomæi fuit modestia, ut vivus noluerit nomen Fundatoris, expectans, aliquem fore, qui permotus illo honore, & utilitate suffragiorum augeret Collegii dotem. Verùm Patres & Bartholomæum, & Regem Henricum, qui monasterium S. Petri de Roriz adjecit, æquo nomine, & suffragiis Fundatorum prosequuntur. Sacchinus ait Sebastianum Regem Confundatorem propter dictum monasterium. Sed preces indicuntur singulis hebdomadis pro Bartholomæo, & Henrico: nam Henricus anno 1567. loco impuberis Sebastiani gubernans regnum illius cœnobii reditus curavit applicari Collegio.

Primi de nostris ad Angolam profecti.

22. In præsentem annum distuli mentionem de Angolana expeditione primò suscepta à nostris hominibus. De Legatis ab Rege illarum gentium missis dixi anno 1558. Nunciis allatis de morte Regis Inenæ Angolæ, necessum fuit, antequam irent nostri, cognoscere de rerum statu, ac novi Regis animo. Postquam constitit eadem velle, quæ ipsius pater, sub finem Decembris anni superioris Paulus Diasius Novasius Lusitanus Legatus, ac de nostris Franciscus Gouvea, Augustinus Lacerda sacerdotes, Emmanuel Pintus, & Antonius Mendesius non sacerdotes, cum Legatis Angolanis è portu solverunt.

23. Angolæ regnum post æquatorem Austrum versus octavo gradu inter Congi, & Benguelæ regna protenditur in 80. leucas, totidem ferme amplectitur latitudo. Parebat universa regio magno Regulorum numero, quos indigenæ vocant Sobas. Unus dictus Angola Inenes bello cæteros divisim aggressus

gressus subjecit. Cùm nôsset, quanta utilitas proveniret regno Congensi ex Lusitanorum commercio, id ardenter expetivit. Eò jam aliquot sacerdotes ex insula D. Thomæ contenderant. Proprium regionis nomen est Regnum Ambundorum, & ipsi cum Sobis Ambundæ dicuntur à nationibus finitimis, licèt ab eo Rege Angola Lusitani fecerint eis terris nomen, quod in Europa, & mappis Geographicis prævaluit. Adorant eæ gentes quædam veneficiorum instrumenta, quibus magnopere sunt obnoxiæ. Faciles in amplectenda fide, faciles in deserenda, ac recidendo in mores patrios, quos ægerrimè exuunt. Præcipuum flumen Coansa. Cœlum parùm amicum alienigenis, præsertim in locis mediterraneis. Merces majoris momenti sunt mancipia, inde empta ad Brasiliæ culturam. Etiam abundat ebore, & rebus ad vitam necessariis.

24. Navis post appulsum ad insulas Hesperidum, divi Thomæ, ac Pindam in ostio Zairi fluminis, ubi lignatum & aquatum descendêre, Coansam ingressa, jecit anchoras die 3. Maji, veluti præsagâ Crucis, quæ immineret. Præmisêre ad Regem unum ex nigri Regis Legatis cum Lusitano morum & regionis perito. Angolam Quiloangium, id erat Regi nomen, edocuerunt adesse Legatum Lusitanum cum muneribus sui Regis, & Evangelicis administris, ipsi, & nationi monstraturis æternæ salutis viam.

25. Duobus & quadraginta diebus expectârunt responsum. Id tandem erat: Quiloangium gratulari, ac magni facere adventum Lusitanorum propter singularia dona ad se missa. Nihil circa fidem respondit. Tunc Paulus alterum ex Legatis Antonium nomine, qui fuerat baptismo lustratus, cum Æthiope miserat, qui diceret, esse itineris tam longi scopum Quiloangii, atque ipsius regni conversionem; secum adesse, quos in eam rem postulâsset, concionatores. Tenuerunt hæ moræ ad menses quatuor. In his major Lusitanorum pars non leviter ægrotavit. Egressi ad littus construxêre tuguria, & sacram ædiculam. Mortuus illic P. Augustinus Lacerda Hispanus, consepultúsque est ad montis radicem, erectâ super tumulum Cruce. Octo de nautis par fatum experti. Deficiente victûs copiâ, succurrit vicinus Soba Lusitanorum amicus, qui cùm ethnicus esset, gestabat crucem è collo suspensam.

26. Post tam longas, támque incommodas moras adest Antonius cum mandatis Quiloangii: Pergerent felicibus auspiciis Patres, se, quando jam sciret aliquid de terra, velle Cœli res perdiscere, & Christianum fieri. Hoc læti nuncio almadiis, scaphæ genus est cavatum ex unico trunco, per flumen ad 30. leucas ascendunt. Ibi in terram egressi habent obvium Sobam, dat servos, qui humeris omnia comportent. Alia jumenta Regio non habet. Hujusmodi mancipiis ab aliis, atque aliis Sobis jussu Regis commodatis superaverunt leucas 60. tot enim urbs regia *Dongus* dicta ab indigenis, à Lusitanis *Cabassa*, distat ab eo loco, ubi sunt in ripam Coansæ expositi.

27. Urbis muri constabant ex palmis, & aliis arboribus longâ annorum serie nutritis, sic inter se conjunctis, ac stipatis, ut introitus, & exitus non sit, nisi per portas ad id factas. Ædificia ex lignis, tegente fœno, vel palmarum folio. Tria mapalia jussu Regis destinata hospites excepêre. Princeps veneficorum Regis nomine gratulatus de adventu, gallinas, capras, farinam, vinum è palmis, & regionis obtulit poma.

28. Regiæ authoritatis est Legatos non statim ad conspectum admittere. Igitur post dies solitos ad Regem vocati decem aut duodecim portas priùs subiêrunt, quàm perventum esset ad aulam Regis. Ad portas singulas stabant vigiles æthiopes validissimi metuendas clavas manu tenentes. Rex sedebat quadrato solio è palma contexto, ac vestito instar tabulati, quo in gynæceo apud nos sunt fœminæ. Cærulei panni cinctus erat fascia, alia diversi coloris infra brachia totum circumdabat. Pro sceptro in manu cornu cervinum gerebat, & aliud bovinum loco pateræ. Qui circumstetêre Dynastæ, similes habebant manu pateras. Erant plurimæ ibi cucurbitæ vino plenæ, unde creberrimè tum Rex, tum Dynastæ hauserunt. Apud eos barbaros id erat summum genus offi-

cii

cii erga nobiles hospites, quibus obtulerunt per eosdem calices bibendum vinum, & edenda poma, ipsis in honore, nostris similia draconum felli; ne tamen inurbanitatis notam incurrerent, nausea vincenda, & gerendus mos dynastis, ac Regi.

29. Munera Lusitani Regis accepit vultu in lætitiam explicato, nempe mulam ephippio ornatam & phaleris, molossos duos, quatuor pugiones, vestem holosericam purpuream, galerum, atque alia, quæ apud eas gentes magni, quanquam non ita apud nos, æstimantur. Injecto sermone de fide, ac commodis inde venturis, dixit se velle complecti Christiana sacra, tradique jussit P. Gouveæ 20. pueros è nobilissimis, & nonnullos filios suos fidei mysteriis erudiendos. Initia fausta promisêre messem uberem, nisi livor dæmonis zizania injecisset. Nam Rex Congensis timens commercia cum Lusitanis à Quiloangio sibi, ac suo regno eripienda, si Rex, & populus adhæreret Christianis, ad eum litteras dedit, quibus admonet imminentis periculi: sciret Lusitanos per speciem religionis inhiare Quiloangii regno, & argentifodinis: nisi maturè provideat, serò agniturum.

30. Srropham ignorans, suis imperavit, subitâ irruptione aggrederentur Lusitanos, diriperent eorum bona; illos non amicos, sed proditores, mortis esse reos; vitæ tamen eorum parcere, ne perderet lucra commercii: Verùm Legatos suos pœnas daturos, quòd fuerint amplexi fidem, & hos secum exploratores deduxerint. Mox capita illis amputari jusserat. Dein vetuit, ne Pater ampliùs doceret pueros, vel Lusitanorum aliquem reverti ad naves hic acta in Lusitaniam nunciaturum.

31. Undecimus effluxerat mensis, ex quo in anchoris ad ostium Coanzæ fluminis stabat navis, legationis expectans eventum. Annonæ penuriâ sublatis anchoris solverunt ad insulam divi Thomæ. Rex tanquam obsides, Legatum, P. Gouveam & Mendesium retinuit, cæteris concesso reditu. Ad triginta cum nostro Emmanuele Pinto ad mare profecti. Non inventis jam navibus, obstupuêre, ex ea vasta solitudine, & siccis arenis oculos intenderunt, an navem ullam conspicerent. Cùm spes non esset, extrema passuros non dubitabant.

32. Tum Emmanuel hortatus comites, fusis ad Cœlum precibus implorent à DEO tot in angustiis remedium, quod opportunè exorârunt. Soba miseris alimenta, & naves obtulit, quibus intrârunt Pindam, ibique Lusitanam navem conscendentes ad insulam divi Thomæ appulsi sunt. Emmanuel tot consumptus laboribus in ea insula pientissimè obiit, sepultus in templo misericordiæ.

Profecti ad Indiam. 33. Indiam quatuor petivêre. Sex naves fecerunt vela, omnium summo Præfecto Georgio Sousa. In prætoria è nostris vecti Antonius Arboleda sacerdos, & Franciscus Vieira Coadjutor. Non defuêre labores, & tempestates. Nihil omisit P. Arboledæ charitas in promovendo animarum, & corporum periclitantium bono. Navis alia S. Pauli vexit Emmanuelem Alvarum sacerdotem, pictorem insignem, & Joannem Roxum: hæc fecit miserandum naufragium in parva insula ante Samatram. Tandem per fretum Sundam emersêre ad Malacam, ubi à Lusianis excepti, & rebus necessariis adjuti. Emmanuel, cùm alius in navi sacerdos non esset, nnicum lapsis rebus perfugium.

Ingressi Societatem. 34. Duodeviginti Ulyssipone admissi ad Societatem, Eboræ undecim, Conimbricæ supra viginti. Ex his martyrii laureolâ illustres, Gomesius Amaralius, Franciscus Castrius, Ludovicus Alvarus, Petrus Diazius. Nimio in redimendis captivis labore mortuus est Septæ Antonius Brittus. Ludovicus Henriquius victima charitatis in obsequio epidemicâ lue infectorum. Porrò Emmanuel Goës author celeberrimi cursûs, qui sub Collegii Conimbricensis nomine circumfertur.

Annus 1561. Soc. 22.

1.

REdeamus ad Borgiam, quem anno superiore reliquimus in secessu Portuensi. Summus Pontifex rogatus à Cardinali Ferrariensi 10. Octobris anni proximi diploma expdivit, quo Borgiam vocabat Romam. Tum illi visum est edocendum priùs Pontificem, cur in Lusitaniam secessisset, nempe ut locum daret sævienti adversus ipsum tempori. Nam cùm Hispani Bibliopolæ lucri studio divenderent aliquot non probatæ notæ Authorum opuscula in unum corpus compacta sub titulo pii Libri à Borgia ante initam Societatem compositi, & ipsius tantùm nomine præfixo: Inquisitores illum prohibuêre; & ne alicui periculo se exponeret, dum veritas non elucescebat, ac ipsius eognoscebatur innocentia, necesse fuerat in Lusitania commorari. Borgia vocatur Romam.

2. Hieronymus Natalis Visitator, mensibus aliquot in Castella transactis, Aprili ad Portum venit. Borgia plurimùm cum Natale, & cum ipso Natalis recreatus. Jussit Natalis, ea sedes esset Collegium, non domus Professa. Qamvis nullus erat reditus, DEO fidendum. Annis pluribus nomen solum gessit Collegii; nam scholæ nullæ: annos 14. illic viximus annonâ mendicatâ, ùt in Professis domibus. Borgiam vult in Portu subsistere, dum ipse in Castellam reversus observet tempora, quibus tutò illàc posset Romam iter facere. His dispositis Natalis adit Conimbricam. Natalis Visitator venit in Lusitaniam.

3. Interim à Pontifice responsorias accipit Borgia: Esset animo firmo, se daret viæ, non obstantibus, quas exposuit, rationibus. Igitur non speratus intrat Collegium Conimbricense: omnia refert Natali, subditque, nisi aliud ipsi videretur, se Romam profecturum Bajonâ per mare. Non acquiescebat huic sententiæ Natalis; qui cum Laynio Generali censebat expectandum, ut fierent mitiores in Hispania fluctus; tunc per Curiam Rege, & Quæsitore Generali salutatis, posse viam aggredi: aliud & Quæsitorem, & Regem contra commune bonum Societatis offenderet. Borgia Romam proficiscitur.

4. In alea tam dubia nolens partem habere Natalis, Borgiæ dixit: secum ipse caperet consilium. Igitur reversus navem conscendens, Bajonam Galliæ petit; sed cogente procella, navis se recipit in viciniorem portum. Non distabat multùm Residentia S. Felicis: eò se conferens scribit ad Natalem, quid acciderit, & se terrestri itinere Romam petere. His litteris & Natalis, & socii omnes turbati metientes periculi magnitudinem. Respondetur citatissimo cursore, non expedire tale consilium. Jam discesserat Borgia, eùm advenit ad S. Felicis tabellarius. Cura inde Natalem, & Collegium non mediocris incessit. Decretæ sunt preces pro periculo avertendo. Favit DEUS obedientissimo viro; nam per mediam Hispaniam incolumis adventavit Bajonam Galliæ: unde Philippum Regem sui itineris fecit certum, ipsúmque edocuit causas furtivæ celeritatis. Hæc contigêre jam calente æstate. Hinc liquet Borgiam ultra sesqui annum in Lusitania moratum.

5. Natalis lustratis Sociis Portuensibus, & Bracharensibus, consederat Conimbricæ socios in primum fervorem revocaturus. Nam Gonsalus Vasæus Mellus Romam scripserat, in Collegio studiorum causâ frigere illum virtutis primigeniæ ardorem, labi sinceritatem, charitatem tepere. Duobus, quibus in Collegio fuit, mensibus omnia recognovit, bis & vicies habuit exhortationem ad socios de socios de spiritu charitatis, ac mediis ad suum obtinendum finem, saluberrima statuta, & ordinationes reliquit; quibus Collegii primus ille fervor & spiritus recalescebat. Cùm esset ad nostra ministeria nimis angusta ædes sacra, aliam de novo parari jussit, cujus parietes possent esse usui ædificio, quando perficeretur templum mansurum juxta designationem totius Collegii. Natalis fervorem renovat.

6. Pari flammâ, atque Conimbricæ, accendit Ulysſiponenſes. Mirificè recreatus optimâ inſtitutione Regis Sebaſtiani, cujus indole nihil optari melius poterat ad accipiendas virtutum formas. Michaëlem Turrianum, ut expeditior eſſet ad Reginæ confeſsiones, levavit munere Provincialis, ac præfecit Domui Profeſſæ. Provincialem renuntiavit Gonſalum Vaſæum Mellum. Quo poſteris traderet exemplum conſervandi Societatis libertatem in ſuperioribus nominandis: nec Regina, nec Cardinalis id novêre, antequam vulgaretur apud nos. Per id tempus accepit litteras ab univerſæ Societatis moderatore: ſi quos reperiſſet egregios in aliqua facultate, Romam mitteret, ut in eo totius orbis theatro Societatem illuſtraret. E plurimis illò miſit celeberrimum Oratorem Petrum Perpinianum.

7. Dies quadraginta Ulyſsipone conſumpſit. Optimis à Regina ſubſidiis adjutus ad ſuſtinendas tot itinerum expenſas, & auxiliandum Collegii Romani paupertati, redivit Eboram, hinc in Caſtellam. Antequam è Luſitania excederet, petente Duce Brigantino, & Antonio Pinerio Mirandenſi Epiſcopo, fundationem Collegii Brigantini admiſit. Decembri menſe illò rediêre manſuram fixuri ſedem Leonellus Lima, primus Collegii Rector, Dominicus Cardozus profeſſurus moralem Theologiam, & acturus divini verbi præconem, demum Garcia Simonius nondum ſacerdos.

Collegii Brigantini fundatio.

8. In tranſitu Villarii Philippa Mendeſia multæ nobilitatis fæmina octogenaria pagum illum noſtro donavit Collegio. Abbati conſanguineo quiritanti, quòd eam ipſi hæreditatem auferret, prudenter reſpondit: Falleris, hæc & plura tibi, ſi volueris, impertiar. Lætus audito verbo, quid rei futurum eſſet? quæſivit. Ingredere Societatem, ait, & huic Brigantino Collegio adnecte tuam abbatiam; ſic dominus eris plurium bonorum; poſsidebis tua, mea, & quæque novo Collegio acceſſerint.

9. Brigantii vix è jumentis deſcenderant, cùm nunciatur duas factiones præliaturas in armis eſſe. Ocyùs contendunt ad forum. Litigantes conſpectu Patrum ponunt arma, & odia. Cucurrêre ad eos ſalutandos cives omnes tam citato greſſu, ut ætatis ſuæ viderentur obliti. Quiſque certatim hoſpites domi ſuæ volebat. Collegerunt ſe in cœnobium deſtinatum monialibus, ſed nobis datum, ut eſſet Collegium. Principio juvit ſuſtentationem urbs, Epiſcopus Pinerius, & Brigantinus Dux, donec aliquarum Eccleſiarum reditus firmi facultate Pontificis impetratâ applicarentur Collegio: ex his, aliiſque piarum perſonarum donationibus paulatim eſt facta dos Collegii. Nullos fundatores numerat, ſed Benefactores tantùm, pro quibus fiunt conſueta ſuffragia.

Moritur P. Franciſcus Henriquius

10. Eboræ 6. Junii vivendi terminum attigit Franciſcus Henriquius Navarrus S. Xaverii conſanguineus. Tironum agebat Magiſtrum. Vir fuit eminentis ſanctimoniæ, ut teſtatur vita typis mandata in opere de tirocinio Eborenſi. Pro igne animas luſtrante acerbiſsimos prope mortem ſuſtinuit dolores, totum ſe divinæ voluntati committendo.

Ingreſſi Societatem.

11. Ad nos recepti ſunt Conimbricæ quatuor ſupra quadraginta. Eboræ quatuordecim, tribus pauciores Ulyſſipone. Multi eorum præcellentes ſcientiâ, charitate, aliiſque virtutibus, de quibus cùm ſuo loco rediturus ſermo ſit, hoc titulo nominandis abſtinebo, niſi materiæ ſterilitas aliud imperet.

Profecti ad Indiam.

12. Sex mare transmiſerunt Indiæ populos converſari, Franciſcus Pina Luſitanus Aviſenſis, Didacus Pareja, & Gonſalus Rodericius, Caſtellani: hi ſacerdotes erant. Non ſacerdotes, Stephanus Diniſius Eborenſis, Joannes Baptiſta Ferrariâ, alius Joannes Baptiſta Mutinâ oriundus. Ibat Pro-rex Indiæ Redondenſis Comes. Cùm Moſambiquium à Turcis obſidendum timeretur, miſſa eſt claſsis valida epibatis, & omni bellico parata inſtrumento. Prætoriam navem conſcendit P. Pina cum duobus ſociis Italis. Alii ſacerdotes cum ſocio Luſitano vecti ſunt nave Garſa. 9. Martii deſeruêre Tagum. Omnis claſſis ſoſpes Moſambiquium pervenit, portúmque Goënſem ſubiit 9. Septembris.

Naves

Naves duæ, quibus ferebantur nostri, sic Christianis moribus excultæ sunt, ut referrent speciem sacræ familiæ.

13. Ad Brasiliam duo tantùm navigârunt, Franciscus Viegas Lusitanus sacerdos, & socius dictus Scipio, Italus natione, quos secum deduxit Lucas Giraldus in prætoria nave, ejus Præfectus. E Brasilia valetudinis curandæ ergo redierat P. Joannes Dicius. Profecti ad Brasiliam.

14. Suum Eborense Collegium & Academiam auxit Serenissimus Fundator novis reditibus. Pius IV. Pont. Max. per diplomata expedita 14. Aprilis donavit nostro Eborensi Collegio sex prædia, & oppidum Montem-Agrassum. Hæc omnia Pontifex separavit à reditu Eborensis Archiepiscopi. Prætereà consentiente Ludovico Mello templi Cathedralis Scholastico, paræciæ S. Joannis in monte majore novo reditus Collegio & Academiæ applicavit. Collegii Eborensis reditus augentur.

15. Non interrupti favores Principum. Regina Catharina suis elaborabat manibus texturas aureas ad exornandum venerabile tabernaculum domûs Professæ templi. Infans Elisabetha cum filiabus Maria, & Catharina, obtentâ à Summo Pontifice facultate, lavabat ejusdem templi lintea sacra. Cúmque Elisabetha ex operis assiduitate valetudinem sentiret labefactatam, rogavit, id celarent Præfectum templi, ne deinceps ab eis linteis ad se mittendis abstineret. Antonius Ludovici filius tanti nos faciebat, ut dictitaret, majorem, quàm ex concione, se capere voluptatem, si è nostris aliquem modestum videret. Benevolentia Principum.

16. Id temporis vivebat intra Collegium D. Antonii filius Regis Ceilami, à nostris eruditus Christianis sacris, & moribus, quos altè combiberat. Cùm nostri domum verrebant, sumptis scopis, & ipse juverat. Vetantibus respondit: Etiam personis sui gradûs honorificum esse DEI templa ac domos scopis mundare. Nihil in supremi Regis domo vile, & abjectum. Dictum pium filii Regis Ceilami.

Annus 1562. Soc. 23.

1.

REx, sive Xarifius Marrocensis, cùm regna septem armis in suam redegisset potestatem, nihil se gessisse ratus, nisi Lusitanos exueret arcibus in Africa præsidio infessis; igitur omni vi expugnare conatur Mazagoniam arcem Lusitanorum ad oram maris Atlantici. Exercitum admovet ex octoginta sex millibus equitum, peditum quindecim millibus conflatum. Par tantæ moli sustinendæ arcem tuebatur Alvarus Carvalius. Hic substituto fratre suo Ruysio, Ulyssiponem abduxerat fœminas, & turbam inutilem. Regina Alvarum remittit cum classe viginti navium validissimo milite, & cæteris, quæ usui essent, impositis. Adduntur quatuor de nostris, Gaspar Alvarus, Marcus Nunius sacerdotes; Franciscus Figueiredus, & Melchior Paiva coadjutores, qui egregiam operam bono communi impenderunt, dum juvissent Mazagoniæ defensores. Hos inter discurrebant periculorum obliti, hortabantur, ut agerent, quæ digna forent Christiano nomine, quæ Lusitano. Obsidioni Mazagonia Nostri 4. intersunt.

2. Mauri tandem, conatu nequidquam adhibito, suis rebus diffisi vasa colligunt, ac ingentia passi damna relinquunt obsidionem. Dictitabant à se visam per muros discurrere matronam habitu humano augustiorem. Nostri sibi persuasum habuêre, fuisse Virginem Matrem Lusitanis propitiam.

3. Externo jam malo liberos capit intestina discordia Alvarum, & Ruysium fratres, quorum ductu res inclytè gesta fuerat, divellere. Ubi Regina certior facta, curas adhibuit in placandis de republica viris optimè meritis. Eam provinciam injungit nostro Andreæ Carvalio duorum fratri, qui Ministrum agebat Eborensis Collegii: adit is Mazagoniam, fratrem utrumque restituit concordiæ. Andreas olim in India militans à S. Xaverio Societati adjunctus, affectâ valetudine remittitur in Lusitaniam cum litteris commendatitiis ad M. Simonem. Profecturo dixit altiori motus spiritu Xaverius: *Abi, moriêre ubi tui consanguinei animas posuerunt.* P. Andreas Carvalii insignis virtus, & charitas.

Antonius Franco.

 4. Maza-

4. Mazagoniâ redux optat invisere Bernardinum Carvalium fratrem suum Tingitanæ urbis Præfectum. Dum illò navigat cum socio Melchiore Paiva Coadjutore, incidit in myoparones Turcicos, à quibus est capta triremis Lusitana. Ubi Reginæ id nunciatum, doluit, ùt res poscebat; lytrum illico misit à quo redimeretur. Sed DEI famulus sui oblitus voluit iis pecuniis eripi servituti Ariam Saldaniam adolescentem primæ nobilitatis, qui simul cum ipso captus fuerat, cujus ætas & forma erant injuriis obnoxia. Postea tot litigia suborta inter barbaros de redemptione Andreæ, quòd talis, ac tantus vir esset, tot dynastarum frater, ut in ea servitute vitam efflârit.

Scholæ Brigantini Coll.

5. Collegium Brigantinum, quod anno superiore cæpit incoli, labente anno aperuit Gymnasia. Suppetias venêre sacerdotes duo, & quatuor non sacerdotes, quorum tres erant futuri Magistri. Magnam existimationem Brigantini conceperant de Magistris, antequam viderent: arbitrabantur calvitie, canis, & rugis venerationem præselaturos; ubi conspexêre adolescentes penè imberbes, & non sacerdotes; illudi sibi credebant, non dissimulatâ mentis perplexitate. Calendis Octobris celebravit Missæ sacrum Mirandensis quidam Canonicus. Pro concione dixit Franciscus Canus Abbas Monfortensis, vir æquè moribus, ac sapientiâ exornatus, subinde Algarbiensis Episcopus. Effusus in nostræ Societatis laudes, simul plurimis sacræ scripturæ locis detersit vanas illas Brigantinorum opiniones de Magistris, non metiendis ex ætate, & externa figura, sed ex moribus, ac doctrina, quibus vel adolescentes essent in Societate instructi. Danielis, Davidis, & Josephi exemplis roboraverat.

Discipuli Conimbricæ.

6. Conimbricæ nostrarum scholarum discipuli tam bene moribus & literis instructi ad Academiæ migrabant aulas, ut earum Rector Professores admonuerit, conservarent in suis discipulis, quæ nostri inseruerant. Res momenti haud magni immodicam rebus nostris apud Magnates auxit opinionem. Nondum patebat mors Ven. Martyris Gonsali Silveiræ, cùm divisa parentum hæreditate sua portio sex cruciatorum millium destinata est Gonsalo. Monetur Rector Collegii Conimbricensis, dictum æs colligeret ad Societatem pertinens. Responsum est P. Gonsalum solemniter professum in tales hæreditates jus non habere; nec Societati morem esse fieri participem bonorum ad suos spectantium, in quocunque sint statu. Mirati novitatem dixêre: idcirco Societatem in suis obeundis ministeriis eâ frui libertate, quæ personas hominum non curet.

Hæreditas Gonsali Silveiræ.

Rheuma perniciosum.

7. Rheuma pestilens adeò sævit Ulyssipone, ut intra dies octo mors rapuerit mille, & octinginta capita. Nostros homines die, ac nocte semper invenit paratos ad succurrendum miseris urgens necessitas. Inter eos, quos id malum corripuit, fuit Dominus Geminius Brigantini Ducis frater, Constantinus illius frater nostros vocari jussit, qui confessionem exciperent, piisque verbis juvarent. Magna Principis Christiani exempla præbuit: stultitiam, ajebat, ac fraudes esse res humanas, præter sanctimoniam, & Romanam fidem. Verba morientis ultima fuêre: *in manus tuas commendo spiritum meum.* Crevit iis, quæ vidêre in obitu Geminii, amor Ducum erga Societatem.

Domus Conversarum conservatur.

8. Regina gubernatrix conservatura domum, in quam se receperant mulieres conversæ, obtinuit à Pontifice diploma, ut cujusdam sacræ familiæ religiosi eam susciperent curam. Id ubi fœminis innotuit, adeò sunt turbatæ, ut ad unam omnes meditatæ sint domum deserere. Regina, & Cardinalis misêre de nostris Professis unum, qui exhortationibus & consiliis cunctas redegit in frugem sanam, & regiæ voluntatis obsequium. Porrò hæreticus quidam ad rogum eductus, diu pertinax, à nostro emollitus, & bene comparatus vindici justitiæ se submisit.

Reginæ dona.

9. Denuò Regina bonam pecuniæ summam Collegio Conimbricensi subministrat ad perficiendum templum. Plurimas telas sericeas dono dat Ecclesiæ Domûs Professæ ad altaria exornanda. Tandem molestissimi regiminis pertæsa, deponit onus in humeros Cardinalis Henrici. Quamvis hactenus optimæ Principis partes expleverit, simillima tamen Carolo quinto fratri suo, studiosa vivendi sibi, gubernaculum alteri tradidit.

Regina deponit curas regendi.

An-

Annus 1563. Soc. 24.

1.

IN Domo Professa Ulyssiponensi spiritum ducere desiit P. Gonsalus Vasæus Mellus totius Provinciæ moderator, cujus loco, dum novum Roma nominet Provincialem, substitutus est P. Didacus Miro. Fuit unus è primis hujus Lusitanæ Provinciæ Gonsalus, natus Villarii Fontis Arcadæ in diœcesi Lamecensi sanguine illustri, quem suis virtutibus reddidit clariorem, ùt patet ex vita typis vulgata. In sacro suggestu, missionibus, & ministeriis nostris exercendis præcelluit. In omnibus dictis & factis eminebat procera virtus. Obiit 14. Maji. Funus celebratum multo concursu etiam ab Ludovico Granatensi Dominicano, & Ludovico Montoya Augustiniano. Moritur Provincialis.

2. Ad Brasiliam quatuor navigârunt Quiritius Caxa sacerdos natione Castellanus, Balthasar Alvarus ejusdem nationis, Sebastianus Pina, & Ludovicus Carvalius Lusitani non sacerdotes. Cardinalis jussit vehi in nave prætoria, ac de Regis thesauro sustineri expensas itineris. Liberaliter donavit ad nostra illius Provinciæ exornanda templa magnam vim sacræ supellectilis, quam inter duodeviginti calices argentei. Profecti ad Brasiliam.

3. Indiam petivêre quatuor sacerdotes, ac duo nondum sacris initiati. Quinque solverunt naves, summo Præfecto Georgio Sousa Navem Castellum dictam prætoriæ vices supplentem conscendunt Franciscus Dinisius Castellanus, & Emmanuel Cabralis Madeirensis Lusitanus, sacerdotes cum Joanne de Cruce Cordubensi non sacerdote. Navem S. Philippi P. Andreas Cabreira Castellanus, & P. Marcus Malchilerius Flander cum socio Jacomio de Brachara Lusitano. Ambæ post multos labores intrârunt Mosambiquium. Inde profectæ tenuerunt Goënsem portum, ubi navis à S. Philippo in cautes illisa fecit in portu naufragium post expositam turbam. Idem infortunium rapuisset navem Castellum, nisi opportunè illi fuisset consultum. Aliæ tres naves Indiam non attigère. Profecti ad Indiam.

4. Lusitani mercatores, qui negotiabantur Antverpiæ, postulârunt à nostro Præposito Generali sacerdotem Lusitanum, qui illorum animis consuleret. Annuens rogantibus eò misit P. Martialem Vasæum, qui postea cum Alexandro Valignano ad Indiam est profectus. Cyprianus Soarius Conimbricensium scholarum Præfectus vacationum tempore facultate impetratâ pedes cum socio adivit oppidum Aveirum. Præter nosocomium noluit ullum hospitium, quanquam offerrent viri nobiles. Victum mendicabat. Assiduus erat audiendis pœnitentibus. Multus in conciliandis invicem inter se dissidentibus. Tot fructibus partis, statuerant omnes denuo sibi exorare Cyprianum. Martialis Vasæus Antverpiæ. Cyprianus Soarius Aveiri.

5. Placuit Cardinali Henrico Eborensis Academiæ fundatori Collegium instituere pro scholasticis sæcularibus sub disciplina domestica Societatis erudiendis Eboræ. Quamvis decreverat ejus initium faciendum mense Octobri, dilatum est ad principium Januarii sequentis anni. Habitationi sunt electæ domus amplæ Eduardi Costæ contiguæ templo divi Petri. Cardinalis aliquos de suo illic sustentabat; cæteri vixerant parentum expensis: ideo vocabatur Collegium Portionistarum. Singuli tribuebant quindecim scuta Romana: ea tenuis summa abundè erat ad alendam vitam ad copiam annonæ. Mens Cardinalis operis perpetuitatem intendit: sed solùm stetit, dum ipse fuit inter mortales. Nonnunquam excessêre numerum centesimum. Multa in eis nobilitas. Illic educatus Fernandus Martinius Mascarenius Episcopus Algarbiensis, & Inquisitor Generalis. Erat Collegium consecratum divo Manso Eborensi primo Episcopo, & Martyri. Collegium Convictorum Eboræ.

6. Eboræ florebant litterarum studia. Habitis certaminibus ab Humaniorum litterarum studiosis, sub finem tragœdiæ de Tobia divisa victoribus præmia, Certamina litterarum.

miâ, quæ manu largâ de suo præbuit Eborensis Canonicus. Non ausi obsistere tanto Mecænati Patres, tametsi moneret, ne tantam pecuniam insumeret, minori sumptu posse præmia comparari. Respondit enim, si vellent sibi manus ligare, nec ampliùs Judicem futurum, nec daturum præmia.

Eboræ res gestæ.

7. Peractum est cum Misericordiæ sodalibus, eorúmque Præfecto, ut loco habili ædificaretur sacellum, quo Missæ sacrum fieret diebus festis, & posset à vinctis in carcere publico exaudiri. Placuit Sodalitati id miseris concedere solatium, quo nostrorum beneficio, dum suaserunt erigi, perfruuntur. Studia juvandi proximos cum in urbe, tum foris cunctos incendebant. Obitæ missiones non paucæ.

Magisterium puerorum in aula.

8. Ulysipone P. Mauritius, alio nomine Gaspar Serpe, jussu Cardinalis suscepit curam erudiendi litteris pueros è prima nobilitate, qui in aula cum Rege versabantur. Id plurimùm juvit in studus Regem, æmulatione illius animum incitante. Dynastæ filios suos mittebant ad scholas Collegii, quòd scirent, ex his apud nos probatis eligi feliciores ingenio, ut in aula cum Rege navarent operam litteris. Assistebat sæpe Regina & Cardinalis Regi cum ephebis concertanti. Cùm Sebastianus vincebat, vix capere poterat exultantem animum.

Residentia Almeirini.

9. Postremis anni mensibus secesserunt Almeirinum Rex, Cardinalis, Regina, & qui sequi solent regiam. De nostris non minùs septendecim eò jussu Principum ivêre. Illa Residentia ad tempus obnoxia erat Domui Professæ; idcirco victu mendicato, ùt in Domo Professâ vivebant, dum illic cum Principibus morabantur. Dederant Principes habitationem cum æde sacra, ubi naviter ad sua munia explenda, & nostra ministeria incumbebant.

Annus 1564. Soc. 25.

1.

S. Franciscus Borgia Secundus Assistens Lusitaniæ.

PRincipio hujus anni restitutus Laynius Generalis Romæ è Concilio Tridentino constituit Borgiam Lusitaniæ Assistentem. Vacabat is locus, ex quo Ludovicus Gonsalvius accitus fuerat ad magisterium Regis Sebastiani. Borgiæ obvenerunt omnes Provinciæ Hispaniæ, & Lusitaniæ. Polanco Germania inferior, Gallia, Brasilia, & India.

Cardinalis fit Archiepiscopus Ulyssiponensis, & fundator nostri Collegii.

2. Moriente Archiepiscopo Ulyssiponensi, ad eas infulas, renunciatis Eborensibus, quamvis locupletioribus, cùm regiminis suscepti causâ inibi habitare oporteret, promotus Cardinalis Henricus. Hujus Principis erant curæ Societatem augere. Idcirco hoc anno voluit esse fundator nostri Ulyssiponensis Collegii. Hactenus carebat dote. Socii eleemosynis sustentabantur. Addidit Gymnasiis alia duo Latinitatis, & alterum moralis scientiæ, quam professus est Marcus Georgius, trecentis Clericis ad excipienda dictata confluentibus. Quòd aula tantæ multitudinis capax non esset, dum nova fit, usus templo. Dum Cardinalis non tribuit reditum stabilem, dabat quotannis summam faciendis expensis.

Cardinalis favores.

3. Cùm cæpissent executioni mandari decreta Concilii Tridentini, jussit Cardinalis, ut nostri tum domûs Professæ, tum Collegii examinarent Confessarios, Concionatores, & sacris initiandos. Patres haud valde detrectârunt onus explorandi scientiam Confessariorum, & Concionatorum, qui forent presbyteri sæculares. At rationibus modestis se excusârunt tum ab initiandorum, tum à Religiosorum examinibus, ne alias sacras familias, quas colebant magnâ veneratione, sibi redderent parùm amicas. Nec Cardinalis improbavit nostras rationes.

4. Illud cæteris adjecit beneficiis, quòd, cùm nostri se comparâssent, & sisterent ad subeunda examina, ùt reliqui, Cardinalis non admiserit, dixeritque, nolle eos, qui aliorum Magistri essent, doctrinæ periculum, ùt cæteros, facere. Quod Cardinalis Ulysipone, id Eboræ Joannes Mellus Archiepiscopus, id Bracharensis, Portuensis, Conimbricensis, & Mirandensis Præsules egêre, nostrósque

ab

ab hujusmodi tentamine exemerunt, quamvis ex aliis nullum fiverint immunem. Commisit Cardinalis nostris Provincialibus Lusitaniæ, Indiæ, & Brasiliæ, designarent, quos judicâssent idoneos è nostris ad corrigendos libros per Concilium notatos, ut tutò legi possent.

5. Rex Sebastianus, qui sub magisterio Ludovici faciebat ingentes progressus, audiens, quanta, & quàm lata porta promulgando Evangelio aperiretur in Brasilia, dixit: æquum esse, illic ædificari Societati Collegium, ubi crescerent operarii tam amplæ excolendæ vineæ. Ut ipsi morem gereret Cardinalis, destinavit dotem Bahiensi Collegio nomine Regis Sebastiani fundatoris. Nam licèt Joannes III. eò miserit nostros, Collegium firmo reditu non munivit. Quàm sanctis moribus adolesceret Sebastianus, scheda ad Patres Domûs Professæ exarata docet: *Patres*, verba illius sunt, *DEum orate, me castum faciat, cupidum administrandi, ac servandi justitiam, & propagandi fidem.* Cùm nôsset unum ex ephebis honorariis ob angustias paternæ domûs, equitem, velut alii, ad palatium non accedere, idque tanquam probrum illi à contribulibus objici, postulavit ab avia Regina pecunias, quas largitus ephebo, ut equum emeret, & cæterorum instar cum pompa adesset. *Regis Sebastiani dicta.*

6. Cardinalis considerans, quantùm creverit labore Societatis Ecclesia Japonensis, petivit à nostro Generali, nominaret aliquos summo Pontifici proponendos, ut eos eveheret ad infulas Japonenses, creatis novis diœcesibus. Commendavit Legato Lusitano, ut negotium urgeret. Sed visum est potiùs, irent ad Japoniam Andreas Oviedus, & Melchior Carnerius Episcopi, quando ille necessarius non erat in Æthiopia, & hic ad illam non transierat. *Cardinalis creari vult Episcopos de Societate.*

7. Magisterium sacræ catecheseos plurimùm Ulyssipone omnium hoc anno incendit animos. Eam docebat in templo nostro Michaël Turrianus Confessarius Reginæ. Id fieri cœpit novâ methodo, dialogo inter Magistrum, ac discipulum instituto; qualem videmus in libello composito à nostro Marco Georgio, & illustrato ab Ignatio Martinio. Ex Valentia nostri homines transtulêre dictum morem. Res accidit tam jucunda, ut sæpè Turrianus, parvulis in palatium deductis, coram Regina habuerit ejusmodi explicationes. Diebus Saturnalium in diversis locis, ubi populi major vesania, fiebant similes catechesis expositiones, quibus multùm frangebatur insanientium protervia *Magisterium Catechesis.*

8. Charitatis erga decumbentes in nosocomio publico frequentius exercitium fuit Ulyssipone: illud administrârunt ad hunc annum Congregati D. Joannis Evangelistæ, quos à S. Eulogio *Loyos* vocant Lusitani; hujusmodi curam deposuerunt, quæ Sodalitati Misericordiæ demandata est. Prudentibus moti rationibus abstinebant nostri à serviendo ægrotis, dum ad illos Patres pertinuit, nosocomii administratio. Quod hactenus observârunt Conimbricæ, cujus nosocomium penes eosdem est. Igitur hoc anno cœpêre tirones in eo nosocomio mensem integrum bini, ternive explere serviendo, & sublevando ægrotos, atque abjectissima etiam ministeria obeundo. Mittebantur etiam Conimbricâ Ulyssiponem, & Eboram tirones ad idem charitatis experimentum. Quanquàm initio strictè id instituti observatum; propter gravissimos morbos inde contractos modus postea adhibitus. *Charitas adversus infirmos.*

9. Postquam Cardinalis suscepit curas rempublicam gubernandi, enixè postulavit à Mirone Provinciam moderante, sibi concederet, ut Leone Henriquio Confessario uteretur. Miro hactenus procrastinaverat, sciens, quantæ invidiæ obnoxiam Societatem id munus erat redditurum. Verùm modò tantum institit Cardinalis, ut non nisi imprudenter ejus voluntati resisti posset. Ex quo Cardinalis à Leone divinitus Eborâ Ulyssiponem translato sanatus fuerat, nullis potest explicari verbis, quanti Leonem fecerit, quantúmque ejus tribuerit virtuti & consilio. Nec Leo demissionis propriæ studiosissimus, sui in tanto honore est oblitus. Almeirini tradebat sacerdotibus quæstiones morales, eosdem examinabat, reddebátque aptos ad confessiones audiendas, cæteráque Societatis ministeria peregerat. *Leo Henriquius fit Confessarius Cardinalis.*

10. Cùm

Novitiatus Eborensis ædificium. 10. Cùm tirones in Eborensi Collegio ob angustias molestè habitarent, statuit Cardinalis novum pro ipsis condere ædificium. Idcirco præsenti anno cæptum est construi quadratum opus pro tironibus accommodandis. Hactenus recipiebantur in aliquot domibus, quæ sunt in atriis Cisternæ, & pharmacopolii. *Ingressi Societatem.* Infrà dicetur, quando migraverint in novam domum. Eboræ decem, Conimbricæ septem supra viginti tironibus accessêre.

Profecti ad Indiam. 11. Quatuor naves direxerunt cursum ad Indiæ gentes cum Pro-rege Antamo Noronio. De nostris sex duas conscenderant; prætoriam Petrus Ramirius, & Petrus Fernandius, sacerdotes, & Stephanus Cordeirus non sacerdos, Castellani. Aliam Petrus Parra Valentianus, qui intulit in Lusitaniam dialogo modum docendi catechesim, Martinus Eguiquissa Cantaber, ambo sacerdotes; Geminius Vasæus Serpensis Lusitanus, sacris initiatus apud Indos. Navigatione usi prosperâ, 3. Septembris Goàm appulsi sunt. Præclarè exculti mores, dum tenuit iter. Ipse Prorex divi Ignatii peregit exercitia, & quoque decimo quinto die animam per confessionem expiavit, illius conscientiam dirigente P. Ramirio.

Professi solemniter. 12. Vota solemnia Professorum nuncupârunt quinque. Franciscus Henriquius Provinciæ Procurator, cui usque ad illum diem exemplô unicô concessa 4. votorum professio propter insignem prudentiam ad gubernandum: scientiæ in eo nullæ præter cuilibet sacerdoti necessarias. Alii fuêre Marcus Georgius, Petrus Fonseca, Cyprianus Soarius, & Ignatius Azebedius Rector Bracharensis. Cùm esset Conimbricæ Miro Provincialis, eò venit Ignatius, & nuncupatâ professione reversus ad suum Collegium.

Virtus & litteræ Conimbricæ. 13. Conimbricæ cum virtutum, tum litterarum exercitia credebant prosperè mortificationes publicæ per urbem repetitæ indicabant propriæ demissionis studium ardens. Ludovicus Molina, cujus ab acutissimo ingenio nomen jam apud Academicos clarebat, cæpit Philosophiam docere. De novo pro nostris addita lectio moralis scientiæ, Magistro Alvaro Pacieco. Theologiam Petrus Gomesius, & Marcus Georgius nostros edocebant; præter hos Professores ibant audituri externos nonnullos ad Academiam.

14. Convictores Conimbricæ quinquagesimo numero superiores animis cum virtute, tum litteris excolendis egregiam impendebant operam. Multùm profuit inter eos usus loquendi Latinè in familiari sermone. Parem Conimbricæ, atque fuerat Ulyssipone, nacta plausum Christianæ doctrinæ per modum dialogi explicatio. Alphabetarii ludi nostri, qui postea versus in undecimum Grammaticæ Gymnasium, erant spectaculo jucundo omnibus, dum in foro & compitis eos dialogos repetebant. Singulis Dominicis diebus duo socii per urbem discurrentes invitabant tintinnabulo populum ad catechesis expositiones: tantus erat concursus ad easdem, ut nequiret templo capi. Academiæ Rector præmiolis emptis puerorum animos succendebat.

Theologi externi Eboræ. 15. Eboræ non minor animorum ardor, qui etiam inflammavit Theologos externos Academiæ nostræ. Ex ipsis unus & viginti egressi more Apostolico ad vicina oppida, & pagos, quà concionibus, quà instructionibus catecheticis fuerunt plurimis utilitati. Rogante Cardinali Henrico, Pius IV. Pont. *Datur Collegio Eborensi Prioratus S. Georgii.* Max. 2. Julii adnexit Eborensi Collegio Commendam, sive Prioratum cœnobii D. Georgii prope Mundam non longè Conimbricâ. Præter reditum, qui pertinebat ad Priorem, sive Commendatarium, habet jus præsentandi paræcias Castelviegæ prope Conimbricam, S. Mariæ Magdalenæ Portalegriæ, S. Jacobi, & S. Vincentii Covilanii.

Res Bracharæ. 16 Bracharæ Ignatius Azebedius edebat præclara exempla. Concionibus suis Barcellos oppidum excitavit ad Christianas virtutes. Illic morabatur, cùm e Concilio Tridentino redivit Archipræsul Bartholomæus de Martyribus. Ocyùs accurrit Ignatius Barcellis ad exosculandam Fundatoris manum. Admirabiliter sanctus antistes recreatus est, cùm audiret utilissimam nostrorum hominum operam, & labores indefessos. Post pascha diem integrum apud nos

nos transegit, pransus nobiscum in triclinio. Habita Latina panegyris in ejus laudem. Defensæ theses Philosophicæ, dignatus est ipse urgere defendentem. Clausit solemnitatem ecloga Latina, quam Magister paraverat, scholasticis eximiè personas inductas sustinentibus.

17. Aliquot viri docti destinati ad enodandas difficultates oblatas in executione decretorum Concilii Tridentini, censuerunt è reditibus Collegiorum nostræ Provinciæ aliquid detrahendum ad juvandam sustentationem Seminariorum, quæ fundari jubet idem Concilium. Verùm id in nostris Collegiis locum non habere palàm est factum, cùm fuerint excepta, quòd sint ipsa quædam Seminaria Christianæ reipublicæ. *De Seminariis.*

Annus 1565. Soc. 26.

I.

UNdevigesimâ Januarii supremæ necessitati concessit Romæ Jacobus Laynius Præpositus Generalis. Cùm de illius obitu fuit allatus nuncius, adhuc Almeirini regia morabatur. Illò vocati mense Martio Professi, in eo Conventu electuri, qui cum jure suffragii Comitiis universæ Societatis erant interfuturi. Cùm inter eos designaretur à Patribus Michaël Turrianus Confessarius Reginæ, & res apparet ardua, Ludovicus Gonsalvius Reginæ declaravit, quid Patres meditarentur, nisi aliud foret ejus imperium. Cui Regina: molestum sibi carere suo Confessario, verùm ut significaret, quantùm amaret Societatem, annuere se Patrum voluntati. *Moritur Generalis, Comitia Provincia, & Generalia. Electus S. Franciscus Borgia,*

2. Igitur Didacum Mironem Vice-Provincialem sunt comitati cum jure suffragii ad Generalis electionem Michaël Turrianus, & Marcus Georgius. Accessêre Procurator Indiæ & Brasiliæ, ùt moris erat, Ignatius Azebedius, & Provinciæ Procurator Franciscus Henriquius. Qui duo tamen in electione Generalis jus suffragii non habent. Terrestri itinere sunt profecti 29. Martii. Cardinalis nomine Regis nummos dedit ad viæ longæ sumptus sustinendos. Loco Mironis rexit provinciam Leo Henriquius.

3. Parmæ humanissimè sunt excepti ab Alexandro Duce Farnesio, cui Turrianus peculiares dotes exposuit Serenissimæ Infantis Mariæ illius futuræ conjugis. Romæ Pius IV. Summus Pontifex adeuntes magnâ benevolentiæ significatione in colloquium admisit. Maximè recreatus Sebastiani Infantis manu scriptis ad se litteris, quas Patres tradiderunt. Habitu Generali Conventu 2. Julii præfectus est universæ Societati Moderator S. Franciscus Borgia. Didacus Miro factus Assistens Lusitaniæ, Indiæ, & Brasiliæ. Provincialem novus Generalis constituit Leonem Henriquium eâ lege, ut auspicaretur Magistratum Januario anni sequentis.

4. Multa de novo inducta, multa sublata. Decreto 85. prohibitum, ne quis uteretur ante suum nomen titulo *Dom.* Unus, qui ex præsentibus id sibi detraxit, erat Ignatius Azebedius. Etiam extinctum munus Superintendentis: nam in quolibet Collegio provectior aliquis sacerdos potestatem habebat Rectorem in multis coërcendi, si opus esset; inde ortum, ut frequenter conquesti sint Rectores, vix sibi relictum aliud præter nomen. Ob similes querelas Provincialium jam non placuerant Commissarii. Tamen pro maximis Collegiis permissi Superintendentes. Nominatim Antonius Cordesius Castellanus, virtutibus, & obitu in officio charitatis apud Hispalenses insignis, præpositus est Superintendens Collegio Conimbricensi. Alius gradus regiminis aliquot annis perduravit: nam præerat Collegio post Rectorem, Vice-Rector, & Minister, quibus, ùt nunc, addebatur Subminister. Munus Vice-Rectoris erat invigilare observantiæ rerum spiritualium, & absente Rectore, supplere ipsius vices. Ministri cura unicè versabatur circa rem temporalem. Hæc omnia decursu temporis sunt conjuncta in unum Ministrum. Nec enim tanta partitio carebat incommodis, quæ docuit experientia. *Tollitur titulus Dom. Tolluntur Superintendentes. Quid esset Vice-Rector.*

Introducitur hora orationis, præter duo examina. 5. Ex facultate Congregationis introduxit Borgia horam integram orationis, quæ mente fit, præter examen conscientiæ, quod jam à prima institutione bis diversis temporibus usurpabatur. Consuetudinem hanc probavit Congregatio quarta decreto quinto.

Bulla de apostatis. 6. Henricus Cardinalis obtinuit Regis nomine diploma Pontificium, quo Societas munita posset tanquam apostatas punire ab ipsa sponte suâ abeuntes, vel migrantes ad quemvis alium Ordinem, excepto Carthusiano. Nam ad id tempus ducti vanis opinionibus hominum res nostras ignorantium multi faciles erant in Societate deserenda dicentes, obligationem ex votis simplicibus contractam non fundare in Societate jus activum cogendi, & compellendi ad observantiam eos, qui stare nollent iis, quæ voverant. Horum levitatem frænavit hoc Pontificis diploma, quo confirmata fuit Pauli III. Constitutio anni 1549. quæ incipit, *Licet debitum:* cujus meminit S.P. Ignatius in 2. p. Const. c. 4. §. 4. & 5. exprimens facultatem agendi contra apostatas, & præscribens modum eâ utendi.

Leo conatur extinguere tauromachiam. 7. Dum Principes degunt Almeirini, Senatus urbanus Ulyssipone paravit circum ad agitationem taurorum in reditum Principum. Leo Cardinalis Confessarius rem ùt illicitam reprehendit, & pungit scrupulis Principis conscientiam, qui permittat ludos tot vitæ plenos periculis. Commendavit ille Confessario, rem lentiùs examinaret: esse namque factos sumptus, & se nolle urbem contristare. Post consultos è senatoribus doctiores, cùm hi pronunciâssent eos ludos esse licitos, non acquievit eorum sententiæ Confessarius, nisi cum moderamine adhibendi omnes curas, ut agitatio fieret nemine periclitante. Igitur amovendis infortuniis statuunt è tauris 17. ferociores 10. non mittendos in arenam, sed 7. mitiores: neminem ingressurum præter equites agitatores, & paucos pedites expeditos. Sic denique provisum, & abfuerit omne vitæ periculum.

Episcopus Mirandensis adit Conimbricæ nostras scholas. 8. Antonius Pinerius Mirandensis Episcopus jussus à Cardinali Academiam Conimbricensem cum potestate visitare, ùt erat rerum nostrarum summus æstimator: voluit audire Magistros nostros tanquam amicus; neque enim jus ullum in nostras scholas est Visitatoribus Academicis. Exceptus plausu, qui tantum præsulem, & de nobis tam bene meritum decebat. Ad id tempus non erant leges speciales, seu, ùt vocant, statuta harum scholarum: administrabantur aliquot decretis regiis diverso editis tempore, quæ rebus mutatis erant parùm consona. Id cùm Leo significâsset Cardinali, imperatum est leges condi ex decretis regiis, Societatis Instituto, & experientiis Professorum. Has Regis nomine probavit Cardinalis.

Fiunt leges scholarum Conimbricæ.

Episcopi Conimbricensis in nos benevolentia. 9. Joannes Soarius Episcopus Conimbricensis redux è Concilio Tridentino, aliisque ad pia loca peregrinationibus nostros adeuntes maximis prosequitur laudibus, quòd Andreæ Lamego à se gubernatori diœcesis relicto se obtulerint ad examina è Concilii decreto subeunda: prudenter actum à gubernatore quòd tam doctos, & humilitatis amantes viros sine ullo examine ad sua peragenda ministeria probârit. Cùm id temporis essent dividenda præmia scholasticis, quæ de suo solitus impertiri, præsens fuit litterariæ solemnitati dramatis & orationum.

Archiepiscopi Eborensis benevolentia. 10. Eboræ cuncta procedebant faustis auspiciis. Joannes Mellus Archiepiscopus res nostras diligebat ex animo, dictitans, è suo reditu nullum collocari, ac distribui utilius, quàm qui daretur nostro Collegio. Accepto diplomate Pontificis, quo Academiarum Rectores & Professores coguntur jurejurando fidem profiteri, Archiepiscopo rem memoravit Collegii Rector. Venit in templum nostrum, ubi tum à Rectore, tum à Professoribus excepit præstita juramenta. Præsens fuit tragœdiæ de Heli sacerdote, ejúsque filiis. Die 9. Decembris humanis rebus exemptus est Pius IV. Pont. Max. à quo impetravit Cardinalis Henricus pro Eborensi Collegio, & Academia bonam partem redituum è reditibus templi Cathedralis detractam.

Moritur Pius IV.

11. Ex

11. Ex eodem Collegio Didacus Cisnerius adivit Helviam, ubi missionem habuit multâ omnium utilitate. Exceptus festivo cymbalorum pulsu. Præter conciones quater in hebdomada factas, docebat presbyteros moralem scientiam. Inter Cisnerii dignas laude curas illa recensenda, quòd contraxerit bonam pecuniæ summam ad ædificandam misericordiæ domum in ea urbe; quæ & fundationem Collegii nostri postulavit. Missio.

12. Antonio Pinerio Episcopo Mirandensi suam diœcesim lustrante; duo de nostris cum ipso Præsule animarum bono tanto fervore consuluerunt, ut Pinerius domum reversus, vix ullis verbis & laudibus esset explicando duorum labores. Perpensâ Collegii paupertate, illi donavit in perpetuum cujusdam de suis Ecclesiis reditum. Antonii Pinerii in nos beneficia.

13. Eborensis Archiepiscopus jusserat, omnes animarum curiones, & qui Capellaniis, ut vocant, gauderent, in Academia Gymnasium moralis doctrinæ frequentare, ipséque manu sua scripsit omnium Catalogum. Ut suo exemplo alios ad id studium incitaret, semel audivit ejusdem scientiæ Professores; deinde reliqua Gymnasia condecoravit præsentiâ suâ, Academicis plausibus à Magistris & discipulis exceptus. Sequenti die initati Præsulem Provisor, Vicarius Generalis, & aliquot Canonici eosdem Professores de quæstionibus conscientiæ auscultârunt. Eborensis Archiepiscopus favet litteris.

14. Serenissima Maria ex Eduardo Infante Emmanuelis Regis filio, & Elisabetha Brigantina genita nupsit hoc anno Alexandro Farnesio Duci Parmensi, nostro Confessario usa usque ad 8. Julii an. 1577. Sebastiano Moralio Madeirensi, nondum solemniter professo, viro litteris, prudentiâ, & virtute insigni, dein Episcopo Japonensi. Mariæ Principis vitam virtutibus ornatissimam scripsit Sebastianus. Nostram Societatem illa singulariter dilexit, suisque filiis Rainutio, & Eduardo hunc amorem reliquit velut hæreditarium. Sebastianus Moralius Confessarius Mariæ Parmensis.

15. Naves quatuor transfretârunt ad Indos: in eis sex vecti de nostris, quorum nemo genere Lusitanus. Tagum egressi 25. Martii. Navem à Plagis dictam conscenderunt Fernandus Alcarazius, Gabriel Oliverius, Castellani, & Alexander Vallaregius Italus. Navem ab Spe Petrus Bonaventura Catalaunus, Joannes Baptista Ribeira Castellanus, Petrus Argudus Valentianus. Omnes sex erant sacerdotes. Hi Goam 18. Septembris, illi Cocinum tenuêre 25. ejusdem mensis. Magnam stragem in utraque navi edidêre morbi, maxima Patres exempla in egentissimæ turbæ succurrendo. Profecti ad Indiam.

16. Bracharæ 7. Augusti desideratus est P. Michaël Barrius ex Senioribus Provinciæ. Floruit litteris & virtutibus. Postremis annis sustinuit vehementem tentationem de spe ponenda salutis æternæ; tam diu adversus ipsam luctatus, ut fugaverit, tranquillissiméque emiserit spiritum. Eboræ 17 Septembris additur immortalibus Petrus Henriquius scholasticus Madeirensis, consanguineus P. Leonis Henriquii, adolescens spectatæ virtutis, quam notiorem fecêre invaletudines, & acerba remedia: nam sic putruit ulceribus virulentis, ut chirurgi avellerent ossa, & corruptam carnem. Cuncta pertulit animo invicto. Moritur P. Michaël Barrius. Petrus Henriquius.

Annus 1566. Soc. 27.

1. Inter cætera nobis à Cardinali collata beneficia, unum fuit, quòd nos liberaverit habitatione Collegii inferioris ob locum parùm salubrem incommodi nostrorum valetudini. Cùm vellet Conimbricæ statuere Inquisitionis tribunal, elegit artium Collegium in carcerem, persoluto Societati pretio ad Gymnasia ædificanda prope Collegium superius, lentè quidem fabricata eâ amplitudine, quâ nunc videmus. Deseritur Collegium inferius Conimbricæ.

2. Incredibilis aviditas id temporis fuit nova condendi Collegia. Antonius Ludovici filius volebat Crati Collegium, Henricus Cardinalis Scalabi, Dux Brigantinus Villævissosæ, Archipræsul Bracharensis diversis in oppidis ma- Fundationes petuntur.

joribus suæ diœcesis. Algarbiensis Episcopus, Madeirensis, Angrensis, & urbs Helvia idem exposcebant. Cardinalis pro insulis magnopere rem urgebat: æquum non esse, dictitans, consuli Indiæ & Brasiliæ longinquis, relictis insulis vix à Lusitania distantibus octo dierum navigatione.

Missio ad Madeiram. 3. Ut ex parte tanti Principis, & Parentis satisfieret votis, missi Angram Tertiarum caput Franciscus Varea, & Franciscus Salvius sacerdotes cum Simone Travasso coadjutore, insulanos nostris ministeriis exculturi, simul ut explorarent regionis statum ad novam fundationem, si fortè acceptaretur. Bis iter aggressi, bis repulsi ventis contrariis, & coacti Tagum repetere. Ipsos Deus Opt. Max. destinaverat Madeirensibus juvandis. Nunciatum Gallos hæreticos, milite exposito, cepisse, ac diripuisse Funchalem urbem insulæ principem, cuncta nefaria tum in cives, tum in sacra templa, & venerandas imagines exercuisse. Idcirco dicti socii illò vela solverant. Non vulgari fuêre solatio rebus afflictis. Redeuntes magna de se desideria apud Madeirenses reliquerunt.

Mors P. Bernardini de Regibus. 4. In villa Vallis-Rosalis pertinente ad Collegium divi Antonii vitam naturæ reddidit Bernardinus de Regibus sacerdos, olim dictus *Excalceatus*, Italus natione, admissus ad Societatem à Simone Rodericio. Complures annos solerter procuravit rem Provinciarum Indiæ, & Brasiliæ. Dum missæ operabatur sacris, è terra sublimis aliquot palmis conspectus. In domo Professa senio consumptus est Petrus Anius, sive Pedreanius, ùt vocabatur, Coadjutor, quem M. Simon reperit æditum templi, cum adiit possessionem domûs D. Antonii, postea in Coadjutorem cooptatus. Sinceritas in eo columbina: studiosus erat laboris, dilectus DEO, & hominibus. Non vulgaris opinio de illius virtute fuit apud nostros & externos.

Petri Anii.

Docetur primùm in scholis scientia media. 5. Labente anno jactum veluti semen novo sacræ Theologiæ lumini, quo in rebus difficillimis abactæ nebulæ acutam quamque mentem implicantes. Id fuit scientia DEI, quam vulgato nomine dixêre: *Mediam*: Eam in sacris litteris traditam, & à S. Augustino non uno tantùm in loco indicatam in lucem publicam scholarum primus protulit P. Petrus Fonseca Lusitanus, nostræ Societatis unus è primis splendoribus. In Collegio Conimbricensi Theologiam edocebat, quam postea professus Eboræ. Re maturo judicio perpensâ, *Illud unum*, inquit, *scrupulum injiciebat, ne hâc ratione novum aliquid fortasse induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti scholasticorum examine, & accurata lima conveniret. Neque enim quisquam erat, qui hoc pacto libertatem arbitrii nostri cum divina præscientia, aut providentia apertè, &, ut dicitur, in terminis conciliâsset. Sed cùm re bene perpensâ, omnia eorum dicta hoc pacto meliùs & explicari, & conciliari viderentur, nihil antiquius habuimus, quàm ut prædictam distinctionem futurorum persequeremur, & divinæ cognitionis in utroque eorum statu certitudinem confirmaremus.* Paulò pòst subjicit: *Hæc cùm eo tempore* (hoc est anno 1566.) *dictare sæpissemus, & quod supererat, quibusdam ex auditoribus nostris verbo tenus communicaremus, haud gravatè tulimus, quòd aliis deinde rebus occupati ea absolvere non possemus, dum ratio hæc conciliandæ voluntatis creatæ cum divina præscientia, & providentia sola specie quibusdam novâ emolliretur. Nec nos certè nostra fefellit opinio, cùm eam hodie ita bene quasi subactam à multis videamus, ut pauca nobis ex iis, quæ in ea observavimus, necesse sit adjungere.* Hactenus illius verba. Quantâ felicitate Fonsecæ doctrina instar exigui seminis provenerit, explicandum fusiùs, cùm scribetur de nostri Ludovici Molinæ *Concordia*.

Metaph. tom. 3. l. 6. c. 2. q. 4. Sect. 8.

Visitatores. 6. Novus Præpositus Generalis pro diversis Provinciis diversos creavit Visitatores. Pro Lusitana Michaëlem Turrianum. Pro Brasilia Ignatium Azebedium, quò profectus est anno præsente. Secum deduxit Maurum Gonsalvium, Antonium Rochiam, Balthasarem Fernandium, sacerdotes; Petrum Diasium, & Stephanum Fernandium, non sacerdotes. Appulsus ad insulas Hesperidum, in terram Ignatius egreditur, & verbi divini prædicatione populum edocet. Die 24. Augusti Bahiam accessit. Eodem penè tempore pervenerunt Mi-

Profecti in Brasiliam.

Michael Regus, & Antonius Aranda sacerdotes. His operariis crevit Brasiliensis vineæ cultura.

7. Multa referunt antiqua manuscripta de pietate Collegii Convictorum Eboræ. Singulis feriis sextis flagello castigabant corpus, dum tono musico recitabatur psalmus quinquagesimus. Sæpe altâ jam nocte duo, vel tres se verberantes reperiebantur in sacello. Sæpe dabant præcipuam ciborum partem famulis; ipsi verò alebant se fragmentis residuis. *Convictores Eboræ.*

8. Joannes Mellus Archiepiscopus Eborensis suo sumptu in certamine litterario præbuit scholasticis præmia. Ad augendam solemnitatem tragædia in theatro præmissa est. Gymnasia inferiora hujusmodi non caruêre incitamentis, quibus præluserunt orationes Latinæ de suggesto dictæ. Ex oratoribus fuêre duo filii Comitis Vimiosi. *Præmia Eboræ.*

9. Cyprianus Soarius, de quo toties facta mentio, gradu Theologi Doctoris illustratus est in Eborensi Academia, præmissis de more publicâ disputatione, & cæteris ingenii, doctrinæq; suæ solemnibus experimentis. Eo quodlibeta, ut vocant, discutiente, venit Archiepiscopus minimè expectatus ad actum suâ præsentiâ decorandum: nihil tanto auditore turbatus Cyprianus, sed ad ipsum conversus in ejus laudem extemporaneam habuit orationem adeò luculentam, & tantâ suavitate plenam, ut multâ limâ coërcita, & ad unguem non semel castigata videretur. *Cyprianus Soarius fit Doctor.*

10. Ex eodem Collegio missiones plures institutæ. Duodecim sacerdotes, singuli cum socio scholastico in diversa oppida contenderunt. Cùm per majorem hebdomadam vestiti fuissent aulæis commodatis templi nostri parietes ob solemnitatem expositæ populo SS. Eucharistiæ: illâ finitâ Patres rusticis induti lacernis, bajulorum instar, humeris suis eadem reportârunt per mediam urbem in dominorum domos, cunctis eam demissionem prædicantibus. *Missiones.* *Nostrorum demissio.*

Annus 1567. Soc. 28.

1.

PRincipio Octobris Joannes Mellus Archiepiscopus Eborensis posuit multâ cæremoniâ primum lapidem templo nostro, cui machinæ incipiendæ & urgendæ præbuit ocasionem Eborensis fœminæ postulatio nomine totius fœminei sexûs Eborensis. Quòd ædes sacra, quâ utebamur, esset intra peristylium Academicum, illius aditus erat fœminis vetitus. Igitur nobilis matrona petitionem exarat in chartâ, cujus erat sententia: fœminas Eborenses jure merito queri de sua Celsitudine, quòd tanquam anathemate perculsæ arceantur à Collegii Societatis templo: Christianas se esse, & cupere frui Societatis doctrinâ: propterea flagitare ejus Celsitudinem, dignetur quàm primùm construere templum, quod ingredi possent fœminæ. Benignissimis oculis legit Henricus hunc libellum supplicem, & querelas ceu justas approbavit, nec ampliùs distulit operis exordia, cui fabricando tantus calor additus, quantum non longis pòst annis ostendent Annales. *Initium templi Collegii Eborensis.*

2. Michael Turrianus Visitator, cùm jam esset absolutum domicilium tironum in eodem Collegio, jussis eos ad illud migrare è domibus, quæ sunt in peristylio cisternæ, & alio proximo. Quamvis, ùt habent Collegii monumenta, anno sequenti mense Julio migratio sit facta. Hæc pars Collegii est in ipsius editiori loco. Dum tirones illic sunt educati, semper insederunt hanc habitationem, citra dubium æquè amabilem, ac venerabilem. Nam ædificium pro 15. aut viginti tironibus constructum est valde pulchrum; habet exornatissima sacella, monumenta magnæ pietatis, ùt est cubiculum, quo hospitatus S. Franciscus Borgia; simulacrum Christi de cruce pendentis, quod Henricus Cardinalis per medias flammas sustulit illæsus; exemplum picturæ Virginis à D. Luca, quam expressit penicillus Joannis Mayorgæ Martyris, & quam donavit Eborensi Collegio Ignatius Azebedius pariter Martyr, ac Ductor martyrium. Idcirco tiro- *Jubetur habitari domicilium tironum Eboræ.*

tirones sacram picturam vocant Virginem à Martyribus. Porrò magnus numerus Martyrum, qui cum Azebedio, & Petro Diasio in odium fidei sunt occisi, hanc domum incoluerunt. Nihil est illic, quod virtutem non spiret.

Initium templi Bracharensis. Collegii novus reditus.

3. Bracharæ Archiepiscopus fundator jecit primum lapidem templo sui & nostri Collegii, ipsemet in ea solemnitate habuit concionem. Crevit Collegium novo reditu monasterii S. Petri de Roris in diœcesi Bracharensi, quod illi donavit Cardinalis Henricus. Fuit Canonicorum Regularium S. Augustini. Hujus, & aliarum donationum causâ Henricus est Confundator Bracharensis Collegii, gaudétque cum Barrholomæo de Martyribus æqualibus suffragiis.

Profecti ad Indiam.

4. Decem nostri in tres naves divisi peregrè iverunt ad Indos: sacerdotes septem, Dominicus Alvarus, Gaspar Tavarius, Gaspar Diasius, ac Dominicus Lopius Lusitani. Organtinus Gnecus Italus Brixiensis præclarus in Japonia; Joannes Franciscus ejusdem nationis, & Joannes Rodericius Castellanus. Non sacerdotes Petrus Texeda, & Velloa Castellani, tertius Ribeira diaconatu initiatus. Die 17. Martii vela solverunt, 9. Septembris tenuêre Indiam.

Conimbricæ pluvia impetratur.

5. Conimbricæ Aprili mense deficientibus pluviis arebant segetes miserandâ facie. Habitæ supplicationes plurimæ ad placandum Deum. Solemnior 27. Aprilis ordinata ad templum nostrum. Anteibant pueri seminudi, honestiores senes excalceati: qui terga cedebant flagris, fuêre supra trecentos & sexaginta; hos dein intra Collegium vocatos nostri diversis somentis, siccato cruore, & curatis plagis, modico cibo refecêre. Quid? quòd & debilitatos nimiùm collegerint in lectos ad id paratos. Ea charitas tanto numero impensa magnis apud omnes laudibus celebrabatur. Ignatius Martinius singulari populi motu pro concione dixit. Nec DEus despexit tantum lacrymarum, & sanguinis, nam sequenti die cecidêre imbres copiosi.

Nostri in Madeira.

6. Nostri anno superiore ad Madeiram missi, ad hujus finem illic strenuè rem egerunt animarum. Compressa furtorum licentia, & restitutiones magni momenti factæ. Quæstor regiorum vectigalium testatus est, nihil iisdem labente anno deperiisse, cùm superioribus magnam sacchari vim surreptam esse recordarentur. Die festo S. Francisci Patres nostri egestatem templi Patrum Franciscanorum pro suggesto exposuerant: ocyùs cives pii dedêre cochlearia argentea, & catinos, quibus calices aliquot, thuribulum cum navicula, & alia supellex sacra confecta. Finitâ missione, reversi sunt nostri in Lusitaniam, comitante Legato ab Madeirensibus misso, qui nobilissimæ insulæ nomine Collegii fundationem à Serenissimo Rege impetraret.

Inquisitio stabilitur Conimbricæ.

7. Conimbricæ consedit anno hoc sanctæ Inquisitionis tribunal in Collegio à nobis relicto. Habitus in foro primus fidei, ut vocant, actus. Pro concione dixit Joannes Soarius Episcopus Conimbricensis. Vocati de nostris, qui dirigerent capitis damnatos. Duo sunt erepti flammis, quòd tempestivè resipuerint. Antonio Cordesio commendata post actum pœnitentium instructio.

Missiones.

8. Ex eodem Collegio duo & viginti sacerdotes prodière ad habendas sacras missiones. Ludovicus Molina, cùm finem posuisset magisterio Philosophico, aliam noluis reficiendis viribus quietem, quàm pedibus susceptam missionem. Igitur sumpto socio non sacerdote ad Aveirum, & vicina oppida profectus Apostolici zeli sui collegit fructus non pœnitendos, ac posteris reliquit generosum exemplum. Tempore vacationum octoginta è Collegio egressi peregrinantes ad loca pia. Magna pars ivit Scalabim ad sanctum, ut vocant, miraculum, ubi diversas figuras conspexerunt in ampulla, quâ servatur Eucharistiæ particula.

Domestica exempla.

9. De mortificationibus domesticis pauca attingam. Graviores Patres obtentâ facultate adiêrunt triclinium, asperéque in seipsos flagello sævierunt, uno eorum pronunciante, castigatione illâ puniri neglegentiam custodiendi regulas, statutáque Societatis nostræ. Placuit cæteris seniorum exemplum: nam aliâ die idem egit cum suis tironum Magister: aliâ Præceptores Philosophiæ cum

suis

suis discipulis: dein Magistri Gymnasiorum: secuti tandem reliqui. Quisquis modo aliquo speciali hanc, vel aliam exercuerat virtutem, statim imitatores habuit, & æmulatores.

10. Collegii virtus communicabatur nostrarum scholarum discipulis. Solebant dicere Academici, discipulos nostros sæculares non esse, sed fratres Societatis. Illorum sanctissimum exemplum sic corrigebat scholasticos Academiæ, ut apparitor affirmaverit, suos præcipuos reditus, antequàm Societas regeret scholas, fuisse arma detracta noctu scholasticis per urbem vagantibus; nunc verò se enecari fame, quòd noctu paucos haberet obvios, & hos inermes. Externi imitantur.

11. Visitator Turrianus plurimùm desudavit quoad coërcendam libertatem opinionum in re Philosophica. Igitur cum viris doctioribus selegit positiones Philosophicas dictandas, ac defendendas omnibus Magistris. Juxta hæc placita cæperunt Magistri hoc anno Philosophiam edocere. Opinionum libertas.

12. E Collegio Eborensi, Brigantino Duce postulante, Villamvissosam excoluit P. Cyprianus Soarius. Jusserat Dux illi parari ædes peripetasmatis, aliàque supellectili pretiosâ instructas. Verùm Cyprianus præter nosocomium aliam domum noluit. Neque admisit, cùm illa ædium ornamenta transferre vellent ad nosocomium. Rejecit pariter fercula delicata, cultros cum argenteis manubriis remisit. Multùm profecère doctrinâ & concionibus Cypriani cum Principes, tum universa Villavissosa. Pro continuata concione erat Concionatoris exemplum. Totum se Dux aperuit Cypriano, & in spiritu regendum commisit. Illi tradidit testamentum defuncti Ducis, ut explicaret quædam majoris momenti, & difficultatis. Franciscus Darius Cypriani comes sacerdos catechesim exponebat populo, & audiebat confitentes. Res Eborensis Collegii.

13. Per magni jejunii decursum diversis in oppidis data opera est juvando proximo. Helviæ Didacus Barrius, Bejæ Simon Vieira, quisque cum socio scholastico catechesim edocente. In vicum Maranonem, ubi morabatur Constantinus Brigantinus, olim Pro-rex Indiæ, ivit, ipso petente P. Petrus Paulus Ferrerius cum P. Ambrosio Pirio. Ubique strenuè res acta. Appetente vacationum tempore, rogavit Archiepiscopus nostrum Rectorem, aliquos per diœcesim spargeret, qui populos erudiant cœlesti doctrinâ. Ut mos tam justa petenti gereretur, operarii sanè egregii huc illuc distributi majorem partem vastæ diœceseos complectebantur.

14. Ivère Helviam Dominicus, Cardozus cum alio sacerdote; Mouram, Mouranum, Serpam, Monsarasium, Mersolam Simon Vieira; Alcacerem, & in vicina oppida Franciscus Monclarus; Canum, Figueiram, & horum finitima Christophorus Freirius; Vianam, Villam novam, & quæ circumstant, Franciscus Alvarus. Unicuique additus socius. Omnium in his excursionibus erat eadem consuetudo non acceptandi nisi in nosocomio hospitium, non admittendi jumenta oblata ad iter agendum. Si ad ipsos aliquis misit escas, sumptis vilioribus, cæteras ægrotis, aut vinctis in carcere tribuebant. Quæ, & quanta sint passi, facilè conjiciet prudens lector. Sed quacunque incedebant, tanquam Apostolos mirabantur, & sequebantur populi.

15. Simon Vieira ægrotans Mouræ inter mendicos nosocomii jacuit curandus: Illic eum invisère omnes nobiles. Helviæ Dominicus Cardozus aliis laboribus adjecit lectionem moralis scientiæ pro Clericis instruendis. Auditus tam avidè, ut urbs Archiepiscopum Eborensem rogârit, ad eos Dominicum rursus mitteret. Obtinuit illum à Provinciali comitem, Helviam, & alia oppida lustraturus. Hoc anno idem Dominicus ante solemnem professionem Doctoris gradu insignitus est.

16. Archiepiscopus, & Hieronymus Ozorius vir litteraturæ excellentissimæ, & id temporis inter Latinos Proceres grande nomen, honestârunt suâ præsentiâ diversas Academiæ celebritates, & theses, quas vocant magnas, pro solemnitate divini Spiritûs. Ut erat Ozorius princeps in humaniori litteratura, legit ipse appensa poëmata, audivit in Gymnasiis Magistros, à quibus cultissimis

ora-

orationibus & versibus est exceptus. Præmia, dialogis præmissis, singulis classibus distributa. Ozorio sic omnia placuêre, ut nihil magis.

Obit Franciscus Coelius. 17. Eborâ in Cœlum, ut piè credimus, translatus est 27. Maji Franciscus Coëlius scholasticus Visensis, adolescens Angelicus. Prope mortem recreatus aspectu sui Angeli Custodis, qui diem obitûs ipsi prædixit, ùt ex eo est intellectum. Mortis dies probavit rei veritatem. Præeuntem Franciscum secutus est 16. Decembris Ignatius Vogadus coadjutor temporalis, natus in oppido *Villa de Rege* diœcesis Visensis. Comitabatur in Africam Joannem Nunium, & Ludovicum Gonsalvium. Illic egregia, & vel Mauris venerabilia edidit sanctitatis exempla. Post duos Patres Lusitaniæ redditos Tituami solus permansit, consuluitque miseris captivis, nullo omisso charitatis officio. Ubi redierat, cogitârunt Majores de ipso ad sacros ordines evehendo; quibus ille: sinerent vitam ducere, atque mori in Coadjutoris gradu.

Ignatius Vogadus.

Annus 1568. Soc. 29.

I.

Rex Sebastianus incipit regnare. Ejus in nos animus. JAnuario hujus anni expleto ætatis anno decimo quarto Rex Sebastianus suscepit onus regendi Lusitanam monarchiam. Quanti faceret Societatem, ostendêre non pauca. Post acceptum regimen templum nullum priùs adivit, quàm nostræ domûs Professæ. Hanc ille domum solitus frequenter invisere ostio postico ingrediens cum paucis de suo comitatu. Alios intrare non sinebat, ne turbarent domûs silentium, & quietem. Audito sacro, divertebat cum Patribus ad surgentem domûs fabricam inspiciendam. Quamvis Ludovicus Gonsalvius egerat ab initio Regis Confessarium; biennio proximo illi fuit à confessionibus Ludovicus Montoya Augustinianus, vir notissimæ virtutis. Consultius postea Reginæ, & Cardinali visum, ut denuo illud obiret munus Gonsalvius. Ostensurus regium animum petivit à D. Borgia fundationes Madeirensem, & Angrensem, quas libenter concessit.

Conventus primus pro eligendo Procuratore Romam ituro. 2. Almeirini mense Aprili habitus conventus Provinciæ ad eligendum Procuratorem Romam mittendum; fuitque prima triennalis Congregatio pro mittendis hujusmodi Procuratoribus. Præfuit Leo Henriquius Provincialis. Electus primò locô Franciscus Henriquius, secundò Georgius Serranus, hic Romam adivit, ægrotante alterô. Postremâ Octobris è Brasilia redux post lustratam Provinciam venit Ulyssiponem Ignatius Azebedius. Tot ille retulit de parata Brasilia ad fidem imbibendam animis, ut in sociis protinus excitari cœperit divinum incendium, & cura consecrandi vitam salvandis Brasilis.

Ignatius Azebedius redit è Brasilia.

Contemptus rerum. 3. Leo Henriquius Provinciæ moderator socios Conimbricenses in amorem paupertatis mirificè inflammavit. Nam habitâ in sacello exhortatione de contemptu caducarum rerum, & amore paupertatis, visurus cujusque erga religiosam paupertatem studium, dixit, se velle sortitò dividere, quæcunque singuli apud se haberent, præmia, imagines, reliquias, & ejusmodi. Sub hanc vocem admirando fervore quisque festinans in cubiculum, sacello intulit, & in medio statuit, præeunte cæteris exemplo Petro Fonseca Rectore Collegii, quidquid earum rerum haberet. Omnia sorte distributa. Uni sua vel reliquiarum theca cùm obtigisset, eam acceptare renuit, ut patefaceret animum à rebus caducis omnino alienum.

Joannis Soarii existimatio de Societate. 4. Joannes Soarius Conimbricensis Episcopus, singularis nostrarum rerum æstimator, habens synodum diœcesanam, ac in ea de suggesto dicens, totus est effusus in laudem Societatis, cujus se adeò amantem, & amicum pronunciabat, ut, re poscente, ipsi daturus sit venæ sanguinem. Id equidem deberi nostris propter virtutem, & exemplum, quo præibant omnibus. Simul exhortatus Curiones, rogarent Collegii moderatorem, ad se mitteret sacerdotes nostros, qui subditorum animis mederentur. In templo Cathedrali alios noluit verba facere, nisi Ludovicum Alvarum, & Petrum Gomesium, quorum ser-

fervor, & verba ignita miros in auditorio excitabant motus. Peculiariter gaudebat acceptâ à Generali nostro facultate typis mandandi litteras nostrorum missas in Europam de rebus Japonicis. Subdidit: operi præfixurum epistolam, quâ nostræ modestiæ ægrè faceret, & Calumniatorum nostrorum ora obturaret. Eâ tempestate non erant in orbe Christiano narrationes æquè expetitæ, atque Japonicis de rebus litteræ.

5. Data in theatrum tragædia de filio prodigo, antequam decernerentur præmia litterariis in arena victoribus, quæ solebat suis expensis largiri Episcopus. Professores Academici, ad quorum excipienda dictata Theologi nostri accedebant, nostros reputabant auditorii sui florem. Si propter diffidentia horologia tardiùs adessent, ab dictando abstinebant, donec præsentes forent, quanquam ob id essent pecuniâ mulctandi. Hoc anno positus primus lapis ædificio nostri artium Collegii, quod lentè surrexit in eam, quam videmus, magnitudinem. Opus est atrio, & aulis capacissimis, dignum regiâ Majestate. Interim pro Gymnasiis erant illæ domus, quæ sunt emptæ pro utroque Collegio construendo. *Præmia data.* *Professorum in nostros benevolentia.* *Initium Collegii artium Conimbricæ.*

6. Plurimæ factæ sunt excursiones sacræ. Laurentius Mexia cum socio scholastico per Conimbricensem, & Visensem diœceses; Alvarus Paciecus cum Laurentio Paiva per tractum Arganiliensem; per Cortissadam Petrus Sylva cum Francisco Castrio Martyre; per Aveiri regionem Michaël Sousa cum Antonio Freirio, discurrêre. Alii ad Abrantem, ad Certamum alii, Sourem, Buarcum, Carquerem, Benesperam, & ecclesias Sanfinenses contendêre seminaturi DEI Verbum. Non pauci etiam sacerdotes per diœcesim Ulysiponensem bini, & bini populis profuerunt. *Missiones è Conimbrica.*

7. Quinque naves cum Ludovico Ataydio Pro-rege ad Indiam tetenderunt, tribus solùm nostris comitantibus, Gonsalo Alvaro Villavissosensi cum potestate Visitatoris sociorum per Orientem; Emmanuele Lopio Rectore Bracharensi ejus socio, & Gaspare Fernandio non sacerdote. De quinque sola prætoria navis Goam tenuit, aliæ Cocinensem portum intrârunt. Gonsalus, & Emmanuel naufragio periêre, ejecti ad littus maris Japonici. *Profecti ad Indiam.*

8. Quanquam Pius V. die 6. Januarii anno 1566. creatus Pontifex, quem jam in altaribus veneratur Christianus orbis, magni fecerit nostram Societatem, & Generalem Borgiam; decrevit tamen; neque aliud ullis precibus exorari potuit, ut in Professis domibus esset usus chori; quemadmodum Paulus IV. induxerat, & post ipsius mortem cessaverat. Igitur ubi novum Breviarium Pii cœpit esse usui, Chorus apertus in Domo Professa; nam ea lex Collegia non obligabat. Illud etiam nobis attulit incommodum, quòd noluerit sacros ordines conferri nostris, qui solemniter professi non essent. Quo diplomate sublatus est status Coadjutorum spiritualium. Inde, dum regnavit Pius, qui erant initiandi, priùs nuncupabant tria vota solemnia; postea sumebant ordines. Ex his, qui censebantur apti, conscendebant ad professionem 4. votorum. *Inducitur Chorus.* *Prohibetur ordinari sacris, qui professi non sint.*

9. Conimbricæ præmaturâ sublati morte sunt aliquot Scholastici. Raphaël Coëlius natus in agro Conimbricensi, sub extremum agonem molestos dæmonis perpessus insultus; piissimis verbis roboravit Leo Provincialis; hinc animis plenus fugato dæmone, in Domino quietus obdormivit. Didacus Albuquerquius Visensis, singulariter colebat Domini Crucem. Prope mortem dixit, se nimiâ perfundi consolatione. Joannes Oliveira à papulis perniciosis oppressus: vicinus morti fixit oculos in Crucifixi simulacro, nec inde amovit, donec naturæ concessit. Ex verbis & factis visum est, quanta virtus animo insederit. *Defuncti nostri.*

10. Abrantii in parentum domo diem obivit Bartholomæus Rodericius tiro. Cùm nullis medicinis pareret morbus, Consilio medicorum missus ad Cœlum patrium, ut sanitate restitutâ in Collegium redeat. In parentum domo tanto pudore & modestiâ vixit, ut esset intuentibus admirationi. Ultimâ vitæ die matutinis horis interrogavit matrem suam: quænam esset fæmina supra mo-

dum speciosa, quæ præsens sibi dixerat, moriturum horâ nonâ, & à se expectari? Non locutus vana; nam horâ nonâ spiritum efflavit. Existimatum matronam fuisse Sacrosanctam Virginem.

Diploma contra fautores desertorum.

11. Quamvis esset promulgatum Pontificium diploma de apostatis; non deerant litterati homines externi, qui favebant Societatem sponte suâ deserentibus, vel ad ordines alios migrantibus. Noxios errores Cardinalis Henricus exterminaturus usus potestate Legati de Latere, & Generalis Inquisitoris edidit litteras, ubi verbis gravissimis declaravit hujusmodi opiniones esse errores non tolerandos, & à sacra puniendos Inquisitione, tanquam sapientes hæresim. Præcepit in virtute sanctæ obedientiæ sub pœna excommunicationis, ne quis tenere, aut tam pestiferam docere doctrinam auderet. Hujusmodi diploma editum 13. Octobris frænum imposuit talium errorum defensoribus.

Quid actum cum desertore admisso in alium Ordinem.

12. Subjicio, quamvis anno sequenti contigerit, quod egit Cardinalis, cùm intelligeret Abbatem D. Bernardi monasterii Cersedani admisisse quendam Franciscum Carreirum Societatis desertorem, ac post annum donâsse solemni professione. Litteris suis Abbatem reprehendit, declarans desertorem anathemate intricatum, & verè Societatis Religiosum nullam emisisse professionem validam. Idcirco injungit Abbati sub virtute obedientiæ, statim mittat Franciscum Carreirum ad Procuratorem Residentiæ nostræ Carquerensis, quæ non longè distat à cœnobio monachorum, cui erat commissa potestas excommunicatum absolvendi; simulq; roget Provincialem, eum dimittat è Societate; quo liber his nodis, redditus cœnobio nuncupet professionem.

Res Eborensis Collegii.

13. Viginti supra centum incolebant Eborense Collegium. Missiones sacræ proventu magno habitæ. Franciscus Monclarus Torrami naviter laboravit. Mancipia, quæ plurima in oppido erant, festis diebus non solebant interesse Missæ sacrificio; curavit Pater, ut primo mane fieret sacrum, quo audito dominis suis debita præstarent obsequia. Instituta Sodalitas Nominis JESU ad tollendam jurandi consuetudinem. Altera ordinata, ut juvarentur suffragiis animæ lustralibus addictæ flammis. Diebus dominicis habitâ concione matutino tempore protinus ibat Vianam tribus distantem leucis vespere concionaturus.

14. Monte majore novo, Fronteiræ, & in pago Maranone, exercita eadem ministeria. Helviam Emmanuel Sequeira cum socio non sacerdote excoluit. Olivensa factionibus ardebat: vix erat spes remedii. Prætor Helviensis ex munere suo oppidum lustrans, & presbyter gubernans loco Septensis Episcopi, ad cujus diœcesim tunc Olivenla pertinebat, scripsêre ad Rectorem nostrum obsecrantes, aliquot sacerdotibus eò missis occurreret grassanti malo. Octobri mense illò profecti Gaspar Gonsalvius, & Franciscus Monclarus sacerdotes cum Gonsalo Dinisio nondum initiato. Fuêre primi de nostris, qui Olivensam sunt ingressi. Quondam Emmanuelem Fernandium Martyrem ex Helvia illac transiturum noluerant admittere.

15. Integro mense non modicâ contentione laboratum in domandis ferocibus animis, qui vix aliud præter arma cogitabant. Magna, & atrocia diffidia æstuabant etiam inter Olivensam, & Alconchelium oppidum Regis Castellani ob limites utriusque regni, quibúsque ad se trahentibus terræ partem. Oriebatur inde, ut, si quid ejus soli coleretur à Castellanis, Lusitani everterent; si quid à Lusitanis, illi destruerent. Sæpe horologio bellicum sonante, quingenti Lusitani, totidémque ex hostibus in aciem armati processêre, mutuis cladibus per summam vesaniam se lacerantes. Ab Alconhelensibus rogati Patres, ut tantam perniciem amolirentur, in amicitiam flexerunt animos; datæ dexteræ; fœdus ictum eâ conditione, ut, qui primi turbarent pacem, ipsi pœnæ nomine persolverent alteris trecentos cruciatos. Cætera, quæ remedio indigebant, omnia ad votum composita. In discessu non defuêre lacrymæ; has Provisor Episcopi detersit spe reditûs.

16. Non

16. Non minùs, quàm Olivensa, factionibus scindebatur Moura nobile trans Anam flumen oppidum. In sedandis animis Archiepiscopus, aliique viri dynastæ operam insumpserant nullo fructu. Igitur rogante Archipræsule Mouram tetendit Simon Vieira. Optatis respondit eventus; nam piis concionibus mollita est mentium ferocia.

17. Intra urbem ingens cura adhibita est juvandis in Spiritu proximis cum verbo, tum exemplo. Adventûs, & Quadragesimæ diebus feriatis Magistri Latinitatis, & Philosophiæ unà cum discipulis externis longo agmine procedebant ad Christianam doctrinam in paræciis explicandam. Augusto mense furentibus morbis ad nosocomium nullo discrimine ætatis ivère nostri in orbem singulis diebus. Nullum fuit abjectissimum ministerium, quod non obiret charitas. Cùm de nostris ægrotâssent aliqui, suadebant externi, supersederent operæ, ne graves morbos contraherent. Responsum est, pestilentiâ sæviente, quemque Christi serventem amatorem vitam morti offerre; igitur ob tam levem timorem non omittendum piissimum opus, in quo præter corpora lucrarentur ægrotantium animas.

18. Rupto aquæductu Eborensi publico, aquæ penuria vehementer pressit nosocomium, & carceres urbis, Archiepiscopi, & Inquisitionis. Dum opus reficitur, visum est Rectori è domestica cisterna miseris providere. Primò sacerdotes nostri, & Theologi adeuntes prædicta loca, petivère lagenas, & vasa aquæ portandæ; redeuntes domum complebant, & deferebant in carceres. Idem exemplum scholastici imitati sunt. Jucundum prorsus DEO & hominibus spectaculum erat cernere nobilissimum quemque, pallio famulis tradito, è manu pendente lagenâ per urbem mediam id pium opus exequentem. Idem fecère Convictores Collegii Cardinalis.

19. Cùm leges Eborensis Academiæ essent absolutæ, nostri Cardinalem rogaverunt, traderet videndas, & corrigendas alicui. Respondit Princeps, non esse, cui plùs fideret, quàm Societatis hominibus. Propter has leges Conclusiones pro solemnitate divini Spiritûs, quæ hactenus erant de quæstionibus Philosophicis, deinceps alternis annis habitæ de Theologia, ac Philosophiâ.

20. Petrus Martinius, qui obiit Episcopus Japonensis, accepit nondum sacerdos gradum Baccalaurei in sacra Theologia, insignitus albo cucullo, ùt moris tunc erat. Quod referre placuit propter abolitam antiquitatem. Solùm nostris permittuntur pro scientiarum gradibus fila serica in pileo. Augusto mense Conimbricâ venerunt Ludovicus Molina, & Fernandus Rebellus, Eborensis Academiæ Doctores valde illustres. Molina magisterium Theologiæ auspicaturus erat. Annus litterarius tunc habebat initium 9. Septembris, in qua fiebat oratio de laudibus sapientiæ. Solùm Philosophiæ cursus Octobri solebat incipi. Vacationes pro scientiarum & Rhetoricæ Gymnasiis ab 8. Julii ad octavam Septembris perdurabant. Pro inferioribus Gymnasiis non excedebant mensem. Hujusmodi consuetudo calorum causâ in hanc, quam tenemus, mutata, ùt infrà dicetur. *Lud. Molina incipit Eboræ magisterium. Vacationum consuetudo.*

21. Onere haud modico liberata est Societas in Eborensi Academia, dum Pius V. diplomate expedito 28. Maji concessit Societati plenam administrationem ejusdem Academiæ, tollens Archiepiscopis, & Regi jurisdictionem in eam, & lustrandi potestatem. Id flagitavit Serenissimus Fundator, consulens quieti Societatis futuro tempore: nam Bulla Pont. Pauli IV. Academiam erigentis, & Archiepiscopis post Cardinalem venturis, & Lusitaniæ Regibus illam subjiciebat. Res ipsa ostendit, quàm consultè id factum sit; Henrico enim de vivis sublato, ejus successor Theotonius talem jurisdictionem ambivit. Et nisi foret prædictum diploma, rebus nostris plurimùm incommodâsset. Solemnem professionem nuncupârunt primi Eboræ, Fernandus Perius, & Petrus Paulus Ferterius, alter primæ cathedræ, alter scripturæ Professor. *Liberatur Eborensis Academia jurisdictione Archiepiscoporum, & Regum. Primi Professi Eboræ.*

Annus 1569. Soc. 30.

1.

Pestis Ulyssipone.

ANnum prorsus funestum & calamitosum ingredimur. Immanissima pestilentia Ulyssiponem tam ferociter corripuit, & vastavit, ut Ulyssipo, quanta est, ob infrequentiam sit reddita par vastæ solitudini, urbis cadaver. Eam pestem ob infinitam stragem, útque ab aliis pestilentiis distinguant, antiqua monumenta dixêre *magnam*. Mirus ardor invasit nostros homines infectorum servitio vitas consecrandi. Primus fuisset Provincialis Leo Henriquius; sed vetuit præcepto obedientiæ Cardinalis, usus potestate Legati à latere. Ludovicus Gonsalvius Regis Confessarius, nisi prohibitus esset, etiam Rege inscio, se miscuisset incendio.

2. Regebat Domum Professam Franciscus Henriquius, Collegium Gaspar Alvarus. Longam historiam poscunt à nostris edita exempla. Mihi compendia scribenti solùm quædam indicia laborum illustrium attingenda. Dicitur à fæmina Hispalensi malum exortum Decembri mense anni superioris. Nec à veritate res aliena, cùm Hispalis exarsisset peste. Fæmina inde veniens substitit in castello divi Juliani ad ostium Tagi, cujus fabrica tunc surgebat. Malum cæpit vulgari, ut solet flamma, quæ lentè vires acquirit, priusquàm excitet incendium. Sex & triginta Medici adeò sunt hallucinati, dum conferunt inter se, quodnam esset morbi genus, ut omnes pestilentiæ tabem esse negaverint. Idcirco potuit diffundi liberiùs, donec Julio mense amotum omne dubium. Credebatur à plebe novâ Lunâ Julii appetente subvertendam Ulyssiponem. Tantum dominatus terror panicus, ut ea cogitatio solùm experimento sit abolita. Infinita multitudo, quæ se in campos, & oliveta effuderat, ad urbem, tanquam ad sepulturam, reversa.

Mortui peste infectis serviendo.

3. Primi, qui se dicârunt contagio laborantibus, fuêre nostri Domûs Professæ, hos sequebatur D. Antonii Collegium. E Domo Professa animas in eo charitatis obsequio posuêre sex sacerdotes, & tres laici. Alphonsus Gilius, Franciscus Gonsalvius, Emmanuel Godinius, Michaël Estevius, Joannes Moura, Michaël Gomius. Non sacerdotes Rodericus Sampayus, Gaspar Correa, & Georgius Alvarus. E Collegio periêre alii novem: Gaspar Alvarus Rector, Gaspar Planus scholarum Præfectus, Emmanuel Rodericius, sacerdotes; Ludovicus Bravus, Stephanus Nunius, Covmas Vasæus, Gonsalus Barreira, Antonius Alphonsus, ac Didacus Carvalius, non sacerdotes.

Opera navata aliorum.

4. Aliorum, quibus mors pepercit, egregia fulsit opera; cumprimis Balthasaris Barreiræ, qui post atroces curationes iterum se restituit sublevandis miseris. Antonius Monserratius totus incubuit colligendis in domum certam puellis orbitate afflictis, ne periclitaretur earum pudicitia. Multâ deinde virtute splenduit hoc virginum gynæceum, donec ex eo institutum est observantissimum Cœnobium Monialium à diva Martha nuncupatum. Porrò rem strenuè gessit Fulgentius Freirius socius adjutor, qui post diuturnam, & ærumnosam apud Cairum in Ægypto captivitatem redemptus venerat Romam, & inde Ulyssiponem, ubi agebat Domûs Professæ Janitorem, cùm pestis erupit, & sæviit. Quamvis senex & attritus laboribus, ùt sanus & juvenis in curandis infirmis desudavit. Nolebat muniri antidotis, dictitans, non timere se pestem, cui assuefactus esset Cairi.

Cardinalis, & Regis, de iis, qui obiérunt, testimonium.

5. Cardinalis ad Borgiam scripsit, amplissimis verbis collaudans omnium, qui consuluerunt infectis, charitatem laudibus cunctis majorem. Ajebat, jure merito numerandos inter martyres, qui vitam profudissent in sanctissimo ministerio. Rex Sebastianus per litteras rogavit Pontificem, concederet sacris initiari quadraginta de nostris ante emissa vota solemnia, ut eorum explerent locum, qui militando adversus pestem in acie cecidissent. Verùm Borgiæ non est visum uti litteris, & patrocinio Regis.

6. In

6. In oppido diœcesis Conimbricensis sexdecim capita voravit pestilentia. Id ubi cognitum Petro Fonsecæ Collegii Rectori, convenit Episcopum, obtulitque sacerdotem, qui miseris succurreret, ac sacramentis muniret. Gratias habuit Episcopus, Societatis charitatem multis extollens encomiis; se remedium dixit adhibuisse; si res posceret, usurum charitate se tam animosè offerentium. Ab eodem P. Fonseca Visonum missus P. Dominicus Cardozus Episcopum inter & senatum dissidia, ac Canonici erga neptem implacabile odium restinxit. *Res Conimbricæ gestæ.*

7. Collegio Conimbricensi tertius Theologiæ Professor additur. Mense Decembri Georgius Serranus, qui finem posuerat gubernio Eborensis Collegii, successit in Conimbricensis administratione Petro Fonsecæ. Hic migravit Eboram laureâ Doctoris illustrandus.

8. Præter eos, quos rapuit pestilentia, vivorum numero expunctus est Bucellæ prope Ulyssiponem 26. Augusti P. Antonius Correa Portuensis, qui primus erudiit tirones post separationem à cæterorum commercio. Excellentibus claruisse virtutibus constat ex illius vita prælo subjecta. Eboræ paulò post biennium probationis mense Junio immaturâ correptus morte Alvarus Vieira Eborensis scholasticus. Dum decubuit æger, patuit, quàm altas in eo radices virtus jecisset. DEUS erat in corde, & ore. Quidquid obedientia illi injunxit, fine mora executus est. Conimbricæ Franciscus Andrada Sealabitanus scholasticus, virtutum omnium exemplar. Jam proluxit sanctimonia, cùm ad nos accesserat. *Mors Antonii Correæ. Alvari Vieiræ. Francisci Andradæ.*

9. Non pauci Ulyssipone pestilentiæ causâ fugerunt Eboram. Verùm urbs diligentissimè custodita neminem intra muros admisit. Substitêre ad monasterium Cistercienfium monialium inter oliveta. Mercatoris locupletis filia, quæ malo perculsa venerat, brevi periit. Nec parentes, nec alius fuit, qui vellet sepelire. Sciebant miseri Societatis charitatem Ulyssipone dilaudatam: poscunt hominem à Collegii Rectore, qui terræ illud cadaver committeret, & simul vivis consuleret, audiendo pœnitentes. Quisque certatim in Collegio procuravit sibi hujusmodi provinciam. Electi Bernardinus de Regibus sacerdos, & Emmanuel Alvarus Coadjutor, qui sequenti anno martyrii palmam indeptus est. *Eboræ succurritur infectis peste.*

10. Cùm viderent nostros, de genibus, oculis manibúsque in Cœlum sublatis habuêre gratias Patri misericordiarum, quòd auxilio tam opportuno sibi prospiceret. Ocyùs puellæ cadaver, terrâ obrutum, cæterísque adhibita corporis, & animæ remedia. Cùm duo essent impares labori, petiverunt à Rectore suppetias. Rursus in Collegio excitatum studium, & animorum ardor, singulis nominari ambientibus. Missi Antonius Costa sacerdos, & Sebastianus Alvarus. Non solùm ad collem divi Benedicti, sed etiam in diversis villis multùm inde distantibus subsistebant hominum miserrimi, quibus indefessâ charitate succursum est.

11. In Collegii templo id temporis erat concursus innumerus ad confessiones. Timebatur enim, ne pestis urbem popularetur. Assiduis etiam precibus nitebatur Collegium, DEum reddere propitium. Quotidie recitabantur Litaniæ, & precationes diversæ, fiebat verberatio, jejunia stata, & pro cujusq; pia propensione alia sancta exercitia. Nec incassùm. Sospites enim redière nostri è tanto periculo. De perculsis tabe non multi interiêre. Vix explicari potest, quantùm ab omnibus sit laudata Societatis charitas. Archiepiscopus ad se Antonium Costam adeuntem excepit velut Angelum, & ea dixit in Societatis commendationem, quæ pudor recensere prohibet.

12. Summos, infimósque nobis mirùm conciliavit præsens erga miserrimos charitas. A multis annis laboratum fuerat, ut Eborensis Civis Collegio venderet aliquot terræ jugera, in quæ fenestrarum erat prospectus. Nullo pretio vinci potuit. Cùm de vivis per hoc tempus excessisset, id ab uxore illius vidua postulatum. Ut erat omnium de Societate magnificè sentientium opini-

one recenti imbuta, non vendidit, sed libentissimè largita est. Gratias habens Rector, promisit daturum, dum ipsa viveret, annum reditum duorum jugerum. Nullo modo vidua consensit. Vix post multas preces triennio solùm dixit acceptaturam.

Missiones Collegii Eborensis. 13. Ante prædictos labores per huius anni Quadragesimam in oppida diversa Evangelici præcones exierant. Etiam per Adventum Domini aliæ plagæ excultæ sunt. Intra urbem pari fervore per Quadragesimam desudatum. Singulis diebus Dominicis de Collegio concionaturi, & explicaturi catechesim egrediebantur sex & viginti. Rogante Oliveiræ pagi dynastâ, sibi mitti sacerdotem, respondit Collegii moderator, sacerdotes esse jam missionibus destinatos; si vellet non sacerdotem, sed in concionibus exercitum, libenter concessurum. Cui dynasta: dum concionator de Societate sit, vel coco ero contentus.

Henricus Academiam suam invisit. 14. Ab annis multis Cardinalis Henricus suum Collegium & Academiam Eborensem cupiebat invisere. Sæpe rumor nostris persuaserat, ipsum venire; parabantur, quæ forent opus tanto Principi excipiendo, eventu semper inani. Hoc anno, quin diceret itineris finem, profectus Eboram, Calendis Maji horâ post meridiem tertiâ adest Nuncius Cardinalem, quem loco distanti tribus leucis reliquisset, ad momenta præsentem fore. Ad id loci ne comitantibus, quò concederet, manifestabat.

15. Omni curâ, quiqui domi erant, incubuêre ipsius habitationi, & toti Collegio parando. Sudabatur inter laborem, cùm Princeps ingreditur atrium Academiæ, Benevolentiæ & amoris paterni signa fuerunt plurima. Sequenti mane horâ surgendi, cùm non audisset tintinnabulum, percontatus, quid rei foret; respondêre, non pulsatum, ne ejus Celsitas quiescens turbaretur: tum commendavit, ne propter se ulla in re mutaretur ordo domesticus. Altero die vespere adivit Gymnasia, ubi à Magistris plausibus penè extemporaneis sic est exceptus, ut nihil magis ex voto potuerit contingere. Interfuit disputationibus Theologicis, & Magistro Artium gradu donando. Audivit alphabetarios de Christiana doctrina concertantes. Sub occasum solis in horto cœnavit. Dein horti culturam lustravit, & direxit.

16. Dum 4. Maji B. Virginem ab Spineto inviseret, redeuntem ad urbis portam expectabat omnis Academia in alas partita. Anteibant alphabetarii serto floreo capita coronante. Cardinali in medium suscepto, cæpit moveri agmen Academicum magnâ pompâ, infinito circumstante populo. Ubi templum ingressus est, habuit è suggesto Orationem Marcellus Rochia cum plausu omnium. Postea Cardinalis omnem concionem impertivit sacrâ benedictione.

17. Inter prandium disputârunt Philosophi; Theologos etiam audierat jam inter epulas. Ante solis occasum profectus Valverdum, villa est Eborensium archipræsulum. Morari diutiùs non potuit ob negotia publica, quæ majori ex parte ipsius humeris incumbebant. Tantam cepit animi lætitiam, ut stuperent domestici, asserentes, non posse diu Ulyssipone teneri, quin rediret Eboram. Nec eos sua fefellit opinio.

Antonius filius Principis Ludovici. 18. Jam Antonius Ludovici Principis filius mense Februario Academiam suâ præsentiâ honestaverat, Præceptores singulos in Gymnasiis audierat, ac Philosophos, Theologósque disputantes, hospitio intra Collegium exceptus. Mense Junio reversus ex suo Cratensi Prioratu Eboram habitavit in parte regii palatii; aliam occupabant Convictores eò translati. Nihil æquè Antonium recreaverat, atque interesse litterariis exercitationibus. Præsens unà cum Archiepiscopo fuit dialogo, & declamantibus præviis divisioni præmiorum cum altioribus, tum pro inferioribus Gymnasiis.

Sebastianus Rex, & Cardinalis Eboræ. 19. Octobri mense Rex, Cardinalis, & cæteri Principes Eboram venêre, recedentes ex Ulyssiponis vicinia propter pestilentiæ contagium. Universa Academia processit obviam Regi & Cardinali ad ædem D. Sebastiani extra muros, jucundum Regi spectaculum. Rex, Cardinalis, Eduardus filius Eduardi Infantis, & Antonius filius Ludovici, inter alas Academicas deducti. In Academia

mia diversis stationibus, & theatris scholastici bellè exornati, scientiarum induti personas, Regem prætereuntem elegantissimis versibus consalutabant. Templum ingresso panegyris dicta ab Academiæ Præfecto. Audiendis Magistris, scientiarum disputationibus, & litterariis actibus apparebat Rex quotidianus auditor. Data in scenam tragædia de divite avaro, cujus ante fores jacuit mendicus Lazarus, Rege, & Cardinali mirùm recreatis.

20. Cùm Ignatius Azebedius revertisset è Romana Curia, secum duxit exemplum picturæ B. Virginis à D. Luca expressæ: hanc ille sociis ostendit Conimbricæ; deinde profectus Eboram, postquam obtulit venerandam nostris, tradidit Reginæ Catharinæ: illam ipsi dono mittebat S. Franciscus Borgia. Regina moriens eam legavit Domui Professæ Ulyssiponensi. Plurimis annis fuit inter sacras templi reliquias, donec est translata ad sacrum templi vestiarium; ibi hodiedum colitur. Prima fuit, quam Pontifices permisêre depingi ex illa divi Lucæ. Azebedius per Mayorgam alias curavit exprimi juxta archetypum, quas distribuit Collegiis Conimbricensi, Eborensi, & Ulyssiponensi; alteram secum tulit, & cum ipsa est in undas projectus, quam dicunt conservari in Bahiæ Collegio. Plurimùm Rex favit venerabili P. Ignatio, cujus virtus sic Eboræ non solùm nostros, sed etiam externos incendit, ut ipso movente magnus numerus ex Academia in Societatem sit adscriptus. Ignatius Azebedius venit Romà.

21. Fama apud Lusitanos vulgata erat de aurifodinis Monomotapæ: Regnum est vastissimum in Africa ultra Caput Bonæ spei; ubi martyrium sustinuit noster Gonsalus Silveira jussu Regis occisus. Præter alia, & hæc Gonsali mors causam præbuit ad invadendum bello iniquum Regem. Commendata expeditio Francisco Barreto viro præclarissimo in rebus Indicis, nam & Indiam nomine nequaquam vulgari gubernaverat. Non defuêre indicia, ùt sequenti numero dicetur, quibus conjici posset hujus expeditionis infelicitas. Barretus sine aliquot de nostris abire recusavit. Dati sunt comites Franciscus Monclarus, & Stephanus Lopius, ille Professus, hic spiritualis Coadjutor; Dominicus Gonsalvius, & Gonsalus Dinisius in temporalibus adjutores. Nostri cum Franc. Barreto eunt Monomotapam.

22. Constituerant nostri ante profectionem invisere miraculum Scalabitanum. Cùm non occurreret aliquis è diebus, quibus populo exponitur, obtenta facultas à Cardinali, ut januâ clausâ ipsis pateret. Unus (existimo fuisse Monclarum) in ampulla crystallina, ubi servatur à multis sæculis incorrupta sacra hostia, diversas conspexit figuras, quæ persudêre animum, nescio, quo sacro horrore, & omine. Intuitus enim crucem factam ex humanis ossibus, dein quædam carnis fragmenta, tum Christi illusi imaginem, qualem Pilatus obtulit videndum populo. Interim Monclarus malum ominabatur expeditionis exitum.

23. Tres naves validæ fortissimo refertæ milite, & armamentis omnibus in expeditionem Barreto datæ, 16. Aprilis egressæ Tagum. Paulò pòst subortâ tempestate, è tribus una fracto malo in portum rediit. Duæ ad æquatorem provectæ, quem expansis velis transiliit navis minor: at prætoria collegit vela, idcirco opportunitate neglectâ septem supra sexagintà dies consumpsit, priusquàm superaret æquatorem, ad Brasiliam dein appellere coacta.

24. Sub finem Januarii sequentis anni, rursus itinere suscepto, tenuit Mossambiquium die 16. Maji. Post infinitos rerum casus, Barretus anno 1573. Cuama flumine ascenso, & bello felicibus initiis per Senam & Teten colonias Lusitanorum illato hostibus, cessit retrò propter pestilentes morbos, qui majorem exercitûs partem corruperant; & ipse ex eadem tabe decessit è vivis. De nostris periêre duo coadjutores. Monclarus cum alio sacerdote, & exercitûs reliquiis Mossambiquium revertit; inde Goam profectus, annis sequentibus venit in Europam Procurator, ac reversus ad Indiam. Vir fuit ad quæque difficilia magnis animis, nunquam à Barreti latere discessit. Ille miseris unicum solatium, & remedium. Natus Visonii, Societatem Conimbricæ ingressus. Creditum, Regem Sebastianum ideo per suos hanc suscepisse expeditionem

Monomotapæ, ut barbaris aurifodinas tradentibus, abundè sibi esset pecuniarum, quibus sustineret immensum sumptum Africani belli, quod jam secum meditabatur. Verùm hujusmodi Monomotapensis expeditio prælusit tanquam vaticinium infelicitati Africanæ.

Annus 1570. Soc. 31.

1.

Ignatii Azebedii, & sociorum ejus martyrium.

ANnum scribo Ignatii Azebedii, & sociorum glorioso martyrio illustrem. Veniens Româ destinatus Brasiliæ Provincialis optimos Comites elegit in Provinciis Hispaniæ ex facultate Borgiæ Generalis: Lusitanos pari ardore succendit, inque Vallem-Rosalem cohortem suam felicissimam coëgit: villa est Collegii Ulyssiponensis sita trans Tagum: illic cum sociis vitam duxerat planè cœlestem. Navem S. Jacobi tandem cum sociis 39. conscendit, prætoriam Ludovici Vasconcellii Brasiliæ Præfecti P. Petrus Diasius cum sociis supra viginti; aliam navem dictam ob orphanis, quòd multos pueros parentibus orbos veheret, P. Franciscus Castrius cum duobus. Præter hos ferebantur quàm plurimi vel in itinere, vel in Brasilia Societati adjungendi, si dies ipsa dignos ostenderet. Omnes explebant numerum sexagesimum nonum. In navi morem vivendi instituit Ignatius, quem observaverant in Collegiis.

2. Appulsa classis ad insulam Madeiransem. Cæterâ relictâ ibi classe, necessarium fuit mercatoribus navis à S. Jacobo adire Fortunatas, sive Canarias insulas. Prope Palmam navis Lusitana ab hæreticis Gallis Rupellensibus Duce Jacobo Soria capta est post pugnam non incruentam. Diverso mortis genere nostri cum Duce Ignatio sunt occisi in odium fidei. Locò unius, quem ad culinæ ministeria servârunt hæretici, suffecit DEus scholasticum, ut expleretur quadragenarius numerus. Ignatius in undas conjectus manu tenebat imaginem Deiparentis, quam nec post mortem hostes illi evellere poterant. Parco referendis singulorum nominibus, quòd passim obvia sint in historiis Societatis. Ignatius Azebedius, domo Portuensis, Illustrissimâ natus prosapiâ, vel si abesset martyrii gloria, æquavit viros nostræ Societatis præstantissimos. Passi sunt 15. Julii, excepto Simone Costa, qui die sequenti collo secto in mare provolutus.

Initium Collegii Madeirensis.

3. Factum initium Madeirensi, & Angrensi Collegio. Primi Conditores 9. Martii ad Madeiram sunt profecti sex de nostris, Emmanuel Sequeira futurus Rector, Petrus Quaresma docturus quæstiones de conscientia, Melchior Oliveira ad excipiendas confessiones, Vascus Baptista nondum sacerdos ad tradendam Rhetoricam. Aliorum nomina non inveni explicata. Intra nonum diem ad insulam pervenêre. Ob pestem Ulyssiponensem multis diebus ab urbis ingressu prohibiti morabantur in villa cujusdam Fernandi Favelæ prope sacram ædiculam B. Virginis ab auxilio. Fuit illa ædicula domus prima, quam hæretici, cùm urbem caperent annis superioribus, diripuêre.

4. Pòst legitimam expurgationis moram conductâ in urbe domo ad ædem S. Sebastiani commigravimus. Die 6. Maji dicatâ divo Joanni ante portam Latinam aperta Gymnasia moralis scientiæ, & Latinitatis, oratione perelegànti habitâ à Vasco Baptista. Propterea Collegium sacratum fuit S. Joanni Evangelistæ. Fundatorem agnoscit Regem Sebastianum. In hac domo exceptus Azebedius cum sociis, quorum multos Emmanuel Sequeira erudierat in Eborensi tirocinio.

5. Difficile credi potest, quàm corrupti forent hominum mores. Vix erat, qui concubinam non aleret. Quid? quòd non censeretur inter nobiles, quisquis tali probro careret. Quódque execrandum magis, ipsi presbyteri pellices, tanquam legitimas uxores domi retinebant: filiorum baptismata fiebant cum pompa & comitatu ex eorum domibus ad templum, ùt moris est cum prole legitimo thoro nata. Ex ejusmodi pastoribus, perspicuè conjicitur status ovium.

Verbo,

Verbo, scelerum omnium dominabatur licentia. Ubi primùm cœpêre nostri de sacro suggesto tonare, de veterno velut excitati mortales, quid suâ interesset, conspexêre: paulatim inducta nova morum facies, frequentata Sacramenta. Sequeira tanquam Apostolus audiebatur.

6. Attamen Simon Gonsalvius Camera primus Caletæ Comes insulæ Dominus, & summus Præfectus non parùm negotii nobis facessivit. Erat germanus frater nostri Ludovici Gonsalvii Regis Confessarii, & Martini Gonsalvii Cameræ, qui cuncta poterat apud Regem. Duobus Simon confisus fratribus, audebat plura, quàm vellent tam sancti fratres. Nostris, quos maximè deberet protegere, erat infensus: nolebat in sua insula: timuit ipsos futuros observatores, ac delatores apud Regem, quæ perperam faceret. Cùm putarent indigenæ Præfectum adversus ipsos audaciorem ob fratrem Regis Confessarium, initio nos aliis intuebantur oculis tanquam sibi suspectos, & homines adhæsuros Præfecto. Sed ipsa dies detersit has, aliásque nebulas.

7. Par numerus ad fundandum Angrense Collegium missus. Angra urbs elegans, & metropolis insularum, quas dicunt Tertias. Ibat Rector Ludovicus Vasconcellius de præcipua regni nobilitate, simul professurus moralem scientiam: venerabiles viri Petrus Gomius, & Balthasar Barreira acturi verbi divini præcones. Cæteros non reperi nominatos. Duo Latinitatis moderaturi Gymnasia, alius officiis domesticis erat operam daturus. Maji 14. solverunt è Tago, 1. Junii tenuêre sinum Angrensem. Initium Collegii Angrensis.

8. Cognito, Patres adesse, Prætor, & urbis senatores, scaphâ conscensâ, excipiunt novos hospites. Nonius Alvarus Pereira Episcopus cum Vicario Generali, & cætero Clero expectabat in littore, gaudio maximo venientes complexus gratulatur adventum. Displosa arcium tormenta in communis lætitiæ signum. E portu contenderunt ad ædem B. Virginis habituri gratias pro adventu & incolumitate novorum hospitum. Deinde sunt comitati usque ad domos ipsis paratas. Episcopus vir piissimus nostro usus Confessore, moriens legavit Collegio quadraginta supra trecenta volumina de sua bibliotheca. Quod subsidium eò pluris factum, quò magis erat necessarium.

9. Joannes Sylva de Canto vir per eas insulas primæ nobilitatis donavit amplas domos cum septo, & fonte, ac pulchro sacello B. Virgini de nivibus dicato, quas habitavimus, donec ad novum Collegium est migratum. Hanc tam magnificam donationem remuneravit DEus abundantiâ donorum cœlestium, nam usus directore conscientiæ suæ P. Petro Gomio, non minùs piè vixit, quàm est mortuus. De solo publico impertivit Senatus aliquid spatio proferendo. Eâdem erga nos usus liberalitate, cùm est comparatum spatium ad condendum ædificium, in quo hodie sumus.

10. Apertis Gymnasiis, confluxit auditorum magnus numerus. Canonici intererant lectioni Casuum conscientiæ. Inducta sacramentorum frequentia. Petrus Gomius audiebatur tanquam homo divinus. Jacebant mores, dominabantur ludus, & aliæ corruptelæ, quas abegit mirâ felicitate. Inerat ejus verbis quædam vis occulta, quâ mulcebat ad virtutem, & vitæ mutationem vel corda lapidea. Scholastici obibant omnia illa sancta exercitia, quæ diximus tractando de aliis Collegiis.

11. Michaël Sousa, & Garcia Simonius sacerdotes, id petente Antonio filio Principis Ludovici, peregerunt Crati sacram missionem. Factus certior Antonius de Patrum adventu extra muros egressus cum duobus cubiculariis venientes humanissimè excepit, ac deduxit in hospitium, dum pararetur aliud in nosocomio, quod enixè rogaverunt. Et concionibus, & catechesis explicationibus magnâ pietate semper adfuit Princeps. Adeò frequenter expiabat conscientiam, & cœlesti reficiebatur pane, ut omnes dicerent videri religiosum. Quòd misericordiæ domus esset angusta, cupiebant oppidi Primores domûs viri nobilis septum, quod præbere justo etiam oblato pretio recusabat. Eum Michaël allocutus sic imbuit pio sensu, ut libens expleverit omnium vota. Anto- Missio Crati.

Antonius Franco. M nius

nius denuo conatus illic condere Societatis Collegium, promisit daturum protinus æreorum regalium ter centum millia, ac fabricam apto loco ædificaturum. Non reperi, cur non sit acceptata Principis liberalitas.

Actus Theologicus. 12. Mense Februario Eborensis Academia splenduit actu Theologico. Ignatius Martinius, Præside Petro Fonseca, Theologicas theses biduo propugnabat, Rege, & Cardinali præsentibus cum universa aula. Aderant pariter secundâ Paschæ octavâ, cùm uterque Doctoris gradu insigniretur. Patroni de more Academico fuerunt P. Fonsecæ Doctor Payus, Martinii Ludovicus Granatensis.

Nostrum templum pro regio facello. 13. Verni jejunii tempore pro regio facello fuit templum nostrum. Concionatores F. Thomas Dominicanus, Marcus Georgius, & Ignatius Martinius nostri. Feriâ quintâ majoris hebdomadæ lavit Rex 12. pauperum pedes; eisdem intra Collegium præbuit opiparum prandium, ministrantibus familiæ Regiæ viris illustrissimis. Cætera pietatis exercitia, quæ in more sunt Regibus Lusitanis per majorem hebdomadam & pascha peracta in templo nostro pompâ regiâ.

Familia Cardinalis virtuti studet. 14. Henricus Cardinalis intra Collegium habitans unicè studebat, ne domûs quies turbaretur. Idcirco novam januam jussit aperiri, ne ad hospitium suum iretur per communem Collegii portam. Familia Cardinalis sic nostrorum exhortationibus, & conspectis exemplis excoluit mores suos, ut ex animo in virtutum studia incumberet. Dabat stimulos Cardinalis pietas; nostris enim corpora flagro castigantibus in templo, ipse in odeo se verberabat. Familiaris erat domesticis Principis usus cilicii, ac flagelli. Aderant quotidie sacræ catechesis explicationi. Frequenter se provolvebant ad Confessarii pedes, & cœlestibus epulis nutriebant.

Dona Regia. 15. Eborâ discessuri Rex & Cardinalis valedixêre sociis. Donavit Rex templo è duobus cadurcis, quæ fuerant usui per majorem hebdomadam, alterum valde pretiosum, holosericum intertextum rosis aureis, in medio prominebat Crucifixus ex Indicis margaritis. Cardinalis quinquaginta supra ducentos cruciatos impertivit.

Missiones Collegii Eborensis. 16. Ex Eborensi Collegio per magnum jejunium diebus dominicis prodibant tres & triginta divini verbi præcones. Aliis prætereà temporibus in diversa oppida & pagos missiones institutæ. Dum hæc foris, non cessabant intrà urbem optima exempla. Aqua Eborensibus defecerat. Nostri novo demissionis propriæ genere providerunt vinctis in carcere. Duo in orbem singulis diebus jumentum cadis aquariis onustum illuc agebant. Idem factum æstate sequenti, verùm non habitu vili, sicut anteà, sed toga pullâ, & pallio solito. Eodem modo subventum cœnobio PP. Franciscanorum, quòd ipsi aquæ defectum significâssent.

Aliæ res Eborensis Collegii. 17. Petrus Salisius noster è Bœtica venit, ut ornaretur Doctoris laureâ in Eborensi Academia. Ludovicus Molina 3. Septembris solemnem professionem nuncupavit. Idem Molina primâ Pentecostes octavâ in supplicatione Academica dixit è suggesto. Theses Theologicæ, Archiepiscopo præsente, à Fernando Peresio Professore primario defensæ. Ludovicus Granatensis cum Inquisitore Didaco Mendesio tulêre sententiam de sensibus divinantium ænigmata. Nam tunc moris erat in Atrio Academiæ inter poëmata appendere aliquot ænigmata. Divinantes latentem sensum præmiis donabantur, vel qui sensum veritati proximum afferebant.

Rex & Cardinalis excepti Conimbricæ. 18 Etiam Conimbricensibus nostris Rex & Cardinalis se indulserunt. Extra urbem venientes 13. Octobris excepit Academia, deduxitque ad templum cathedrale, ubi præstolabatur Episcopus ornatu Pontificio, inde ad palatium comitatur. Quietis amans Cardinalis voluit apud nos hospitari. Oratio dicta à Doctore Ludovico Castro. Audivêre etiam lectionem & orationem Græcam, & Hebræam. Tum lustrata opera facta, & surgentia. Dum aliquando Cardinalis cum Provinciali cœnæ tempore accessit ad ostium triclinii, ut vide-

videret discumbentes: laudavit silentium, & modestiam, gravitatémque mensæ ministrantium. Tum Provincialis interrogavit: placerétne audire scholasticum ex recentioribus concionantem? frequenter enim id ex tempore illis injungi. Annuit. Protinus jubet unum è considentibus pulpitum conscendere, & concionari. Auscultavit Cardinalis per quartam horæ partem; ac discedens inquit: *Equidem repentè actum bene, omnia potest obedientia.*

19. Subinde scholastici atrii nostri instar agminis bellissimè ordinantur; pueri alphabetarii, sertis floreis capita cingentibus, manu tenentes virides arundines anteibant canentes doctrinam Christianam, sequebantur scholastici cum Magistris, deinde nostri; claudebant agmen Rector, & Provincialis. Processerunt ad Regis palatium, qui gaudens è fenestra conspexit prætereuntes, deinde vetsi longo ambitu ad atrium scholarum. Cardinalis interim Collegio egressus pedes in regiam, inde revertit una cum Rege. Disposita in atrio theatra quatuor: in primo sæculum aureum epicis carminibus declaravit se in orbem rediisse, quòd sub Sebastiano justitia dominaretur. In secundo tria flumina, Ganges Indiæ nomine, Nilus Æthiopiæ, Januarius Brasiliæ, rogârunt in eas regiones extenderet potentiam, ut aurei sæculi forent participes. In tertio fidei zelus triumphans decantabat, quas apud Indos adeptus victorias de Infidelitate suis calcata pedibus. In quarto stabat vetus Lusitania armis formidanda, pede Luxum premens, contra quem furens nudato gladio minata ictum, sed pepercit, quòd suis legibus eum Rex jam debilitâsset.

20. Mox templum ingressus est, ubi in ejus laudem orationem habuit socius Cosmas de Navibus. Cuncta ad votum succelsêre. Expectationem vicit tragædia de Rege Sedecia, in duas dies divisa, authore P. Ludovico Crucio. Quis tum Sebastiano exultanti diceret Sedeciæ lamentabilem casum, & exitum, habere instar funesti vaticinii de ipsius ruina? Bartholomæus de Martyribus Bracharensis Archiepiscopus, qui & ipse est in Collegio hospitatus, dynastæ assidenti, stupentíque: *Nec tu, inquit, nec ego, nec Rex ipse tale quid efficere possumus. Quid mirum? Isti boni Patres orationi multùm vacant; summa est inter eos pax, & concordia; singuli volunt, quod omnes, & omnes, quod singuli; ita quidquid incipiunt, feliciter peragunt.* Pridie profectionis suæ audivit Rex, cùm Gymnasia adire non posset, nonnullos scholasticos cum Latino, tum Græco sermone. Duo tertii Gymnasii gratissimâ alacritate invicem certamen instituêre de Græca lingua. Excessit Rex amplis verbis gratias agens Societati, quòd tot significationibus sibi plausisset.

21. Leo Henriquius, qui undeviginti annis continuis diversos egerat Magistratus summo exemplo & integritate, Provinciæ regendæ onus deposuit, quo dudum levari desiderabat; multóque magis Cardinalis, ut haberet sibi semper hærentem ad ministerium pœnitentiæ. Igitur Provinciæ magistratu humeris P. Georgii Serrani imposito, ostensurus, quanti faceret paupertatem, & humilitatem, locavit libros suos in communi bibliotheca. Convenit Ministrum, edocuit, quidquid indumenti sibi esset, ut ipse judicaret, quæ ex eo sibi essent necessaria: petivit unicè facultatem ad utendum Breviario. Alterâ die tricliniium ingressus se flagellavit, dicens, id injungi ob defectus in obito Magistratu, commissos. Mox tunicam fusci coloris indutus diebus aliquot servivit in culina. His, aliisque præclarissimis exemplis gubernii sui finem illustravit. *Exempla Leonis Henriquii Provinciatum tradentis Georgio Serrano.*

22. Ædificium Conimbricensium scholarum plurimùm crevit. Rex ad illud præbuit cruciatorum tria millia. Opifices & operæ 120. desudabant in eo promovendo. Perfectæ sunt aula princeps, ac duæ pro Theologia, & morali scientia. Episcopus è castaneto suo arbores centum pro laquearibus donavit. Idem Episcopus typis edidit volumen de litteris Japonicis, è mille exemplis sibi reservabat centum; cætera Rectori nostri submisit, ut pro libito dispergeret. Hoc anno per Quadragesimam tum in Ecclesiis annexis Collegio, tum in Conimbricensi diœcesi 40. de nostris conciones habuêre. In urbe fiebant Dominicis diebus matutino, & pomeridiano tempore, ac sextis feriis in Collegio; *Variæ res Collegii Conimbricensis.*

sextis quoque in Academiæ sacello; quartis in templo Misericordiæ; præterea Dominicis in templo Cathedrali, ac tribus Monialium cœnobiis. Undique centesimus operæ fructus respondit. Novem aut decem meretrices è lupanari ad honestam vitam ope nostrorum traductæ.

Missio Scalabi. 23. E Domo Professa, Archiepiscopo petente, missio sacra habita Scalabi. Eò sacerdos profectus magìs parendi causâ, quàm fructus spe. Nam apud Scalabitanos invaluerat opinio dominari soli siccitatem, ex quo nostri adierant illud oppidum. Propterea fovebant animos parùm amicos, & benevolos. Sua Patrem existimatio fefellit. Receptus in nosocomium cum socio, ubi cœpit Verbum DEI seminare, ingens ad eum audiendum concursus, ingens fuit Confessionum numerus, singularis morum mutatio, & amor in nostros. Avidè Senatus ab Archiepiscopo postulavit Collegii fundationem; ad eam juvandam obtulit in singulos annos ducenta regalium æreorum millia. Sed pro eo tempore non obtenta fundatio.

Tirones redeunt in Domum Professam. Pœnitentiarii Romæ. 24. Domus Professa Ulyssiponensis, quæ propter anni superioris sævientem pestilentiam justo carebat numero, rursus suis incolis frequentara. Accesserunt Eborâ & Conimbricâ tirones, qui abierant ejusdem pestis causâ. Hi præsertim sustinebant pensum chori. Mense Majo cœpit Societas moderari tribunalia confessionum templi Vaticani Romæ, id jubente Pontifice Pio V. Pœnitentiarios vocant hos sacerdotes. Non reperi, qui Lusitanus fuerit primus.

Moritur Franciscus Bernardus. 25. Angræ 14. Novembris iter suscepit æternum Franciscus Bernardus Coadjutor adhuc tiro, sed multæ virtutis, cumprimis modestiæ, humilitatis, & obedientiæ, atque ab omnibus vir sanctus habebatur. In urbe Portuensi 21. Henricus Nunius Gouvea. Martii vitæ metam attigit vir sanctus Henricus Nunius Gouvea, domo Fayalensis apud insulas Assorum, sive Tertias. In Portu duxit uxorem Beatricem Madureiram parem sibi nobilitate. Ex ea suscepit quatuor filios, tres donavit Societati, quartus se mancipavit PP. Capuccinis. Filiæ sanctimonialibus adscriptæ. Henricus concionibus Francisci Stradæ, ùt dictum suo loco, permotus, instituit genus vitæ sanctissimum. Ille S. Franciscum Borgiam domi suæ meruit hospitem. Ædium partem donavit ad ponenda initia Collegii. Dum vixit, nihil æquè curavit, atque virtutum incrementa. Ex facultate S. Francisci Borgiæ, atq; conjugis suæ in morbo supremo emisit Societatis vota. Præscivit mortis horam, prædixitq; uxori annum, ac diem mortis, quæ fuit eadem divo Benedicto sacrata, in qua Henricus animam efflârat.

Annus 1571. Soc. 32.

1.

Conventus Provinciæ. NOvus Provincialis Georgius Serranus mense Januario Professos Conimbricam vocavit habiturus Provinciæ Comitia ad eligendum Procuratorem solitum Romam mitti singulis trienniis. Suffragati sunt Marco Georgio. Ex urbe rediens in Lusitaniam, Madriti cœpit tentari febribus: non ideo, ùt res poscebat, substitit curandus; sed itinere continuato adventavit Eboram. Quatuor Medici artem Machaoniam incassùm fatigaverant in opeMoritur P. Marcus Georgius. ferenda attritæ valetudini; nam 10. Decembris piissimè expiravit. Natus Nogueiræ diœcesis Conimbricensis. Quà litteris, quà virtutibus plurimùm exornavit scholas & Provinciam in initiis suis. Humillimus, suprà quàm dici potest, non occultabat natales suos, & parentem fabrum cæmentarium. Ob studium se demittendi recusavit Eborensis Academiæ & Collegii Rectoratum. Composuit aureum libellum de doctrina Christiani, qui omnium puerorum manu volutatur. Et dies obitûs, & annus juxta hunc locum debent corrigi in *Anno Glorioso*.

S. Franc. Borgia venit in Lusitaniam cum Legato Pontificis. 2. Magnum solatium Provinciæ hoc anno attulit conspectus optimi Parentis sui, ac Generalis Francisci Borgiæ. Nam Pius Pontifex, ut colligaret communi fœdere Christianos Reges adversus Turcam, misit nepotem suum Cardinalem Alexandrinum ad Reges Galliæ, Hispaniæ, & Lusitaniæ, cui negotiorum participem adjunxit Franciscum Borgiam. Regis nomine Constantinus olim

olim Pro-rex Indiæ Legatum Pontificium expectavit in regni confinio. Cardinalis Infans misit Provincialem nostrum cum Leone Henriquio ad Estremotium Generalis excipiendi gratiâ, qui itinere unius diei Legatum antecedebat.

3. Novembris 27. Eborense Collegium ingressus est Borgia. Eâdem die exhortationem habuit ad socios. Postridie profectus Ulyssiponem: ad habitationem usus Collegio ob commoditates negotiorum cum Legato. Vix multis precibus adepti Domûs Professæ incolæ, ut apud eos nocte, ac die moraretur. Socios hìc pariter exhortatus est. Rebus confectis, eâdem viâ reversus Eboram, ipso adventûs vespere lustravit gymnasia, die sequenti profectus; nec enim Legatus diutiùs sinebat morari.

4 Legatum Academia excepit hoc modo: Ad palatium Archiepiscopi, ubi hospitatus, iverunt Academici uno corpore in agmen distributi, ac secum deduxêre. Ad januam atrii surgebant theatra duo, ex altero Lusitania, ex altero Academia Legatum consalutârunt elegantibus versibus. Ad ostium templi Fides & Religio pari cultu allocutæ. Deinde ingrediente templum (nunc est Academiæ princeps aula) dixit è suggesto Marcellus Rochia primarius Rhetoricæ Professor plausu sequente. *Academia Eborensis excipit Legatum.*

5. Præter nostrorum solatium, id utilitatis habuit adventus Francisci Borgiæ, quòd suis inspexit oculis, quàm vani fuerint sermones per Europam sparsi contra nostros homines, qui in aula versabantur: eorum enim rara virtus & prudentia temperabat multa inter Regem, Reginam aviam, & Cardinalem. Nam Rex postquam clavum regni suscepit, inconsultâ Reginâ multa disponebat: idcirco illa in Castellam cogitavit secedere. Prætereà quòd Rex conjugio se non illigaret, nihil erat culpæ in Ludovico Confessario, ut imperitè, vel malignè vulgaverant aliqui rebus & honori Societatis infensi. Pontifici porrò erat probata nostrorum integritas, & sana mens in rebus agendis. *Virtus Confessariorum aulæ.*

6. Quanquam & Borgiæ est inspecta Patrum innocentia; tamen desideravit eos amovere ab palatii commercio. Id minùs difficile cum Reginæ Confessario; nam ipsa Borgiæ roganti annuit: idcirco illum secum Ulyssipone ductum præposuit Rectorem Collegio Eborensi, quod Michaël Turrianus summâ integritate gubernavit. Ludovicus Gonsalvius, renitente Rege, amoveri non potuit, quamvis exosus ita aulam, ut petiverit ad Indiam, aut Brasiliam mitti. *Borgia amovere cupit ab aula Confessarios.*

7. Patres ipsi considerantes, quàm obnoxia calumniis id temporis esset Societas, in conventu Provinciæ post mortem Borgiæ quæsiverunt; an non oporteret Regis, & Cardinalis confessarios muneribus exui, cùm ad vitandas detractiones, tum ad declinandam postulantium importunitatem, qui religiosæ quieti magnopere incommodant? Responsum, non convenire; potiùs gratias DEO habendas, quòd eorum virtus, & prudentia foret bono communi tam utilis: non curandos inanes imprudentum, & vulgi sermones. Reliquit Borgia Provinciæ Visitatorem Didacum Mironem, Lusitaniæ Assistentem, instructum documentis lenitate plenis ad vitandas querelas de nimio moderantis rigore. *Didacus Miro Visitator.*

8. Et præsens annus non absimili martyrio claruit, atque præteritus. Pars felicissimæ cohortis ab Ignatio Azebedio in Brasiliam deductæ, cum P. Petro Diasio Christo ab hæreticis immolata 13. Septembris ad insulas Fortunatas ab Joanne Cadavilio Rupellensi hæretico. Quatuordecim erant socii, & P. Diasius Superior. Duo in mare provoluti enatârunt. Alius cùm horreret sævitiem in socios exercitam, togam Societatis exuens se miscuit turbæ; sed gloriosam martyrii coronam è manibus fugientem vidit, & mortem non effugit. *P. Petrus Diasius cum aliis 11 coronatur martyrio.*

9. Octo se receperunt ad Indos cum Antonio Noronio Pro-rege, sacerdotes duo Dominicus Cardozus Doctor Theologus, & Fernandus Navarrus: Balthasar Lopius, Emmanuel Paiva, Lazarus Lopius, Hieronymus Coëlius, scholastici: Fulgentius Freirius, & Balthasar Araujus, Coadjutores. Prope æquatorem, morbis furentibus, nostri devovêre se curandis infirmis. In eo charitatis obsequio posuerunt animas P. Dominicus Cardozus 7. Maji, & Hieronymus Coëlius. Obivêre pariter P. Fernandus Navarrus, & Fulgentius Freirius, qui *Profecti ad Indiam.* *Mortui in itinere.*

captivus fuerat apud Cairum, & peste infectis Ulyssipone servierat. Tulerant plurimas immunitates à Rege concessas ad propagandam fidem perutiles, videlicet: ne amplexi veram fidem primis 15. annis solverent decimas, & primitias: ut naves ethnicorum Regum, qui faverent fidei nostræ, possent in mari Indico sua commercia exercere libero commeatu: ne Lusitani Japonas emerent, ac tanquam mancipia venderent.

Rex favet conversioni.

Missiones.

10. Supra viginti per regnum habitæ missiones. Antonius Monserrasius, qui operam sanè egregiam impenderat infectis peste, transiens in Africam excoluit Mazagoniam. Sacerdotem unum in monasterio Passo de Sousa concionantem, unde prodibat ad oppidum Arrisanam, conati occidere perversi homines: dum redeunti in cœnobium insidiantur, horridâ tempestate exortâ sibi persuasêre adversus se armari Cœlum, confusione ac metu perterriti recesserunt in domos suas; sacerdos verò, cùm videret commoveri populum, supplicationem instituit Deo placando.

Missio navalis Ignatii Martinii.

11. Dum naves regiæ ad arcendos piratas in altum provehuntur, Joannes Mendossa summus earum Præfectus noluit vela solvere, nisi darentur Societatis homines. Illa cura demandata Ignatio Martinio, cui etiam injuncta est visitatio Angrensis Collegii. Multùm in ea navali expeditione sudavit Ignatius. Plurimas composuit rixas. Arsêre morbi: ipse cum socio coadjutore unicum miseræ turbæ perfugium: ille medicus, cùm alius non esset. Porrò instituit lectionem sphæræ cœlestis ad Nobilium animos honestè occupandos. Angræ reperit Petrum Diasium cum sociis, qui tanto maris tædio, & tot fessus erroribus cogitabat Lusitaniam; at suasione Ignatii rursus Brasilicum aggressus iter, & Martyrio illustratus est. Ignatius in reditu nimio labore prostratus decumbebat. Ludovicus Gonsalvius Camera Regis Confessarius considerans, quantum virum in Ignatio perderet Societas, ab ægri latere non recessit.

Res Domûs Professæ.

12. Domus Professa in suis ministeriis edidit continuata exempla. Illorum Patrum piis industriis nupsêre quatuor supra quadraginta orphanæ, singulis competente dote per nostros procuratâ. Cùm ex aliis regni carceribus venissent tercentum ad triremes damnati, morbis correpti atrocibus, carceres immenso horrore compleverunt. Nihil charitatis omissum à nostris, ut miserrimis consuleretur. Agebat carcerem Procuratorem P. Andreas Penia Hispanus, vir indefessæ charitatis. Se conjiciebat in pericula, ubi opus erat. Inter ducentos ægrotos versabatur, humi sedens, ut ipsorum expiaret animas. Eadem, quæ cæteros, Andream febris implicuit. Mirabilis conscientiæ pax abegerat timorem è vita migrandi. In ejus ore nonnisi verba pia; quibus etiam identidem se excitabat ad memoriam Christi Domini patientis. Singularibus obsequiis prosecutus est sacrosanctam Eucharistiam: ob id creditum mortem ipsi concessam die Jovis majoris hebdomadæ.

Moritur P. Andreas Penia.

Achatius Teixeira.

13. Ibidem calendis Augusti vitâ defecit Achatius Teixeira Brigantinus. Ex vomitu sanguinis orta febris lenta paulatim illum consumpserat. Sub mortis horam prætulit vultum hilarem, tanquam qui nihil magis, quàm mori optaret.

Hæretici Conversio.

14. Leo Henriquius obstinatissimum reduxit hæreticum damnatum flammis. Patriâ erat Conimbricensis: studebat Juri Pontificio: dum legeret libros Catholicos impugnantes Lutheri & Calvini errores, hausit venenum ex antidotis; nam captus hæreticorum argumentis, eis mentem subdidit, adhæsitq; firmiter. Dolebant omnes, quòd homo Lusitanus sine fæce alterius sanguinis, se daret præcipitem. Multi de nostris aggressi expugnare, sed irrito conatu. Suscepit negotium Leo Henriquius. A quinta ad undecimam noctis horam luctatus est in discutiendis miseri tenebris. Opitulante DEO, sic convicit, ut errores posuerit. In ipso theatro actûs fidei suos coram omnibus detestatus errores, obivit multis animi sincerè dolentis signis.

Catechesis explicatio.

15. Conimbricæ diebus festis prodiverunt ad vicinas paræcias rudimentis fidei imbuendas quadraginta aut ampliùs paria. Injunctum omnibus, viverent

cibis

cibis mendicatis, xenia, vel hospitia oblata non acciperent. Sic nocte domum se referebant instar apum onustarum dulcibus sui laboris fructibus. Eboræ non dissimilis fervor. Dominicis ac festis diebus Quadragesimæ de Collegio bini ad viginti stationes egrediebantur fidei mysteria in Eborensi agro tradituri.

16. In Eborensi Academia Doctoris gradu insignitus Ludovicus Molina, illius Academiæ, & universæ Societatis lumen fulgentissimum, cœpitque moderari secundam Theologiæ cathedram, cui hactenus ceu Professor extra ordinem præerat. Impetratâ facultate à Cardinali, mutatur scholarum apertio ad calendas Octobres. Hucusque fiebat 9. Septembris. Similiter mutata vacationum initia, fieri solita Julii die octavâ. Hunc morem secutæ postea Conimbricenses, & Ulyssiponenses scholæ, & aliæ per totam Provinciam eundem tenent, magisque congruus videtur.

Ludovicus Molina fit Doctor, & Professor.

Mutatur apertio scholarum.

17. Portuense Collegium carebat scholis, obibat solùm exercitia Professæ Domûs. Urbem fame premente, nostri Regem & Cardinalem edocuerunt annonæ penuriam, ut pauperum, & plebis consuleretur necessitati. Actutum misère piissimi Principes magnam vim tritici, & cruciatorum duo millia. Brigantinum Collegium fovebat iteratis subsidiis Antonius Pinerius Mirandensis Episcopus. Sæpe in templo nostro pro concione dixit. Hoc anno ædificavit aulas duas, alteram pro studiosis scientiæ moralis, alteram pro pueris alphabetariis. Scholasticis dispersit præmia in certamine litterario, quibus prælusit ecloga.

In Portu nostrorum charitas.

Collegium Brigantinum.

18. Bracharæ sexcenti scholares numerati: florebant studia. Nihil æquè ac suum Collegium Fundator, Pater optimus, curaverat. Quæ majoris fuere momenti, nostris committebat expedienda. Si quos Abbates in lustratione diœcesis reperit animæ suæ oblitos, ad Collegium miserat, ut eos dirigerent. Ad opus ædificii dabat singulis annis quadraginta supra ducenta regalium æreorum millia. Rex Sebastianus ad idem promovendum ducenta millia donavit.

Res Bracharæ.

Annus 1572. Soc. 33.

1.

MAjo mense anni labentis mortalibus rebus exemptus est sanctissimus Pontifex Pius V. à quo Societas nostra plurima acceperat beneficia. In eo non placuit, quòd abolita voluerit nonnulla de Societatis Instituto, ùt suprà dictum, videlicet imperando chorum in Domibus Professis, & prohibendo nondum professis ascensum ad sacros ordines. Verùm ejus successor Gregorius XIII. quo nullus Pontificum usque ad nostra tempora magis amavit Societatem, suæ integritati restituit nostras Constitutiones, & antiquavit Pii mandata.

Tollitur Chorus, & obex circa ordines.

2. Cùm Pontifex obivit, adhuc Borgia Romam non advenerat. Eum afflicta valetudo retardavit. Septembri mense Romam ingressus morti proximus; nam ejus mensis die postremâ parùm ante, vel post noctem mediam, Deo reddidit animam ornatissimam virtutibus, ob quas hodie in altaribus colitur ab universa Ecclesia. Multùm illi debent Societatis incrementa, multùm nostra Lusitana Provincia, quam toties suâ præsentiâ consolatus, cujúsque fuit secundus Assistens. Domus Professa Ulyssiponensis, Collegia Portuense, Bracharense, & Brigantinum, ipsius ex parte fundationes dici possunt. Ejus loco, dum fuit interregnum, gubernavit Joannes Polancus.

Moritur S. Franciscus Borgia.

3. Sanctissimo parenti adjungo filios. In Domo Professa 11. Januarii vitâ functus est P. Antonius Soarius Coadjutor spiritualis è senioribus Provinciæ. Servierat infectis peste. Ad nostra ministeria vix alius indefessior die, ac nocte. Erupit illi carbunculus atrocissimus in collo. Dirissimas curationes tulit invictâ patientiâ, nullo tamen adjuvante remedio. Communem amorem prodidit externorum planctus, cadavere Ecclesiæ illato.

P. Antonius Soarius.

4. Ibi-

Franciscus Carvalius.

4. Ibidem 14. Junii mundum deseruit Franciscus Carvalius tiro proceræ virtutis. Nullum habebat infensiorem hostem, quàm corpus suum: hoc multis vexabat cruciatibus, latronem dictitans, ùt à tali se custodierat. Dominicæ passioni, & B. Virginis ob tormenta Filii doloribus singularem in modum afficiebatur. Continuata in morbo vultûs lætitia significavit animi pacem.

Antonius Sà desertor.

5. Alter, licèt inter nos non mortuus, Antonius Sà Ulyssiponensis filius viduæ locupletis, sinistris illusus opinionibus olim reliquerat Societatem. Pungebant conscientiam scrupuli propter emissa vota, quibus eum solvere nunquam majores voluerunt. Gravi morbo oppressus vocavit è Domo Professa sacerdotem ad levandam conscientiam. Etsi confessarius retulit Visitatori Mironi, & Provinciali afflicti statum, non est visum in ejusmodi hominum documentum votis eum statim liberare. Sed injunctum, ut animo indifferenti se rotum committeret arbitrio Superiorum, ut, quod judicant ipsi, disponerent. Paruit. Tum illum convenit Leo Henriquius, atque confessione expiatum votis absolvit.

6. Domum nostram duci non placuit, ne mater, & consanguinei crederent inhiare nos ejus bonis, quorum dispositionem in Societate schedâ suâ manu scripta reliquerat in potestate duorum sacerdotum de nostris. Id juris remissum, conceditur illi, daret, cui liberet. Inde ad mortem usque nostros habuit assessores, die Dominicæ ascensionis emortuus. Ejus corpus delatum in templum domûs Professæ, ibique inter nostros sepultum. Pro ipso facta solita per Provinciam suffragia.

Profecti ad Brasiliam.

7. Ad Brasiliam navigavit Ignatius Tolosa Doctor Theologus, quem S. Borgia loco Ignatii Azebedii Provincialem nominavit. Hispanus erat natus Medinæ Cœli, Societatem ingressus in Lusitania, ac Doctoris ornatus gradu. Docebat Conimbricæ Theologiam. Acceptis litteris patentibus oppressus tristitiâ propter honorem, non propter laborem, provolutus in genua, eas litteras obtulit Crucifixo, ac B. Virgini, rogans, vellent ipsi Provinciæ præsidere, sibi satis, mancipium esse Societatis. Sub ea verba, tanquam oblationem Dominus acceptaret, totus Crucifixus splenduit mirabilibus radiis, quibus illustratum cubiculum. Testis fuit lucis insolitæ Georgius Bijus Collegii Minister. Januarii 28. cum duodecim partim sacerdotibus, partim tironibus in classe 30. navium profectus, sub finem Aprilis tenuit Bahiam. Vixit sanctissimè in ea Provincia ad Majum anni 1611.

Moritur Joan. Soarius Episcopus Conimbricensis.

8. Conimbricæ 26. Novembris amisimus rerum nostrarum egregium æstimatorem Episcopum Joannem Soarium ex sacra familia Eremitarum divi Augustini. Cùm Societas venit in Lusitaniam, agebat Magistrum Joannis Principis filii Joannis Regis. Singularem coluit necessitudinem cum nostro Simone Rodericio: dum ille recusaret infulas Conimbricenses à Rege oblatas, in eas promotus Joannes Soarius, cujus vices in edocendo Principe Simon explevit. Quoad vixit, usus semper in rebus magnis nostrorum operâ. Dum cerneret scholasticos nostros euntes ad scholas Academiæ, illos digito monstrans, ajebat, *hæc sunt Castra Dei*. Claruit insigni virtute. Erigi fecit Conimbricæ Inquisitorum tribunal ad puniendam Judaicam perfidiam. Trecenta regalium millia legavit annis singulis Sodalitati misericordiæ ad honestas puellas matrimonio jungendas. Ejus morbo supremo, atque morti adfuêre continuò sacerdotes nostri. Reliquit veluti hæreditarium successoribus suis amorem in nostrum Collegium. Joanni successit Emmanuel Menesius, qui cum Sebastiano periit in Africano bello.

Domestici Cardinalis Henrici fundant fundationem Collegii.

9. Ut pateat, quàm non solùm Cardinalis Henricus, sed illius domestici Societatem amarent, non silebo, quod hoc anno contigit Burdigalæ in Gallia. Tractabat illic Henrici Regis negotia Dominicus Leitamus ex ipsius familia. Contraxit amicitiam specialem cum Francisco Baulono senatore amplissimo, ac locuplete sine filio bonorum hærede; huic Domininicus persuasit, Burdigalæ fundaret Societati Collegium. Amplexus consilium, condidit Collegium Burdigalense.

10. Præ-

Ludovicus Granatensis, & Didacus Paiva laudant Societatem.

10. Præclari duo heroës plurimùm in suis concionibus nostram exornârunt Societatem. Alter fuit Ludovicus Granatensis ex sacro Ordine Prædicatorum, cujus in Societatem amor non semel à nobis relatus. Certior factus Rex Sebastianus de felici successu Gallici Regis adversus hæreticos, jussit indici supplicationem ad habendas DEO gratias. Concionatorem delegit Ludovicum Granatensem. Inardens contra Gallos heterodoxos, dixit, ejus incendii scintillas complêsse maria sanguine, ùt visum erat in tot Jesuitis per summam rabiem laceratis, quòd fidem irent propagatum in Brasiliam. Miscuit tot Societatis laudes, ut rectè probârit veteranum in res nostras amorem. In litteris suis ajebat, *se esse Societatis filium antiquiorem*.

11. Alter fuit Didacus Paiva presbyter doctissimus, & id temporis in sacro suggesto cum plausu summo auditus. Dum Catharina novis Mausolæis inferri curat ossa Regum Emmanuelis, Mariæ, ac Joannis conjugis, eligitur Paiva dicturus in ea solemni pompa. Cùm mentionem injecit de Joanne Rege, immensis laudibus evexit, quòd Societatem intulerit Lusitaniæ, discursu mentis complexus strenuam operam in Orientis missionibus, in erudienda juventute, & aliis piis nostrorum laboribus. Bene meritus Paiva fuit de nostra Societate; nam Tridenti scripsit egregiè adversus hæreticos nostri impugnatores Instituti, ùt refert Sacchinus. Quæ omnia indicare libuit, non ad vanam jactantiam; sed ne pereat memoria singularis benevolentiæ, quâ nos homines tam egregii complexi sunt.

Conventus Provinciæ.

12. Causâ mortis optimi Parentis Borgiæ celebratus Provinciæ Conventus ad eligendos, qui cum jure suffragii interessent Comitiis Romæ. Erant Eboræ Rex, & Cardinalis, quibus placuit, eò indiceretur congressus. Quanquam aliud cupiebat Provincialis ad vitandos Curiæ strepitus, parendum fuit Principum voluntati. Convenêre in tironum sacello tres & triginta Professi; ibi congregatos invisit Rex; Cardinalis in Bibliotheca, idem sustinuit expensas. Electi Romam ituri Michaël Turrianus Collegii moderator, & Ludovicus Gonsalvius Camera; Ignatius Martinius acturus Indiæ, & Brasiliæ Procuratorem. Pro Regis Confessario interim designatus Petrus Fonseca. Georgius Serranus Provincialis afflictâ valetudine impeditus, suas obiturum partes Romæ nominavit Leonem Henriquium.

Actus fidei.

13. Mense Decembri, quo Congregatio habita, etiam Actus fidei Eboræ factus ad puniendos Judæos perfidos. Undeviginti sententiâ Inquisitorum damnati capitis. Totidem Confessario de nostris vocantur ad procurandam perditorum æternam salutem. Unicus evasit mortem. Octodecim perituros igni comitabantur sex & triginta sacerdotes. Tantum numerum intuens Cardinalis, Providenter factum, inquit, ut congregarentur Patres Eboræ; secus non æquè bene consultum fuisset tot miseris.

Moritur Ludovicus Mellus benefactor Eborensis Collegii.

14. Eodem mense Eboræ communi spiritu frui desiit Ludovicus Mellus Scholasticus templi Cathedralis, dignus, qui scribatur in Annalibus nostris; nam consensit, ut Ecclesia S. Joannis Monte majore novo, pertinens ad ipsius sacerdotium, applicaretur in perpetuum nostro Collegio. Nostrorum consilio hæredem constituit Eborensem Misericordiæ sodalitatem. Condenti testamentum aderat noster Provincialis. Cùm mandaret dari Collegio quingentos cruciatos ad ornandum sacellum in templo novo, ubi exuvias suas volebat quiescere, non admisit Provincialis, ornatum, inquiens, curæ futurum Cardinali; esse melius, quòd ea pecunia erogaretur pauperibus. Unicè ad ejusdem solatium acceptavit lampadem argenteam cum duobus similis metalli candelabris. In testamento largitus Collegio Bibliothecam suam. Verùm post ejus mortem admonuit Provincialis sodales misericordiæ, Collegium ipsis concedere, ac à se dimittere jus omne in bibliothecam: ipsi tanquam de re sua disponerent. Id factum, ne vulgus crederet, à nobis ad hujusmodi legatum inductum.

Aliæ res Collegii Eborensis.

15. Rex cum Cardinali mense Septembri Eboram veniens panegyri exceptus est à Marcello Rochia Magistro Rhetorices. Octobris 26. adornatus Docto-

Doctoris gradu P. Gaspar Gonsalvius. Eminuit in sacro suggesto, divinisque litteris, Græcis, & Hebræis: propterea vivens Romæ unus fuit è Theologis à Sixto V. destinatis ad corrigenda sacra Biblia. Rex ùt erat avidissimus terendi tempus in rebus litterariis, gaudebat præsertim quæstionum Theologicarum explicationibus. Sæpe horâ integrâ unumquemque Professorem audiebat, jubens sedere circumstantes; quâ humanitate non semel usus Cardinalis assistens similibus exercitiis. Hæc repetita Principum frequentia multùm cum Magistros, tum discipulos acuebat ad capessandas scientias, & studia virtutis.

Annus 1573. Soc. 34.

1.

Eunt Romam Comitiis interfuturi. LEo Henriquius, & Patres electi 24. Januarii commiserunt se itineri terrestri, ut interessent Comitiis universæ Societatis. Madriti Rex Philippus eos excepit singulari benevolentia, cumprimis Leonem avunculi sui Confessarium. Regis Lusitani Legatus obtinuit à Marchione Antonio Colona, ut eos secum veheret in sua triremi. Complutum ingressi magnopere recreantur conspectu M. Simonis Rodericii, qui eo in Collegio degebat. Barcinone 24. Februarii conscenderunt triremem Marchionis Patres Lusitani, Bœtici, & Toletani. Magnâ in eos Marchio usus charitate; apud Leonis pedes conscientiam per homologesim expiaverat. Die 7. Aprilis parùm amicâ usi navigatione pervenerunt Romam.

Initia Comitiorum turbantur, & cur. 2. Initium facturi Comitiis Joannes Polancus Vicarius Generalis, & alii Patres adivêre, ùt moris est, Pontificem Georgium rogantes sacram benedictionem. Multa Gregorius quæsivit de modo electionis. Interrogavit: quot Generales fuissent Hispani? responsum est, omnes tres, qui hactenus rexerant. Percontatus, quot forent Hispanorum suffragia, quot aliarum nationum? Cùm intellexisset inæqualitatem, & Hispanos superare; Benè, inquit, æquum est ex alia natione Generalem eligi. Perculit id verbum Patres: ad quod modestè Polancus, Romæ congregari Societatem, ut esset libertas in suffragiis ferendis. Suffragantes obstringi jurejurando digniorem eligendi; quod stare nequibat, hâc, vel illâ natione exclusâ. Cui Gregorius: curandam æqualitatem in suffragiis; non deesse dignos ex aliis nationibus, ac nominavit Everardum Mercurianum Belgam. Irent tamen, &, quod æquum foret, liberè exequerentur.

3. Duplex causa præbuit ansam novitiati. Nationum studia cupientium, ne Generalatus videretur Hispanorum hæreditas; & odium habentium sanguinem ex majoribus Judæis. Indignissimum enim censebatur, hujusmodi genus hominum admoveri gubernandæ Societati. Cardinalis Henricus Inquisitor Generalis reppererat in talibus neophytis fœdissima crimina adversus fidem. Ut erat Societatis patens amantissimus, ægerrimè prædictam labem ferebat. Citra controversiam erat assumendus in Moderatorem Ordinis universi Joannes Polancus Hispanus, qui vel descendebat ex neophytis, vel putabatur ipsis favere, ùt refert noster Sacchinus. Ademptâ hâc maculâ cæterùm tantæ rei par. Nam tribus Generalibus fuerat à secretis; ornabant eum magnæ dotes, & virtutes; in promptu erant Hispanorum suffragia.

4. Igitur avertendo huic dedecori Leo Henriquius secum ad Pontificem tulit epistolas Cardinalis, Regis Sebastiani, ac Philippi Regis, quibus Pontificem rogabant, ne aliquis illâ labe infectus ad supremum Societatis apicem eveheretur. Plurimùm acceptus fuit Henriquius Pontifici ob illustres Principum commendationes. Ante inita Comitia litteras Gregorio tradidit, atque nonnullis Cardinalibus, ad quos eos ferebat in eandem sententiam. Jam Patres erant in comitiis, cùm nomine Pontificis adest Cardinalis Comensis, denunciat ex mandato suæ Sanctitatis, ne modò eligant Generalem Hispanum; ita & Ecclesiæ, & Societatis bono convenire. Perculsit omnes, præsertim Hispanos, inopinum man-

mandatum. Modestè reposuit Polancus, inesse difficultates exponendas suæ Sanctitati; tum facturos, quæ decerneret.

5. Abeunte Cardinali, quid agendum, inter se consulunt. Arduum enim apparebat tolli in suffragando libertatem. Dum modum cogitant declinandæ plagæ; Leo Henriquius cernens eò, quò non putabat, negotium devenisse, & à Societate sua non bene comprehensam Serenissimorum Regum mentem; quæ non Hispanos, sed Neophytos respuebat; opprimi cunctos mærore inconsolabili, de genibus fatetur se innocentem procellæ authorem; sibi notum animum Pontificis, velle ejus adire pedes, ac Societatem eâ liberare tristitiâ, ut suâ in ferendis sententiis fruatur libertate.

6. Idcirco cum Ignatio Martinio, & aliis Patribus convenit Pontificem, declarat Regum mentem non esse privare libertate comitia; propterea æqui, bonique faciat, ferri suffragia, nullâ natione exclusâ. Difficilem se Pontifex ostendit; sed tandem annuit eâ lege, ut, si Hispanum eligerent, priùs nè vulgarent, quàm ipsum edocuissent, quo posset rescire, an aliquâ laboret infamiâ. Redeuntes ad Comitia, 23. Aprilis pluribus suffragiis relignatus Generalis Everardus Mercurianus. Laudavit Pontifex electionem: quæ & grata Catharinæ Reginæ, quòd suæ esset nationis. Assistens Lusitaniæ factus est P. Petrus Fonseca. *Eligitur P. Everardus Mercurianus.*

7. Leo satis suam probavit rectam intentionem, & virtutem, rogando Patres Congregatos, sibi gravem pœnam injungerent, seséque ad biennium ministerio culinæ deputarent. Concessêre sex menses. Redditus Lusitaniæ sumpsit togam fusci coloris, ac semestri cocum juvit in ejus officinæ ministeriis. Ignatius Martinius cum Germanis Patribus abiit in Germaniam, jussu novi Generalis, ut inde portaret in Lusitaniam sacras reliquias; cùm per id infelix tempus dominaretur hæresis, nusquam apud eas gentes Sanctorum lipsana ab impietate erant tuta. In Flandria cum Duce Medinæ Cœli navem in Hispaniam conscendit. Reliqui secum vexêre Alexandrum Valignanum Indiarum Visitatorem. Intrârunt Lusitaniam Novembri mense. *Leonis humilitas.* *Patrum reditus.*

8. Primâ Adventûs Dominicâ templum Domûs Professæ est apertum. Sacro de suggesto 25. Septembris declarabatur populo, ipsâ die vetus claudendum templum, ac diruendum, qua in opera nostri juvabant; non pauciores centum & quinquaginta viris incumbebant huic labori. Templi novi latitudo complectitur palmos 80. longitudo 190. Vix aliud Ulyssipone est frequentius, quódque majorem spiret majestatem. Cœpit etiam parari sacrum vestiarium, cujus latitudo continet palmos triginta, longitudo 55. Donavit Rex Cymbalum miræ magnitudinis, fractum anno 1575. suis expensis refundi jussit. In apertionis solemnitate dixit ad concionem P. Nicolaus Gracida. *Aperitur templum D. Rochi.*

9. Die 20. Augusti jacto primo lapide ædificari cœpit Collegium Portuense in loco è melioribus urbis Durio flumini imminens prospectu amænissimo. Plateam de Aldis vocabant, ubi alias, atque alias domos emendo spatium sufficiens cum septo pendenti in montis latere comparavimus. Inter Archiepiscopum Bracharensem, & Canonicos inardebat litigium, consumptis jam viginti millibus cruciatorum. Unus è nostris sacerdotibus sic rem temperavit, ut utrosque composuerit amicâ pace. Collegium Brigantinum magnâ solemnitate, & supplicatione accepit reliquias undecim millium Virginum, quas illi dono miserat S. Franciscus Borgia. Eas circumtulit, & pro concione dixit Antonius Pinerius Mirandensis Episcopus. *Ædificium Portuense.* *Res Bracharæ.* *Res Brigantii.*

10. Plurimis beneficiis Rex auxit Societatem. Largitus Collegio divi Antonii reditum annuum in mercibus Indicis. Venientem Alexandrum Valignanum humanissimè excepit, gaudens numero nostrorum, quos secum destinabat in Indiam. Jussit Malacæ condi novum Collegium, unde provideretur Molucis, Sinæ, & Japoniæ. Mille cruciatos annuos donavit ad domum in Japonia ædificandam, in quam nostri per id Regnum dispersi certis temporibus convenirent ad instaurandum sanctis exercitiis spiritum, redituri fortiores ad Apostolicum sudorem. Quingentos cruciatos supra tria millia dedit ad nostrorum *Beneficia Regis.*

sumptus, qui sequenti anno erant ad Indiam navigaturi. Tribuit pinguem eleemosynam domui Professæ ad alendos Indicos operarios, dum ibi, uti tunc moris erat, hospitabantur præstolantes opportunitatem navigandi in Indiam.

Peregrinationes Conimbricæ.

11 Magnus ardor hoc anno peregrinationes ad loca pia obeundi socios invasit. E Collegio Conimbricensi supra 70. factæ peregrinationes. Ne cognoscerentur, & ut essent contemptui, rusticis indumentis utebantur; sed prodebat eos modestia in verbis ac factis, & charitas, quâ stipem collectam cum pauperibus dividebant. Per quadragesimæ dominicas dies quadraginta, & ampliùs ad erudiendum populum excurrebant in pagos agri Conimbricensis. Petrus Gomius solis instar cœlestibus radiis illustravit insulas Gratiosam, Fayalam, Picum, ac à S. Georgio dictam, & Tertiam, ubi est nostrum Collegium. Tribus mensibus substitit in oppido Praya. Quidquid Deus per suos intimos servos in mutatione morum agit, per Gomium effecit.

Missio in insulis.

Redit in Lusitaniam Simon Rodericius.

12. Commune solatium fuit omnibus P. Simon Rodericius huic Provinciæ post viginti annorum intervallum restitutus. Patres, qui contenderunt Romam ad Comitia, ferebant in mandatis, ut impetrarent à novo Generali reditum Simonis optimi hujus Provinciæ parentis. Rebus mutatis, difficile non fuit. Innatâ benevolentiâ, & sanctissimis exemplis omnium corda sic devinxerat, ut in extremo discessu vix fuerit, cui non manarent ex oculis lacrymæ. Septembri mense Compluto se viæ dedit. In oppido *Villa de Conde* Bracharensis diœcesis domum ingressus Dionysii Pinti, cui multa prædixerat, quæ evenêre omnia; deerat hoc unicum, à se post multos annos hic invisendum. Cùm introeuntem vidit Dionysius, ad ejus se provolvit pedes, tenet complexu, ac manum osculatur, venerans DEI servum, qui sibi tot abhinc annis ventura prædixit.

13. Collegiis Bracharensi, & Portuensi præsentiâ suâ recreatis, 24. Septembris unà cum duobus Coadjutoribus viæ comitibus pervenit Conimbricam. Nullis verbis explicari potest sociorum lætitia. Antiqua monumenta habent, eam fuisse Simonis externam modestiam, & compositionem, ut ad virtutem plùs moveret silens, quàm alii magnis exemplis. Nec minùs recreatus Simon videndo incrementa Collegii, cujus posuerat initia. Vix poterant ab ejus avelli conspectu; pendebant ab ore loquentis, & memorantis, quibus modis crevisset Societas. Ad Aprilem sequentis anni moratus Conimbricæ. Tum secessit ad S. Felicis Residentiam: Septembri mense reversus. Januario anni 1575. migravit ad Professam Domum. Anno 1577. Eboram semestri commoratione: inde regressus Ulyssiponem; ibi sanctissimæ vitæ finem imposuit, ùt infrà scribetur.

Rex & Cardinalis Eboræ.

14. Anno penè toto Rex & Cardinalis Eboræ consederunt. Frequenter suâ præsentiâ honestârunt rem litterariam. Regius favor erat instar pluviæ segetes fœcundantis. Per vernum jejunium Regis fuêre concionatores Petrus Martinius, qui Julio hujus anni gradu Doctoris insignitus & Gaspar Gonsalvius.

Præmia data.

Eodem mense Julio Simon Mascarenius templi Cathedralis Decanus suo sumptu distribuit scholasticis in certamine litterario victoribus præmia, libros auro oblitos. Prælusit dialogus de Rege Dionysio. Aderat Rex, Cardinalis, & omnis nobilitas. Aliâ die præmia data inferioribus Gymnasiis: ut res fieret cum plausu, duo scholastici dixerunt è suggesto; additus musicorum concentus, epigrammata, & poëmata. Alphabetariorum munuscula voluit intueri Cardinalis: ad hortum, ubi erat, victores deducti cum suis præmiolis: duo coram Principe amænâ alacritate concertârunt de fidei nostræ mysteriis.

Collegium Convictorum.

15. Convictorum Collegium florebat plurimùm tum virtutibus, tum litterarum studiis. Educabantur in eo sex & sexaginta adolescentes, partim suorum parentum, partim Cardinalis expensâ. In ipsis multa nobilitas. Gaudebant illustres viri suos ibi nutriri filios cum propter sanctitatem disciplinæ, tum quòd Henrico id gratum non dubitabant. Erat etiam illud Collegium occasio nostris religiosæ humilitatis exercendæ tempore vacationum; nam famuli

muli locò vehebant è Collegio quotidianum victum duo socii nostris, qui Convictoribus præerant.

16. Cùm reliquimus Conimbricæ Collegium inferius situm in platea S. Sophiæ, extinctum fuit Convictorum Collegium, quod nobis regendum commiserat Rex Joannes. Hoc anno Sebastianus cognito, quantam Eboræ res publica caperet utilitatem è Collegio Convictorum sub disciplina Societatis, imperavit, ut rursus institueretur Conimbricæ Collegium Convictorum, ùt olim fuerat. Ad habitationem designavit plateam, quæ ab Castelli porta vergit in nostrum Collegium, pariete extrema plateæ claudente. Diploma regium datum Eboræ 28. Martii. Sequenti anno, vel hujus Octobri cœpit habitari: suberat administrationi Societatis, ùt illud primum. *Jubet Rex erigi Conimbricæ Collegium Convictorum.*

17. E Collegio Eborensi tum ad sacras missiones, tum ad peregrinationes prodivit magnus numerus. Almondavare Didacus Froyus è re fortuita aperti sepulchri fecit singulares animorum motus. Terni tirones è domicilio domûs Professæ perrexère ad locum pium Transtaganæ Provinciæ; propinquantes Collegio Eborensi, ad januam inter mendicos accepère prandium. A Magistro illis injunctum fuerat, ne Collegium intrarent. Illic eos de more complexi, & allocuti socii. Deinde continuârunt iter peculiaris obedientiæ relicto posteris exemplo. *Missiones & peregrinationes Eborensis Collegii, & Domus Professæ.*

18. Eboræ 12. Junii extremum vitæ diem confecit Paulus Vasæus scholasticus patriâ Conimbricensis. Septem annis apud nos vixit plùs virtutis, quàm litterarum studiosus. Magnâ contentione dedidit animum commentationibus divinis, quas piis lacrymis aspergebat. Singulis horis discussit conscientiam. In præcipuis curis illi fuit nemini creare molestiam. Sui commodi omnino negligens. Singularis puritas ornabat animam. Fassus est, ex quo iniisset Societatem, nullâ se turpi cogitatione tentatum. Si sermo, præsente se, de Deo non misceretur, tacebat. Corpus suum habuit loco hostis insensissimi, nec ulla in re ei morem gessit socii memoriâ Pauli ad virtutes se excitatos confitebantur. Ibidem Novembris principio rapuit mors Jacomium Castrium Bracharensem tironem. Acutus dolor nullis frangendus remediis paucos intra dies absumpsit. Ajebat, inde sibi solatium maximum, quòd in Societate moreretur. Nihil æquè necessarium, atque tam utile tironibus, quàm adoriente tentatione, aut labore turbante, ocyùs ad Superiorem confugere, & candidè mentem aperire. *Mors Pauli Vasæi.* *Jacomii Castrii.*

Annus 1574. Soc. 35.

1.

Orienti succurrère novem supra triginta operarii, divisi in naves quinque, eorum Duce Alexandro Valignano Italo Theatino, nostrorum per Indiam Visitatore. Collecta cohors pulcherrima ex Italis, Hispanis, & Lusitanis. Ex eis coronati martyrio Gomius Amaralius Lusitanus, Franciscus Fernandius, Franciscus Carrianus, & Alphonsus Paciecus, Hispani. In Professorum domo separati à reliquis hospitabantur in opere quadrato prope communem januam pergulis superioribus. Bis per hebdomadam Valignanus ad eos habuit exhortationem. Frequentes erant eorum in triclinio flagellationes. Visitabant crebrò carceres, & nosocomia. Illud Valignano attulit non mediocrem admirationem, quòd, cùm Ulyssipone sint multa visu digna, ne ullus quidem fuerit, quem curiositas talia videndi abstraxerit. Adeò omnium mentes cogitatio cœlestium occupabat. Non 18. Februarii, ut habet Sacchinus, sed 9. Martii naves conscenderunt. Vento deficiente, morati sunt ad 21: ejusdem mensis, quâ Tagum egressis fausta contigit navigatio. Strenuè desudatum in excolendis vectoribus, & nautis. Mossambiquii Valignanus obvios habuit Franciscum Monclarum, & Stephanum Lopium, qui vivi redierant ex Monomatapensi expeditione, de qua suo loco jam est memoratum: eos secum vexit in Indiam. *Profecti ad Indiam.*

Profecti ad Brasiliam.

2. Ad Brasiliam profecti quinque successu dispari. Ludovicus Mesquita, Emmanuel Diasius sacerdotes Lusitani cum Joanne Salonio Catalauno nondum sacerdote, hic cum aliis ex Brasiliensi Provincia fundavit in America Hispaniensi Tecumanam Provinciam. Hi sospites pervenêre: non ita duo alii sacerdotes, Didacus Mendius, & Franciscus Lopius, paulò post cœptam navigationem ab Gallis hæreticis capti, durissimâque perpelsi. Alterius navis Præfectus eos petebat, ut occideret; sed cùm nollet tradere, qui ceperat, vix se continuerunt ab ineundo prælio. Etiam vestibus decentiæ necessariis exuti, post dies duodecim in littus expositi.

Rex Sebastianus trajicit in Africam. Sequuntur nostri.

3. Augusto mense Rex Sebastianus in Africam primò trajecit, visurus suas arces, & instar explorantis regiones, in quas eum Lusitani nominis rapiebat infelicitas. Reliquit sui loco Cardinalem Henricum administraturum rem publicam. Postquam est profectus, scripsit ad Provincialem, sibi mitteret è nostris aliquot, qui apud eas colonias exercerent ministeria nostra. Transfretârunt P. Mauritius Serpius, Ignatius Martinius, Joannes Soeirus, & Alvarus Pereira, sacerdotes. Additi Emmanuel Soudus, & Blasius Fernandius tiro, non sacerdotes.

4. Per id tempus jam Ludovicus Gonsalvius Camera deposuerat onus excipiendi Regis confessiones. Ipsi successerat P. Mauritius, cùm jam de valetudine Gonsalvii penè esset conclamatum. Inde cumprimis ægritudinem ipsi subortam credebant, quòd Regem cerneret sponte suâ quærentem præcipitia. Intentissimum jam in expeditionem Africanam disertis verbis non semel admonuerat Ludovicus erroris Lusitaniam omnem eversuri. Multa disseruerat coram Rege de temeritate expeditionis. Valetudine valde attritâ, Conimbricam secessit experturus Cœli mutationem. Cùm nihil morbus mitesceret, Provincialis, & Michaël Sousa Conimbricam adeuntes, eum vexêre secum Ulyssiponem.

Rex redit ex Africa.

5. Ludovicus considerato luctu omnium, periculisque vitæ tam pretiosæ impendentibus, ex ipsa debilitate vires sumit, mandâtque socio suo Amatori Rebello, calamum arripiat, dictat ipse litteras ad Regem plenas suo, plenas omnium dolore: nisi redeat quàm primùm, cuncta immenso luctu obruenda. His litteris acceptis, sine mora revertitur ex Africa. Ulyssiponem accedens adit salutatum Ludovicum in lecto decumbentem, commiseratione tangitur status, quo reperit: *ut scias*, inquit, *quantam vim apud me habuerit epistola tua super meo reditu, eam servavi, ac mecum tuli, & in signum animi mei tibi trado.* Cum Rege nostri reversi sunt.

Beneficia Regis erga Domum Professam.

6. Nunquam Sebastianus oblatâ occasione nostri immemor, Novembri mense contractu de ligno Brasilico celebrato cum mercatore, jussit, ut decennio quotannis præberet ad opera Domûs Professæ 120. ejus ligni pondo. Eandem domum, antequam ad Africam concederet, exiguo tempore, quo fuit Ulyssipone, iterum, atque iterum ingressus, & quæque abdita in novo templo introspexit.

Aperitur templum Eborensis Collegii.

7. Novum templum Eborensis Collegii die Paschæ apertum est. Ad eam solemnitatem Serenissimus Cardinalis Ulyssipone accessit Eboram hebdomadâ Passionis. Die resurgentis Domini ordinata per urbem supplicatio, in qua de veteri ad novum templum Cardinalis transtulit Eucharistiam inter Antonium Tellium Menesium Inquisitorem, & Alphonsum Castelbrancum. Fecit primum in templo sacrum, nostrisque præbuit sacram communionem, deinde populo, lacrymis pio gaudio ubertim manantibus. Mox Archiepiscopus missâ Pontificiali operatus ad aras. Ipse Princeps, ut templum sui Collegii celebraretur numerosâ totius urbis frequentiâ, curavit Eboram vocari optimos concionatores. Inter eos tenuit primas P. Ludovicus Alvarus, quo nullus eâ tempestate avidiùs per Lusitaniam audiebatur; nec alius majores è sacro suggesto excitabat animorum pios motus; post aliquot annos, ùt infrà dicetur, Eboram missus. Templum exornabatur picturis excellentibus, solùmque patebat diebus festis. Con-

fluxit ad confessiones, & conciones sacras tantus numerus, ut essent alia templa deserta, dictitarêntque Curiones, sibi relinqui duntaxat sacra baptisteria.

8. Georgius Serranus 28. Septembris accepit pro successore in regenda Provincia patentes litteras. Igitur convocatis sociis Professæ domûs, ubi erat, declarat lætitiam suam, & causam. Ait, se jam subditum Præpositi domûs: se conjecit ad circumstantium pedes osculaturus, omnes complexus. Die sequenti profectus Conimbricam, ibi regimen tradidit Emmanueli Roderîcio tunc Prorectori, de cujus virtute, & affabili genio singularis apud socios fuit opinio. Multis eum Generalis direxit monitionibus optimo Moderatori necessariis: haberet charitatem sine acceptione personarum; ne diffideret, aut sentiret malè de ullo subdito, paterna viscera tum in factis, tum in verbis præse ferret, artificia politica fugeret in gubernando; temperaret rigorem cum lenitate, lenitatem cum rigore. *Novus Provincialis.*

9. Ignatius Martinius initio hujus anni pervenerat ex itinere Germanico, & Flandrico in Lusitaniam. Capsa reliquiarum, quas collegisset, mense Augusto mari devecta Ulyssiponem. Pretiosum thesaurum Provincialis distribuit per Collegia Provinciæ, Indiæ, & Brasiliæ. Ubique magnis solemnitatibus sunt excepta veneranda lipsana. *Reliquiæ vectæ in Lusitaniam.*

10. Mense Julio Episcopatûs Conimbricensis iniit possessionem Emmanuel Menesius. Antequam ovium lustrationem inciperet, petivit ab Ignatio Martinio Conimbricæ degente, haberet in rem concionem. Excursurus per diœcesim comitem sibi junxit Cyprianum Soarium. Novembri mense de more Academico exceptus in Gymnasiis, audivit nostros Magistros & Professores. Diebus, quibus catechesis explicabatur in templo nostro, semper misit è suis Cantoribus duos excellentiores, qui sacrum carmen modularentur. Porrò dedit pecuniam ad emenda præmia pueris inter explicandam doctrinam dispergenda, & ad expungenda nomina superiore anno ob id contracta. *Emman. Menesius Episcopus Conimbricensis.*

11. Augusti die 6. rebus humanis exemptus est Eboræ Archiepiscopus Joannes Mellus, ex animo rebus nostris addictus, usúsque sacerdote nostro Confessario. Reditus suos dividebat in pauperes, quorum Pater habitus. Prope mortem condonavit omnia debita suis domesticis, quos suppliciter rogavit veniam. Ejus loco nominatus Cardinalis Henricus, qui jam deposuerat Ulyssiponenses infulas in Georgium Almeidam. Protinus dedit litteras ad Eborensis Collegii Rectorem, ideo acceptâsse, ut ætatem postremam viveret in suo Collegio, ejus, & Academiæ consuleret incrementis. Ubi nuncius Eboram allatus, tanta fuit Canonicorum lætitia, ut mutuis amplexibus sibi gratularentur. Nostri multis versibus & epigrammatis ad eum missis felicitati suæ plauserunt. *Moritur Archiep. Eborensis. Cardinalis nominatur Archiepiscopus Eborensis secundum.*

12. Idem Princeps decrevit hoc anno novum Collegii Ulyssiponensis ædificium; nam pro tanto conditore admodùm angustum erat vetus Collegium. Ad initia ponenda largitus statim tria cruciatorum millia. Designatum ædificio spatium. Verùm tot inde subortæ lites, tot impedimenta ad situm acquirendum sine obicibus, ut in aliquot annos id negotium sit dilatum. Ab initio Societatis in Lusitania ædificium veteris Collegii D. Antonii cum rebus ad illud pertinentibus numerabatur inter bona Collegii Conimbricensis, cui datum fuerat à Joanne Rege. Hoc anno P. N. Everardus, negotio communicato cum suis Assistentibus, postulavit à summo Pontifice, ut separaret omnino à bonis Collegii Conimbricensis dictum ædificium, atque extingueret jus omne Conimbricensis Collegii in eam domum, ac res ad ipsam pertinentes. Ita factum à Pontifice. Everardus litteris datis 25. Decembris ad Provincialem jussit eas in tabulariis utriusque Collegii conservari, & conservantur, & transactæ rei non perituram memoriam. *Decernitur novum ædificium Collegii Ulyssiponensis.*

13. Fame magnâ in Provinciâ Interamnensi multitudinem plebis inopis compellente in Transtaganam Provinciam, Eboræ solùm ingrediuntur capitum duo millia. Patuit campus latissimus charitati nostrorum. Corrogatis eleemosynis adjuti pauperes, consultúmque infinitis miseriis. *Charitas nostrorum Eboræ.*

14. Mille

Scholasticorum virtus. 14. Mille hoc anno frequentârunt aulas Eboræ, immodicâ scientiæ, at majore virtutum famâ. P. Ludovicus Gonsalvius, qui relicto munere regii Confessarii ab Januario hujus anni usque ad Junium Eboræ fuit, maximo animi solatio agebat quinque gymnasiorum Confessarium, plùs inde capiens gaudii, quàm ex Regiæ commerciis.

Peregrinationes, & missiones. 15. Triginta de nostris ad loca pia ivêre peregrinatum. Præter conciones in urbe habitas, septendecim non sacerdotes in paræcias Eborensis agri prodibant concionatum. Missionibus excoluêre Vianam, Myrtilim, & Maranonem.

Profecti ad Angolam, & initia ejus Collegii. 16. De primis nostrorum, qui cum Paulo Diasio Regis Legato navigârunt in Angolam, útque retento tanquam obside nostro Francisco Gouvea, Paulus fit in Lusitaniam reversus, suis locis declaratum. Rebus maturè consideratis, visum est Angolanum commercium firmandum militari potentiâ. Negotium mandatur Paulo Diasio; naves ei traduntur novem instrumento bellico, & milite instructæ. Adduntur de nostris quatuor, Garcia Simonius, & Balthasar Alphonsus sacerdotes, Constantinus Rodericius, & Cosmas Gomius non sacerdotes. Ad eorum in Angola sustentationem constituitRex centum & quinq; cruciatos annuos in singula capita.

17. Octobris 22. è Tago profecti. Dum tenuit navigatio, semper consultum animarum bono. 11. Februarii Loandæ portum ingressi. Loanda insula est octavo gradu ab æquatore Austrum versus longitudine leucarum quinque, latitudine jactûs sclopeti. Inter ipsam, & continentem sinus est navium magnarum capacissimus, & ab omni tempestatum injuria tutus. Petinebat olim ad Regem Donganum, sed variis de causis erat in ditione Regis Congani Lusitanorum amici. Est Regi Congano instar aurifodinæ, quòd in ejus mari capiatur Zimbus, genus conchilii, quod per id regnum pecunia communis est.

18 In terram eggressi supplicationem ex ipso littore ordinârunt ad ædiculam B. Virginis à Conceptione, Patre Garcia ferente sub umbella reliquias undecim millium Virginum. Prope hanc ædiculam nostri posuêre sedem. Condita urbs, à Præfecto dicta de S. Paulo, quamvis hodie Loandæ ab insula desumpto nomine sit notior. Hæc fuerunt initia Angolani Collegii, quod decursu temporum auctum scholis, & reditu: sacraverunt sanctissimo JESU Nomini.

19. Ad tria hominum millia incolebant insulam, Ethnici pars major. Pauci Christiani vix moribus ab ethnicis differebant. Jejunium, & à carnibus abstinentia nulla. Dicebant Patribus, vitæ imminere periculum, si piscibus vescerentur. Experientia docuit eos falli. Præfectus quamvis consideret Loandæ, tenebat præsidio ostium Bengi fluminis. Institutum commercium cum Angolano Rege. Pacificè cultum annos quattor. Cùm duodecim naves Lusitanæ mercibus onustæ ad emenda mancipia confidenter merces omnes exposuissent intra regnum Angolanum; nihil enim hostile timebatur: ipsemet Paulus Præfectus à flumine Coansa discesserat aliquot leucis ad mediterranea.

Perfidia Regis Angolani. 20. Non sivit Rex tantam prædam elabi. Fictis per diversas regiones bellis, Lusitanos cum suis ad ea misit; his autem secreta dederat mandata, ut per omne regnum eodem tempore omnes Lusitanos interficerent. Non secus factum. Ægrè Præfectus ad flumen receptus. Protinus indicit bellum perfido Regi. Et hæc fuit origo belli tot annos continuati, quo Lusitani sibi apud eas gentes novum constabilierunt imperium.

Protectiones Sobarum. 21. Totum regnum erat divisum in Regulos, quos vocant Sobas, unusquisque suum elegerat in urbe regia protectorem, cui sua mittebat dono mancipia, ut apud Regem negotia expediret. Præfectus inhærens gentis mori, ubi Sobam aliquem redegit in potestatem, ipsi dabat Lusitanum protectorem. Hujusmodi protectiones donatæ non paucæ nostris. Inde à Sobis plurima tribuebantur mancipia, quibus veluti pecuniâ emebant à Lusitanis mercatoribus vitæ necef-

necessaria. Nam inter Angolanos mancipia explent numi vices. Id vivendi genus nostris visum est indecens. Idcirco procurârunt, ut Rex nobis præberet modum alium vitam alendi. Subinde dicta patrocinia sublata sunt à Rege.

Annus 1575. Soc. 36.

1.

Cardinalis cura circa oves suas.

CArdinalis Henricus aditurus possessionem archiepiscopatûs Eborensis, ex Almeirino mense Januario epistolam dedit ad nostrum Provincialem Eboræ expectantem: Muneris suscepti causâ, cupere se, ab ipso mitti, quotquot posset, concionatores ad oppida vel à seipso, vel à suo Vicario generali designata; nihil futurum sibi gratius. Igitur ad novem diversa oppida contenderunt prædicatores. In urbe per Quadragesimam plurimis in templis auditi nostri. Diebus Dominicis 17. non sacerdotes exibant ad agri paræcias, & pagos viciniores concionaturi.

Eboram venit. Eligit fixam habitationem in Collegio. Rex Eboræ.

2. Mense Februario accessit Valverdum. Villa est Eborensium antistitum urbe distans sesquileuca. Noluit urbem ingredi cum pompa, & apparatu, ùt aliàs, quòd nuntius attulisset Reginam ægrotare. Factâ non longâ morâ, in templo Cathedrali, ad nostrum, ac suum transivit Collegium, ubi erat parata habitatio, in qua destinabat postremam vivere senectutem. Lætissimi tanto hospite, & parente nostri: Paucis pòst diebus Rex venit Eboram. Primo die, quo Collegium invisit, cum Academia solemni pompâ excepit, oratione Latinâ in templo P. Raphaël Texeda.

Incipit Eborensis Collegii opus triclinii.

3. Palàm facturus Cardinalis, quantùm cuperet incrementa Collegii, eodem Februario jussit aperiri fundamenta ad erigendam ædificii partem, in qua triclinium est. Opus præsefert regiam majestatem, authore suo dignam, cujus sub oculis crevit: nam ille de fenestra in opus prominente, ubi nunc decussantur pergulæ, assiduo conspectu urgebat opus.

Frequentia templi.

4. Per magni jejunii tempus Dominicis diebus in templo nostro immodico concursu verba fecerat Ignatius Martinius. Nunquam absuit Rex, & Cardinalis. Toto die erat refertum populo templum, manè concionis, vespere catechesis audiendæ gratiâ. Postea egregio vocum, & musicorum instrumentorum concentu decantari solebat completorium.

Favor literarum. Missiones.

5. Litteræ magnopere decorabantur. Mense Martio Rex & Cardinalis audivère cum scientiarum Professores, tum Magistros Rhetoricæ, & Latinitatis. Postremis Philosophiæ mensis, ùt vocant, iidem adfuère. Nihil æquè Cardinalem recreavit, atque legere narrationes de proventu missionum. Illud non tacendum. In oppido quodam rusticus pudor homines occupabat utendi globulis precatoriis: ajebant, rem esse fæminarum, non virorum. Exterminatus tandem est nostrorum sermonibus sacris pessimus iste pudor, usúsque corollæ Marianæ inductus.

Cardinalis abit Ulyssiponem.

6. Festum divini Spiritûs elegantissimis omne genus carminibus celebratum est, singularem animi lætitiam serenissimo capiente Fundatore; qui tertiâ die post Pentecosten valedixit nostris, ac sequenti profectus Ulyssiponem. Tradidit bonam pecuniæ summam Academiæ Præfecto, ut impertiret scholasticis egentioribus. Antequam excederet, jusserat templum vetus aptari, ut deinceps foret Academiæ, quemadmodum nunc est, princeps aula.

Opera in morbis.

7. Mense Majo cœperunt Eboræ grassari morbi, quos causârat turba gentis Interamnensis domibus suis egressa quæsitum fami remedia. Nostri strenuam navârunt operam in ferenda miseris tum animæ, tum corporis ope. Communicati Collegio morbi: nam mense Junio ægrotârunt non pauci. Contenta mors uno tirone Martino Alphonso scholastico. Sanctus erat jam ante Societatem initam. Fuit primus, quem sepelivimus in templo nostro novo.

8. Morbi hi etiam Ulyssiponem, & Conimbricam involverunt. Utrobique, summâ curâ per nostros consultum miseris. Ad januam Professæ Do-

mûs dabatur quotidie victus ducentis. Haud minor Collegii charitas. Comitabantur nostri sodales misericordiæ in corrogandis eleemosynis. Conimbricæ, ad quam confluxerat infinita paupertas diœcesis, modum non posuit Collegium piis largitionibus. Instituta extra urbem domus salutis, ùt vocant. Illic morbidi sine numero curabantur; eorum confessiones nostri excepêre. Domûs illius adeò corrupta est aura, ut affirmârint Medici, sine vitæ periculo à sanis adiri non posse. Qui ejus curam habuerunt, vel mortui, vel gravissimis impliciti morbis. Cùm præ horrore non essent, qui post tot strages auderent ejus domûs curam suscipere; à nostro Rectore petiverunt, destinaret de suis aliquos operi tam pio consulturos. Sacerdos & Coadjutor deputati sustinuêre totum pondus incredibili charitate, & labore, at non minore felicitate. Per ipsos cæteri incolumitatem adepti, dum pestilentia grassaretur. Eos morbus non attigit. Restitutâ valetudine, domo clausâ, tradidêre claves Provisori, & sodalibus misericordiæ. Suis, & Societatis laudibus immensis pudore boni viri suffundebantur.

9. Provisor misericordiæ, civis nobilis, & charitatis flagrantissimæ, qui ex aditu illius domûs fatalem contraxit morbum, à suis consanguineis desertus est. Hujus pretiosæ vitæ procurandæ vigilantissimam impendêre operam duo nostri: ipsi ferebant è nostro pharmacopolio & domo medicamenta, cæteráque necessaria. Redditus valetudini, manantibus lacrymis ajebat: Vos estis mei fratres: deseruêre me mei, solùm vos reperi; seséque obtulit paratissimum ad nobis inserviendum vel in infimis ministeriis.

Charitas Cardinalis.

10. Augebantur in dies morbi Eboræ: ideò clausa Gymnasia 25. Julii. Ulyssipone, ubi æstivabat Cardinalis, optimè providerat suis ovibus. Memor suum Pastoris munus absentiam ab grege rebus in angustiis non permittere, Augusto mense decrevit Eboram reverti. Periculum vitæ objiciebant Medici, & Confessarius. Ejus tamen charitas hæc terriculamenta vicit, in suo Collegio, inquiens, integrâ se fruitum semper valetudine. Igitur die 18. ingressus urbem immodicâ omnes perfudit lætitiâ. Tam generosum Principis fervorem DEUS muneravit sanitate urbi restitutâ. Collegii Rectorem ægrotantem tum Cardinalis invisit, tum Eduardus illius ex fratre nepos.

11. Die primâ apertionis scholarum Cardinalis præsens fuit Professoribus concipientibus de more Academico juramentum. Mox audivit Petrum Novasium Magistrum tertii Gymnasii dicentem de laudibus sapientiæ. Hoc anno novo Theologiæ Professore crevit Academia. Tribus nempe Professoribus adjectus est Melchior Lobatus, dictavit de mysterio Verbi incarnati. Ne vacaret cathedra, dum fiebant actus Theologici ad eam conscendendam necessarii, Cardinalis pro potestate sibi facta novum Professorem insignivit gradu Baccalaurei Theologici.

Eboræ creatur novus Professor Theologiæ.

Lustrat Gymnasia, & alia ejusdem Principis.

12. Postquam justo numero gaudebant Gymnasia, ea de more lustravit serenissimus Fundator. Inundabat lætitiâ, putabátque sui operis magnam mercedem esse à Deo suis intueri oculis emolumenta publica, & animarum bonum è rectâ juventutis institutione exortum. Nam supra mille vel anni litterarii principio numerabantur scholastici. Convictores excedebant numerum centesimum, in eo magna pars illustrioris nobilitatis. Die omnibus Sanctis dicato, quo celebratur Academiæ fundatio, Cardinalis in templo primus sacris operatus est; deinde impertivit nostris divinum panem, mox domesticis suis, & omni populo, qui multus aderat. Eâ die primùm audita organa musica Ulyssipone advecta. Dicebatur in Lusitania nihil esse in eo genere operis excellentius.

Moritur P. Ludovicus Gonsalvius Camera.

13. Funesta contigit Provinciæ decima quinta dies Martii, quâ P. Ludovicus Gonsalvius Camera, de quo toties hactenus facta mentio, de mundi statione recesserat. Natus in Madeira insula parentibus illustrissimis. Ante conditam Societatem JEsu studuit Parisiis; Latinis litteris, Græcis, Hebræis, Philosophiâ, ac Theologiâ egregiè excultus; pollebat enim ad capessendas scientias nobi-

nobilissimo ingenio. Parisiis agnovit Ignatium, ejúsque socios, usus præsertim familiaritate Petri Fabri.

14. Fundatâ à Joanne Rege Conimbricensi Academiâ, eò venit cum Lusitanis, qui Parisiis operam navabant litteris. Sub primordia Collegii nostri Petrus Faber socios invisit, cum eo Ludovicus innovavit veterem necessitudinem, ac permotus illius exemplis optimis, quem, ùt ipse fassus est, intuebatur velut alterum Augustinum, nomen dedit Societati 2. Aprilis an. 1545. Ad vitandas consanguineorum molestias Valentiam missus, illic annum tirocinii explevit.

15. Reversus Conimbricam, paulò pòst illud rexit Collegium. Deinde transiit jussu Majorum in Africam, ut apud eos barbaros prospiceret captivorum bono; quod præstitit exemplis illustrissimis. Postea Romam adiens ad S. Ignatium edocendum de statu Provinciæ, sanctissimo Patriarchæ mirificè acceptus. Nam de illo pronunciavit: *Inveni virum secundùm cor meum.* Plurimùm Ignatius consideraverat, cui ad instruendam posteritatem aperiret seriem vitæ suæ, & modos mirabiles, quibus Deus Opt. Max. se ab initio deduxisset ad Societatis pulcherrimam construendam fabricam. Sentiebat intus vir humillimus id voluntaris divinæ esse placitum. Cui tamen tot essent explicanda, ex Deo non intellexerat, antequam haberet perspectam Ludovici sanctimoniam.

16. Igitur conscius arcanorum sanctissimi Parentis sic eum coluit, sic à se, aliísque curavit exprimi, ùt nihil magis. Nihil, inquiebat, vel minimum fuisse in Ignatio, quod non contineret doctrinam. Dum Romæ fuit, egítque Professæ Domûs Ministrum, accuratè notavit, atque in adversaria scripsit omnia, quæ audivit ex Ignatio, & quæ in rebus agendis observavit. Comparabat sanctum Parentem illis arboribus, quibus radix, truncus, cortex, rami, frondes, flores, fructus, verbo cuncta sunt odorifera, ac utilia multis usibus, idcóque colligi solent.

17. Erat Rex Eboræ. Mortis Gonsalvii allato nuncio, mærore immodico obrutus secessit ad interius palatii cubiculum, tres ibi horas latuit in tenebris. Sub occasum solis lugubri veste indutus, cubiculariis duobus unicè comitantibus, secessit in cœnobium Virginis ab spineto, usque ad sequentem diem nihil degustavit; vix modico tempore non depositis vestibus indulgebat quieti: neminem admisit ad colloquium; clausis fenestris, solius candelæ lumine usus est: donec P. Mauritius ejus Confessarius timens, ne valetudinem læderet nimio mærore, ad eum ingressus monuit, ut modum dolori poneret. Tunc demum passus est diei lucem admitti; adhuc tamen quinque totos dies in eodem secessu latuit; post quos in palatium reversus lugubrem vestem non deposuit. Suadentibus, ut conceptæ tristitiæ finem faceret, respondebat: *Quid vultis, faciam? Alium patrem, & matrem præter Ludovicum non novi. Scio, quantum me pertulerit, quanta pro me sit passus.* Gonsalvii virtutum exempla fusè refero in primo volumine virorum illustrium, qui Conimbricæ hanc Societatem auxêre, & in Anno glorioso.

18. Non defuerunt alia funera memoratu digna. Die 19. Junii posuit ærumnis finem P. Franciscus Gouvea, quem diximus ivisse ad Angolam cum Paulo Diasio, ibique retentum obsidem à Rege barbaro sui laboris fructu non multo; quòd barbarus nollet Christiana sacra amplecti, nec suos permitteret deserere patrias superstitiones. Id exilium tulit æquo animo, & invictâ patientiâ annos quindecim. Ipsius vitam scribo in secundo volumine de tironibus Conimbricensibus. P. Franciscus Gouvea.

19. Brigantii 6. Junii exuit mortalitatem P. Didacus Coëlius Arrayolensis. Eminuit insigni charitate cum erga nostros, tum externos. Maximè misertus egenorum: ab illis Brigantii colebatur instar omnium parentis: ægros solebat invisere, ac solari verbis, & eleemosynis ad id petitis. In concionibus non curabat, multi, an pauci adessent, certus, posse nonnunquam colligi majorem fructum ex paucis, quàm ex plurimis auditoribus. Post ejus mortem diu P. Didacus Coëlius.

in superficie sepulturæ, quâ est conditus, visa quædam veluti imago humanæ figuræ marmori inhærens, quæ tribuebatur illius virtuti.

Leonardus Lemius.

20. Conimbricæ 7. Julii nobis eripuit immatura mors Leonardum Lemium, natum Villæ regiæ diœcesis Visensis. Numerabat Societatis annos septem. Accuratè studuit suo in virtutibus profectui. Creberrimè discutiebat abdita conscientiæ. Fluxu humoris crassi in pulmonem cadente phthisim contraxit, paulatim febri continuâ pastam. Per id tempus cum patientiæ, tum aliarum virtutum exempla edidit. Horam mortis præscivisse creditum. Cùm enim non apparerent indicia mortis vicinæ, jussit acciri sacerdotem, à quo moriturus piis alloquiis juvaretur. Res ostendit non locutum vana.

Didacus Ribeirus.

21. Ibidem 29. Octobris ad superos concessit Didacus Ribeirus Coadjutor. Sexennium vixerat in Societate, serviens ægrotis ardenti charitate. In morbis nuperis Civitatem prementibus diligentissimè prospexit malo implicitis. Postquam ægri sanitatem receperant, morbo ipse correptus est. Nec dubitandum ex illa salutis domo secum vexisse mali radices. Videbatur egressus morbo, cùm in eundem recidenti supervenit apoplexia, quâ vitam clausit.

Profecti ad Indiam, & Brasiliam.

22. Quatuor Indiam petiverunt, Emmanuel Chaves sacerdos Lusitanus in itinere mortuus; Georgius Castrius ejusdem nationis nondum sacerdos, P. Beroardinus Ferrarus Italus, & Thomas Anglus, qui in India sacris initiatus naviter incubuit animarum culturæ. Scripsit artem de lingua Brachmanum, quæ valde obscura est. Sex ad Brasiliam solvêre, Josephus Morinellus, & Leonardus Arminius, sacerdotes Itali; Franciscus Lopius, Joannes Baptista, sacerdotes; Emmanuel Tavora, & Hieronymus Rodericius, nondum initiati, Lusitani omnes.

In insula Michaelensi dissidia composituntur nostri.

23. P. Petrus Gomius Angrâ navigavit ad insulam Michaëlensem eâ de causâ, quòd Pontadelgada urbs princeps insulæ subjacebat interdicto. Propter electionem antistitis monialium inarserat contentio inter Commissarium Franciscanum, & Episcopum tunc oves suas in ea insula lustrantem. Eò res devenit, ut præsul moniales, deinde urbem perculserit illâ censurâ. Angræ restitutus ægrè flecti potuit, ut urbem solveret eo nodo. Ad id exequendum missus P. Petrus Gomius, cujus adventum autumatissimum cymbalis lætùm pulsatis celebraverunt. Recurrerant Insulani ad Cardinalem. Tempori venit responsum: Commissarius, & Episcopus traderent Ludovico Vasconcellio Rectori Angrensi chartas omnes litigii, starentque Rectoris judicio. Sine mora conductam celocem Angram misêre, quæ Rectorem veheret. Brevi tenuit insulam. Gomius urbem levaret tristi onere nascentis Domini pervigilio; Rector pridie Circumcisionis moniales liberavit.

24. Rector negotio composito ad partium vota, dum expectatur ad reditum opportunitas, adiit pœnitentes. Ter aggressus iter, toties repulsus in portum; donec favente mari Angræ redditus. Gomius insulam concionibus, & aliis Societatis nostræ ministeriis ad pascha Domini excoluit. Quos fructus vir Apostolicus collegerit, quas morum induxerit mutationes, materia longior est, quàm patiatur compendium.

Annus 1576. Soc. 37.

1.

Conventus Provinciæ.

JAnuario coactus Provinciæ conventus ad creandum Procuratorem Romam mittendum. Suffragatores non ampliùs viginti quinque, ex his 20. solemniter professi. Præter hos non erat alius, nisi Ludovicus Molina, qui ratione magisterii ab adeundis comitiis fuerat liberatus. Electus primo loco Ludovicus Vasconcellius, qui Rectorem egerat Angrensem à primordio Collegii. Secundò Petrus Sylva. Præfuit Emmanuel Rodericius Provincialis.

Agitur de dimittendo Collegio Brigantino.

2. Actum in eis comitiis de Collegio Brigantino dando Castellæ Provinciæ. Ad id suadebat intemperies Cœli, Collegii paupertas, subditorum diffi-

difficultas in adeundo tali Collegio, ac Castellæ vicinia. Cùm major pars relinquendum censeret, Christophorus Gouvea Collegii Rector tot cumulavit rationes ad conservandum, ut, qui contrariam tulerant sententiam, non dictam voluerint. Adjuvit DEus sanam Rectoris intentionem; nam Sebastianus Rex præbuit Collegio molas frumentarias ad fluvium Saborem non longè Brigantio, quæ ad regium fiscum id temporis sunt devolutæ.

Res Conimbricensis Collegii.

3. Conimbricensis Episcopus postulavit à Rectore, mitteret aliquot sacerdotes in oppida, quæ nominavit, ad instruendum populum concionibus, & presbyteros lectione casuum conscientiæ. Obtulit viaticum sustinendo sumptui itineris, & moræ; promisit daturum diploma, ut sacerdotes interessent lectioni. Viaticum noluit Rector; accepit diploma. Pedites ivêre singuli sacerdotes cum socio ad oppida Ceam, Gouveam, Lousam, & Pedrogamum. Non aliud præter nosocomium elegêre hospitium, cibo mendicato alebant vitam. Extincti errores non parvi: quales fuêre, septem peccata venialia efficere unum mortiferum; frangi jejunium somno, ac potu, & ejusmodi.

4. P. Petrus Martinius, qui Japonensis Episcopus est mortuus, Lameci composuit plures discordias. Canonici rarò sacro Missæ operabantur; tepor hic reprehensus, & emendatus. Iidem solebant bini, terni confabulantes inambulare templo Cathedrali, tanquam in foro, etiam id monstri fugatum. Videns Episcopus, quæ, & quanta in urbe gessisset Petrus, comitem secum voluit in lustratione diœcesis.

Convictores.

5. Collegium Convictorum rursus erectum cum litterarum, tum virtutum florebat studiis. In domesticum sacellum exornârunt domum unam; dedicatio facta diversis Christianæ pietatis operibus, & Latinis orationibus è suggesto dictis. Nostri, & externa nobilitas auditorium complevêre. Plurimi ambiebant adscribi Societati.

Numerus Theologiæ Professorum completur.

6. Anno labente pro nostris Theologis institutæ duæ cathedræ, una Scripturæ sacræ, Professore Cypriano Soario; altera, eâque Theologiæ primaria, ad quam accitus Eborâ Petrus Luisius vir doctissimus. Duas alias P. Laurentius Freitas, & Franciscus Cardozus nondum sacerdos, moderabantur.

Veræ Crucis cultus.

7. Cardinalis de Ara Cœli moriens Romæ Societati nostræ legaverat partem veræ Crucis; hanc Didacus Miro veniens in Lusitaniam cum Borgia secum tulit, donavítque Conimbricensi Collegio. Hactenus non fuerat exposita cultui publico. Michaël Sousa Rector voluit id fieri, quantâ potuit solemnitate. Re cum Episcopo communicatâ, placuit è templo Cathedrali ad nostrum ferri. Instituitur supplicatio, Episcopus sub umbella portat argenteam crucem auro oblitam, in qua sub crystallo particula veræ Crucis claudebatur. Pro concione dixit Ludovicus Alvarus.

Episcopi liberalitas.

8. Idem Episcopus suâ manu, & expensis largitus præmia in certamine litterario. Promisit anno sequenti daturum se aureos quinquaginta in eundem finem. Donabat assiduas eleemosynas nostro Procuratori carcerum, & miserorum. Admonebat, ne verecundiâ retardaretur in petendis à se hujusmodi subsidiis; ne curaret torvos aspectus domesticorum sui palatii.

Moritur Franciscus Figueiredus Coadjutor.

9. Mortem occubuit Conimbricæ 30. Julii Franciscus Figueiredus Coadjutor. Nihil avidiùs expetebat, quàm obire abjectiora munera. Docebat alphabetarios in schola ad legendum characteres instituta. Curationes violentas pertulit masculâ patientiâ. Dum morbo laboravit, ejus discipuli adibant quotidie templum, preces effusum pro incolumitate Magistri.

Extinguitur discordia.

10. Decembri mense, nisi nostri malum avertissent, penè actum de Conimbrica. Venerunt eam in urbem aliquot alienigenæ histriones. Quinquaginta scholastici sumptu communi constituerunt, ut, ipsis unicè spectantibus, fierent hujusmodi ludibria. Domum obserârunt, ne quis intraret. Rogaverunt nobiles cives, sibi pateret aditus. Cùm renuerent, itum ad vim. Rumpuntur fores, irruunt. Non erant armati scholastici; quà sedilibus, quà scamnis res agitur. Objectis palliis manui involutis, & codicibus sui usûs ægrè tuentur vitam.

Unicè duo vulnera illata presbytero. Sequenti nocte sumptis armis agminatim scholastici per urbem discurrunt. Provocant cives. Accersuntur undique in urbem armati. Species castrorum erat, timendúmque triste prælium. Impendenti malo unus è nostris pergit obviàm. Allocutus cum cives, tum scholasticos, & Rectorem Academiæ. Sic res temperavit, ut, armis abjectis, sit reditum ad pristinam quietem.

Prudentia nostrorum in non liberandis criminosis.

11. Aliud tum temporis contigit, qui patrocinari noluimus. Prope Conimbricam commissum est à duobus nobilibus adulterium vel ob circumstantias fœdissimum. Comprehensi adulteri rogârunt Patres, ut lenirent offensos. Responsum est, Societatis esse in nonnullis criminibus veniam procurare; in aliis non convenire, ne justitia inhibeatur. Malum patratum tot mistum fœditatibus, ut supplicium à nocentibus avertere DEO non placeret. Vulgatam responsionem laudârunt omnes, factâ collatione diligentiæ in extinguenda prædicta discordia inter cives & scholasticos, cum excusatione liberandi supplicio hujuscemodi criminosos.

Moritur Eduardus Sobrinus Cardinalis.

12. Eboræ 28. Novembris mors de medio sustulit Principem Eduardum, post Regem Sebastianum unicam ruentis Lusitaniæ spem. Noster Gaspar Gonsalvius illius Confessarius Angelicas hujus Principis virtutes reliquit scriptas. Multum nocturni temporis dabat orationi, castigabat corpus jejuniis, & flagellis, frequens erat in usu sacramentorum. Noster Benedictus Fernandius refert, Eduardum orationi vacantem coram sanctissima Eucharistia ter hujusmodi audisse verba: *Eduarde, vis regnum Lusitaniæ, aut Cælum?* respondisse ipsum: *Domine mi, Regnum Cæli est, quod volo:* ac protinus sequenti die in morbum postremum incidisse.

tom. 3. in Gen. c. 49. sect. 2.

13. Ubi cœpit ægrotatio, nihil aliud ardentius cogitavit, quàm annos æternos. Vocate, dixit famulis, ad me veros amicos meos Leonem Henriquium, & Gasparem Gonsalvium. Cum ipsis miscuit pios sermones. Nihil, dum vivus fuit in lecto, dixit, fecitve, quod non spiraret virtutem. Rogavit sepeliri sub tumulo Cardinalis in templo nostro. Ibi hodie jacet cum epigraphe. Doluit ex animo obitum tam sancti adolescentis Cardinalis: misit Villavissosam Rectorem Collegii Michaëlem Turrianum, & Gasparem Gonsalvium ad consolandum suo nomine Catharinam defuncti sororem.

Additur Eboræ octavum Gymnasium. Et alia ejusdem Collegii.

14. Numero studentium aucto, Cardinalis in Academia sua mense Januario septem Gymnasiis adjecit octavum. Mense Martio Doctoris Theologi ornatus laureâ sacerdos sæcularis, assistente Cardinali. Primus fuit, qui gradum suscepit in novo templo, ubi ad nostra tempora solet conferri. Mense Majo in scenam data tragœdia de Nabucho, spectatores morata horas quinque: mirificè recreatus Cardinalis jucundo spectaculo. Cùm nôsset Collegium premi ære alieno, & annonæ penuriâ, significavit dolorem, quòd sibi non aperuissent; præbuit statim mille cruciatos, & magnam vim tritici.

15. Æstate jussit fieri puteum, quem hodie Cardinalis vocant, in Collegio, cui adjuncta stagna duo aquæ recipiendæ. Postea curavit cò per canalem subterraneum derivari aquam ex urbis aquæductu; sed is canalis lapsu temporis inutilis redditus. Solebat Princeps ad socios recreandos invitare post cœnam ad hortum, ubi phonascis suis lectissimis imperabat pias & amœnas cantiones modulari: at ubi primùm sonuit tintinnabulum pro fine colloquii, conticebant omnia; nihil enim magis curæ habuit Cardinalis, quàm ne sui causâ ordinis domestici quidquam turbaretur.

16. Per Quadragesimam Alcoutinum, Myrtilis, Almondovar, Mouranum, Serpa, Monsarasium, Coruciam, & Montragilium missionibus ex Eborensi Collegio sunt instructa. Tantam inde voluptatem cepit Cardinalis, ut sublatis in Cœlum oculis, manibúsque DEO quàm maximas egerit gratias ob emolumenta operis à se fundati.

Mortui Eboræ.

17. Nonnulli in eodem Collegio naturæ debitum solverunt. Calendis Aprilis Dominicus Fernandius tiro, Mense post ingressum cœpit ægrotare; biennio

biennio jacuit in lecto perpessus multa, & velut in flamma lustrali excoctus, ut purus Cœlum ingrederetur. Phthisis consumpsit 9. Septembris Antonium Gonsalvium complexu tenentem Christi cruce suffixi simulacrum. Ejusdem mensis 29. Antonius Rebellus obiit. Peractis exercitiis S. P. Ignatii excurrit docendo fidei mysteria per diversa oppida. Redditus Collegio statim morbo pressus, & ritè paratus iter iniit æternum.

18. Quantùm Societatis honori Cardinalis Henricus prospexerit, inde liquet. Hispali puniti ab Inquisitoribus aliquot pessimi sacerdotes. Eos de Societate nostra fuisse vulgavit monachus quispiam, rumorémque suis confirmabat concionibus in Estremadura. Cùm noster Didacus de S. Cruce veniens in eam regionem, comperisset monachi amentiam; adversus illam sacro de suggesto declamavit. Irritatus ille per Bœticam excurrit Societatem infamando. Inde transiens in Lusitaniam, libellos famosos tradidit Henrico & Inquisitoribus plenos calumniis adversus inclytum heroëm Ludovicum Granatensem, & Societatem nostram. Non expectato responso, Hispaniam repetivit. Indignam rem noluit impunitam Cardinalis: dat litteras ad Philippum Regem, Nuncium, & inquisitorem Generalem; cognitione de calumniis institutâ, animadverterent, ùt res poscebat. Vocatus à Nuncio monachus, convictúsque respondit se promptum ad canendam palinodiam. Tum ad sui Ordinis Hispalense monasterium mittitur, punitus pro merito. Etsi Cardinalis optabat, ut foret supplicium tam publicum, quàm fuerat calumnia; satis visum, quòd nonnulli de Societate obirent eandem regionem, ubi virus sparserat, abolerëntque sparsos ab eo falsos rumores. *Cardinalis liberat Societatem calumniis.*

19. In Angiensi Collegio gubernando Petrus Gomius successerat Pro-Rector Vasconcellio. Timuêre cives, ne veniente novo Rectore, vocaretur Gomius in Lusitaniam: idcirco dederunt litteras ad Regem, ac Societatis universæ Moderatorem, ne Gomio privarentur. Multa cumulabant in viri laudem, quamvis magna, omnia re minora. Mense Julio jam erat Rector ejus Collegii Stephanus Diasius. Sacra lipsana navibus Lusitanis advecta summo apparatu & solemnitate in templo nostro recipiuntur. *Res Angrensis Collegii.*

Annus 1577. Soc. 38.

1.

AD Brasiliam cum Gregorio Serrano, qui ex ea Provincia Romam accesserat Procurator, septendecim profecti, partim Lusitani, partim aliarum gentium. Brasiliam tenuêre pervigilio Natalis Domini. Ad Indiam solvit Melchior Diasius: inde venerat anno superiore jussu Ludovici Ataydii Pro-Regis acturus de negotiis ad rem communem pertinentibus. Secum duxit Christophorum Castrium Eboræ Convictorum Rectorem. Tum Brasilicæ, tum Indicæ naves Tagum egressæ 10. Octobris. Interrogatus Præpositus Generalis de suffragiis morientium in navigatione Indica; respondit tum in Lusitania, tum in India facienda, tanquam si in utraque Provincia obiissent. Quod tamen postea immutatum, ùt infrà dicetur. *Profecti ad Brasiliam, & Indiam.* *Suffragia pro morientibus in navigatione Indica.*

2. Quæsitis eleemosynis à Patribus Domûs Professæ liberati carcere tercentum, & ampliùs, per creditores addicti vinculis. Plurimum id operis adjutum bonâ summâ, quam ante mortem fuerat largita Maria infans filia Regis Emmanuelis ex Regina Eleonora. Ut erat amantissima nostræ Societatis, dum passa diuturnum morbum, nostros semper sibi assistentes habuit. Idipsum nos rogavit Cardinalis Eborâ veniens ad consolandum sororem. Defuncta est 10. Octobris Ulyssipone. Jacet ad aram primariam templi Virginis à Luce, quod sumptibus suis ædificaverat; quamvis post mortem fuit annos aliquot in cœnobio de Matre Dei prope Tagum. Reliquit in testamento aliquot pia legata pro nostro Eborensi, & Convictorum Collegiis; quæ tamen soluta nôn sunt: forsan *Res Domûs Professæ.* *Moritur Maria soror Cardinalis.*

quòd

quòd in urgentioribus esset consumpta omnis pecunia. Eboræ in templo nostro solemniter illi parentatum à nostris, & alterâ die ab Academicis.

Moritur P. Petrus Gomius. 3. In Domo Professa mortalitatem explevit Petrus Gomius Coadjutor spiritualis, operarius indefessus. Seu die, seu nocte vocarent ad audiendas confessiones, non parcebat sibi. Si totâ nocte vigilâsset apud agentes animam, manè accurrebat ad confessionum sellam, perstabàtque, quoad omnium circumstantium confessiones exciperet. Quæ sanæ mentis egerat, id pietatis phreneticùs mente volvebat; socios compellabat præsentes, ut animas eluerent, dabat plurima salutis monita.

Scholæ Ulyssiponenses. 4. In Collegio Ulyssiponensi erant novem Latinitatis Gymnasia, ac duo moralis scientiæ. Scholastici quingenti supra mille. Aulæ pro tanta multitudine angustæ. Omnia circa studium, & ad Societatis, & ad urbis vota procedebant.

Res Conimbricæ. 5. Mortis, & fame Conimbricam prementibus, nostrorum charitati locus fuit. Et Collegium ingressi morbi quaternos nobis abstulerunt. Sex & quinquaginta exiêre in diversa pia loca peregrinatum, octo ad sacras missiones peragendas. Conimbricæ, & Eboræ cœperunt hoc anno tirones in triclinio separato cibos capere. Quæ consuetudo permansit annos aliquot, donec rursus est visum commodius, eodem uti cum reliquis triclinio.

Res Eboræ. 6. In Eborensi Collegio censebantur socii 140. eorum 24. tirones. Par hìc fames & morbi, par charitas nostrorum impensa. Sex de nostris mors rapuit. Contra avaritiam divitum annonam occultantium, unde fames onerabatur, declamatum, labore non cassò; nam frumento undique collecto miseri habuêre subsidium. Aliqui Patres eam copiam coacervârunt, ut sufficerit, dum dominaretur fames, septuaginta egenæ plebis familiis alendis. Undecim diversa oppida Quadragesimæ diebus per nostros illic morantes sunt exculta. Tredecim eodem tempore de Collegio prodibant singulis diebus Dominicis in vicinis urbi paræciis concionaturi. Paulò pauciores in adventu Domini.

Ludovicus Alvarus primò Eboræ. 7. Dominicâ die ante ascensionem Domini primam concionem habuit in nostro Eborensi templo Ludovicus Alvarus, de quo sæpè dictum, quantus id temporis esset in sacro suggesto. Populus viri famâ motus à media nocte concurrit; quod & observavit deinceps. Præter alias conciones obivit in templo nostro pertinentes ad tempus Dominici adventûs. Gemitus, & lacrymæ, morum correctio, frequentia sacramentorum erant elogium concionatoris. Multa de hoc præclarissimo Ecclesiaste in ejus vita exarantur.

Initium Collegii Purificationis Eboræ. 8. Mense Junio Cardinalis magnâ solemnitate jecit Eboræ primum lapidem Collegii Virginis à Purificatione. Sic dici voluit, quòd prope hoc festum primam lucem aspexerit. Illustre est seminarium Theologorum sæcularium, subjectum administrationi nostræ. Ædificio gaudet planè regio, capaci Theologorum quinquaginta. Quamvis postea redacti sint ad quinque supra viginti, quòd crevissent rerum pretia, nec sufficerent reditus tot alendis. Idcirco Pontificis facultate subinde minutus numerus, reditu quondam in duos, nunc in unum alendum dato. Præcellentes viri in eo Collegio ad nostra usque tempora sunt educati.

Portuense Collegium. 9. Portuense Collegium, quòd scholis careret, referebat potiùs speciem Domûs Professæ. Commodiùs hoc anno habitari cœptum: nam paratis domibus, & modico templo ex cæmento & luto, facta Eucharistiæ translatio festo S. Laurentii Martyris, cui templum & Collegium sunt dicata. Grassante contagio non longè ab urbe sacerdos unus cum Coadjutore se consecravit incendio miseros depascenti. Strenuè adjuta corpora, & animæ. Extincto malo, rediêre domum incolumes. Ejusmodi referunt Angrenses.

Secundus Rector Madeirensis. 10. In Madeirensi Collegio nuncupavit solemnem professionem Petrus Rodericius Eborensis. Primus erat, qui illam ibi emisit. Paulò pòst traditæ ipsi ab Emmanuele Sequeira Collegii claves. Petrus Rodericius ille est, qui post guber-

gubernatam Provinciam Brasilicam mortuus Pernambuci non sine virtutis opinione. Emmanuel Sequeira magnum sui apud Madeirenses reliquit desiderium, vir potens in dicendo.

11. Lethale vulnus illic acceperat civis quidam: ad ejus confessionem excipiendam vocatus è Collegio sacerdos percontatur: velitne confiteri, & percussori condonare? Cui ille: confiteri volo, non alterum. Igitur vis, inquit, mitti præceps ad Inferos? Potiùs id volo, respondet. Cùm nullis rationibus posset ab obstinata mente dimoveri, novum consilium init sacerdos: vocat, quotquot domi sint, coràm ipsis voce in severitatem compositâ, Estote mihi testes, ait, quòd hic homo nolit injuriam condonare, adeóque in peccatò suo mori, ut in sterquilinio sepeliatur. Ad id verbum horruit, & exclamavit, injuriam se remittere, nolle tanto inuri dedecore. Sic facti pœnitens mundavit animam. Conversio obstinati.

12. Multæ ex Angrensi Collegio per insulam institutæ missiones. Nec se fervor eâ insulâ constringi passus ad alias trajecit. Nam Petrus Gomius discurrit per insulas S. Georgii, & Picum. Petrus Freirius apud Fayalenses admirabilem collegit proventum. Etenim ob magnas discordias eò Capitulum Angrense, sed vacante, Canonicum misit compositurum dissidia: renuit inire iter sine homine de Societate. Patrocinio B. Virginis non est navis illisa rupibus ad eum sinum, quem vocant *Babiam diabolicam;* quòd ibi multa maris fraus, & insidiæ navibus. Missiones per insulas.

13. Septembri mense idem Freirius cum Andrea Gonsalvio sacerdote & Balthasare Almeida navigavit ad insulam Michaëlensem. E Portu ad Eucharistiam salutandam iêre, mox ad nosocomium. Gonsalvius præter conciones, & alia ministeria explicabat sacerdotibus materiam de pœnitentia. Misericordiæ domui interruptæ denuò adjiciuntur manus, multis eleemosynis contributis. Cætera animarum emolumenta fuêre maxima. Inde apud omnes ortum desiderium fundandi Collegium. Unus obtulit amplas ædes, & prædium æstimata duobus cruciatorum millibus. Etiam per dies nonnullos excoluerunt oppidum Villam-francam. Post egregiam impensam operam, Angram reversi.

14. Joannes Sylva de Canto vir æquè nobilis, atque pius, Præfectus Urbis Angrensis, hujus anni Decembri mense sanctissimè obivit. Ex quo socios cognoverat, tanquam suos amavit. Petro Gomio usus confessario, multùm ejus consiliis profecit. Supremùm ægrotans non sinebat abesse nostros. Morti vicinus socios omnibus complexu valedixit. Cùm justa ei peragerentur, unus de nostris funebrem ei dixit orationem. De ipsius in nos beneficiis memoravi suprà, cùm de primordiis Collegii nostri egissem. Moritur Joannes Sylva de Canto Benefactor.

15. Sub anni finem Provinciæ Visitator creatus Michaël Sousa, quod munus anno unico cum laude gessit. Visitator.

Annus 1578. Soc. 39.

1.

FUnestior Lusitanæ Nationi vix illuxit annus, quem atris semper, dum mundus fuerit, signabit calculis, infaustâ Regis Sebastiani expeditione abundè notatus, quæ non solum nomen Lusitanum, sed nostram etiam Societatem perculit infelicitas. Ubi primùm cœperat Sebastianus moderari rempublicam, ùt erat avidissimus gloriæ, nonnisi grandia mente volvebat. Ussérant animum Caroli V. avi sui res inclytæ. Vix potuit ab eo Cardinalis obtinere, ne classe ingenti ad Orientis Indiam navigaret prolaturus Imperium Lusitanum, & gloriam sui nominis. Sebastiani Regis infausta expeditio.

2. Meditanti Mauritaniam bello subigere, fors obtulit occasionem, quam ipse putabat cœlitus immissam, Molejus Abdemelecus vir ingentium spirituum, qui Turcarum auxiliis exuit imperio Marrocensi, & omnibus suis fortunis Moleium Mahumethum filium sororis suæ, ad quem pertinebat regnum. Mahume-

thus mortem fugiens venit in Lusitaniam, se vectigalem Sebastiano promisit, si juvaret in recuperando solio. Petebat certum numerum equitum; sciebat enim de suis paulatim confluxuras eas copias, quibus & Lusitanis auxiliantibus avunculum regno deturbaret.

3. Id sanum, & utilius ipsi, ac Lusitanis consilium, Sebastiano non placuit; magni ad honorem suum existimavit interesse, si per se ipsum materno solio restitueret Mahumethum. In rem comparavit omnes regni vires, quibus adjunxit externa auxilia. Accesserunt quindecim è Societate, Mauritius Serpius Regis Confessarius, & nostrorum Superior, Petrus Martinius, qui Japonensis Episcopus obivit, Martinus Mellus, Antonius Brittus, Franciscus Araujus, Alexander Vallaregius, Fernandus Pradus, Didacus Barrius, Melchior Oliveira, Guilielmus Fernandius. Hi decem sacerdotes erant. Ruysius Gomius, Ludovicus Alvarus, Joannes Nogueira, Franciscus Alvarus, & Balthasar Diasius, Coadjutores. Ibant operam daturi officio charitatis.

Nostri Regem comitan.

4. Sub finem Junii solvens è Tago classis appulsa est ad Arzilam coloniam Lusitanorum in Africa. Exposito in terram exercitu, cœpit Rex intueri difficultates, quas præcavere, licèt monitus, non curaverat; occultâ scilicet vi eum cum regno præcipitante. Igitur tendit rectâ in hostem, copiis florentem, nulli salubri acquiescens consilio. Exercitum secuti de nostris Mauritius Serpius cum sex aliis: cæteri cum classe missi Larachium, quò Rex dirigebat iter terrestre. Die 4. Augusti commissum prælium infaustissimum. Trucidatus exercitus, aut captus. Periit Rex, & Regnum. Tres in eo certamine Reges interière, duo Mauri supra nominati, & Sebastianus; quanquam nationis amor seipsum fallens æstimavit superfuisse: unde ansa præbita innumeris de Sebastiano fabulis.

De Successu Lusitanorum.

5. De nostris occisus Mauritius: dum enim aurem commodat perculsò lethaliter, accedens Maurus nudato gladio, quid, ait, impietatis exerces? sub hæc verba Mauritii findit caput. Cæteri à Mauris capti durissimam servière servitutem, alius alio successu redemptus. Alexander Vallaregius natione Italus suis popularibus & Germanis ob linguæ peritiam consuluit. Aliquot glandes ferientes ejus pectus, in terram cecidère, ipso illæso. Bis Elchius, sive desertor fidei, eum acinace invasit, bis repentè interpositus eques cum vexilio Regis Lusitani Maurum arcuit. Id Elchius post prælium Alexandro narravit, quod ipse vehementer miratus est, cùm talem equitem nusquam aspexerit. Alexander veniens in Lusitaniam, iterum ad redimendos captivos in Africam navigans, dum subsistit Septæ peste contractis inserviens, eâdem implicatur lue, ac sanctissimè efflat animam.

6. Tum Fexiæ, tum Tetuami, quò nostros rapuit infelicitas, dum liberati non sint, nihil habuerunt potiùs, quàm utiles esse captivis. Balthasar Diasius, pharmacopæus insignis, multùm profuit ægrotis & vulneratis. Sacerdotes juverunt animas cum audiendo confitentes, tum roborando monitis saluberrimis, ne ærumnarum illuvies eos, ut mitiùs tractarentur, cogeret fidem deserere.

Regis Sebastiani in Societatem amor.

7. Sed ad Regem nostrum revertamur. Vix alius fuit, qui plus dilexerit Societatem verbo, & opere, quod hactenus declaravit innumeris argumentis. Nostros vocabat pectoris, ac sui sinùs homines. Frequens fuit in domibus Societatis adeundis, ut inde alii etiam æstimarent plurimi Societatem. Non fuit ulla domus nostra in Lusitana ditione, quam non juverit. Porrò fundavit Angrense, Madeirense Collegia, & Residentiam Angolanam. In Brasilia Bahiense, Pernambucense, & fluminis Januarii Collegia condidit, & quatuor apud Orientis regiones. Pro ipsius anima singuli Societatis sacerdotes fecerunt 25. sacra, non sacerdotes recitàrunt totidem coronas.

8. Jam si spectetur indoles, & virtus Sebastiani, quid non in eo micuit amabile? A teneris in omnem propensus honestatem vixit, & mortuus Virgineo ornatus pudore. In Deum, ac Cœlites piissimus. Assiduus in comitando Eucharistiam ad infirmos delatam. Natura ipsa cum fecerat aptissimum ad recipien-

cipiendas omnium virtutum imagines, ùt notum fiet legentibus apud scriptores ipsius vitam. Dotes illæ, quæ formant Principem cunctis absolutum numeris, usque ad certamen in Sebastiano fullêre. Celsum, & acutum ingenium ad capessendas scientiarum difficultates pronum reddidit ad decorandas suâ præsentiâ celebritates litterarias: qua in re nonnullis visus est nimius. Artes equitandi, venatum exercendi, certandi disco, & quæ vires ostendunt, ac firmant, familiares sibi fecit. Planum erat, adulatores eum rapuisse transversum; nam observantes spiritum Martialia anhelantem, sub prætextu fidei propagandæ, Africæ subigendæ studiis incendêre. Nec ejus Confessarius, nec Cardinalis, nec Dynastæ gravissimi amantes Regis, & patriæ, obruere poterant scintillam, unde tantum est ortum incendium.

9. Quo die accepta clades, id temporis erat in monasterio Alcobacensi, horis vespertinis se collegit in cubiculum ad fundendas pro Rege preces. Mandârat domesticis, ne quis admitteretur, nec introiret, nisi ipse tintinnabulo accivisset. Paulò pòst audiunt gemitus, ac singultus, applicant aurem, cùm pulsatur tintinnabulum. Jubet accersiri Fratrem Gulielmum de Passione multæ virtutis virum, cum quo solitus agere de rebus divinis. Ut est introgressus, *Roga*, inquit, *DEUM pro me, atque hujus regni solitudine, nam Dominus meus Rex est perditus, & eversus Christianus exercitus.* Unde mi Domine, id scis, ait Monachus? Respondet: *Nuper, dum fundo preces, cerno in ostio cellæ, ubi dormio, hominem facie conspersâ sanguine, multis perculsum vulneribus; mihi visus est Emmanuel Menesius Episcopus Conimbricensis: has voces edidit: Quod attinet ad mundum hunc, omnia sunt perdita, non ita, quod attinet ad alium. His dictis evanuit ex oculis.* Cardinalis divinitus fit certus de Regis exitio.

10. Rem Cardinalis summo texit silentio, donec pervenit infaustus nuncius. Ulyssipone misit Nobilitas nostrum Leonem Henriquium, Senatus Georgium Serranum, qui Cardinalem edocerent exitium lamentabile; rogarent, veniret Ulyssiponem ad consolandum nationem in communi luctu, & sceptrum capessendum. Etenim noluerat spectare Regem proficiscentem, nec regimen suscipere, quod est commissum Georgio Almeidæ Ulyssiponensi Archiepiscopo, atque aliis Dynastis.

11. Accepto nuntio tristissimo, redditus Ulyssiponi, 28. Augusti possessionem regni adit in templo nosocomii Sanctorum omnium, vel ipso loco, quàm infirmum regnum acciperet, indicante. Ipsâ die à prandiis, nemine rogante, donavit nostris Collegiis pensiones valde pingues, quæ sibi persolvebantur in aliquot Episcopatibus. Collegio D. Antonii largitus cruciatorum quadraginta millia tribuenda ab Georgio Almeida Antistite Ulyssiponensi. Quinquaginta millia Conimbricensi Collegio ab ejus urbis Episcopo. Alia quinquaginta millia in Bracharensibus insulis danda Bracharensi, & Portuensi Collegiis, utrique dimidium. Collegio Eborensi millia sexaginta solvenda à Theotonio, qui unicus mortuo Henrico id onus excussit. Cardinalis, jam Regis, in nostra Collegia liberalitas.

12. Protinus ad placandum Numen jussit indici plurimas ad diversa templa supplicationes. In eis præter suspiria, lacrymas, singultus, gemitus, & lamenta alius non erat sonus. Curas subinde adhibuit redimendis captivis. Novembri mense profectus ad Africam noster Antonius Brittus sacerdos cum Ruysio Gomio Coadjutore, ut redemptioni navarent operam. Nostri mittuntur ad redimendos captivos.

13. Moderator totius Societatis consolatorias litteras in tam funesto casu ad Regem dedit, significans, ac dolens, quantum perdidisset orbis Christianus, quantum Lusitania, quantum Societas, amisso Sebastiano. Simul rogavit, ne Societatem, quam amaret instar parentis optimi, sineret exponi obtrectatorum invidis sermonibus, & linguis virulentis. Idcirco humillimè se poscere, ne Leonem Confessarium admoveat sæcularium negotiorum administrationi. Addat hujusmodi beneficium aliis, pro quibus illi agit immortales gratias universa Societas. Annuit Rex postulanti. Everardus scribit ad Regem.

Antonius Franco P 2 14. Ne-

Reginæ obitus.

14. Neque una hæc nationis calamitas. Obiit etiam 12. Februarii Ulyssipone Catharina Conjux Joannis III. & Caroli V. soror, fæmina sanctissimis ornata moribus, nostræ Societatis mater suavissima. Multæ preces, & supplicationes institutæ pro ipsius impetranda valetudine fecêre manifestum, quanto amore omnes eam prosequerentur. Sed jure meritò inter ejus felicitates illa numeranda, quòd preces non sint auditæ, neque in tantum dolorem, de quo antea, sit servata. Dum ægrotaret, assedêre nostri, ut piis alloquiis adjuvarent. Sepulta est in cœnobio Bethlemitico. Legavit Domui Professæ 1600. cruciatos, thecam Reliquiarum pretiosam, & veram effigiem B. Virginis à D. Luca pictam. Ejus Confessarius Michaël Turrianus Augusto mense abiit in suam Provinciam Toletanam.

Eborensi Collegio donatur Abbatia Passi de Sousa.

15. Gregorius XIII. 17. Maji expedivit Bullam, quâ concedit, applicari Collegio Eborensi Commendam, sive Abbatiam cœnobii S. Salvatoris de Passo de Sousa Ordinis Benedictini in Diœcesi Portuensi. Pontificis litteras executioni mandari jussit Serenissimus Collegii Fundator. Inita legitima possessio Julio sequentis anni per Joannem Peresium sacerdotem nostræ Societatis. Habet Rector Collegii jus præsentandi ecclesias quinque, Abbatias vocant. Deinde creat civilis rei Judicem, ædilem, & præconem. Habitant illic nonnulli de nostris, ut bona, & jura procurent.

Res Eboræ.

16. Quæ de peregrinationibus piis, missionibus, sermonibus Quadragesimalibus Eboræ intra urbem, & in locis finitimis, à superioribus annis non ablusêre. Dum reficitur publicus aquæ ductus, per nostros è cisterna Collegii subventum carceri. Dux Medinæ Cœli redux in Hispaniam, salutaturus Cardinalem gratias agit, quòd esset adeò liberalis in Societatem, dicens eam fidei clypeum, ubicunque sit. In Gymnasiis exceptus Academicis plausibus. Par honor obtigit Theotonio Brigantino, qui Dominicâ tertiâ Octobris anni proximi fuerat in templo Domûs Professæ consecratus Archipræsul Eborensis, Coadjutor, & futurus successor Cardinalis, hujus anni Decembri iniit possessionem.

Cardinalis sibi facit Eboræ sepulchrum.

17. Ossa sua ac cineres in Eborensi Collegio conquiescere statuerat Cardinalis. Januario mense erectum à fundamentis è politissimo marmore sepulchrum. Super illud appendi jussit insignem picturam Divi Hieronymi asportatam è Bethlemitico monasterio, ubi sepeliri mens ejus fuerat inter parentes Reges; sed mutatâ sententiâ placuit Eboram transferri tabulam, cujus author fuit Michaël Angelus inter pictores ætatis suæ facilè princeps.

Profecti ad Indiam.

18. Quatuordecim iter ad Indiam ingressi sunt, septem Lusitani, unus Belga, reliqui ex Italia. Eos inter clausêre vitam martyrio Rudolphus Aquaviva Neapolitanus, filius Ducis Atriensis, Georgius Carvallalius Lusitanus Visensis, Georgius Fernandius Algarbiensis. Die 14. Martii portum egressi. Ibant etiam Imperii Sinensis grandia lumina Michaël Rogerius, & Matthæus Ricius. Omnes in tres divisi naves nullam omiserunt industriam, ut comitibus itineris forent utiles. Navigatio contigit prospera.

Peregrinatio Ignatii Martinii.

19. Conimbricâ sacram excursionem Scalabim adornavit Ignatius Martinius fructu multo ministeriis nostris reportato. In urbe Portuensi promotus cultus divi M. Pantaleonis, ejúsque honori Sodalitas erecta.

Adventus Maffæi in Lusitaniam.

20. Advenit hoc anno in Lusitaniam Joannes Petrus Maffæus, huc missus, ut scriberet historiam propagationis Evangelii per vastissima Orientis regna, quod tantæ rei nusquam essent incorruptiora monumenta, quàm in Lusitania. Placuit ejusmodi prætextus ad eum arcendum è Romana Curia: causas refert Sacchinus. Scripsit apud nos de rebus Indicis à primis ejus navigationis initiis ad tempora Regis Joannis III. tantâ Latini sermonis ubertate, & majestate, ut nihil sublimius desiderari possit.

Difficultas in reditu Petri Gomii.

21. Angræ inconsolabilis mæror tenuit cives & plebem, abeunte Petro Gomio heroë Apostolico. Quamvis dilata fuerit illius reversio propter litteras Senatûs id postulantes; hoc anno jussus est eam insulam deserere, séque Lusitaniæ restituere. Ubi res vulgata, nullum non moverunt lapidem, summi,

in-

infimíque, ut impedirent. Cautum sub gravibus pœnis, ne quis commodaret scapham ad navem subeundam. Additæ sunt, noctu, diéque excubiæ circa nostrum Collegium, ne posset elabi. Die, quâ navim conscendere statuerat, perrexit ad littus. Eò populus, & nobiles confluxêre. Obstitum est enixissimè. Dilapsi nautæ, nemo fuit, qui auderet scapham littori applicare. Penè civium humeris reportatus in Collegium. Videns Gomius tot obices, tantisper dissimulavit. Dum ex navibus regiis phaselus ad sinum ab urbe remotum applicabatur, cùm minùs putatum, Gomius jam erat in tuto. Ulyssiponem appulsus, contendit Eboram, ubi Dominici Adventûs tempore verba fecit solito proventu.

22. E Madeirensi Collegio aliquot sacerdotes per insulæ vicos & pagos excurrêre populum erudiendo. Navigârunt alii ad insulam de Portu sancto. Ubique naviter procurata animarum salus. Illud magni momenti fuit ad insulæ bonum. Inter Episcopum, & Comitem Calletensem insulæ Præfectum ardebat controversia circa præstantiam sedis: inde fiebat, ut nunquam simul interessent alicui solemnitati. Res erat non boni exempli. Collegii nostri Rector alium, & alium alloquendo, sic plenum aleæ negotium temperavit, ut lis finita sit. Ad commodiorem ædem sacram translata est Eucharistia. Res Madeirensis Collegii.

23. In Residentia Angolana 12. Maji vitæ finem posuit Garcia Simonius, Alenquerii natus, Superior nostrorum, quibus præibat exemplo. Ex quo pervenit Loandam, sudavit indefessè cum in excolendis Christianis, tum in ethnicis ad fidem traducendis. Per Pagos Æthiopum discurrens, eorum cremavit idola sine numero. Brevì didicit indigenarum linguam, ut mirarentur Nigri, quòd Ambundorum idioma tam rectè pronunciaret. Moritur P. Garcia Simonius.

Annus 1579. Soc. 40.

1.

CUm novo Rege illico aliam faciem publica negotia induêre. Principes, quibus erat aliquod jus Henrico succedendi, applicârunt curas in tantam spem. Inde nostræ Societati nata est non parva molestia, cumprimis in Castella, ubi omnibus Regiis Ministris Societas erat sudes in oculis. Ajebant nostros in Lusitania nodum esse, & moram, quò minùs Henricus legitimum successorem pronuntiaret Philippum nepotem ex sorore. Nec sibi tuendæ satis erat innocentia. Etenim quid ad Castellanos Patres culpa Lusitanorum? Numquid illi hos incitabant? aut quod crimen? idem habitus, & Institutum? Molestia Societatis.

2. Illud verissimum, Societatis curas eò spectâsse, ut partem non haberet in negotio, quo nullum erat plenius aleæ periculosæ. Arcebantur, quæcunque possent suspicionem movere. Propterea cùm Dux Ossunæ Philippi Legatus secum duxisset Confessarium nostrum Ludovicum Gusmanum; summopere Lusitani Patres adnixi sunt, ut reverteretur in Castellam, ne crederetur ipsum nostros movere ad se pro Philippo in negotio successionis involvendos. Id eò sunt aggressi confidentiùs, quòd Ossunæ Dux esset tam addictus Societati, ut aliquid exquisiti Duci Conjugi suæ missurus Ulyssipone, aliud gratius piæ Dominæ non invenerit, quàm schedam, quâ Patres Domûs Professæ testabantur ipsum per confessionem animam eluisse in ea domo. Uterque enim nostram Societatem dignabatur amore singulari. Idcirco Dux nostrorum consensit voto.

3. Quòd multi detraherent Leoni Confessario Regis, vocatis ad se Dynastis, Henricus verbis disertissimis declaravit, nec in eo, nec in aliis negotiis Leonem se immiscere; id à se postulâsse Generalem, id se Leoni denunciâsse. Proinde non esse, cur Societati nutriant infensos animos.

4. Duodecim ex Europa ad Indos discessêre, Lusitani quatuor, cæteri diversarum gentium. Præerat omnibus Petrus Gomius. A multis annis id DEum precibus, id P. Generalem rogabat litteris. Promiserat sacra missæ centum ei se daturum, qui primò nunciasset, se destinari ad Japonensem expeditio- Profecti ad Indiam.

nem. Venerat Villavissosâ, ubi postulante Duce Catharinâ dies quindecim missionem valde utilem habuit; cùm Michaël Sousa Visitator, qui tunc erat Eboræ, coram sociis declaravit Gomium voti factum compotem.

5. Incredibilis fuit Gomii lætitia, incredibilis sociorum sancta invidia. Permoti illius exemplo certatim se conjiciunt ad Visitatoris pedes, quà verbis, quà lacrymis se quòque mitti obsecrant. In urbe tantus omnium dolor, ut dictitarent, velle DEUM urbem suam punire, quòd inde transferret aliò Gomium virum justum. & sanctum. Volebat Generalis Collegium in Japonia fundari: ad rem nullus aptior Gomio apparuerat. Archiepiscopus Theotonius multis oneravit donis, quibus muneraret Principes Christianos. Equidem nemo Japoniæ operariis, & neophytis Theoronio magis favit: nam & suis expensis curavit typis dari illius novæ Ecclesiæ illustres progressus & labores. Ibat in eo numero Petrus Bernus natus Asconæ in Italia: unus fuit è Martyribus Salsetanis. Tagum egressi 2. Aprilis.

P. Balth. Barreira it in Angolam.

6. Mortuo in Angola Garcia Simonio nostrorum moderatore, missus, ut succederet, vir eximius Balthasar Barreira, earum regionum magnum lumen. Illi comes additus Fructuosus Nogueira non sacerdos. 20. Octobris sublatis anchoris in altum provecti. Habitabat per id tempus Eboræ Barreira, & Quadragesimâ proximâ missionem habuerat Coruci.

Profecti ad redimendos captivos.

7. Septembri mense Amator Rebellus, & P. Andreas Alvarus navigârunt Argelium ad redimendos Lusitanos captivos, quorum magnus numerus illò à Barbaris fuerat asportatus. Mense Julio Alexander Vallaregius è captivitate redditus Lusitaniæ, omnes adhibuir curas in contrahenda pecunia, rediturus ad miseros inde educendos. Rex præter magnam æris summam tribuit pretiosos lapides, ornamenta ad sacrum faciendum, & litteras commendaritias ad omnes Præfectos arcium Lusitanarum in ea regione. Nuncius amplas dedit facultates, & necessaria ad Italos redimendos.

8. Itinere terrestri Hispal contendit, inde transfretavit Septam. Ejus socius Emmanuel Gonsalvius mari profectus. Numerosâ pecuniâ, quam portaverat, liberavit multos. In reditu P. Vallaregius, ùt jam dixi anno 1578. serviens Septæ infectis pestilentiâ mortem oppetiit gloriosam.

Moritur Vallaregius.

Redeunt ex Africa nostri captivi.

9. Diversis mensibus venêre nostri captivi. Aprili è Tituamo Franciscus Alvarus; Majo Petrus Martinius, & Joannes Nogueira è Fessia; Julio è Tituamo Balthasar Diasius, cum eo reversus Ruysius Gomius, quem diximus anno superiore missum Tituamum ad captivos recuperandos cum P. Antonio Britto; sed Brittus morbo contracto Septam ad curandum corpus secesserat, ibi mortuus calendis Februarii, sepultus in templo PP. Trinitariorum, natus Mouræ in diœcesi Eborensi.

Moritur P. Antonius Brittus.

Moritur Simon Rodericius.

10. In domo Professa Ulyssiponensi 15. die Julii horâ post noctem mediam secundâ ad illud divinum animorum concilium, cætúmque abiit venerabilis senex, hujus Provinciæ parens suavissimus, & amantissimus Simon Rodericius, unus è primis sociis S. Protoparentis Ignatii, heros omnium virtutum ornamentis cumulatissimus: cujus vita typis mandata est in volumine de domicilio tironum Ulyssipone, & in *Anno glorioso*.

11. Simon natus Vouzellæ, oppidum est in Beirensi Provincia diœcesi Visensi, Consanguineus fuit S. Ægidii Dominicani. Lutetiam Parisiorum missus studiorum causâ, visis illic S. Ignatii virtutibus, & exemplis, ipsi se junxit Comitem. Eum Romam secutus particeps fuit laborum omnium, quibus primi Patres nostri prælusêre huic minimæ condendæ Societati. Cùm adhuc non erat à Summo Pontifice confirmata, postulante Joanne III. Lusitaniæ Rege aliquor Ignatii socios ad fidem in India prædicandum, designati Simon, & Xaverius. Quo in Orientem navigante, Simon jussu Regis substitit in Lusitania, ut in ea Societatem JESU propagaret: quod præstitit annis duodecim, fuitq; primus in prima ea Provincia Præpositus Provincialis. Suis exemplis, ac documentis

tis fundavit ac direxit, donec à S. Ignatio missæ constitutiones. Ab eodem vocatus Romam præbuit submissionis exempla anno 1552. memorata.

12. Placuit sanctissim• Fundatori Simonem in Italia detinere. Illic vixit ad annum 1564. quo migravit in Hispaniam. Deinde Lusitaniæ restitutus anno 1573. Honores semper exosus, acceptavit munus Confessarii, & Magistri Joannis Principis filii Regis, quòd tanto Societatis nostræ parenti, qualis Joannes fuit, morem non gerere duxerit impium. Postremis tamen annis ab Confessarii Regis Sebastiani munere se excusavit. Egregius erat in sustinendis æquo animo rebus adversis. Plurima ipsi cum DEO familiaritas. Socios texit magis exemplo suo, quàm verbo. Corpus suum tanquam hostem domesticum castigationibus fregit. Somnos non cepit, nisi vestitus, quem rigorem etiam servavit in morbo supremo. Ut se Christi mancipium testaretur, ferro scidit in suo pectore Crucis effigiem, quam paulò ante mortem socio ostendens dixit, ne putaretur miraculum, à se exaratam primo mutatæ vitæ fervore.

13. Phthisis lenta eum paulatim consumpsit, & sic extenuavit, ut omnia ossa corporis numerarentur. In tam diuturno morbo dolores immensos pertulit. Æstuabat desideriis intuendi DEum, Cœlites, ac primos Societatis Patres Ignatium, Xaverium, & alios. Si dabant spem vitæ producendæ, *cupio*, reponebat, unicè *dissolvi, & esse cum Christo*, Et; *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Assiduè indulgebat piis alloquiis cum Deo, lacrymis sponte suâ faciem irrigantibus; idcirco gaudebat solitudine. Conjiciens instare supremum agonem, jussit ad se vocari, quotquot domi erant, ut valediceret, quibus & paternam impertivit benedictionem, precatus DEum, ut eos virtutum augeret incrementis, usque ad ultimum anhelitum compos suæ mentis. Corpus post justa persoluta conditum ad imos gradus aræ principis. Postea sunt ossa inclusa Sarcophago in templi pariete, ubi modò cernitur politum marmor incisis litteris, cujus sint ossa, indicantibus.

14. Ibidem Mense Augusto decessit Joannes Nogueira Coadjutor, qui superiore Majo redemptus venerat ex Africa. Exantlati labores sub dirissima servitute multùm fregerant corporis vires; acutâ febre superveniente sic oppressus, ut diu inter vivos esse non potuerit. *Moritur Joannes Nogueira.*

15. Eboræ 28. Novembris vitam deseruit P. Petrus Andrada natus Villælongæ diœcesis Ulyssiponensis. Morbus ostendit thesauros virtutum. Nihil eo humilius. Percontantibus Medicis, ut haberet? Læto vultu solitus respondere: Bene, tanquam qui Deo videndo est proximus. Sæpe in Cœlum oculis & manibus sublatis repetebat hymnum: *Cœlestis urbs Jerusalem.* *P. Petrus Andrada.*

16. Ibidem 8. Augusti corpore laxatus est Josephus Rebellus Coadjutor, natus Monte majore novo. Sic deditus erat labori, ut ab eo non abstinuerit, donec pedibus institit. Id omnes laudabant, & mirabantur, cumprimis Gaspar Rodericius etiam coadjutor, qui Josephum jam lecto affixum non semel rogavit à Deo post mortem sibi impetraret, ut primus obiret in Collegio. Mortuo Rebello, protinus sequentis Septembris die 27. obiit & Rodericius natus in Castello Penalvæ diœcesis Visensis. Idcirco creditum est Rebelli apud DEum preces mortem Gaspari obtinuisse. *Josephus Rebellus.* *Gaspar Rodericius.*

17. Calamitates auxit lues epidemica mense Februario. Adolescens Anglus, qui studio urbis videndæ Ulyssiponem venerat, primus est perculsus, & tres alii domûs, ubi divertit. Chirurgi, qui curam illorum egerat, filius, atque alii domestici morte sunt correpti, nec dubitatum contagium esse. Sine mora missi extra civitatem, quiqui suspecti erant, ut probaretur, quid rei foret. Sopitum potiùs, quàm extinctum malum. Mense Julio cum caloribus siriis resurrexit. Erecta domus, ut vocant, salutis. Sed non fuit, qui pretio ullo induci posset ad ejus curam suscipiendam. Rex, Archiepiscopus, & Senatus rogârunt Patres Domûs Professæ, pro charitate Societatis vellent curæ habere domum illam, & tot miseris prospicere. *Pestis Ulyssipone.*

18. Omnes

18. Omnes hanc sibi expetebant provinciam maximo fervore. Concessa Patribus Petro Mascarenio, & Fernando Prado, qui migrârunt ad illam salutis ædem. Interim dies sacrata D. Rocho adversus pestilentem Patrono in templo Domûs Professæ celebrata, quanto fieri potuit apparatu: aulæis Regis vestitum templum. Archiepiscopus Parmensis, qui sui Ducis jus succedendi in regno procurabat, auxit solemnitatem indulgentiâ plenariâ. Nam Pontifex concesserat, ut qui semel in anno coram Crucifixo ipsius Archiepiscopi die ab eodem destinatâ, recitaret quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, cœleste illud lucraretur donum. Constitutâ D. Rochi die, crevit concursus & solemnitas. Ipsâ die consultum est, an Regi Ulyssipo propter contagium deserenda. Placuit morari, quod hactenus pauci, & hi leviter malo ferirentur.

Celebratur festum D. Rochi.

19. Solutum hoc anno tirocinium Domûs Professæ, missis tironibus Eboram, & Conimbricam: nec ampliùs cogitatum de illo restituendo; nam prudentius visum alere tot operarios, quot erant tirones, quorum necessitas, sublato choro, multa non erat in ea domo.

Solvitur Noviciatus Domûs Professæ.

20. Dum sacerdotes consulunt infectis peste, periculis omnibus eorum saluti propositis; percellitur lethaliter P. Ferdinandus Pradus, ac morte rapitur 22. Augusti. Mascarenius in suis ad Majores litteris hæc ait: *Hodie horâ quintâ profectus è terris ad Cœlum noster P. Pradus, omnibus susceptis Sacramentis tanto animi sensu, & pietate, ut expresserit circumstantibus lacrymas. Ingenuè fateor me non potuisse ad finem perducere verba, Domine, non sum dignus. Comploratus ab omnibus tanquam parens omnium. Ejus modestia, obedientia, mansuetudo, & charitas hanc domum totam sibi devinxerat.* Hæc Mascarenius. Natus est Carrazedi in Transmontana Provincia.

Moritur P. Fernandus Pradus.

21. P. Mascarenius dum opus urget, 22. Septembris efflat sanctissimam animam. Duos menses insumpserat nocte, diéque intentus & animis, & corporibus sanandis, cùm illi suboritur in facie metuendus carbunculus. Invictâ patientiâ tulit curationes atrocissimas. Nûlla omissa remedia, nulla cura in eo servando. Rex id negotium suis commendavit Medicis, sed arte omni plùs valuit malum. Rex nuncio mortis audito, *periit*, inquit, *Ulyssiponis remedium.* Mascarenius ortus monte majore novo è parentibus præcipuæ Nobilitatis. Illius erat munus in Domo Professa Procuratorem agere addictorum carceribus & triremibus. Solitus dicere, post martyrium nullum genus mortis sibi magis esse cordi, quàm contractum infectis peste serviendo. Anno sequenti dicam reliquos in pestilentia labores è nostris exantlatos.

P. Petrus Mascarenius.

22. Incolæ Domûs Professæ miserorum auxiliis semper intenti, magnam pecuniæ vim collegêre ad redimendos captivos, & triticum ad distribuendum egenis. Sex & quinquaginta supra centum, quos debita alligaverant carceribus, soluti sunt, ac expuncta debita. Liberârunt triremibus undenos, qui tempus expleverant, & tamen detinebantur. Julio mense imposita manus supremа sacello D. Sebastiani, quod fieri jusserat Catharina Regina. Stetit supra duo millia cruciatorum. Hoc Societas donavit Martino Gonsalvio Cameræ, cujus ibi conduntur ossa unà cum ossibus nostri Ludovici Gonsalvii Cameræ ejus fratris. Rex Henricus cymbalum dedit pendens novem pondo. Septum domesticum auctum est campo empto mille & quingentis cruciatis.

Charitas Domûs Professæ, & alia ejusdem.

23. Die 11. Maji positus est primus lapis Collegio D. Antonii jussu Regis Fundatoris. Regebat Collegium P. Christophorus Gouvea. Res transacta sine ulla solemnitate, aut cæremonia ob temporum calamitatem. Junio mense habita Provinciæ comitia. Electus Romam iturus Procurator Ludovicus Vasconcellius. Id Romæ non probatum, quod hominum penuriam, quæ non dabatur, argueret; cùm jam idem Pater Romam contendisset, tulisſetque in alio conventu suffragia.

Primus lapis Collegii D. Antonii.

Conventus Provinciæ.

24. Conimbricæ magnâ pompâ Septembri mense celebratæ sunt exequiæ Emmanuelis Menesii, ejus diœcesis antistitis, qui cum Sebastiano perierat. Habuit funebrem laudationem noster Petrus Martinius, qui in eodem infausto prælio

Exequiæ Episcopi Conimbricensis.

lio à Mauris fuerat captus. Etenim Menesius, dum vixit, Societatem nostram benevolè complectebatur. Convictorum Collegium ibidem extinctum; cùm enim id onus nobis Sebastianus imposuisset, eo mortuo, non erat, cur molestissimam curam ampliùs sustineret Societas, quam semper gravem, & quieti nostræ infensam existimavit. Solvitur Convictus.

25. Multi sacerdotes è Conimbricensi Collegio prodiêrunt ad sacras peragendas missiones. Dominicis diebus Quadragesimæ, & Adventûs 40. socii & tirones egrediebantur in vicos & pagos urbi vicinos ad populum fidei mysteriis erudiendum. Haud minor socios Eborenses ardor incendit. Viginti paria in finitimis paræciis cœlestis doctrinæ pabulo rusticos pascebant. Octo sacerdotes cum sociis per diversa oppida missiones obeundo populos ad viam salutis capessendam instruxêre. Ad Algarbia, rogante Hieronymo Ozorio Sylvensi Episcopo, ivêre Hieronymus Diasius, & Simon Payus, sacerdotes. Adeò viro doctissimo placuêre, ut cùm ipse animo destinâsset feriis sextis concionari, reliquerit eas conciones obeundas Patribus, dicens, nolle se fraudare oves suas tam fructuosis concionibus. In agro Eborensi fraus detecta per nostros, quâ puer à parente arte dæmonis imbutus admiranda patrabat. Missiones.

26. Eboræ cœpit esse usui triclinium ab Rege Fundatore ædificatum. Ejus longitudo complectitur 171. palmos, latitudo 40. Tectum nititur 8. columnis è marmore politissimo; eas dedit Collegio Rex Sebastianus detractas ex nobili porticu, ùt creditur, Romana, quæ surgebat in foro urbis, ubi nunc est fons marmoreus structus ab Henrico. Id constat ex ipsius Henrici litteris datis ad Senatum Eborensem 21. Augusti anno 1570. Primo triduo cum prandii, tum cœnæ tempore vel Lusitanè, vel Latinè de pulpito dictæ orationes. Diebus post triduum sequentibus multæ fuerunt verberationes in triclinio pro regni necessitatibus. Postridie Pentecostes Archiepiscopus Theotonius nobiscum prandere dignatus est novi cœnaculi celebritatem aucturus. Triclinium Eborense.

27. In urbe quoque Eborensi nostrorum curâ plurimæ meretrices de cœno abductæ. Ne in idem relaberentur, rogatus Archiepiscopus, ut domum institueret Conversarum. Annuit postulato, & hactenus stat ea domus, refugium hujusmodi fœminis, quæ lupas exuunt, ut induant agnas. Domus Conversarum.

28. In cæteris domibus erat quidam tenor constans quà in scholasticis docendis, quà in aliis exercendis Instituti ministeriis. In Angola sacerdos Balthasar Alphonsus degebat cum Coadjutore. Residentiæ in annos singulos dabat Rex 450. cruciatos. Balthasar, cujus virtus magna fuit in dispensandis idolis, discurrens per Corimbam, flammis tradidit domos quindecim plenas idolis, & veneficiorum instrumentis. Res Angolæ.

Annus 1580. Soc. 41.

1.

Plenissimum calamitatibus annum ingredimur, quo fortunæ iniquitàs Lusitano irata nomini funditus evertir ipsius potentiam. Cœpit cumulus infortuniorum ab Regis Henrici morte postremâ die Januarii, quâ fuerat in lucem editus. Licèt vulnus immane omnem nationem perculerit, specialiter pupugit Societatem nostram, quæ in terris non agnoscebat chariorem sibi parentem. Grassante pestilentiâ Ulyssipone, cogitur Henricus, nimiùm jam attritâ valetudine, Almeirinum secedere. Præter afflictam valetudinem cruciabatur importunitate Principum, quibus erat jus in regni successionem. Quod negotium mei non est instituti. Commisit aliquot viris illustribus litigium terminare, qui ipso de vivis erepto menses aliquot gubernârunt. Moritur Rex Henricus.

2. Igitur Princeps sanctissimus, qui, dum vixit, nihil magis in mente habuit, quàm annos æternos, videns propinguam mortem totum se tradidit curis, quas tempus poscebat. Aderant illi de nostris Leo Henriquius ejus Confessarius, & Georgius Serranus Præpositus Domûs Professæ, qui scripsit nullam

rem per id tempus majus adferre illi potuisse solatium, quàm loqui, & cogitare de nostra Societate, de ipsius Collegiis, de laboribus in adjuvando proximo, & institutione Lusitanæ juventutis.

3. Die postremâ Januarii post confessionem, & susceptam Eucharistiam dixit Patri Leoni, se ex nimia debilitate intelligere, mortis impendere horam, proinde flagitare, se sacro ceromate inungi. Differenda tantisper unctio videbatur. Septimâ noctis horâ Lunâ deficiente rex cœpit deficere; protinus eum sacro injunxit oleo Archiepiscopus Ulyssiponensis; id petente Rege, quòd in ejus foret diœcesi. Invocato frequenter sanctissimo JESU Nomine, & simulacris Crucifixi ac Deiparæ debasiatis, ad preces Ecclesiæ pronunciatis verbis psalmi, *mirabilia testimonia tua*, admonuit, tacerent, velle se considerare illa verba; & hæc fuit postrema Henrici vox: nam quo momento finitus Lunæ defectus, & ejus anima corpore soluta, undecimâ noctis horâ, ætatis anno sexagesimo octavo. Regnavit annum, 5. menses, & totidem dies.

4. Morienti adstitêre Ludovicus Granatensis Dominicanus, F. Damianus Ordinis S. Francisci, Leo Henriquius, & Georgius Serranus Societatis JEsu, omnes egregii virtute. Nostri cadaver posuerunt regio more. Locatum in sacello regio palatii Almeirinensis: ibi fuit, donec Rex Philippus transferri jussit in templum Monasterii Bethlemitici. Interim Residentiam habuimus Almeirini, ubi aliqui de nostris assistebant. Id factum jussu Antonii, qui Regem se vocaverat. Illo pulso, Rex Philippus imperavit id officii à nostris non interrumpi, dum cadaver esset Almeirini. Sustinebat expensas Collegium Ulyssiponense, cùm Eborense alieno ære gravaretur.

5. In testamento commendavit successori suo tribunal Inquisitionis, Ordines SS. Hieronymi, Dominici, Francisci, nostram Societatem, ejusque Collegia, & Universitates. Supellectilem sui privati sacelli legavit Eborensi Collegio. Galerum cardinalitium, uti olim fuerat Româ missus, super tumulum locari jussit in nostro Eborensi templo. Ubi nuncius de ejus morte perlatus Eboram, silentium, & mæror inconsolabilis nostrorum corda occupavit. Veniebat in mentem illa paterna familiaritas, loca ipsa, & lapides, ubi sederat, excitabant desideria parentis suavissimi. Vix domi posuêre pedem, & oculos, ubi non essent obvia Henrici erga nos amoris monumenta.

6. Justa illi persolvit Collegium. Cœnotaphio serviebat ipsummet Mausoleum marmoreum, quod sibi struxerat in templo. Concionem lugubrem habuit P. Ludovicus Alvarus, in qua perennes fuerunt lacrymæ. Mense Martio Academia suo Conditori parentavit regio apparatu. In medio templi multis gradibus erecta moles honoris quadrata, complectebatur unumquodque latus 40. palmos, altitudo triginta quatuor. Vespere habuit laudationem funebrem sermone Latio Sebastianus Barradas. Sequenti mane sacerdotes Academiæ unà cum 13. Franciscanis nostras frequentantibus scholas recitârunt officium, missa sub infula solemniter est decantata. Sequitur idiomate Lusitano laudatio de suggesto. Versus pariter intimi doloris indices suspensi legebantur.

7. Conimbricæ nostrum Collegium parentavit, Cosma Magalanio habente orationem Latinam, Ignatio Martinio Lusitanam. In Societate universa pro ipsius anima facta quindecim Missæ Sacrificia à quolibet sacerdote, à non sacerdotibus totidem recitatæ Virginis coronæ. Leo Henriquius aliquot negotiis compositis, Conimbricam secessit, quietem sumpturus.

8. Virtutes Henrici, de quibus fusè in volumine domicilii tironum Eborensis Collegii, fuerunt excelsæ. Virginitatem servavit integram; nec ullum peccatum abominatus magis, quàm quod læderet castitatem. In pauperes largissimus, in augendum divinum cultum magnificos Reges æquavit. Pauci fuêre Principes, quos liberaliores experta Societas nostra sit: eam amavit intimè, quòd suis ministeriis esset orbi utilissima. Nobis fundavit, ac dotavit Eboræ regale Collegium, quod alit ad 170. socios, & Academiam hanc omnem voluit Societati nostræ subditam; cui adjunxit regnum Purificationis Collegium

pro

pro Theologis sæcularibus sub cura Societatis, & nosocomium pro scholasticis. Ejus est monumentum insigne Collegium nostrum Ulyssiponense. Bracharensis est Consundator; talis & dici potest Collegii Portuensis. Quidquid nobis donavit, & quæ condidit Collegia Rex Sebastianus, majori ex parte Henrico debentur pro Sebastiano rem publicam administranti.

9. Cùm tantus, tàmque sanctus fuerit, non deerat nostris diebus scriptor, qui in eum pennam acuit, typísque mandavit de Henrico ob privatas rationes, quæ vel mediocriter prudentibus justissimam pariunt indignationem. Si enim legisset scriptores, non dico Societatis, sed alios omnes, qui sancti herois prælo dederunt facta, & virtutes, erubesceret tot ineptias effutire; quas ego non refuto; ruunt enim mole suâ.

10. Servamus Eboræ in tironum sacello venerandum hujus Principis monumentum, simulacrum Crucifixi, ante quem in privato suo sacrario res divinas commentabatur. Fortè ædiculam sacram flamma corripuit: sui periculi Henricus immemor in medium irruit incendium, ulnísque complexus Crucifixum de flammis exiit illæsus, testante Deo illius pietatem evidenti prodigio. Cæteram supellectilem licèt pretiosissimam Vulcano lubens consecravit.

11. Quàm liberalis fuerit adversus alias sacras familias, præsertim divi Bernardi, dicent earum scriptores, & refert noster Antonius Vasconcellius in ejus vita Latinè conscripta inter alias Regum Lusitanorum. Nos progredimur ad alias calamitates.

12. Furebat adhuc Ulyssipone anni superioris pestilentia. Loco nostrorum, quos rapuit, successerunt alii, salutis domum moderaturi; & hos par factum involvit. Periêre in ministerio Petrus Correa, Laurentius Fonseca, Balthasar Estevius, sacerdotes; Ruyfius Gomius, Andreas Anius, Alexander Coëlius, adjutores. Hi domûs Professæ erant incolæ. Pepercit incendium P. Roderico Goësio, qui fuerat Magister soluti tirocinii, P. Melchiori Oliveiræ, qui redierat è captivitate Africana, & Balthasari Diasio etiam reverso ex Africa. *Mortui serviendo infectis Ulyssipone.*

13. Nec Collegium Divi Antonii publico se bono subtraxit. In partitione paræciarum ab Archiepiscopo facta, datæ Collegio paræciæ S. Sebastiani, & altera ab Angelis dicta. P. Michaëli Vasæo serviendo infectis consumpto successit P. Ludovicus Henriquius D. Francisci Borgiæ consanguineus, quem voravit pestis 1. Aprilis. Hunc excepit P. Franciscus Albuquerquius, & ipse obiit charitatis victima. Franciscus Alvarus Coadjutor redditus ex servitute Africana, post diligentem curam operi pio navatam, cùm jam videbatur extingui pestis, illâ perculsus interiit.

14. Non solùm Ulyssipone malum: transiit Conimbricam, & Eboram ubique edita præclara exempla. In oppido quatuor leucis Conimbricâ dissito miseris tulêre suppetias P. Hieronymus Fernandius, & Ruyfius Brittus Coadjutor: ibi aliquot menses morati redierunt incolumes. Plus negotii facessivit suburbium *Cellas*, quod pestis sub finem anni proximi cœpit incendere. Succurrerunt P. Gaspar Ferrazius, & Ludovicus Mendius Coadjutor. Illic hospitantibus in domuncula providebatur è Collegio. Tres menses pius labor tenuit; subinde sospites domum reversi sunt. *Pestis Conimbricæ, & in ea mortui.*

15. Principio Junii è templo Collegii factâ supplicatione defertur Eucharistia ad sacellum domesticum. Erat ibi Leo Henriquius: non sine horrore audit has voces è sacra pyxide: *dimitte me, puniam, puniam.* Eadem verba repetivit Dominus ab ostio sacelli usque ad aram. Interim Leo flagitabat ardentiùs regno veniam; Domino semper respondente: *Non, non, dimitte me, puniam, puniam.* Mane sequenti, Leone preces easdem iterante, missæ de sacra hostia eædem voces. Per eum mensem Eucharistia fuit publicè in sacello exposita, sociis in orbem succedentibus ad fundendas preces, crebrísque verberationibus resonabat triclinium.

16. Mense Julio urbem pestis adorta. Socii sunt missi in diversas Collegii Residentias. Vascus Pirius cum suis tironibus in Carquerensem, alii in

Canalensem, 40. in Villam francam prope mundam, nonnulli ad Pedrosum, & Cariam. Cæteri substiterunt in Collegio adhibitâ providentiâ, quam res poscebat. Cives, institutâ salutis domo, flagitârunt Rectorem aliquos de nostris, qui juvarent. Destinatus P. Antonius Mendius, & Nicolaus Pereira. Diebus non amplius 15. Mendius superstes 2. Augusti peste tollitur, sepultus prope ædiculam D. Sebastiani inter oliveta. Amodo lapis sepulchralis nomen ipsius & charitatem testatur. Postliminiò Nicolaus 5. tumoribus perniciosis prostratus. Ivit auxilio Ludovicus Mendius, de quo suprà n. 14. feliciter Nicolaum curavit. Jacuit & ipse tumore duplici; sed sibi restitutus, omnibus consuluit indefessâ charitate. Conquirebat ad urbis portam ex Civibus subsidia, & ex Collegio; quibus sublevabat miseros Uterque cessante malo, curatis omnibus in Collegium revertitur mense Novembri. Illud par miraculo, quòd ex nostris 80. qui domi remanserant, quamvis peste infectorum confessiones exceperint, ne ullus quidem malo afflatus sit.

Pestis Eboræ.

17. Par strages Eboræ. Aprili mense veniens Archiepiscopus Theotonius Almeirino, cùm grassari pestem Alvaladii intelligeret, Rectorem nostrum oravit, eò mitteret sacerdotem unum. Visum Rectori, contenderet Franciscus Soarius ex Almondovare, ubi cum socio populum concionibus instruebat. Aberat tribus leucis ab oppido, cùm inde nuncium accepit, posse redire Almondovar, quod duo PP. Franciscani succurrissent.

18. Mense Majo pestis Eboram succendit. De Collegio quàm plurimi in diversas missi stationes; relicti, qui possent laborantibus auxiliari. Salutis æde institutâ, se devoverunt illic serviendo ægris, & gloriosè occubuerunt P. Franciscus Rodericius, & Martinus Alvarus Coadjutor. In urbe confessiones excepêre, Laurentius Freitas Professor moralis scientiæ, quem raptum peste sepelierunt in templo nosocomii; Georgius Pereira, qui absolverat Philosophiæ Magisterium, & postea multis annis in Angola, ubi est mortuus, desudavit; Antonius Pirius, Andreas Alvarus, & Franciscus Soarius Portuensis, qui migrans in Brasiliam, in ea provincia exhalavit animam. Gaspar Rodericius sacerdos habebat curæ nostros peste læsos, in Villam Loredum missos, quales fuêre Rodericius & Martinus: dum procurat eorum salutem, moritur piissimè.

Mortui.

Catarrhus pestilens.

19. Prædictis malis Octobri mense accreverat aliud subitaneum, quo simul Conimbricæ decubuêre lecto 80. socii, & Eboræ, quotquot erant in Collegio. Catarrhum vocant. Eò miseriarum ventum est, ut ægrè, minùs malè habentes, inservirent aliis. Voluit Deus Opt. Max. ut eâdem, quâ simul utrobiq; cœpit, velocitate desineret.

Eruptio ignis apud insulam S. Georgii.

20. Visus est etiam ignis adversus hujus nationis gentem inardere. Insula D. Georgii, una ex Terceiris, passa lamentabile incendium. Prælusêre calamitates terræmotûs creberrimi. Die 30. Maji fuêre tremores primi, quibus sunt eversæ nonnullæ domus. Eorum frequentia tanta fuit, ut brevi temporis spatio sint numerati sexaginta. Continuârunt ad postremam Junii diem. Tunc in monte vicino oppido *Velas*, quod est insulæ primarium, fissâ terrâ, cœperunt erumpere immensa flammarum incendia, igneæ massæ, sive liquefacti lapidis torrentes & flumina; volutari in auras fragmina rupium; omnia tam horrendo tonitru, ut orbi dies suprema imminere videretur.

21. Alii per singulos dies, & alii hiatus de novo facti flammam vomentes multiplicârunt horrores. Multi mortales absumpti; periêre pecora, cinere, & arenâ ex hiatibus in nubes, ex his in terram cadentibus, & obruentibus pabulum. Magna multitudo, desertis patriis Laribus, plenis scaphis, & lembis ad alias insulas confugit. Erat omnium rerum facies lamentabilis. Collegii nostri Angrensis Rector convenit Episcopum, offert nonnullos de nostris, qui ferant miseris auxilium, pro re domestica missurum subsidia, quibus vitam alerent; rogare illius Dominationem, ut in tam pio opere nos velit juvare. Annuit Episcopus, multáque liberaliter dedit; quibus acceptis in penè obrutam insulam navigavit P. Petrus Freirus, vir per eas insulas virtutis notæ.

22. Ante

22. Ante auroram videt è mari igneum torrentem instar liquidi metalli latum plurimis ulnis. Magno illi stupori fuit metuendus strepitus ex hiatu, unde vomebantur flammæ. Lembo ad terram propinquante, è regione hiatûs tot facti crepitus adversus lembum, quot posset edere magna classis diplosis tormentis; ad hanc enim formam eorum fragor accedebat. Idem contigit alteri lembo supervenienti: quódque erat magis mirandum, res fiebat eo ordine, quo solent classes tormenta displodere, non turbatè, non simul, sed suis spatiis. Nihil his territus Freirius in terram prosiluit, & tanquam Domini Angelus ab exanimatis pavore excipitur; tum conciones habens, tum audiens confitentes, tum instituens supplicationes, tum dividens subsidia, novam faciem rebus induxit. Quæsiturus nova subsidia, etsi obstabant omnes, Angram reversus. Cuncta ex ordine memorat Episcopo. Certatim Angrenses cives de suo contulerunt eleemosynas, quibus ad insulam alius sacerdos properaravit, moratus, donec quievit horror.

23. His DEI flagellis supervenit bellum, ex quo domibus nostris incommoda non vulgaria manârunt. Etenim Henrico mortuo, plebs Scalabitana Regem proclamavit Antonium Ludovici Principis nothum. Hic ocyùs Ulyssiponem occupat, unde pestis causâ Nobilitas recesserat. Gubernatores ab Rege defuncto relicti concessêre Cetobricam; inde, metuentes Antonium, mari Castrum Marinum in Algarbiis petunt, serúntque sententiam successionis pro Rege Philippo. Dux Abulensis Imperator exercitûs Castellani per Helviam ingressus Lusitaniam, nemine resistente, duxit copias Cetobricam, ibi conscensis navibus & triremibus regiis ad Cascalium exposuit exercitum. Augusti 25. prope Alcantaram oppidum vicinum Ulyssiponi profligavit Antonii tumultuarias copias, qui capite vulneratus profugit. Destituta milite, ducibúsque Civitas Abulensi cessit, qui suburbia militibus suis diripienda dederat; cùm in his sit fundata nostra Domus Professa, magnam jacturam patiebatur. Bellum, & quæ ex eo simus passi.

24. Collegium D. Antonii, quanquam multa pertulit diebus octo, quibus ad prædam suburbia concessa militi, tamen indemne servatum industriâ P. Christophori Gouveæ Rectoris, qui sibi initio turbarum conciliavit Antonium, & postea Ducem. His diebus providit Patribus Domûs Professæ spoliatis, & omnium egenis. Simul aluit ad quingentos cives in Collegium receptos. Eam adhibuit curam, ac solertiam, ut de rebus pretiosissimis civium in Collegio conditis subreptum fuerit nihil.

25. Dux Abulæ, ùt erat rei bellicæ expertissimus, usus victoriâ misit Sancium Avilam cum equitatu post Antonium, ne spatium haberet redintegrandi copias; secessit enim ad Interamnensem Provinciam. Dum Ulyssipone sunt hujusmodi turbæ, Conimbricæ periclitatur Collegium. Adhærebat urbs Antonio. Plebs rumore inani permota divulgavit, nostrum Collegium esse plenum milite Castellano, & armis, ut repentè captam urbem traderemus Regi Philippo. Hâc persuasione plebs imbuta die sacratâ Michaëli Archangelo, classicum sonantibus templi Cathedralis, paræciarum Salvatoris, & S. Petri campanis, seditione factâ irruit adversus Collegium: securibus lacerant scholarum valvas, alii scandere per murum, multi ad ostium posticum, multi ad commune; nos Lutheranos, proditores patriæ, latrones vocant, necandos omnes.

26. Egressus Michaël Sousa Rector cum aliis Patribus ad communem januam, ægrè furentes cohibuit, jurando, ùt ipsi poposcère, intra Collegium Castellanos non esse. Sequenti die Garcia Alphonsus Beja urbi præfectus ab Antonio cum apparitoribus, & satellitibus redit ad Collegium denuncians Rectori, oportere nos è Collegio recedere, ut tanto metu plebem liberaremus. Tunc Rector ostendit commeatum Antonii, quo jubebat, abstinerent omnes à vi Collegio inferenda. Id remedium vir prudens ad extremam necessitatem adeptus fuerat. Illo viso, quievêre. Paulò pòst reversi, ad abigendos, inquiunt, timores oportere oculis suis domum inspicere. Ut pacatè res fieret, secum perduxêre aliquos viros Ecclesiasticos nobiles. Discurrerunt per Collegium; at

ubi viderant socios coram SS. Eucharistia publicæ venerationi exposita orantes, & in omnibus cubiculis multa religiosæ paupertatis argumenta, recessêre confusi dicentes: Quid aliud in tam sancta domo nos reperire possemus?

27. Brevi patuit omnibus, non arcem adversus urbem, sed urbis unicum præsidium esse Collegium nostrum. Nam superveniente Sancio Avilâ cum exercitu, occupavit omnes paulò ante feroces terror ingens. Fœminæ sibi timentes, nostros consulebant: essétne licitum, ne venirent in manus militum, sese interficere, in Mundam flumen præcipitare, aut ire ad locum, ubi erant peste infecti? Passuras cuncta, ut servarent pudicitiam. Putabant omnes urbem direptum iri. Igitur obsecrant nostrum Rectorem, urbi miseræ prospiciat, missis, qui Ducem copiarum hostilium mitigent. Idem Societatis charitas suadebat. Eunt duo sacerdotes ad Sancium urbi jam proximum, enixè rogant, ne sinat urbem pati hostilia. Libenter annuit, quamvis Cives non mererentur. Biduo exercitus Conimbricæ moratus sine ullius injuria, urbe tam quietâ, ut viderentur ibi nulli esse milites. Tum patuit omnibus, quàm inanes adversus Collegium habuissent opiniones.

28. Id temporis Antonius Durium flumen transierat. Cùm Portus urbs nobilissima ei portas clauderet, decreverat, ferro, ignique consumere, cunctis occisis, qui duodecimum superarent annum. In his angustiis cives rogârunt, ut nostri obviam irent Principis indignationi, missis Patribus, qui illum placarent, paratam urbem jussa facere. Deo confisi Antonium conveniunt duo sacerdotes. Exoratur; urbem subit pacificus. Paulò post homines malevoli nostros apud Antonium accusant, quòd in Collegio texerint filium Comitis Feirensis Antonio Adversarii, & receperint exploratorem Castellanum. Inde Collegium deserere, & ex urbe abire jussi sumus. Egredientes Principem habuimus obvium, qui redditus mitior, domum redire imperat. Accedens Sancius Avila cum exercitu veterano facilè debellavit Antonii tumultuarias copias.

29. Sic ab omnibus desertus latibula nunc hæc, nunc illa quærit, vixq; potuit occultus navem conscendere, & in Galliam profugere; ubi, & in Anglia, contracto milite, & classe, infeliciter occupavit Insulas Tertias, & tentavit Ulyssiponem, ùt infrà dicetur propter molestias inde subortas Societati. Decembri mense pacatam Lusitaniam Rex Philippus ingreditur. Nabantiam Regni Comitia vocat. Junio sequentis anni Ulysiponem iniit apparatu maximo, ibique substitit usque ad Februarium anni 1583. quo se recepit in Castellam, primúsq; fuit post Gothorum extinctos Reges, qui universæ fuit dominatus Hispaniæ.

Missiones.

30. Quamvis annus tam calamitosus fuerit, ut vix potuerit respirari inter tot ærumnas; nihilominùs cùm è Conimbricensi, tum ex Eborensi Collegio sunt factæ missiones sacræ multo animarum proventu. Montem majorem novum suis concionibus inflammavit P. Ludovicus Alvarus. Illum juverunt duo sacerdotes de Collegio, quoniam Ludovicus erat impar tanto confitentium numero audiendo. Septem, vel octo erant parati ad capessendam Indiæ navigationem; sed quòd naves onerabantur ardente peste, multæ merces infectæ in eis positæ. Unde timeri poterat navigaturis periculum. Auxit timorem mors cujusdam socii coadjutoris, qui dum accommodat in navi quædam ad nostros mittenda, lue percussus interiit. Propterea nullus permissus est navem conscendere.

Pestis causâ ad Indiam eunt nulli.

Collegium Angrense.

31. Angræ cœpit Societas ferre temporum iniquitatem. Antonii partibus adhæsit insula; nec voluit post totam subactam Lusitaniam Regi Philippo parere. In hujusmodi insanias volebant cives involvi nostros. Ipsi, ad quos non attinebant Principum certamina, noluêre sequi ullius in re tam gravi opiniones. Idcirco atrocia sunt perpessi, ùt referent Annales suo loco.

Balthasar Barreira advenit in Angolam.

32. Adventus nostri Balthasaris Barreiræ in Angolam incredibilem attulit omnibus lætitiam. Lusitani, & Æthiopes agminatim ad eum, & socium videndum confluxêre. Nigri genu flectebant, & osculabantur manum. Erant cuncta turbatissima causâ cædis patratæ ab Rege Angelano adversus Lusitanos, quorum

quorum multos per summam perfidiam occiderat, ac mercibus magni pretii spoliârat. Præfectus Paulus Diasius ægrè cum Lusitanis 60. ac 200. Nigris neophytis se in tutum receperat, ab Angolano cum exercitu duodecim millium fuit obsessus; sed favente Deo causæ æquitati, cum multa suorum cæde repulso barbaro, factum initium bello diuturno, victoriis Pauli Diasii, & Balthasaris præclaris rebus.

33. Præter socios à pestilentia raptos, Conimbricæ calendis Maji cessit è vita Nonius Fernandius scholasticus natus Ribeiræfriæ in agro Alenquerensi. Nondum expleverat Societatis annos quatuor. Vicinus morti lætitiâ inundabat. Causam interrogatus: permoveor, inquit, triplici, quòd sim proximus DEO videndo, quòd in Societate moriar, quòd experiar tranquillissimam conscientiam. Joannes Castellus scholasticus, Anglus natione, Magister artium in Oxoniensi Academia, ne fide periclitaretur, in Lusitaniam confugit, atque se mancipavit Societati. Eucharistiam, & Virginem Matrem coluit singularibus obsequiis, cumprimis Virginis natalitia, quibus illi solitus offerre, quidquid esset per annum facturus. Oblationem hujusmodi renovabat cæteris magnæ matris solemnitatibus. Observabat sociorum dicta, & exempla sancta, ut imitaretur. Quotidie vel Rectori, vel spiritûs Præfecto nudabat conscientiam. Pestilentiæ causâ in villam Collegii prope Mundam flumen missus, pervigilio nascentis Virginis obiit. In Portuensi Collegio exitiali, de quo suprà, catarrho suffocatus est P. Melchior Oliveira Carracedensis. Post toleratam captivitatem Africanam servivit Ulyssipone lue epidemicâ decumbentibus. Cessante malo, ad S. Felicis Residentiam missus, ut reficeret vires attritas, à DEO in itinere ad mansuram immortalium quietem invitatur. *Defuncti.*

34. Romæ Calendis Augusti à vita descivit Ven. P. Everardus Mercurianus universæ Societatis Præpositus Generalis, virtutibus insignis, formatus ex spiritu Protoparentis Ignatii, quem moribus & prudentiâ expressit. Altissimè senserat de Societatis obedientia, quam ajebat similem navi, cujus optimum regimen pendet totum è magistri sibilo. Ægrè ferebat versari nostros in aulis Principum. Hispano Magnati poscenti ad confessiones è nostris unum ingenuè denegavit; tum ne morem induceret poscendi aliquem determinatum, tum quòd externi non cognoscant probè Societatis homines, ob idque posse contingere, ut flagitent, qui nec ipsis, nec Societati conveniat; in quem errorem non incidet Ordinis moderator, cùm omnes habeat perspectos, velitque providere cum decore Ordinis. *Moritur Præpositus Generalis Everardus.*

35. In Lusitaniam Everardus miserat P. Sebastianum Moralium olim Mariæ Ducis Parmensis Confessarium, ut in Provincia gubernanda succederet Emmanueli Rodericio. Accepto Provinciæ clavo, adest nuncius de obitu Generalis. Idcirco indixit Conventum provincialem ad eligendos, qui cum jure suffragii Romam adirent. In eis comitiis dubitatum, an Sebastiani magistratus careret vitio, quòd mortuo Generali Provinciæ gubernium iniisset. Consultus hac super re Petrus Barbosa, & alii Juris Pontificii peritissimi, responderunt, vitio liberum. Igitur abactis scrupulis, præfuit Conventui. Electi sunt ipsum Romam comitaturi cum jure suffragii Emmanuel Rodericius, qui fuerat Provincialis, & Petrus Sylva Rector Eborensis. Octobri mense in Domo Professa hæc erant comitia. Dum Provincialis it Romam, vicariâ potestate præficitur sociis P. Michaël Sousa. Eboræ solvitur Collegium Convictorum; pendebat enim ab Henrico vivente. Nunquam Societas, nisi invita, his operibus subjecit humeros. *Sebastianus Moralius Provincialis.* *Vice-Provincialis.* *Eboræ solvitur Convictus.*

Annus 1581. Soc. 42.

1.

Novus Generalis Claudius Aquaviva.

COllectis Romæ suffragatoribus Provinciarum, incepta Comitia 7. Februarii, præsidente P. Oliverio Manaræo Vicario Generali. Ejusdem mensis die 19. P. Claudius Aquaviva Generalis renunciatur, vir ad omnia summa natus. Numerabat ætatis annum 37. Societatis 13. P. Georgius Serranus Domûs Professæ D. Rochi Præpositus, licèt absens, eligitur Assistens Lusitaniæ. Misso nuncio, Georgius ob afflictam valetudinem ab ineundo eo munere se excusavit. Idcirco Genuâ, ubi jam erant PP. Lusitani, vocatus Romam ad illud munus P. Emmanuel Rodericius. Provincialis cum sociis pervenit in Lusitaniam Augusto mense.

Favor omnium in Societatem.

2. Tantâ rerum publicâ mutatione credidère, qui gerebant animos Societati parùm benevolos, eam fore cunctis ludibrio, sed egregiè decepti sunt. Nam cessante causâ æmulationis, quæ fuerat Regum favor, ministeria nostra, vel inimicis amabilia, nobis omnium amotem procurârunt. Nunquam Domus Professa magis adjuta eleemosynis, nec majoribus frequentata concursibus.

Profecti ad Indiam.

3. Indico itineri se accinxerunt quatuordecim, Lusitani decem, Hispani duo, totidem Itali. Clatiores Alphonsus Paciecus, Antonius Franciscus, ambo postea mortem fidei causâ passi, & Hieronymus Xaverius, S. Xaverii consanguineus, divisi in naves diversas. Solus ex eis obivit Franciscus Martinius, qui Pro-Rectorem egetat Eboræ.

Redempti per nostros.

4. Magnopere nituit charitas Domûs Professæ erga captivos. Unus sacerdos ex ea domo collegit piis industriis cruciatorum viginti duo millia ad eorum redemptionem, duo à quadam persona pia, viginti ab Rege. P. Amator Rebellus, & P. Alphonsus Gonsalvius redièrunt Argelio ereptis 130. captivis adolescentibus è Maurorum potestate. Rex Philippus Junio mense Ulyssiponem ingressus, singulari usus benevolentia erga Domum Professam, nullius ordinis adivit priùs ullam domum, venit auditurus sacrum, & instat Sebastiani Regis domum inspexit. Cùm filius Regis Maldivarum ad fidem conversus ex India acturus patentis sui negotia advenisset, Rex jussit parari illi hospitium in nostra Domo Professa, cui auxit eleemosynam à Regibus dari solitam.

Philippi Regis erga Domum Professam benevolentia.

Ignatius Martinius magisterium catecheseos incipit.

5. Mense Majo cœpit vir ille cœlestis Ignatius Martinius edocere catechesim in locis publicis. Antea exponebatur in templo. Magnam vicit repugnantiam Ignatius in eo Magisterio publicè obeundo, comitatus agminibus puerorum, & plebeculæ vilissimæ, qui cum litteris, tum habendis concionibus præcelluerat. Rem deinceps sic fecit familiarem, ut in Lusitana natione ad præsentem diem Ignatii morem teneamus.

Res Collegii divi Antonii.

6. Collegium D. Antonii crevit per adversitates. Tum in Comitiis regni Nabantiæ, sive Thomarii celebratis, tum Ulyssipone coram Rege inimici nostri nominis exarserunt adversus illud opus, quod Rector Christophorus Gouvea interim urserat calore summo, & in id perduxerat fastigium, ut crudelissimum apparuerit Regi tantam, & tam utilem molem diruere. Laborabant ea tempora numorum penuriâ; ne hæc ædificium moraretur, omnes adhibuit P. Rector industrias, quem juvête Societatis amici, præprimis Soëira Vasconcellia, fœmina nobilissima, quæ non tantùm gemmas suas, & cætera pretiosiora, sed etiam monilia & gemmas ab aliis Nobilibus sibi commendatas, Rectori tradidit, ut ea oppignoraret mutuas dantibus pecunias. Ludovica Froya Collegio dedit prædium *Canissos*. Splendidissimo apparatu data in theatrum tragædia Abelis innocentis, quæ nimirùm placuit Principibus.

Res Eborensis Collegii.

7. Ex Eborensi Collegio ad tria oppida peste laborantia prodière tres sacerdores cum tribus Coadjutoribus, extinctâ peste inde recesserunt incolumes. Scholæ Majo mense sunt apertæ, & cautum, ne venirent scholastici ex

aliis

aliis oppidis præter urbem. Ad hilarandum tot ex calamitatibus mærore oppressum populum theatro commissa tragædia de Rege Balthassare. Ibidem festo S. Andreæ phthisi contabuit Georgius Diasius adolescens angelicus. Cassemum, Lavria, Beja, & Villavissosa sunt per Quadragesimam exculta missionibus.

8. Conimbricæ mense Aprili scholæ patent. Undecimum Gymnasium ex ludo alphabetario conversum est in scholam rudimentorum. Cessante pestis timore, 30. peregrinatum exiêre ad diversa loca pia. Mortuus ibidem phthisi Augustinus Cardozus scholasticus multæ virtutis. Bini sacerdotes cum binis non initiatis excurrêre per Beirensem Provinciam edocendo populos. Res Conimbricensis Collegii.

9. In Comitiis Nabantiæ plurimi nostræ Societatis inimici vires intenderunt ad evertenda Collegia, deferentes apud Regem, quòd nos magnis reditibus locupletâssent Reges Lusitani. Non potuit Bartholomæus de Martyribus Archipræsul sanctissimus, his auditis silere; sanctâ, quâ pollebat, authoritate, declamavit liberè contra ejusmodi hominum furores. Palàm fecit statum Lusitaniæ ante nostra Collegia, & scholas. Dixit suam diœcesim fuisse persimilem dumeto inculto, summam in regentibus animas ignorantiam, & in juventute ruditatem; ex quo fundâsset Collegium, aliam faciem induisse diœcesim; nulla in re utilius collocari posse bona. Hæc & alia tantâ gravitate, & libertate exposuit, ut obturaverit ora leonum. In iis comitiis, quod jam dudum, ut sibi viveret, incassùm procuraverat, se abdicavit infulis Bracharensibus. Bartholomæus de Martyribus defensit Societatem.

10. Anni principio vastari pestilentiâ cœpit urbs Portuensis. Ubi se malum explicavit; ingens ardor omnium nostrorum sibi eam demandari provinciam anhelabat. Electus P. Didacus à Costa, & Georgius Gonsalvius Coadjutor. Migrârunt ad vetus Collegium; inde exierant, quocunque vocabantur. Cùm Sacerdos unus par non esset tanto labori, alius additus est P. Joannes Costa, qui decimo die post susceptam curam perculsus peste obiit 15. Aprilis. P. Didacus ad Augusti finem indefessè succurrit miseris. Nonnulli, ne cuncti sine necessitate periculis exponerentur, missi ad Residentiam Pasii de Sousa excoluerunt sacris missionibus eas gentes. Interim qui manserant in Collegio, perculsos intra urbem expiabant confessione: ex ipsis adhæsit malum P. Joanni Perio, qui 29. Maji de vivis excessit. Tot charitatis opera in ea calamitate per nostros exercita moverunt Regem, ut per epistolam gratias ageret moderanti Provinciam. Pestis in Portuensi urbe, & nostrorum charitas.

11. Cùm in suo testamento juberet Rex Henricus, ut suo nomine adiret unus peregrinus Hierosolymas; voluit Rex Philippus, ut eódem alius contenderet ad eadem pietatis Christianæ monumenta nomine Sebastiani Regis. Electi sunt P. Hieronymus Rodericius, & Balthasar Diasius coadjutor. Direxerunt Romam iter: nam jubebat Henricus, ut illac pergerent, oscularentur Pedes Sanctissimi, & simul inviserent urbis stationes. Venetiis nave conscensâ, in sanctam Civitatem transfretârunt, ubi summâ pietate monumenta Servatoris sunt venerati. Post longam, & laboriosam peregrinationem redduntur Lusitaniæ sospites anno 1583. Duo de nostris eunt Hierosolymas pro Regibus defunctis.

12. Angrense Collegium magna perpessum detrimenta ponè labores incredibiles. Etenim insula pertinaciter ausa viribus suis majora, Regem complectebatur Antonium de Lusitania fugatum. Regebat Collegium P. Stephanus Diasius. Voluerunt Insulani nostros homines adigi jurejurando, quo ipsi fidelitatem jurârunt Antonio. Objecimus institutum vetans nos immisceri Principum litigiis, sufficere juramentum reipublicæ, nos esse paratos ad omnibus serviendum Societatis obeundo ministeria. Nihil profuit responsum tam prudens. Inde secuta omnium adversus Collegium adeò furiosa conspiratio, ut miraculo par fuerit nos non occubuisse. Angrensis Collegii labores.

13. Vir nobilis, qui egressus de templo nostro post auditam concionem, equo conscenso per urbem proclamavit Philippum Regem, nova nobis pericula concitabat: putârunt quippe Insulani, id factum nostrorum consilio. Ægrè

morti eripitur, mancipatúrque carceri. Vir plebs abstinuit à diripiendo Collegio, & nostris occidendis. Plebem incendebant Concionatores de suggestis declamando, esse nos patriæ proditores, hostes reipublicæ, Antonium Societatem eversurum. Hæc, & similia sæpe iterando, nihil nobis tutum reliquêre. Nam amicis necessùm fuit, se subducere nostro commercio, quoniam periclitabantur, ne erant ferendo communi furori. Episcopus secessit ad insulam Michaëlensem, duósque de nostris secum duxit. Cùm ea insula Philippum Regem jurâsset, clamabant à nobis, & Episcopo impulsam.

14. Non semel plebs meditata aggredi Collegium, fecissétque, nisi Deus mirabiliter illius impetum frænâsset. Habitâ à Senatu facultate, relicto tantùm ad custodiam domûs sacerdote, & coadjutore, Rector cum aliis navem conscendit, ex insula abiturus. In discessu confluxère ad Collegium, præsertim nobiliores fœminæ piæ rogantes effusis lacrymis, ne insulam in tot animarum periculis desereremus. Apparuit earum à DEO preces auditas; nam ingressi navem, vento contrario repellente, domum regredi coacti sunt.

15. Cùm venissent ex Anglia, & Gallia inter auxiliares copias, quas petiverat insula, & miserat Antonius, aliqui hæretici, creverunt abominationes sine numero. Eò res venit, ut nemo auderet Collegium, aut templum nostrum adire. Illudebatur Eucharistia, conculcabantur imagines, nihil sanctum impiis, in Deum & homines probos scelera passim committebant. De nobis infanda quæque scripserunt ad Antonium. Furore amens 16. Julii hujus anni litteras dedit in oppido *Estepne* a Præfectum insulæ, ut bona Collegii fisco addiceret; cæmento & calce portas omnes, ac fenestras Collegii clauderet, factâ unicè rotâ, qualem habent moniales, ut per eam de nostris Collegii bonis præberetur quotidianus cibus ad trahendam vitam. Id mandatum executioni. Cùm rota parari statim nequiret, cibus mittebatur per januam templi, quam conclusère duabus feris fortissimis. Multæ personæ piæ per parietem altâ nocte cibos in septum conjecerant. Nostri interim se totos dederunt divinis commentationibus, & castigationi corporum, singulis momentis quæque atrociora præstolantes. Hæc inter, & alia innumera, quæ compendium referre non patitur, effluxit annus.

Annus 1582. Soc. 43.

I.

Alii labores Angrensis Collegii.

Erat jam mensis nonus, ex quo Angrensis Collegii fenestræ fuerant obturatæ, cùm jussu Antonii accessit insulæ Dynasta cum potestate administrandi rem civilem, & bellicam. Protinus in foro publico securi subjecit cervicem Joannis Betancorii Vasconcellii. Hic fuit vir ille nobilis, à quo per urbem Philippus Rex proclamabatur. Quo tempore illius sectum jugulum, Stephanus Rector Collegii legebat librum ab eo sibi commodatum, cùm rem videt insolitam, nempe libri tabulas externas suavissimo perfusas oleo. Unde intellexit Betancorium occisum. Fuit vir pius, & justus, qui summis desideriis arserat martyrio vitam finiendi.

2. Idem Dynasta blanditiis conatus, nostros in suas pro Antonio partes pellicere, cùm perstarent in proposito se non immiscendi Regum litigiis, ut illæsum servarent Institutum suum; indignans asseruit mereri ipsos acerbiora, quàm essent passi. Minitatur, laniandos, ac in fluctus devolvendos. Rebus omnibus spoliat Collegium, etiam templi campanis, quas in arce suspendit ad solita militibus facienda signa. Dein jussit, quoniam de suggesto dixissemus contra jus Antonii, & suasissemus Betancorio, ex eodem loco declamaremus Philippum tyrannum esse; secus facturum se, quæ sibi viderentur.

3. Respondit Stephanus, quæ decebant conscientiam, non quæ vellet Dynasta. Igitur crudeliter incensus scripsit ad Præfectum alterius insulæ Antonio parentis, ut ibi carcerem strueret cum fenestella unica lata duobus digitis;

pædore & fame omnes ibi enecare cogitabat. Avertit DEUS consilium; nam rerum vicissitudines executionem impediverunt.

4. Antonius classe 60. navium profectus è Gallia, appulsus ad insulam Michaëlensem, quòd Philippo adhæreret, insulæ partem diripuit. Veniente Hispanâ classe, summo ejus Præfecto Marchione S. Crucis, Antonius navigio petivit Angram. Victâ illius classe ab Hispano, meditabatur navigio in Galliam, vel Angliam se recipere, credens marchionem usurum victoriâ, & invasurum Angram. Ubi vidit Hispanam classem recessisse Ulyssiponem, Angræ substitit. Tanquam nostri, & pii cives, qui dicti fuerant ei parùm favere, essent unicè illius curæ, statim denunciatum nostris, ad insulam S. Dominici eundum, ac sine mora inter militum & plebis sibilos, ac clamores rapti ad naves.

5. In unam eos conjecere navem omnibus nudam armamentis, aquæ perviam, & prorsus inutilem. Post mensem illic inter summas transactum ærumnas ad aliam minùs laceram translati. E Collegio factum est hospitium, & nosocomium hæreticorum. Tandem mutatâ sententiâ de exilio ad insulam D. Dominici, placuit eos ferri in Angliam nave duplici. Una delata Londinum: illic Andreas Gonsalvius die postremâ Novembris laboribus consumptus obiit. Altera in mari Anglico libertatem à navarcho emit, traducta ad navem Flandricam, quæ omnes exposuit in Algarbiis; inde terrestri itinere tenuerunt Ulyssiponem valde attriti, Rector cumprimis, qui sequenti anno valedixit rebus caducis. Sed non defuerunt supplicia, quibus ultor DEus punivit Societatis inimicos.

6. Tum è Conimbricensi, tum Eborensi Collegio habitæ missiones in regiones diversas. Nicolaus Pimenta sic incendit Duces Brigantinos, & Villamvissosam ipsorum curiam, ut Dux egerit de condendo Collegio, teditu ad id destinato. Eâ tempestate expectabatur P. N. Claudius Generalis, Hispaniæ Collegia jussu Pontificis lustratus: in ejus adventum dilatum hujusmodi negotium. Verùm nec venit Claudius, & optimâ labente occasione, quæ capillata fuit, nec ea Ducis mens effectum sortita est.

Missiones. Agitur de Collegio Villævissosæ.

7. Principio hujus anni accessit Româ P. Petrus Fonseca. Ad mensem Julium tempus insumpsit adeundo singula Collegia magno animi sui solatio. Mense Julio renunciatur Domûs Professæ Præpositus. Cum ipso felicitas eam domum ingressa; illo gubernante, miris profecit incrementis, cum in re domestica, tum in exercendis nostris ministeriis. Conimbricæ fervor se macerandi externos quoque scholasticos nostrorum suasionibus invasit. Habebat ad manum Janitor magnum numerum ciliciorum, quæ commodaverat nunc his, nunc illis scholasticis. Plurimi sub noctem intra Collegium in cubiculo januæ proximo se flagitabant. Multi se domi nostræ collegerunt exercitiis S. P. Ignatii. Mille sexcenti scholastici numerabantur. Oratio Latina de D. Elisabetha 4. Julii dici solita in Januarium mensem post Epiphaniam deinceps habenda ordinatur.

P. Petrus Fonseca Præpositus Domûs Prof.

Scholasticorum fervor Conimbricæ.

Mutatur tempus Orationis D. Elisabethæ.

8. Collegium D. Antonii, devictis aliquot difficultatibus ope Senatûs urbici, & favore Regis muro cinxit partem spatii nobis ab Henrico dati ad condendum Collegium. Habitâ facultate emit Villam *Enxobregas* dictam, pro communi Sociorum recreatione. Eborense Collegium Valboniam emit villam suburbanam. Quâ enim hactenus usi fueramus, à Collegio distat plus mediâ leucâ, proinde nobis incommoda, tametsi pinguiori solo, & excellentibus vinetis gauderet.

Septum, & villa Collegii D. Antonii.

Emitur villa suburbana Eborensis Collegii.

9. Cùm Regi Philippo placeret Henici avunculi ossa transferre in templum Bethlemiticum, unà cum ossibus Regis Sebastiani reportatis ex Africa Almeirinum per Tingitanum, & Sylvensem Episcopos; jussu ejusdem vocatur Bracharâ, ubi erat Rector, Leo Henriquius, cui præcipuæ partes in negotio mandatæ. Aperto tumulo, & amotâ calce, inventum est incorruptum corpus Henrici, tam vivis coloribus, ut recèns mortuus videretur. Id Leo ejus confessarius tribuit Principis virgineæ integritati, quam servavit illibatam. Ut tanta res esset notior, curavit asportari Ulyssipone ex pretiosa tela vestitum Cardina-

Transfertur incorruptum corpus Henrici Regis, & Sebastiani ossa.

litium, quo Henrici corpus indutum exposuit omnibus videndum. Cuncti manus, & pedes tanquam viri sancti osculo venerabantur. Sic diebus & noctibus octo inter accensas faces patebat, de nostris in orbem semper aliquot assistentibus. Die 13. Decembris pervenerunt, qui portabant ossa Sebastiani, & sequenti die funebri pompâ se unà omnes dederunt itineri. Quo die celebrata justa in templo Bethlemitico, præsentes fuerunt, quotquot nostri erant Ulyssipone.

P. Antonii Correæ ossa translata.

10. Silenda non est pietas nobilis fœminæ. Quo tempore anno 1569. peste inarsit Ulyssipo, P. Antonius Correa primus tironum Magister, viribus multùm debilitatus Bucellas (pagus est in agro Ulyssiponensi) missus, ibi sanctissimè expirans terræ mandatus est. Prædicta mulier, cui erat à confessionibus, curavit per quendam è nostris ossa ferri in templum Domûs Professæ, ubi pro ipsius anima plurima sacra sunt facta, matronâ illâ suggerente ceram abundantem.

Scholæ Bracharæ, & Brigantii.

11. Dominum Joannem Alphonsum novum Bracharensem Archiepiscopum Collegium excepit oratione Latinâ. Postea adeunti singula gymnasia, Magistros & discipulos audienti, placuit scholasticorum frequentia; erant enim penè mille. Brigantii terni Magistri moderabantur Latinitatis Gymnasia: addiderat tertium Episcopus Pinerius; is tertius Magister perpetuus non fuit.

Res Angolanæ.

12. In Angola degebant Balthasar Barreira, & Balthasar Alphonsus sacerdotes cum duobus coadjutoribus. Id temporis ardebat inter Lusitanos, & Angolæ Regem cruentum bellum. Semper aliquis de nostris sacerdotibus versabatur in castris, ut Lusitanos, & neophytos juvaret. Id bellum cœperat anno 1580. Anno, de quo agimus, ter victus est à Lusitanis Rex Angolus, amisitq; bonam sui regni partem. Lusitani eò tendebant, ut regionem Cambamben in suam redigerent potestatem. Vulgaris apud eos erat opinio, illic esse montes ex argento solido. Regulus Cambembensis Paulo Diasio Præfecto nuncios misit, se paratum mandata facere, & tradere Lusitanis incredibiles argenti montes. Expectabat Paulus è Lusitania militem, ut eam occuparet regionem. Interim P. Barreira multos conjunxit Christo, inter eos Regulum, in cujus terris Lusitanus habebat castra. Sacris aquis ablutus magnâ pompâ, ac dictus Paulus propter Lusitanum Præfectum.

Moritur Alphonsus Gilius.

13. Conimbricæ mense Januario vitalem auram reliquit Alphonsus Gilius Coadjutor, vir moribus inculpatis. Addictissimus erat Eucharistiæ mysterio. Idem modestissimus, prope mortem ajebat, esse sibi solatio singulari, quòd agens æditu um nunquam oculos sustulerit in vultum ullius fœminæ. Dæmonem in vitæ confinio abigebat divi Martini verbis: *facesse hinc mala bestia, nihil in me funeste reperies*. Excessit plenus lætitiâ. Ibidem eodem mense quievit Ruysius Pirius scholasticus. Sic voluntatem addixerat moderatoribus, ut in nullam partem ostenderit animi propensionem, lætus semper postquam imperaverant. Recitato psalmo quinquagesimo ad Crucifixum intentus efflavit animam.

Ruysius Pirius.

P. Michael Sousa.

14. Nullius obitus æquè funestavit omnes, atque Ven. P. Michaëlis Sousæ Rectoris Collegii Conimbricensis; erat inter columina Provinciæ: patriâ Scalabitanus de præcipua regni nobilitate. Egit Præpositum Domûs Professæ, Visitatorem, Vice-Provincialem, & bis Rectorem Conimbricensem. Cunctis eminuit virtutibus, ùt liquet ex ejus vita prælo commissa. Mortis nuncium excepit hilari vultu; sed socii dolebant omnes, quod amitterent parentem suavissimum. Paucis ante mortem horis singulos complexu, & benedictione dignabatur. Illius ossa condita sunt in sacello divi Antonii cum lemmate. Id tributum singulari ejus virtuti, quòd, cùm plurimi socii gravibus morbis premerentur, post Michaëlis mortem cœperint omnes sublevari.

Dominicus Rodericius.

15. Eboræ, assumptæ Virginis die, quod à magna Matre pustulaverat, quódque futurum declaravit, Dominicus Rodericius mundo ereptus est. Postrema ipsius fuêre verba: *Maria Mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste*

hoste protege, & mortis horâ suscipe. Fernandus Lucas ibidem non dissimili morte abiit. Sentiens intus imminere diem supremam, homologesi totius vitæ detersit animam, atque sic vel ante morbum se ad supremum iter comparavit, acutâ dein febre consumptus. Fernandus Lucas.

16. Nostris adjicio externum, Doctorem Paulum de Palatiis, domo Granatensem, sacræ paginæ in Conimbricensi Academia Professorem. Agebat Parochum Ecclesiæ Villæ viridis in Ulyssiponensi diœcesi. Semper coluit Societatem. In testamento suo legavit Eborensi Collegio mancipium his verbis: *Mando, ut Alvarus mancipium meum serviat semper Patribus Societatis Eboræ. Id facio in signum animi grati, quòd me Patres laureâ Doctoris condecoraverint, & quo securam reddam mancipii mei salutem; quòd cùm hactenus bonum fuerit, apud Patres erit melius. Non alienare, non vendere poterunt; nam mea voluntas est, inter ipsos moriatur, ac per eos salvetur.* De Paulo meminit Cardozus in hagiologio 4. Aprilis. Fuerat primus externus, qui gradum Theologici Doctoris acceperat in Eborensi Academia 4. Junii anno 1560. D. Paulus de Palatiis.

Annus 1583. Soc. 44.

1.

PAulus Diasius Angolæ Præfectus summam hoc anno gloriam apud eas gentes est indeptus. Nam suadente Mocamba Regulo progressus cum exercitu tenuit Cambamben. Hic Rex Angolanus, ut Lusitanos debellaret, in aciem eduxit exercitum infinitæ multitudinis. Erant capitum duodecies centena millia. Complebant montes, & valles. Territi plurimi Reguli, qui Lusitanis adhæserant, ad hostem defecêre. Unicus in fide perstitit Paulus, qui, ùt anno superiore dixi, Christiana sacra jam receperat. Lusitani non excedebant quinquaginta supra centum. Nigri, quos regebat Paulus, erant capitum triginta millia. Victoria obtenta precibus P. Barreiræ.

2. Innumero hoste conspecto, stupuit Lusitanus, & Æthiopes socii. In his angustiis P. Balthasar Barreira Deo plenus concionem habet; Lusitanos, deinde Nigros exhortatur, ne sinant elabi manibus gloriosissimam victoriam. Divino consilio barbari conjungebantur, ut appareret DEUM pro suis pugnare. Sequenti die (erat Purificationis) visuros Dei potentiam, & Virginis sanctissimæ patrocinium. Eos concepêre animos, ut occultæ vires à DEO infusæ viderentur. Igitur se comparant ad prælium sequenti luce committendum. Lusitanus castra muniverat prope flumen Coansam. Erant in vasta planitie, & montibus barbarorum copiæ. Sole oriente stetit in armis Lusitanus, expectans hostis incursum.

3. Digreditur Paulus ad observandos hostium motus: reperit contra morem subsidere quietos, cohortes aliis, atque aliis firmari auxiliis. Igitur memorat Præfecto, quæ viderit; sibi videri, velle barbaros noctu aggredi castra, id fore nobis confusioni, & stragi; proinde oportere quàm primùm procedere adversus hostem; tutiùs die, quàm nocte præliari. Placet Præfecto, & Barreiræ Pauli sententia. Barreira secedit ad fundendas in Cœlum preces. Procedunt Lusitani, & Pauli milites adversus hostem, datur invadendi signum.

4. Illud in conflictu accidit prorsus admirandum. In barbaros occultâ manu redibant sagittæ contortæ contra Lusitanos; nec hi exonerabant fistulas igniarias sine hostis cæde, nec Pauli gentes misêre sagittas incassùm. Tegitur cadaveribus campus, & montes, de nostris ne uno quidem occiso. Hic nuntii volant, dicunt Barreiræ debellatum hostem. Surgit, ac festinus adit Præfectum gratulaturus. En aliud miraculum! Hostis tanquam novis additis viribus ferocior incumbit Lusitano, qui tantæ vi impar cœpit referre pedem.

5. Tunc Præfectus animadvertens Barreiræ preces nodum, ac moram fuisse hosti, quò minùs vinceret, Patri inclamabat, redeat ad preces, ex ipsis pendere victoriam. Non secus, atque imperatum, facit. Protinus elanguet bar-

barbarus, implicatur terrore panico, vertit terga. Ut aperiatur fugæ via, alteri alteros lacerant, ac proterunt. Intenderant se noctis tenebræ, & timor fugientium. Erat à tergo immensa profunditas, excavata torrentibus imbrium, huc se infinita multitudo dat præcipitem, completur usque ad labra: qui supervenerant, transiêre tanquam per continuatum campum. Dies aperuit incredibilem stragem factam omnipotentis manu. Habitæ gratiæ DEO, ac Deiparenti. Venerantur omnes Barreiræ, ceu Moysis, virtutem.

6. Nonnulli resecuêre occisorum nasos, sacros numero plurimos compleverant, in castra vectos tanquam immensæ stragis argumentum. Cùm Lusitani aliquot à castris secessissent, sub occasum solis prospexerunt in Cœlo pulcherrimam Crucem, quam de genibus venerantur. In rei memoriam ipso loco permagna Crux erecta. Quotannis victoria insignis celebratur Massangani die purificatæ Virginis. Victoriæ hujus nuncii Madritum allati clarum fecêre Barreiræ nomen. Rex Philippus admirans Patris virtutem, ad Angolanum Præfectum scripsit, semper deinceps in rebus magni momenti ejus consilio uteretur. Id bellum in annos plures tractum, & res ipsa ostendit, quàm vana foret opinio de montibus argenteis.

Expugnatur Angra, & restituitur Collegium nostrum.

7. Anno superiore dictum est de laboribus Angrensis Collegii, quod iterum recepimus. Nam Alvarus Bassanus Marchio de S. Cruce, superata ad insulam Michaëlensem Antonii classe, se collegit Ulysiponem refecturus naves, ut Angram belli caput, & sedem invaderet non dubiâ victoriâ. Junii 23. Marchio solvit è Tago. In ea classe hominum vehebantur octodecim millia, de nostris quatuor, P. Gregorius Mata cum Coadjutore Balthasare Almeida in nave prætoria de S. Martino dicta; P. Petrus Freirius, & Balthasar Gonsalvius coadjutor in ea, quâ vehebatur Marchio Villæ Francæ. In insula Michaëlensi Marchiones cum exercitu expiârunt per confessionem animas, séque divino refecerunt epulo; condita testamenta, soluta debita, datæ largæ eleemosynæ, facta sacra plurima, ut esset Numen propitium.

8. Classis stetit 24. Julii in Angræ conspectu. Missi nuntii, qui deditionem suaderent; cùm non audirentur, ad vim paratur miles. Marchio summus Præfectus testamentum suum, pecunias & claves tradidit Patri Motæ, injungens, si periret ipse, pro libito disponeret. Idem exemplum imitati reliqui Dynastæ. Regebat insulam Emmanuel Sylva, quem Antonius creârat Comitem Torresvedriæ. Sex hominum millia in armis habebat; ex his erant septingenti Galli Duce Ciarlio viro belli perito. Diversis locis, ubi poterat exponi miles, erexêre munimenta, & propugnacula, iu eísque disposuêre ad sexcenta bellica tormenta. Ciarlius apertè dixerat; pro defendenda tota insula à tam potenti exercitu vires non esse, quanquam amplæ forent ad unam arcem tutandam; verùm illius sententia non curabatur.

9. Igitur Bassanus, exploratis littoribus, ubi possit miles exponi, 26. Julii, divæ Annæ festo, decernit excensionem. Ut hostem distrahat ancipiti incursu, proras dirigit in sinum unum; eò insulanis confluentibus, momento in alium proras vertens, militem cœpit exponere, ac in terram est egressus. Ipsâ nocte Emmanuel Sylva cum insulano milite, simúlque Galli, & Angli diffidentes rebus suis confugerunt in montes, urbe desertâ. Ne monasteria, aut res ullæ sacræ, fœminæ, aut pueri paterent injuriæ, Marchio in urbem processit ante suum exercitum, & rebus consuluit, uti Christianum decebat.

10. Deo habiturus gratias commendavit Patri Motæ, sacrum faceret in templo nostro, cui ipse cum cæteris Dynastis ac Ductoribus interfuit: Concessit militi triduanam direptionem. Galli, & Angli armis exuti. Captus Emmanuel Sylva securi præbuit cervicem cum aliis, qui ejusdem erant criminis participes. Cunctis affuêre nostri, ut Sacramentis, & monitis in rem juvarent. Sylva veniam rogabat omnes, & nominatim Societatis Patres, quos crudeliter vexaverat.

11. Re-

11. Receptum Collegium, quod fuerat conversum in armamentarium, & multa supellex sacra. Miseris omnibus nostri egregiè consuluerunt, illis præprimis, qui nos, ac nostra inhumaniùs tractârant. Cunctis per Marchionem actis, tum quæ ad bellum, & alias subigendas insulas, tum quæ ad pacem attinebant, Præfecto insulæ Joanne Urbina viro pio, ac forti, Gades profecta classis. Marchionem comitatur P. Gregorius Mota cum Balthasare Almeida. Hic ægrotans in mari Lusitano in terram expositus, Ulyssiponem defertur. P. Mota Gadibus 12. Octobris de vivis excessit, attritus hujus expeditionis laboribus: exequias decorârunt suâ præsentiâ Marchio, & cæteri magnates classis, quibus erat venerationi ejus prudentia & virtus. In Collegio substitit P. Petrus Freirius cum Balthasare Gonsalvio; donec sequenti anno Rector secundùm ivit Ludovicus Vasconcellus, qui percharus fuerat insulanis. Nostri nihil magis obliti, quàm injurias, rebus afflictissimis fuêre præsens remedium.

12. Rex Philippus, Lusitaniæ rebus compositis, Februario hujus anni per Eboram revertitur in Hispaniam. Extra urbem prope ædem D. Sebastiani venientem excepit Academia eâ pompâ, quâ solebat obviàm procedere Regibus Lusitanis. Prævivit Rector, totámque ipsi obtulit Academiam, ut suo tegeret patrocinio. Respondit se in tutelam suam recipere, præsertim, quòd esset condita ab avunculo suo Henrico; simúlque Academicis laureatis omnibus manûs osculum præbuit. Urbs erat arcubus, alióqne exornata apparatu. Ipsâ nocte admonuit Rectorem, die sequenti auditurum se sacrum in templo nostro. Advenienti obviàm processit Academia. In templi porticu è quatuor theatris consalutârunt Regem cultissimi adolescentes; idem factum ex templi absidibus. Panegyrim Latinam dixit P. Antonius Carvalius Theologiæ Professor. Speciali benevolentiâ Collegium, atriúmque scholarum conspexit Rex Philippus. *Rex Philippus excipitur ab Academia Eborensi.*

13. Eboræ Sodalitas instituta pro nostris scholasticis dicatur Virgini ab Angelo salutatæ. Magnâ pompâ, & supplicatione anno 1587. advecta effigies Virginis, quæ modò in altari cernitur. Crevit authoritas nostri Rectoris Eborensis institutione Collegii de Matre Dei nuncupati. Hector Pina, vir nobilis, ac locuples, & Senator Regius, cùm hærede careret, voluit Eboræ Collegium excitare, ubi educarentur sui, & conjugis consanguinei, dum vacarent scientiarum studiis. Rogavit nostros moderatores, dignarentur suscipere curam invigilandi commodis Collegii, illique aptum præficere Rectorem, qui sæcularis est, præficitúrque à nostri Collegii moderatore. Ædificium habitari cœpit anno 1608. Habet reditum ad alendos Collegas duodecim; partim sunt Fundatorum consanguinei; partim ex iis Philosophis, qui prævio examine, & concertatione cum aliis locum merentur. *Sodalitas Scholasticorum Eboræ.* *Collegium Matris Dei.*

14. Novem sacerdotes cum pari scholasticorum numero progressi ad habendas missiones in oppida diversa per Quadragesimam. Quàm plurimi de more docebant populum in agri Eborensis paræciis. Aliqui Comitati Theotonium Archiepiscopum, cùm diœcesim suam lustraret. Celebrantibus Eboræ PP. Dominicanis Provinciæ Comitia, Ludovicus Sotomayor, lumen sacræ ejus familiæ voluit benevolentiæ gratiæ audire nostrum Sebastianum Barradam scripturæ divinæ sapientissimum Professorem. In honorem tanti hospitis sic exposuit suscepta verba, ut summam laudem, & plausum reportârit. *Aliæ res Collegii Eborensis.*

15. Ad Indiam contenderunt quindecim, tres Lusitani, cæteri diversarum gentium. Plurimùm incendit socios grande exemplum Rectoris Eborensis Petri Silvæ, & Magistri tironum Hieronymi Cotæ. Prior piissimè decessit in itinere. Theodorus Montelius Belga veneno sublatus de medio apud Japones in odium fidei. Ad Brasiliam solvit cum potestate Visitatoris P. Christophorus Gouvea, cum Fernando Cardinio, & Roderico Freitas, qui tractabant negotia Brasilicæ Provinciæ; erant ambo sacerdotes. Coadjutores ibant Barnabas Telus, olim socius M. Simonis Rodericii, & Martinus Vasæus tiro. P. Christophorus in reditu captus à piratis, ac ejectus in littus Cantabriæ. *Profecti ad Indiam, & Brasiliam.*

16. Fa-

Lacunar templi Domûs Professæ.

16. Factum hoc anno laqueare augustum templi Domûs Professæ, Cùm ex Germania magnæ trabes, & materiæ vis ingens esset vecta ad hujusmodi contabulationes, & lacunaria, petiverunt Patres per urbem eleemosynas, queis possent sustinere tantum sumptum. Collecta sunt cruciatorum supra septem millia, quibus fabricatum opus, & quidem nobili architecturâ, plumbo equidem tectum; sed cùm id inutile esse dies ostenderet, mutatum. Piâ Professorum illius Domûs industriâ quinquaginta homines, qui concubinis indulgebant, eas sibi legitimo matrimonio copulârunt. Conquisitis eleemosynis subventum est fœminis, ac viris honestis, quos pudor vetat mendicare. Ereptæ perditionis periculo puellæ non paucæ. Missiones quoque ad oppida diversa ex ea domo instituerunt. P. Emmanuel Correa Archiepiscopi Confessarius ad Provincialem scribens de virtute incolarum domûs hæc habet: *Virtus horum Patrum, & Fratrum operariorum Christi, nota est, ùt credo Rᵃ. Vᵃ. Eorum magnum est exemplum: nam videre tot senes opertos canis, & nonnullos baculis incumbentes præire exemplo, nolle immunitatem à labore, adhærere ordini communi domûs, primos sedere ad pœnitentes audiendos, postremos surgere ex pio sedili, pudore afficit ætate minores, eòsque incitat ad multas peragendas res, quas forsitan oblivifcerentur, nisi observarentur oculis tot præclara exempla. Plurimùm nos cogit, ut sancti simus, opinio, quam de Societate urbs hæc habet.*

Alia res Domûs Professæ.

Sodalitas B. V. Mors P. Stephani Diasii.

17. Scholæ Ulyssiponenses florebant cum virtutis, tum litterarum studiis. Hoc anno erectum est sodalitium B. Virginis pro scholasticis in ipsorum sacello. In eo D. Antonii Collegio vitâ decidit P. Stephanus Diasius post toleratos innumeros labores in Angrensi Collegio, cujus erat Rector, ùt suprà est relatum, cùm insula sibi Regem voluit Antonium. Relegatus in Angliam, inde revertit ærumnis valde attritus: idcirco nequiit diu esse inter mortales.

Domus Misericordiæ Tentugalii.

18. Conimbricæ providit è Collegio magnus numerus cum ad missiones, tum ad obeundas peregrinationes. P. Damianus Rodericius patriâ Cascalensis ad ostium Tagi excolens concionibus Tentugalium in agro Conimbricensi, persuasit ædificari domum, ùt vocant, Misericordiæ, quam à multis annis cupiebant omnes. Collectâ stipe 150. cruciatorum adhibita manus operi. Protinus creatum est sodalitium domûs ejusdem. Mensibus vacationum P. Sebastianus Moralius Provincialis moratus Conimbricæ, plurimùm socios inflammavit suis exemplis. Erat assiduus in ministeriis abjectioribus culinæ, & aliis, in quibus exercendis probatur studium propriæ demissionis.

Virtus P. Provincialis.

Visitator Academiæ Conimbricensis conatur lustrare nostras scholas.

19. Scholæ Conimbricenses, etsi progrederentur ventis felicibus, non caruerunt hoc anno vehementi procellâ. Emmanuel Quadrius, electus à Rege Visitator Academiæ Conimbricensis, decrevit lustrare nostra Gymnasia, tanquam suæ potestati subjecta. Obstitit Collegium. P. N. Claudius jussit aliquos de nostris, & cum eis P. Petrum Fonsecam Madritum festinare, ac significare Regi: Hactenus Societatem moderatam illas scholas, eâ tantùm conditione admissas, ut essent liberæ à lustratione Rectoris Academici: repugnare contrarium Instituto nostro: quòd si ejus Majestati placeret novum morem inducere; Societatem abdicaturam se illis magisteriis. Rex prudentissimus mentem suam esse declaravit, gauderent Societatis scholæ suis immunitatibus. Litigium terminatum anno 1589.

Ratio studiorum.

20. Hoc anno vocatur Romam P. Doctor Gaspar Gonsalvius, ut cum aliis doctissimis ordinet *Rationem studiorum Societatis:* quod fieri cœpit Decembri, & absolutum opus Augusto sequentis anni. Cum duobus aliis mansit Romæ, ut provideretur, si quid in eandem rem opus foret. Ibi mortali hâc vitâ solutus est anno 1590.

In Madeira nostri avertunt pericula.

21. In Madeira exarsit urbs Funchalensis adversus Castellanum præsidium. Lacessebatur à civibus præsidiarius miles nominibus probrosis nationis odio. Milites vexillum explicant, parant tormenta, in cives irruptionem meditantur. Tam communi damno processit obviam unus è nostris, ac cives præsidio reconciliavit. Non minùs utilis fuit opera in conciliando cum civibus Epis-

piscopo. Hic sub anathemate prohibuerat agitationem taurorum. Contempto ejus edicto ludum hunc celebrant. Turbatæ res erant utrinque. Unus de Societate exhibet, & improbat scelus, quóve forent illigati nodo. Persuadet, humiles adeant Pastorem suum, deprecentur veniam, ne mittant animas suas in tam aperta pericula. Parent monenti: sicq; quies urbi reddita.

22. Eboræ 30. Decembris vivorum contubernio exiit P. Emmanuel Alvarus Madeirensis, orbe toto notissimus, quia author Grammaticæ artis. Clarior à virtutibus, quibus exornavit animam. In Societatem admissus à Simone Rodericio 4. Junii anno 1546. Gaudebat ingenio felici. Præter linguam Latinam, scivit Græcam, Hebræam, Caldaicam, & Arabicam. Fuit è primis, qui Latinas litteras in hac Provincia docuerunt. Huic ingenio tam præclaro junxit sinceritatem virtutis & prudentiæ plenam. S. Ignatius ex aliorum narratione habens perspectum ejus candorem, vocabat suum Juniperum. Addebat, si Deus vellet miracula per aliquem de Societate patrare, non alium electurum, quàm Emmanuelem. *Moritur P. Emmanuel Alvarus.*

23. Rexit Domum Professam, & Eborense Collegium. Semper vixit intentus ad se in extremum agonem comparandum. Aliquando ad Gymnasium pergentem interrogârunt, quid esset facturus, si tunc monerent, adesse mortem? Respondit, se aliud non acturum, quàm quod ageret. Quo verbo satis ostendit, se sic vivere, tanquam si momentis singulis esset excessurus de vita. Usurpabat frequenter hujusmodi voces: *Deus, ego, tertium Gymnasium.* Significaverat, suas esse curas, DEO placere, curare profectum suum, & obire commendatum munus. Cùm hæc diceret, tertium moderabatur Gymnasium. Vita plena sanctissimis virtutum exemplis vulgata circumfertur.

Annus 1584. Soc. 45.

1.

ALexander Valignanus Societatis per regna Orientis Visitator, cùm videret anno 1582, quantùm crevisset Japonensis Ecclesia, plurimis populis, & Regibus Christo adhærentibus, censuit magni momenti fore ad fidem propagandam, si Christiani Reges per suos Legatos obedientiam præstarent summo Pontifici. Igitur tam longo itineri vincendo eliguntur adolescentes, qui decimum septimum ætatis annum non excederent. *Legatio Regum Japoniæ ad Pontificem.*

2. Franciscus Rex Bungensis mittit suo nomine Mansium Consobrinum Regis Fiungæ. Rex Arimæ, ac Dynasta Omurensis mittunt Michaëlem, cujus pater erat patruelis Regis Arimensis. His adjuncti fuêre duo primæ nobilitatis tanquam comites Martinus Fara, & Julianus Nicaura. Additi præterea duo pueri honesto loco nati. Ut ipsos haberet curæ, missus noster Georgius Loyola Japonensis. Eos directurus venit P. Didacus Mesquita Lusitanus, qui postea mortuus in Japonia ex laboribus propter fidem toleratis; huic Valignanus commisit vices suas.

3. Duobus annis insumptis, ex quo de Japonia fuerant egressi, anno 1584. Cocini navem in Lusitaniam conscenderunt. Accessit ex India Procurator Romam iturus P. Nonius Rodericius. Mense Augusto ingressi portum Ulyssiponensem in nostra Domo Professa hospitantur. Cardinalis Albertus Lusitaniæ Pro-Rex eos excepit multis significationibus benevolentiæ. Maximus erat ad ipsos intuendos concursus. Septembris die quintâ profecti Aldeam Galegam, inde Eboram 8. ejusdem mensis subeunt.

4. Archiepiscopus Theotonius Japonensis Ecclesiæ singularis æstimator currum suum præmiserat montem majorem novum, ut ii adveherentur. Recepti Collegio sociorum omnium summâ exultatione. Archiepiscopus nullis xeniis, aut benevolentiæ signis, ut eos recrearet, pepercit. Dum morati sunt Eboræ, cùm ad prandium, tum ad cœnam epulas è domo sua paratas mittebat Archiepiscopus. Septembris die 15. contendêre Villamvissosam, ubi Duces

Brigantini regiâ munificentiâ tractârunt, juverúntque pecuniis itineris expensas. Sub finem Octobris intrârunt Madritum; Rex Philippus venientes excepit eâ ceremoniâ, & apparatu, quo solebat magnorum Regum Legatos. Quocunque venêre, miris omnium studiis excepti sunt. Alonii navem in Italiam conscendêre, temporum adversorum causâ delati ad Majoricam insulam.

5. Mense Martio sequentis anni appulsa navis Liburnum in ditione magni Hetruriæ Ducis, qui Legatos condecoravit magnificentiâ tanto digna Principe. Mora fecit Romæ expectatiores. P. Nunius Rodericius, qui semper Legatos præcesserat tanquam paraturus hospitium, prior advenit Romam, omniúmque, præsertim Gregorii XIII. Pont. Max. incendit desideria. Romam ingrediuntur 22. Martii. Effluxerant anni tres cum triginta tribus diebus, à quo solverant è Japonia. Optabant nostri ad minuendam invidiam, & ne nimiis honoribus boni adolescentes intumescerent, ut privato alloquio eos Pontifex dignaretur. Verùm optimus senex, veluti hæc foret sui regni suprema felicitas, noluit eos conspectum suum adire, nisi maximâ pompâ, & omni cæremoniâ, quâ Regum Legatos soleret Romanus Pontifex admittere. Res peracta, quantâ fieri potuit magnificentiâ. Noster Gaspar Gonsalvius Doctor Eborensis habuit Latinam orationem nomine Legatorum. Solatio occupatus Gregorius nequiit à lacrymis temperare.

6. Tantam lætitiam brevi funestavit obitus Pontificis, die videlicet undecimâ Aprilis, ætatis anno quarto suprà octogesimum. Vix erit ullus Pontifex, qui Gregorii erga nostram minimam Societatem æquet amorem. Successit Gregorio Cardinalis Felix Peretus Franciscanus dictus Sixtus V. Imitatus in Legatos Gregorii munificentiam. Excessêre Româ die 3. Junii. Adierant nobiliores Italiæ urbes, Venetias, Patavium, Mediolanum, & alias. Ubique multis aucti muneribus, & honoribus. Quà fuit iter, penè in populorum humeris ferebantur.

7. Initio Octobris relati in Lusitaniam non dispari plausu. Medio Decembri profecti sunt Conimbricam, ut ibi cum nostris transigerent Domini natalitia. Maximâ celebritate sunt excepti ab Episcopo Alphonso Castelbranco, Academia, Senatu, nostro Collegio, & scholis. Exhibitum drama de S. Joanne Baptista. Ulyssiponem se recepêre fluente jam anno 1586. quo petiverunt in Indiam & Japoniam, quo anno denuo de iisdem recurret memoria. Nunc redeamus ad Annalium ordinem.

Res Domûs Professæ. 8. In Domo Professâ Aprili mense celebratus Provinciæ conventus. Electus Romam iturus Procurator P. Petrus Martinius Rector Portuensis. P. Ignatius Martinius bis hoc anno, petentibus Ducibus Brigantinis, habuit Villævissosæ missionem tempore Quadragesimæ, & Adventûs, copioso animarum proventu. Inter cætera morem induxit Societati solemnem, eligendi singulis mensibus aliquem Divum tutelarem: tenuit deinde Domus Brigantina piam consuetudinem. Catharina Princeps reliquis præivit exemplo, eam secuta familia.

Domus pro catechumenis alendis. 9. P. Petrus Fonseca Domûs Professæ Præpositus erexit egregia pietatis monumenta, & officinas, sumptum divinâ providentiâ sustinente. Curavit namque donari stabili reditu domum, in qua docerentur fidei nostræ mysteria catechumeni. Institutioni piæ præbuerunt occasionem aliquot Mauri domestici Xarifii, sive filii Regis, quem Sebastianus fuerat conatus solio restituere; hic Princeps vitam ducebat Alvaladii non longè ab Ulyssipone. Nonnulli Mauri nobiles de ipsius famulatu flagitârunt baptismo ablui. P. Fonseca quæsivit ipsis commoda, dum instruerentur. Inde cepit consilium erigendæ domûs pro alendis catechumenis, quod ope Cardinalis Alberti feliciter assecutus, superatis difficultatibus, quæ fuerunt non parvæ. Ipse leges condidit, quibus administraretur.

profecti ad Indiam. 10. Ad Indiam transfretârunt decem. Quatuor Lusitani, Franciscus Gomius Eboræ tyronum Magister, Tristamus Costa Minister Collegii D. Antonii, Fran-

Franciscus Rodericius, & Antonius Almeida. Tres erant Hispani, Antonius Critana Martyr apud Japones, Ægidius Martinius, & Franciscus Rozius, postea Archiepiscopus. Alii tres Itali, P. Cellius, P. Marcus Ferramus, & P. Petrus Paulus Martyr in Japonia.

11. In Domo Professa 24. Maji demessus est Eduardus Menesius natus Castelbranci, adolescens primæ nobilitatis, & egregiæ virtutis. Quo tempore adhuc erat tiro, cùm ad ipsum ob mortem fratris devolveretur majoratus paternæ domûs, contempsit omnia propter Christum, dixitque: gaudere unicè, sibi vacâsse tam pinguem hæreditatem, ut haberet, quod sperneret; nolle seipsum intricare caducis rebus. Non minùs sanctè mortuus, quàm vixerat. Jam typis sunt commissæ illius Angelicæ virtutes.

Moritur Eduardus Menesius.

12. Acceptis litteris P. N. Claudii de Renovatione spiritûs, incolas Professæ Domûs invasit ardor roborandi vires spiritûs per S. P. Ignatii exercitia. Præivit cæteris Provincialis; illius exemplum imitatus Præpositus; hunc alii sunt secuti. Cognito per Provinciam hujusmodi Professæ Domûs exemplo, Seniorum vestigiis adhæsêre graviores in Collegiis.

Epistola de Renovatione spiritûs.

13. Ante fores templi D. Rochi patebat campus, in quem rudera & urbis sordes conjiciebantur. Erat locus tum DEI domui, tum ad eam venientibus valde incommodus. P. Fonseca diu non passus est illam fœditatem. Emit agri directum dominium, mox utile. Purgavit spatium. Plurimis civium piissimum opus juvantibus, Fuit, qui protinus Domui largitus quadringentos cruciatos. Eum campum postea vendidit Præpositus, & in eo sunt erecta ædificia nobilissima.

Purgatur campus ante templum D. Rochi.

14. Ex scholis Ulyssiponensibus hoc anno septem supra sexaginta scholastici se junxere diversis familiis sacris. Senatus urbicus videns, quàm utile foret communi bono Collegium, liberaliter donavit domos aliquas, & earum septa novo ædificio necessaria.

Res Ulyssiponensis Collegii.

15. Eboræ pro scholasticis in aula principe Academiæ instituta per Quadragesimæ tempus verberatio singulis sabbathis. Septies, & ampliùs complebatur domus. Illud erat magni exempli, quòd multitudo foris expectabat, & venerabili silentio, donec esset ingrediendi copia. Per unum de nostris in templo Divi Antonii, quod est in foro publico Eborensi, Sodalitas instituta, cujus ope sublevarentur animæ flammis addictæ lustralibus. Alter sacerdos persuasit Civi locupleti, legaret Domui Misericordiæ viginti modios magnos tritici singulis annis, & æreorum regalium quinquaginta millia.

Res Eborensis Collegii.

16. In eo Collegio 21. Junii mortuus est piissimus adolescens Joannes Rosadus, Myrtili natus, similis Aloysio Gonzagæ. Nulla est religiosa virtus, quam in se non expresserit. Id illius vita typis vulgata cumulatis declarat exemplis.

Moritur Joannes Rosadus.

17. Locustarum infinitâ multitudine agrum Eborensem inundante, nostri cum scholasticis instituêre supplicationem ad placandum Numen. Ipsâ die expiati confessione, & sacro pane refecti scholastici, ut preces essent Deo gratiores. Deinde sub noctem longo agmine processerunt, præeuntibus alphabetariis cum Magistris, & sequentibus item cum Magistris uniuscujusq; Gymnasii scholasticis, & Theologis. His adhærebant sacerdotes centum induti linteis, manu tenentes singuli facem accensam. Claudebat agmen lignum Crucis sanctæ sub umbella. Quingenti verberabant terga. Processit agmen ad templum Cathedrale, inde ad puerum JESUM monasterii divæ Monicæ, & in Collegium receptum.

Supplicatio ob locustas.

18. Bracharæ erecta Sodalitas B. Virginis pro nostris scholasticis. Excursiones sacræ per diœcesim factæ. Ex Eborensi pariter Collegio sacerdotes octo, è Conimbricensi quinque missiones in diversis oppidis habuêre. Brigantii novâ sodalitate auctus est cultus Marianus.

Missiones, & Sodalitates.

19. In Angola Paulus Diasius summus rei Lusitanæ Præfectus donavit Collegio spatium soli, ubi nunc est. Hactenus erat nostra domus separata ab urbe quarta leucæ parte, ùt perspicuum est, magnis habitantium incommodis,

Res Angolæ.

& populi ad nostra confluentis ministeria. Confirmârunt eam donationem sequentes Præfecti; quanquam non parùm de spatio dato civitas abripuerit ad ampliandum forum publicum.

Professi ad Angolam.

20. In Angolam missi PP. Georgius Pereira Professus, Didacus à Costa spiritualis Coadjutor, Joannes Ribeirus, & Simon Mendius Coadjutores. Navem regebat Senator juris consultus, homo perditæ conscientiæ. Hic, ne P. Pereira posset testari adversus ipsius regimen, compulit scribam dare in scripto testimonium de Patris moribus: eum scilicet, docere res absonas, peccato carere juramenta falsa, suadere militibus seditionem, & ejusmodi. Asserenti scribæ, cuncta esse veritatis nuda, respondit: id à se peragi, ut vim adversus ipsum non habeant Patris dicta. Exaravit omnia metu coactus scriba: postea, mordente conscientiâ, chartam aliam tradidit Pereiræ declarans, esse falsa, quæ Senatoris contineret charta. Dissimulavit Pater, & appulsus ad Angolam rogavit senatorem, sibi testimonium daret scriptum de suis in itinere moribus. Libenter impertivit optimum. Hujusmodi testimonium misit ad Provincialem, ut ipsi forent nota sua innocentia, & senatoris improbitas, si quid fortè deinceps moliretur.

Improbitas Senatoris.

Nosocomium pro scholasticis Eboræ.

21. Eboræ 19. Septembris positus est primus lapis ædificio nosocomii scholasticorum, quod construi jussit Serenissimus nostri Collegii, & Academiæ Fundator, ut in eo procuraretur valetudo scholasticorum, quibus tenuis fortuna, donavitque annuo reditu. Est dicatum B. Virgini à Pietate. A Rectore nostri Collegii administratur.

Annus 1585. Soc. 46.

1.

Professi ad Indiam & naufragium.

LOngo, & periculoso itinere excurrerunt ad Indos duodecim, octo Lusitani tres Itali, & unus Hispanus, in duas naves partiti. Navem S. Jacobi conscendêre PP. Petrus Martinius Conimbricensis Doctor Theologus, Petrus Alvarus, Joannes Gonsalvius, Vincentius Zapata, & non sacerdotes Emmanuel Ferreira, & Emmanuel Diasius. Cæteri vehebantur in S. Laurentii navi: in hac defuncti vitâ P. Antonius Correa, cum non sacerdotibus Faustino Mayorga, & Joanne Francisco.

2. Navis S. Jacobi 10. Aprilis Tagum egressa, 19. Augusti illisa in brevia, quæ de Judæa vocant, miserandum fecit naufragium. Summos inter labores nostri cum aliis in littus Cafrariæ evaserunt. Ibi sunt perpessi ærumnas gravissimas. Cæteris in arentis Africæ solitudine morte sublatis, fuêre superstites P. Petrus Martinius, & Emmanuel Diasius. Petrus obivit Episcopus Japonensis. Emmanuel illustris fuit apud Sinas, & alias Orientis nationes.

Professi ad Brasiliam capiuntur ab hæreticis.

3. Parùm quoque fausta contigit Brasilica navigatio. Ad eam Provinciam juvandam Ulyssipone 30. Januarii solvêre non pauci: eos inter P. Laurentius Cardimius. In altum provecta navis Lusitana, debili vento ægrè die prima fecit iter sex leucarum. Sub occasum solis duo Gallici myoparones, cùm latuissent post rupem Sintricam, conspectâ navi de latebris egressi, eam sequuntur nocte, & sub auroram assequuntur. Magnâ diei parte utrinque certatum est, conantibus hæreticis expugnare navem, Lusitanis defendere: horum, qui possent arma capere, erant duntaxat viginti quinque, & hi imparati. Gladiis res acta. Sæpe Galli navem ingredi conantur, sæpe repulsi. Tandem die tertia certis conditionibus, quibus hæretici non stetêre, deditionem faciunt.

4. P. Cardimius erecto in altum Crucifixi Servatoris simulacro, inter præliandum Lusitanos exhortans, glande plumbeâ fracto cranio in solum ruit. si adhiberi potuisset curatio, mortem evasisset. Postquam nostri fuerunt in hostis potestate, & cognitum, esse Societatis, Præfectus duarum navium adversus eos more ferino exarsit. Omnes è puppi propellit onerans conviciis, & corporis incursu deturbat in locum inferiorem. Dum fureret, illi fit obvius P.

Car-

Cardimius alienatis jam sensibus, & mente non constante, ensis capulo eum bis, tèrve percussit, donec alii semimortuum ad se recepêre. Accurrens alius hæreticus Cardimio scindit togam talarem, quæritque intra vestem pecuniam. His, aliisque vexationibus vivere desiit 7. Februarii, morte, ut apparet, non dissimili martyrio. Vir fuit moribus sanctissimis, ac patruus Ven. P. Joannis Cardimii. Spoliata navis rebus omnibus. Lusitanis in ea relictis permissum, irent, quò placeret, applicuerunt Gallæciæ. Terrestri itinere nostri venêre ad Sanfinensem Residentiam, inde Bracharam; ubi Leo Henriquius paternâ eos charitate excepit. *Moritur P. Laurentius Cardimius.*

5. Aprili mense mitram & vitam posuit Georgius Almeida Ulyssiponensis Archiepiscopus, vir præditus insigni virtute, semper usus Societatis Confessario: is fuit P. Emmanuel Correa æquè sapiens, ac sanctus, ægrotanti, ac morienti continuus assederat. Magni habuit omnes sacras familias, præsertim nostram Societatem. Idcirco P. Ignatius Martinius supplicationes cum pueris instituit pro illius salute in diversa urbis templa. Idem fecêre Collegii Magistri cum scholasticis suis. Totâ nocte ante diem obitûs Patres & Fratres Domûs Professæ continuam orationem in cœlum fudêre, ad id in orbem vocati. Illud in nos beneficium non silendum. Cùm Rex Henricus donâsset suo Ulyssiponensi Collegio quadraginta millia cruciatorum expensione, quam singulis annis persolvebat Cardinali Archiepiscopus; post Henrici mortem, dixerunt Georgio nonnulli, à solutione abstineret, ob rationes, quas proferebat in medium: Reposuit: non esse se talem, qui oblivisceretur, quantùm deberet Henrico; nec apud se cum ipsius morte periisse tanti Benefactoris sui recordationem. *Moritur Georgius Almeida Archiep. Ulyssiponensis.*

6. Alphonsus Castelbrancus promotus ad infulas Conimbricenses, cœpit explicare, quem semper in Societatem nostram amorem & verbo, & re ostendit. Antequam iret Conimbricam, bis pro concione dixit in templo Domûs Professæ, primùm die festo Principum Apostolorum, deinde in D. Rochi solemnitate. Sub anni exitum adiit Conimbricam. Plausibus Academicis exceptus à nostris, videlicet eleganti panegyri habita à primario Rhetoricæ Magistro: subinde invisit singula Gymnasia, ubi Magistri, ac discipuli multa protulerunt in novi antistitis laudem. *Alphonsus Castelbrancus fit Episcopus Conimbricensis.*

7. P. Ignatius Martinius introduxit verberationem in templo Domûs Professæ feriis sextis Quadragesimæ tanto populi concursu, ut aliquoties hominum novem millia intra eandem noctem successu temporis piæ huic occupationi darent operam. Fama piæ castigationis plurimis urbibus & oppidis imitationem persuasit. Idem Ignatius anno labente bellum indixit aleatoribus. Cum agmine puerorum ibat catechesim explicatum prope januam illarum ædium, quæ alearum lusui erant destinatæ. Inde fiebat, ut lusores eas peccatorum officinas desererent, ipsiq; Patresfamilias posthac non facerent ludendi copiam, ne ad ipsorum januas cum pueris adesset Ignatius. *Res Domûs Professæ.*

8. Pestilens erysipelas pauperes in urbis Eborensis nosocomio miserè corripuerat. Eò tirones, ùt eum erat moris, experimento è Constitutionibus præscripto facturi satis contendentes ægrotis serviebant. Inde contracta pernicies, quam intulêre domicilio tironum. Primus obivit 21. Julii P. Alexius Alvarus, natus Brigantii. Post quatriduum P. Antonius Sequeira Arronchuensis. Michaël Alvarus tiro Villavissosanus Julii 27. piam efflavit animam: vicinus morti recreatus est ab Angelo suo custode, ex eoque novit mortis tempus. Hactenus vocatur Angeli cubiculum illud, in quo de vivis abiit. Julii 29. Balthasar Gonsalvius scholasticus Eborensis, phthisi confirmatâ laborabat, cùm raptus erysipelate. Die 10. Augusti idem malum de medio sustulit Franciscum Vasæum Coadjutorem, natum in pago Grijo diœcesis Mirandensis. *Morbi in Eborensi Collegio, & mortui.*

9. Mille, & quadringentos scholasticos recensebat Eborensis Academia. Floruit litteris, & pietate. Diebus Saturnalibus ad frænandam plebis licentiam, Philosophiæ scholastici cum suis Præceptoribus, longo, & modesto agmine portârunt victu plenos cophinos ad carcerem publicum. Ex Conimbricensi, & *Res diversæ.*

Eborensi Collegiis habitæ in diversis oppidis missiones. Erecta non pauca sodalitia ad Christianos fovendos mores. In cæteris Collegiis paribus studiis consultum animarum bono. In Angola semper de nostris aliqui castra sequebantur ad milites juvandos. P. Balthasar Alphonsus excurrit in Congum Christianos exculturus.

Annus 1586. Soc. 47.

1.

Profecti ad Indiam cum Legatis Japonensibus.

AD Indiam cum Legatis Japonensibus abière unus supra triginta, sexdecim Lusitani, cæteri diversarum gentium. Cum Legatis in navi S. Philippi ferebantur undeviginti, reliqui in alia *Garajao* dicta, & sanctissimo JESu Nomini dicata, quibus præerat P. Arias Sousa Scalabitanus, vir præcipuæ nobilitatis, agebat tunc Pro-rectorem Eborensis Collegii. Aprilis 13. naves in altum provectæ. Nostri omnes, & Legati sospites intrârunt Goënsem portum. Japonenses ex India in patriam suam delati salvi, & incolumes, pleni donis Principum Europæ, apud suos Majestatem Ecclesiæ Romanæ, & Christianorum Regum opes, amplaque regna testati. Societati nostræ fecêre nomen. Rex Philippus sustinuit expensas Legatorum tum Ulyssipone, tum in itinere Indico.

Profecti ad Angolam.

2. Quâ die profectæ naves Indicæ, solverunt ad Angolam sex, in quibus trecenti epibatæ, ac de nostris Joannes Crucius, & Franciscus Nunius non sacerdotes vehebantur, ut auxiliarentur illic strenuè obeuntibus nostra ministeria.

Res Domûs Professæ.

3. Ulyssipone id temporis viguit ea de nostris opinio, ut illi sustinendæ vix fuerit Domus Professa nimio labore onerata. Refertur mensibus Julio, & Augusto peractas de sacro suggesto conciones octoginta; Septembri, & Octobri quinquaginta quatuor; Novembri, ac Decembri decem supra centum. Par fuit numerus aliis anni mensibus. Non putabant externi celebritates festorum ad votum exornari, nisi vocaretur de societate concionator.

Exulant Comœdi.

4. Juvante Cardinali Alberto nostrorum zelum adversus comœdos, id est, bonorum morum communem pestilentiam, & corruptionem, indictum ipsis exilium. Cùm negotium urgebatur, venêre in Domum Professam præcipua ejus hominum fæcis capita, promittunt Patribus daturos se quot annis dotem pro maritandis quinque puellis orphanis, & redimendis de potestate Maurorum captivis totidem. Risêre Patres liberalitatem bonis moribus noxiam; & ipsi comœdi Ulyssipone pulsi.

Mauri conversi.

5. Magnus proventus è Domo Catechumenorum collectus. Mauri plurimi sunt instructi fidei mysteriis, & sacro baptismate abluti. Unus è nobilioribus domesticis Xarifii vir prudens, & in rebus agendis consideratus, dum præsens est aliorum baptismo, sensit intus ardens desiderium amplectendi Chriana sacra; vocanti DEO paruit. Rex Philippus illi dari jusserat pro alimentis cruciatum unum diebus singulis, dum viveret. Idem imperavit Xarifium migrare ex Alvalade Ulyssiponem, ibique habitare. Bis Professam Domum invisit, ubi à nostris exceptus plurimis benevolentiæ signis. Ut erat propensus ad geographiam, rogavit Præpositum, aliquem de nostris sibi Magistrum concedi, à quo Geographiam edoceretur. Gestus illi mos. Sacerdos unus illum in eam rem statis diebus conveniebat, sperans motum iri ad Mahometis superstitionem deserendam.

Xarifius edocetur Geographiam.

Cessat verberatio.

6. Verberatio per Quadragesimam cessavit in templo Domûs Professæ. Erant ea tempora suspicione plena. Timebantur immodici congressus populi, nec sub prætextu operis pii foverentur noxia seditionum consilia. Idcirco pius ille mos omissus, ut tempori serviretur.

Missiones.

7. P. Ludovicus Moralius è Domo Professa, rogante Duce Brigantino, Villævissosæ missionem habuit. P. Joannes Lucena Scalabi. Ut erant ambo concionatores egregii, ac DEO pleni, multo proventu seminârunt verbum Dei.

P. Petrus

P. Petrus Lopius Cetobricam excoluit. P. Ignatius Martinius per hos annos explicationibus catechesis, & innumeris artificiis totam Ulyssiponem in opera virtutum incendebat. Nonnunquam disposuit instar supplicationis longum agmen portantium ad carceres aquæ lagenas. Procedebant sæpe tercentum viri pii, & graves. Suis locis permisti Musicorum chori reddebant spectaculnm jucundissimum. Aliàs convehebant cophinos epulis refertos, ejusmodi harmoniæ concentu plebem recreante. Ignatius Imperatoris instar arundine oblongâ regebat agmen, unà cum pueris canebat litanias. Mirificè Cardinalis Albertus piis hisce spectaculis gavisus fuerat.

8. Non tacenda est piissima industria Coadjutorum Domûs Professæ. Appulsa est Ulysiponem classis regia plena Cantabrico milite; dispersus per urbem passim excitabat rixas, & jurgia. His reprimendis socii adjutores bini & bini urbem perambulant: ubicunque viderant manipulos Cantabrorum, accedunt, salutant humanissimè, ac permisto sermone ad confessionem exhortantur, suadentes, adeant Domum Professam, ibi Confessarios assidere, quâcunque vellent horâ. Res contigit ex voto: nam & secuta quies in urbe, & magnus Cantabrorum numerus sacrum tribunal frequentavit. *Nostrorum Coadjutorum pia industria.*

9. Ex eadem Domo Professa iter suscepit æternum 11. Julii Franciscus Mascarenius adolescens primæ Nobilitatis, natus Monte majore novo. Postremis octo diebus non admisit se adeuntes, ut liberiùs Deo vacaret. Nulli rei magis studuit, quàm virtuti. Die 5. Octobris secutus est P. Antonius Delgadus Portuensis, religiosus notæ virtutis, sui contemptor, aliorum æstimator. Nihil in vestitu, victu, aut habitatione voluit singulare, etiamsi id poscerent illius morbi, qui multi fuerunt. Vix baculo sustentabat corpus; sed non ideo passus ad suum cubiculum venire Confessarium, minùs apportari Eucharistiam. Obiit ætatis anno quinquagesimo octavo, Societatis octavo supra trigesimum. *Obit Franciscus Mascarenius. Antonius Delgadus.*

10. Eboræ scholasticorum exempla tot, ac tam pulchra luxerant, ut vel in viris religiosis essent spectabilia. Locupletiores auxiliabantur scholasticis egenis. Scholastici unius Gymnasiii communi consensu aluêre per annum, ac vestière scholasticum pauperem. Alter adolescens piissimus sciens fœminam honestam, quòd peplo carebat, ab audiendo sacro prohiberi, de suo peplum emit, ac donavit. Alius sibi curæ habuit addictos carceri, quærebat ipsis subsidia. Eisdem suasit verberationem sextis quadragesimæ feriis, & supplicationem intra carcerem, aliáque virtutis opera. Plurimi intra Collegium peregerunt exercitia S. P. Ignatii. Idem fecit Lupius Soarius Inquisitor, tantúmque sensit animæ profectum, ut easdem exercitationes quotannis se repetiturum sponderet. *Virtus scholasticorum Eboræ.*

11. Bejæ per vernum jejunium unus ex Eborensi Collegio missionem habens instituit Sodalitatem Virginis à Corona. Idem Archiepiscopum illac prætereuntem certum fecit de Clericorum ignorantia, ac suasit, ut erigeret cathedram Moralis scientiæ, & obligaret pœnis lectioni interesse Clericos. Omnia bonus Præsul exequitur. Non defuêre missiones aliæ. Ut constet, quàm sint proficui sermones de Deo cum externis, accidit, ut socius Coadjutor ad negotium Collegii extra urbem pergens se conjungeret aliquot vitis externis: more suo inseruit sermonem de rebus ad æternam salutem pertinentibus; quibus unus permotus, sub pallio occultatum protulit sclopetum, ac tradens socio, scias, inquit, à diebus tribus me quærere occasionem inimicum occidendi; modò unà cum sclopeto depono insensum animum. *Missiones ex Collegio Eborensi.*

12. Conimbricæ undeviginti Academicis proposita puncta meditationum ex S. Parentis exercitationibus, paratis ad id quinque cubiculis. Præter hos Nobiles aliorum votis satisfieri non poterat. Cardinali Alberto petente, quatuor missi ad erudiendos incolas Prioratûs Cratensis. Franciscus Cardozus, & Laurentius Paiva comitati Guardiensem Episcopum lustrantem primò diœcesim. Singulis diebus post Vesperas è duobus unus in templo Cathedrali edocebat Canonicos, & cæteros clericos moralem scientiam. Persuasum Episcopo, *Collegium Conimbricense.*

ut aperiret ludum pro pueris egentioribus, qui cum elementis perdiscerent doctrinam Christianam.

Molestiæ ab Ulyssiponensi Archiepiscopo.

13. Michaël Castrius Ulyssiponensis Archiepiscopus non parùm molestiæ nobis attulit. P. Ludovicus Alvarus festo S. Jacobi concionabatur in regio sacello. Non defuit, qui contra rei veritatem diceret Archiepiscopo, Ludovicum adversus ipsum licenter declamâsse. Fidem adhibuit. Scribit in charta nonnulla de rebus fidei Christianæ capita; vocat ad se Ludovicum, imperat, manu applicatâ Breviario juraret, responsurum ad quæsita, & nihil manifestaturum suis majoribus. Juravit Ludovicus, credens, id esse Inquisitionis negotium. Ocyùs per notata capita de purgatorio, de sacris imaginibus, de obedientia Præsulibus præstanda, aliisque, Patrem interrogat, an illi occurreret Scripturæ sacræ locus, quo veritas illa comprobaretur. Eo respondente, quæ occurrerent; Archiepiscopus jam non capiens intus urentem iram, Eccur, ait, tu hæc & illa contra me pronunciâsti de suggesto regii sacelli? Miratur Ludovicus calumniam; ad verbum concionis partem, in qua locutus de Episcopis, repetit, adjicítque, nî crederet, juberet è domo Professâ authographum apportari.

14. Notarius ad id ab Archiepiscopo adhibitus omnia in charta exaravit, & ex mandato Præsulis addidit hæc verba: *Interrogatus, an esset locutus contra Episcopos? respondit, non.* Jussus Pater subsignare chartam fecit invitè, ne magis Archiepiscopum irritaret. Omissis aliis in rem; secretum Archiepiscopus non servavit. Id postremò cognitum P. Petro Fonsecæ domûs Præposito. Queritur apud Albertum, quòd Archiepiscopus jus nostrum violaverat, jurisdictionem exercens in personam sibi non subditam. Allocutus Prorex Archiepiscopum, qui post multa laceravit chartam. P. Fonseca Ludovicum reprehendit, tum quòd coram Notario publicè jurâsset sine legitimi Superioris facultate, tum quòd secreto non obligante rem texisset. Deinde ne Regem, aut Cardinalem, néve Archiepiscopum offenderet, secessit Eboram, ibiq; vixit ad vitæ suæ gloriosum finem.

Annus 1587. Soc. 48.

I.

Conventus Provinciæ.

APrili mense coacta Provinciæ Comitia, Præside Sebastiano Moralio Provinciæ Moderatore. Electus Franciscus Gouvea, & secundo loco Joannes Correa, hic Conimbricensis, ille Eborensis Collegii Rector. Ignatius Martinius Patres conscriptos recreaturus, puerum insignivit laureâ Doctoris Christianæ doctrinæ. Id peractum imitando cunctam Academiarum in conferendo gradu cæremoniam, præcellenti musicâ, & donis litterariis jucunditatem augentibus.

Ignatii Martinii indefessa cura.

2. Ignatius vexillis, quæ ferebant pueri, eum prodibat explicaturus catechesim, adjecit unum B. Virginis nuncupatæ de doctrina; unde orta in templo nostro celeberrima illa Sodalitas. Nigros Ignatius sic reddidit sibi amicos, & benevolos, ut certis diebus cum ipsis longo agmine processerit ad explicandam catechesim. Nonnunquam ibat cum pueris in scapha ad triremes regias, ut militem, & scalmo addictos instrueret. Pueri Lauretana Virginis elogia inter undas concinebant. Idem præstitêre, cùm Eucharistia ad ægros deferretur: quæ pia consuetudo in hanc diem perseverat. Penè diebus singulis invenerat artificia ad pietatem fovendam, & erudiendas, ac salvandas animas.

Profecti ad Brasiliam.

3. Suppetias ivêre Brasilis decem: Martialis Beliartius, Ulyssiponensis, futurus Provincialis; Franciscus Soarius, qui anno superiore captus fuerat à piratis; Marcus Costa, Henricus Gomius, omnes Professi: P. Emmanuel Fernandius Coadjutor spiritualis: Dominicus Coëlius nondum initiatus, qui postea bis rexit eam Provinciam. Cæteri erant Coadjutores, Paulus Pintus, Didacus Gomius

mius Lusitani, Ascanius Bonajustus, & Augustinus Cisarelus Itali. Revertebatur P. Antonius Gomius, qui inde venerat Procurator.

4. E Domo Professa P. Emmanuel Sequeira Lacobrigam contendit, col- *Missiones.* legítque sui laboris uberes fructus. P. Bartholomæus Cassela Villamvissosam, P. Gonsalus Sousa Certami extinxit internecinas discordias, & odia, quibus indigenæ sese lacerabant. Idem præstitit sacerdos noster Brigantio excurrens Mirandam. E Collegio Conimbricensi in oppida diversa prodiverunt zelotes Evangelici. Eborâ missiones obitæ Crati, Estremotii, Alviti, & in Algarbiis, præsertim Louleum oppidum inter magnas inundationis calamitates recreatum.

5. Bracharense Collegium perculit ingens terror die natæ salutis. Ca- *Fulmen Bracharæ.* dens è Cœlo fulmen variam & multam ediderat stragem in turri, per quam Magistri ad scholas solent concedere. In ejusdem turris loculo veneratur urbs B. Virginis iconem pulcherrimam à Turre dictam. E fastigio per turris externam faciem decurrens fulmen sui relicto vestigio ingreditur loculum illum; redactæ sunt in cineres ligneæ columnæ hinc inde altare exornantes. Ad pedes Virginis collapsi ex ruina non pauci lapides. Illud cunctis erat admirationi, nec potuit sine miraculo evenire, quòd sanctissimæ Virginis simulacrum, ejus indumenta serica, ne leviter quidem sunt afflata igni, aut fumo, sed intacta omnino reliquit fulmen. Crevit deinceps multò magis in eo simulacro cultus Marianus. Quod Scriptorum aliquis mandavit typo, hanc effigiem donatam Bracharensi Collegio à nostro Joanne Nunio Barreto Æthiopiæ Patriarcha, cùm est ingressus Societatem, omni caret fundamento; nam Joannes annis quatuordecim ante primordia Bracharensis Collegii addixit se Societati, & annis quatuor ante ejusdem initia ad Indiam navigavit.

6. Bracharæ dominabatur noxia persuasio, cunctos ægrotos mori, ad *Charitas nostrorum Bracharæ.* quos juvandos aliquis de Societate vocaretur. Paulatim abolita pestilens opinio, hoc præsertim anno, quo nostri frequenter acciti ad morientes postremis verbis corroborandos. Archiepiscopo morbo contagioso laborante, omnes domestici tanquam mendicum egentissimum deseruêre; nostri verò ingemiscenti assederant, omnibus Christianæ charitatis officiis in eum exercitis, ac tandem demortui cadaver suis manibus decentissimè composuerunt.

7. Effigies Virginis ab Angelo salutatæ, sub cujus tutela sunt Eborenses *Eborensis scholæ.* scholæ, 18. Junii inter solemnem supplicationem, & theatrorum apparatum deducta fuit è Cœnobio PP. Carmelitarum, quod tunc erat in extrema urbe ad portam Lagoam, postea dirutum, cùm est urbs à Castellanis capta an. 1666. Die sequenti ex ambone dixit P. Ludovicus Alvarus, lectúmque diploma de indulgentiis concessis Sodalitati. Theotonius Archiepiscopus conabatur in Academiam aliquid jurisdictionis exercere, suæque potestati subditam voluit. Ansam dabat erectionis diploma. Sine mora ipsi, atque ejus Ministris denunciatum, sub gravibus censuris ac pœnis, abstinerent à tali conatu, quoniam Pius V. Pont. Max. suo diplomate ademerat jus omne Archiepiscopis in Academiæ administrationem.

8. Angræ naves appulerunt è Guineâ Nigris onustæ. Serpsit per eos *Res Angræ, & Angolæ.* contagium. Miseris succurrêre incolæ nostri Collegii tum administrando sacramenta, tum corporibus providendo. In Angola numerabantur sacerdotes septem. Excurrerunt nonnulli per diversorum Regulorum ditiones, nigrósque imbuerunt fidei mysteriis. In hujusmodi pio labore animam potuit Franciscus Nunius Coadjutor. Moliebatur hoc anno P. Balthasar Barreira Regulorum, sive Sobarum Patroni munus exuere: nam mos illis erat habere Patronos apud Lusitanum Præfectum, ùt antè in Angolani Regis curia. Plurima hujuscemodi patrocinia tribuerat Præfectus moderatori nostrorum. Res erat plena importunitatis. Sed nec Præfectus, nec alii eam nos curam ponere admiserunt; sic enim Sobas esse dicto Præfecti audientiores; præterea ad fidem propagandam in iis patrociniis esse plurimum momenti, cùm à Patribus dependerent, faciliùs eorum se placitis accomodaturos. Quid? quòd aliorum renuerent pa-

trocinium Sæpe hujuscemodi negotium aliàs est agitatum cum apud Provincialem, tum Generalem; donec Rex ipse extinxit talia patrocinia.

Joannes Borgia donat Reliquias Domui Professæ.

9. Joannes Borgia Comes Ficalii filius S. Francisci Borgiæ immensum Reliquiarum thesaurum, quem à multis annis in diversis Europæ partibus collegerat, exornarátque pretiosè, Domui Professæ donavit à Joanne Rege suasu parentis sui fundatæ. Octobri mense transportatæ Ulyssiponem comitantibus PP. Antonio Francisco, & Martino Escudeiro. Januario sequente solemnissimâ supplicatione deductæ è templo Cathedrali. Præbuit Societas Joanni in significationem grati animi sacellum primarium ad sepulturam, & suffragia missæ in perpetuum. Joannis Borgiæ illuc delata sunt ossa, ac subterraneo condita fornice.

Annus 1588. Soc. 49.

Episcopus Japoniæ datur.

I.

EA tempestate Legati Japonenses & à Rege Philippo & à Sixto V. Papa Ecclesiæ suæ proprium Episcopum exoraverant: delegitque Rex nostrum Sebastianum Moralium Provinciæ Præsidem, qui accepto diplomate summi Pontificis 27. Martii in templo Domûs Professæ Funayensis Episcopus consecratus est per Michaëlem Castrium Ulyssiponensem Archipræsulem, assistentibus Emmanuele Ceabra Episcopo Septensi, & Petro Castilho Leiriensi. Ad sumptus inaugurationis, & itineris expensas Rex munificè suppediravit cruciatorum tria millia & quadringentos. Prætereà jussit, ut ex vectigali regio urbis Malacæ quotannis illi cruciatorum duo millia numerarentur.

Novus Provincialis. Profecti ad Indiam cum Episcopo Japoniæ.

2. Provinciam moderari jubetur Româ P. Joannes Correa Villaregalensis, qui regebat Conimbricense Collegium. Socii decem binis impositi navibus solverunt è Tago die sexta Aprilis. Eâdem cum Episcopo navi vehebantur Antonius Rodericius sacerdos, Antonius Luzsius, & Gaspar Castrius Coadjutor, qui postea sacerdotio initiatus obiit martyr in Japonia. Altera navis complectebatur P. Emmanuelem Veiga Superiorem, Emmanuelem Pirium, Lusitanos; Lazarum Catanium, & Laurentium Maconium, Italos; Garciam Garcium, & Petrum Paësium, Hispanos; postremus patriâ Toletanus in Æthiopia Romanæ junxit Ecclesiæ Seltamum Seguedium Abassinorum Imperatorem.

Moritur Episcopus, & P. Antonius Rodericius.

3. In navi, quâ vehebatur Episcopus, fatalibus morbis grassantibus, duo sacerdotes prostrati erant, noster Antonius Rodericius, aliúsve externus. Episcopum miserorum auxilio se devoventem pestilens morbus invasit, ex quo obivit sanctissimè, jactis anchoris in portu Mossambiquienſi 19. Augusti, sepultus in ædicula Virginis de Baluarte; unde annis sequentibus ossa Goam translata sunt. Primam vidit lucem Funchali in urbe principe Madeirensis insulæ, heroicis virtutibus clarus, quemadmodum testatur vita ejus typis vulgata. Erat à confessionibus sacris Mariæ Conjugis Alexandri Farnesii Parmæ ac Placentiæ Ducis. Germanos duos in Societate habuit, Antonium Moralium, qui plurimis annis vixit cæcus, & Ludovicum Moralium. Cùm è Mossambiquio navis solvisset 22. Augusti, æternitatis portum attigit P. Antonius Rodericius, natus Monte majore novo, multis præditus virtutibus, ùt ipsius vita in lucem edita manifestum facit.

Profecti in Brasiliam.

4. In Brasiliam profecti sunt quinque. PP. Fernandus Oliveira & Bartholomæus Abreus cum Petro Correa non sacerdote felicem habuerunt navigationem. PP. Petrus Alvarus, & Antonius Botellius rapti ad Americam Castellanam. Cùm navis esset morata ad insulam Madeirensem, lapsâ temporis opportunitate nequiit superare æquatorem, eas adire regiones compulsa. Sesqui anno his erroribus consumpto tenuit Angrensem portum.

Nostri profecti in classe contra Angliam.

5. Hoc anno Ulyssipone adversus Angliam solvit classis formidanda, apparatu maxima, successu minima. Suppetias ibat orthodoxis Anglis, quos Elisabetha regina crudeliter vexaverat. Tres & viginti de nostra Societate illam con-

conscendêre, tredecim sacerdotes, coadjutores reliqui: octo ex Lusitana Provincia, ex Boetica septem, octo ex Toletana. Hos inter emortui P. Ludovicus Fonseca Boeticus, Balthasar Almeida Coadjutor Lusitanus, & P. Robertus Ruchfortius natione Hybernus, qui Romæ inierat Societatem, deinde studiis operam dabat Dilingæ, tandem migravit ad Hyberniam: illic ad necem proposito etiam præmio conquisitus secessit in Lusitaniam: magnum in eo præsidium nacti sunt Ulyssipone Catholici omnes, Hyberni, Angli, cæteræque nationes.

6. Mense Octobri Ulyssiponem ingredientes Comædi promisêre anni totius decursu in scenam daturos se comædias octoginta, de singulis mille regalia ærea pensuros Domui Misericordiæ. Verùm res indigna videbatur P. Petro Fonsecæ Præposito Domûs Professæ, aperiri scelerum officinas, eo potissimùm tempore, quo pro classe Angliam invadente preces fundendæ erant. Igitur convenit Cardinalem Proregem, rem pro virili exaggerat, amoliri, cùm possit, rogat peccandi occasionem. Piissimus Princeps actutum jubet comædos ejici, tametsi jam recepissent spectatorum pecuniam, cunctáque parata forent ad initium faciendum. Vir nobilis Thesaurarius Domûs Misericordiæ inde discedens obviam fortè facto è Domo Professorum sacerdoti, quem spectacula hæc impedivisse suspicabatur, Fraudâsti, inquit, Domum misericordiæ octoginta millibus regalium æreorum. Cui sacerdos: en habes, ait, centum millia; quæ cùm ipsi tradita fuissent ad pia opera, in hoc piissimo opere impensa voluit: simul atque evidenter patuit, non egere pauperes pecuniis per iniquitatem collectis. Comædi expelluntur.

7. De Reliquiis à Joanne Borgia donatis Domui Professæ dictum est anno superiore. Pettus Fonseca Præpositus vir excelsi animi per urbem circumferri voluit maximâ, quâ fieri posset, pompâ. Secundâ & vigesimâ Januarii, nam anteà pluvium tempus prohibebat, id factum, ferculis sumptuosè adornatis. Quidquid divitiarum Ulyssipone fuit, vel è fenestris pependit, quà transeundum erat, vel in orchestris & arcubus, aut personatis actoribus spectabatur. Nihil rixarum contigit in tanto hominum concursu. Illud concelebratum plausu, quòd, cùm parvulus ille, qui referebat divum Vicentium, pretiosum adamantem perdidisset, invenerit ille, qui divi Antonii Lusitani personam sustinebat, è cujus prærogativis una est res perditas dominis restituere. Diebus octo patuerunt populo Reliquiæ. Præter infinitam multitudinem venêre ad earundem venerationem diversæ supplicationes. Prima omnium erat pauperum & mendicorum, qui in templo misericordiæ collecti, dupplici alâ formatâ, virorum unâ, alterâ fæminarum, manu gestis viridibus cannis ad reliquias colendas processerunt. Supplicatio Reliquiarum.

8. Plurimùm arrisit P. Ignatio Martinio pauperum de arundinibus ferendis inventum. Subinde annis singulis die S. Alexio dicatâ, in cujus honorem erecta erat pauperum sodalitas in templo misericordiæ, Ignatius præcedente longo puerorum agmine recentes arundines manu ferentium ibat in ædem sacram Misericordiæ catechesim explicaturus. Cúmque successu temporis Sodalitas migrâsset ad templum maximum, retenta usque huc pia consuetudo, puerique in ordinem dispositi eò ducuntur è Domo Professa. Intersunt unà cum discipulis ludimagistri omnes, qui Ulyssipone docent alphabetarios. Fit solemnitas supra modum aspectabilis plausu totius urbis maximo. Indulgentia plenaria quadruplex concessa: 1. Februarii ob caput divæ Birgittæ, 3. Majii ob sanctæ Crucis lignum, 21. Octobris propter Virginum undecim millia, 17. Novembris ob caput S. Gregorii thaumaturgi. Supplicatio S. Alexii.

9. Præter alia quàm plurima opera Domûs Professæ illud non tacendum, quod præstitit ad triremes damnatis. Ex his centum & octoginta compleverant damnationis annos, neque tamen à regiis Ministris liberi abire permissi. Igitur miserorum causam suscipiunt incolæ Domûs Professæ, per quos non solùm erepti scalmo, sed etiam persolutum sui laboris pretium retulerunt à die, quâ pœnæ satisfecerant. Ea summa fuit Cruciatorum quatuor millia. Charitas erga damnatos ad triremes.

Exempla scholasticorum Ulyssipone.

10. Scholasticorum penè duo millia frequentabant Ulysſiponenſes ſcholas. Videbantur ſæpe in noſocomio ex ipſis plurimi, modò ægrotorum lectos componere, modò ſcopis verrere cubilia, modò cupedias ac bellaria dividere. Alii nonnunquàm recreabant afflictos ſuaviſsimâ vocum & inſtrumentorum harmoniâ. Unus aliquis Nobilium alapam infligenti obtulit genam alteram, famulósque ultionem meditantes continuit.

Miſſiones Eborenſis Collegii.

11. Non paucæ miſſiones è Collegio Eborenſi inſtitutæ tum in Transtagana Provincia, tum in Algarbiis. Farenſes & Lacobrigenſes ſic accenſi ſtudio videndi Collegia Societatis ſuis in urbibus, ut Præpoſito Generali per litteras deſideria ſua declaraverint. Octavâ Decembris Eboræ efflavit animam clariſſimis ornatam virtutibus P. Fernandus Coutinius Ulyſsiponenſis. Mortis diem præſciviſſe creditur; nam certior de illo factus, neutiquam commotus eſt. Prope mortem P. Suarium æmulatus hæc verba pronuntiavit: *Non putabam eſſe tam dulce mori.* Virginem rogaverat, ut ipſi dicatâ die cederet è vivis: meruit exaudiri inſignis illius amor & cultus Deiparæ.

Mors P. Ferdin. Coutinii.

Miſſiones è Collegio Conimbricenſi.

12. Zelus Patrum Collegii Conimbricenſis præter Pedroſum, Carquerem, & Cariam, ſermonibus ſacris, & fidei elementorum explicatione imbuit Viſonium, Trancoſum, Pinelium, Penamacorium, Montem majorem veterem, Aveirum, & Villaviſſoſam: ad hanc venit Catharinæ Ducis rogatu P. Joannes Lucena cum P. Gonſalo Dinisio. Significante P. Lucenâ in concione neceſſitatem vinctorum in carcere nudo ſolo jacentium, ſine ſtorea, ſine lodice, quâ tegant corpora; illico pia Dux Gynecei ſui ſtoreas dari juſſit, duóque ſtragula: quæ Lucena cum aliquot aulæ ſervis humeris impoſita gerens, oppidúmq; perambulans plura ejusmodi emendicabat; tótque ſtoreas & lodices collegit, ut inde parata ſint pro vinctis quadraginta cubilia.

Domini Alexandri pietas.

13. Conimbricæ ſub noctis medium flamma corripuit ædes Alexandri Brigantini, ad quam extinguendam confeſtim accurrêre noſtri. Alexander ægrè ſubtractus incendio in noſtrum ſe recepit Collegium, ejúſque incolam egit tamdiu, donec ædes reficerentur. Majore hebdomadâ idem Princeps in Collegium ſecedens cum noſtris interfuit omnibus Chriſtianæ pietatis officiis per id tempus fieri ſolitis.

Moritur Dominicus Joannes Coadjutor.

14. Ex eodem Collegio ad triumphantem, ùt ſpes eſt, Societatem abiit ſeptima die Septembris Dominicus Joannes Coadjutor virtutis admirandæ. Ortus in pago agri Conimbricenſis, annos ſeptem & viginti in Societate vixit, & viginti continuis Cocus ad ignem deſudabat. Tametſi ne characterem nôſſet, ſcientiam utique profundam habuit in rebus ad animam pertinentibus. Memoriâ complectebatur libellum aureum de mundi contemptu & imitatione Chriſti. Plena eſt exemplis optimis vita jam typis mandata. Invaluit de Dominico ſingularis opininio tum apud noſtros, tum apud exteros. Hi noſtros, ùt dixi, Apoſtolos vocare ſolent. Dominicum nominabant Apoſtolum ſanctum.

Res Portuenſis Collegii.

15. Socii Collegii Portuenſis ſex & quadraginta fæminas perditas à lupanari reduxerunt, procurato commodo, honeſtóque vivendi modo, ne redirent ad vomitum. Feirenſi Comite Madriti occiſo, mater, & fratres veniam rogati ab interfectore obſtinatè negaverant; at hæc interveniente Noſtro firmata eſt tabulis fidei publicæ cum à matre, tum Comitis fratribus. Barcellis prope Bracharam exarſit ingens furor & diſcordia oppidanos inter, & tirones milites. Adeò in arma concurſum, ut etiam Clerici linteis induti, armis quibusque obviis arreptis, pro ſuis indigenis contra tirones decertârint. Cecidêre tirones quatuor, vulnerati plures. Tribunus militum ſe vindicaturus ſtatuerat in hybernis cohortes aliquot: incolæ id armis prohibere moliuntur. In hac tempeſtate à Præfecto urbis Portuenſis rogatus Collegii noſtri Rector, Barcellas feſtinat, Tribunum alloquitur, pacem conciliat, malúmque amovet, quod impendebat.

16. Fe-

16. Februario mense Bracharæ translata est Eucharistia è vetusto ad novum templnm, solemnem inter supplicationem eâ majestate & plausu ordinatam, quo solent Bracharenses hujusmodi celebritates instituere.

Templum novum Bracharense.

17. Hoc quoque anno 23. Septembris prodivit è templo Domûs Professæ prima supplicatio de Passibus Domini Crucem bajulantis, quæ deinceps feriâ sextâ post Dominicam primam Quadragesimæ peragitur. Noster Didacus Ferrazius multis adolescentibus suasit, quos erudiebat sacris moribus, Sodalitatem de sanctâ Cruce instituerent in templo Cœnobii Augustiniani, unde orta piissima supplicatio. Ubi sunt nostra Collegia, plerunque ex eorum prodit templo, id volentibus Augustinianis Eremitis, sub quorum imperio est designare pias stationes.

Prima supplicatio de Passibus Domini.

18. Eboræ Societati adjungitur Ludovicus Lobus Alvitensis Baronis frater è prima Regni nobilitate. Captus olim fuerat in prælio Regis Sebastiani. Diu secum meditatus mundi vanitatem tandem generosè proculcavit. Vixit apud nos magno virtutum omnium exemplo.

Venit ad Societatem Ludovicus Lobus.

19. Angræ pro scholasticis instituta est sodalitas BB. Virginis: Episcopus, Cantor maximus, & Canonici nomen dedêre. Urbem fames & morbi affligebant: Succurrit Collegium & frumento, & nummis in pauperes erogatis. Neque nostri immunes morbis, ubi primùm convaluêre, ad externos juvandos reversi sunt. Multum commodi attulerant militi præsidiario piæ exhortationes: in more habebant sui ipsorum verberationem. Quot mensibus elegêre Divum Tutelarem; quisque celebrem egit Patroni sui diem, invitando alios ad audienda sacra. Non tamen invitabantur illi, quos sciebant sordibus meretriciis inquinatos. Quin admonebantur, abstinerent à pestilenti consuetudine, secus eos non admissum iri inter sortientes sanctum Tutelarem. Hæc virtutum studia juvabant nonnulli ductores cohortium, viri ex animo Christiani. Unus eorum cum sua cohorte acturus excubias mancipium adduxit manu portans compedem militi, quisquis jurâsset, injiciendam.

Rex Angrensis Collegii.

20. Typis hoc anno excusus est liber de concordia humanæ libertatis cum decretis prædestinationis compositus à sapientissimo P. Ludovico Molina Eborensis Academiæ celeberrimo Doctore ac Professore, dicatus Alberto Cardinali Proregi & generali Inquisitori: suitque hoc primum opus Theologicum ab illa Academia editum, ut ipse indicat in dedicatoria; imò, nisi fallor, fuit primum opus Theologiæ scholasticæ, quod in lucem dedit Societas. Multæ objectiones & moræ editioni injectæ, quarum historia longior est, quàm possit, & notior, quàm opus sit, his Annalibus inseri. Prodiit tandem adnitente vel maximè R. P. Bartholomæo Ferreyra Dominicano, qui librum & approbavit, & defendit.

Imprimitur Concordia Molinæ.

Annus 1589. Soc. 50.

1.

EX Domo Professâ Ulyssiponensi ad Superos migravit 8. Aprilis P. Leo Henriquius, heros major omni commendatione. Originem duxit ex illustrissimis parentibus in oppido Ponta de sole Madeirensis insulæ. Societati adjunctus Conimbricæ, rexit ejus urbis Collegium, dein Eborense jussu Sancti P. Ignatii. Primus erat Eborensis Academiæ Rector. Etiam Provinciam moderabatur; munúsque obivit deputati Concilii Generalis Lusitanæ Inquisitionis. Henrici Cardinalis Confessarius fuit in paucis charus. Post hujus obitum præfectus Bracharensi Collegio, unde veniens Ulyssiponem, dum pauperi Gallo in carcere pestilenti febre laboranti aures ad confessionem excipiendam commodat, eâdem febri correptus animam suam pro fratre ponit.

Moritur P. Leo Henriquius.

2. Quæ, & quantæ fuerint illius virtutes, quantùm dominatus sit infernis potestatibus, intelliget lector ex ipsius vita per me in lucem edita in opere de Tirocinio Conimbricensi, & *Anno glorioso* Lusitanæ Societatis. Etenim unus

Virtutes ejusdem.

ille fuit è viris præclarissimis non hujus modò Provinciæ, sed totius etiam Societatis. Rebus admirandis eum Deus illustrem reddidit apud Cardinalem Henricum, aliósque, ad quos consolandos, vel liberandos periculis per sanctum Angelum, vel occultam Dei vim momento temporis in loca remotiora deferebatur. Ipsi debemus amorem illum, quo Societatem prosecutus est Cardinalis Henricus.

Bellicæ turbæ. 3. Antonius regnum Lusitanum occupare adhuc meditatus suasit Anglis, jugo tyrannico premi Lusitanos, idémque protinus excussuros, si adsint externa auxilia, quibus suas vires roboret. Igitur Angli parant classem navium centum & viginti milite & omni bellico apparatu instructam: in ea vectus Antonius; prope Cascalium & Penichium miles exponitur sub finem Maji; dein Ulyssiponem accedit opinione fretus à Castellanis deserendam. Nostri, paucis relictis, partim Conimbricam, partim Eboram missi. Domus professa præsidiario milite plena incommoda multa sustinuit. Præpositi vices egerat bonus senex Hieronymus Diasius, qui ejusmodi hospites pertæsus deseruit domum, ac in Collegium divi Antonii migravit.

Classis Anglica cum Antonio obsidet Ulyssiponem. 4. Recedentibus, qui domi erant, vulgavit miles, ut liberiùs depeculari posset domesticam supellectilem, nostros homines esse proditores, & Antonio favere. Quæ calumnia apud prudentes visa incredibilis, ùt erat reapse. Die D. Antonio Lusitano sacrâ cùm Anglus post varia certamina habita per eos dies prope urbem videret non moveri plebem, sed pro aris & focis urbem tutari, re desperatâ, canit receptui, & urbem liberat metu & periculo maximo. Porrò Cardinalis inquiri jubet de crimine proditionis senibus Domûs professæ imposito: nullum aliud repertum illius calumniæ fundamentum, quàm quòd Vice-Præpositus domum reliquerit.

Terminatur lis scholarum Conimbricensium. 5. Tum temporis Petrus Fonseca Domûs Præpositus degebat Madriti, eò missus à P. Claudio, ut apud Regem assisteret litigio scholarum Conimbricensium, de quo dictum est an. 1583. in hoc usque tempus protracto. Die 28. Martii in palatio Escurialis Fonseca Regem allocutus sic rem Collegii proposuit, ut Rex non solùm jusserit, ne Visitatores Academici possent lustrare Societatis scholas, sed etiam auxerit Collegii reditum.

P. Petrus Fonseca Visitator. 6. Fonsecæ Madrito redeunti traduntur litteræ Præpositi Generalis, quibus renunciabatur Lusitanæ Provinciæ Visitator. Executionem distulit ob res Lusitanas turbatas, & negotia maximi momenti, quæ Rex Philippus ipsi injunxerat.

Legatum pingue. 7. Paulus Alphonsus vir piissimus vicinus morti se ac sua tradidit sacerdoti professæ Domûs, cujus consilio legavit cruciatorum triginta millia Domui misericordiæ Ulyssiponensis, cujus est egenis miserrimis providere.

Exempla scholasticorum. 8. Scholarum Ulyssiponensium & Eborensium alumni florebant virtutum exemplis per omnia similibus eis, quæ sæpe retulimus. Adolescens Eboræ invitatus per fœminam ad turpia, respondit, Societatis discipulos tales spurcitias non audere. Factus subinde Ecclesiastes reprehendit vivendi licentiam, admonuítque lenam, ut resipisceret: nec fructu suo caruit pius zelus, mulier enim in se reversa quæsito Confessario à maculis peccatorum detersit animum. Alius instar Josephi castissimi pallium reliquit in manu puellæ, ac fugâ sese proripuit instante periculo; nec pallium recipere voluit, illitum veneno credens, cùm attrectatum sit manibus impudicis.

Transferuntur ossa P. Emmanuelis Fernandii M. 9. Theotonius Eborensis Archiepiscopus magnâ pompâ transtulit è templo maximo ossa nostri Emmanuelis Fernandii, quem anno 1555. narravimus in odium virtutis occisum, & ibidem consepultum. Magna erat omnium de ipsius virtute opinio. Aperto loculo ubi visum est integrum sacerdotale vestimentum, vix potuit sustineri impetus populi; quisque deposcebat reliquias; ipsa vestis in frusta lacerata plurimis solatio fuit; alii auferebant terram, in qua corpus depositum. Ossa clausa in arca omnibus templorum sodalitiis & innumero populo comitante delata sunt ad templum nostrum, positáque in for-

fornice facelli crucifixo dicati prope templi suggestum, solemni priùs sacro decantato.

Moritur P. Ruysius Brittus.

10. Primâ die Septembris Eboræ concessit naturæ P. Ruysius Brittus Monfortensis in Elvensi diœcesi. Agebat socium Magistri tironum. Morum ipsi singularis integritas. Ante supremum morbum divinis commentationibus magis inhærebat, quasi mortem imminere prænosceret. Affixus lecto tulit patientissimè dolores. Vicinus morti dixit, nihil esse, quod suam turbaret conscientiam.

Ingressi Societatem.

11. Inter socios refertur Eboræ Joannes Gama frater Comitis Vidigueirensis. Id ægrè ferens Comes Eboram concessit: sed cùm non fieret copia tironem alloquendi, obtinuit à Rege litteras, quibus mandabatur deponi tironem in domicilio extra Societatem, ut interrogaretur, num eandem inisset coactus. Mittitur Ulyssiponem hospitatus in palatio Episcopi Algarbiensis, illic fortiter oppugnatus à consanguineis. Ad quæsita sic respondit, ut Societati sit restitutus. Quamquam firmæ erant spiritûs, non tamen corporis vires. Cùm in dies attenuaretur valetudo, nec ejusdem recuperandæ spes esset sub disciplina religiosa, Superiores in domum fratris miserunt: annis labentibus egit Mirandensem Episcopum. Conimbricæ nostræ adscribitur militiæ Alphonsus Vallius, cujus fuerunt virtutes egregiæ.

Conciones Bracharæ.

12. Bracharæ novus Archiepiscopus Augustinus Castrius ex Eremitis divi Augustini concessit, ut singulis festis diebus in templo nostro conciones haberi possint. Hactenus enim id non licuerat, ne populus, deserto templo maximo, ad nostrum conflueret.

B. Virginis patrocinium.

13. Augusto mense in Madeirensi Collegio res evenit prorsus mirabilis. Erat ibi puteus altitudine palmorum sexaginta. Nigris duobus negotium datur lymphæ exhauriendæ, ut fundus repurgaretur. Cùm id egissent, putei ruinâ obruti sunt. P. Fernandus Guerreirus, qui Collegium regebat, vir sanctissimis moribus, Religiosos nostros fundere in Cœlum preces jubet pro Nigrorum salute; tum, quotquot potest, adhibet operas ad lapidum congeriem & rudera auferenda. Laboratum est horis triginta continuis, donec fundus teneretur, ubi Nigros reperiunt sanos ac integros. Id miraculum tributum patrocinio Virginis, cui Nigri singulariter addicti erant. Instituta solemnis supplicatio in gratiarum actionem. Nigri duo serta florea gerebant capite, manu faces accensas.

Moritur Paulus Diasius primus Angolæ Præfectus.

14. Nonâ die Maji Massangani in Angola diem suum obiit Paulus Diasius Novasius rei Lusitanæ apud eas gentes summus Præfectus, de quo toties honorifica facta est mentio. Octavo ante obitum die, commendatis alteri negotiis publicis, seipsum ab omnium commercio secrevit, atque unicè animæ suæ consuluit. Condito testamento, quod tradidit P. Balthasari Barreiræ, sepulturam postulat in æde sacra Residentiæ nostræ Massanganensis. Denique rebus omnibus prudentissimè dispositis ad meliora commigrat.

Novus Præfectus.

15. Cadavere inter lamenta terræ mandato, P. Barreira è supremis ejusdem tabulis palàm declarat Præfectum, dum Rex non provideret, Ludovicum Serranum, velut dignissimum. Barreira se nomine cunctorum de Societate in Angola illum agnoscere legitimum Præfectum confitetur. Sequuntur Duces & milites. Inde lætis acclamationibus, vexillis in lætitiam explicatis, resonantibus tubis ac tympanis domum deducunt; egregio rerum humanarum ludibrio: nam qui tractis per terram armis ac vexillis, tubis ac tymbanis tristè frementibus, venerant demortui cadaver comitaturi, momento exutis luctûs significationibus inter hilaria revertuntur.

Pauli erga Societatem officia.

16. In supremis Præfecti tabulis hæc legebantur: *Rogo Majestatem suam, ne permittat Societatis Patres deserere Angolanam acquisitionem; nam à primordiis eorum est parta consilio & spiritualibus subsidiis. Eosdem obsecro per JEsum Christum, cujus amore hanc suscepêre expeditionem, eam promoveant, excolántque vitâ suâ exemplis, ac doctrinâ, ut in ea multiplicentur DEI filii, ac fides, quam plantare cœperunt, dilatetur.* Vir fuit Paulus Diasius æquè pius ac fortis, consideratus in rebus agendis, dignus, quem ejus ditionis Præfecti omnes

tanquam

tanquam ideam intueantur. Dignus, quoque qui in jugi sociorum vigeat memoria. Mens ejus fuerat tria nobis apud eas gentes fundare Collegia. Ideo nobis donaverat protectiones novem sobarum ex præcipuis, ut ipsi singulis annis largirentur Societati, quæ solebant tribuere Angolano Regi, & postea Paulo Diasio. Similiter plurimi Duces Lusitani testamento legârunt nobis, quas ipsis Paulus concesserat, protectiones, reditúmque ex iis provenientem. Verùm hæ donationes non sunt à Rege confirmatæ, ùt jam suprà aliquid delibatum.

Annus 1590. Soc. 51.

1.

Profecti ad Indiam.

BIs terni ad Indiam expediti, Lusitani quatuor, Itali duo. Horum quipiam ventis repulsi, anno sequenti navigationem resumpserunt. Eboræ nomen dedit Societati Petrus Henriquius filius Dynastæ Alcacevasensis.

Ad Societatem venit Leo Henriquius.

E Domo materna se fugâ proripuit ad Eborense Collegium. Erat nepos Leonis Henriquii, de cujus morte narratum in principio anni proximi. In patrui honorem dici apud nos voluit Leo Henriquius, patruo suo virtute persimilis, ùt Annales suo loco demonstrabunt.

Moriuntur PP. Franc. Henriquius, Georgius Serranus, & Vascus Pirius.

2. Tres multis ornati virtutibus in Domo professa vitam clauserunt. P. Franciscus Henriquius, Ulyssiponensis, vir notissimæ in gubernando prudentiæ, idcirco donatus solenni professione. Octava dies Augusti eripuit P. Georgium Serranum, Ulyssiponensem, litteris & virtutibus eximium: rexit Eborense & Conimbricense Collegium, Domum professam, totámque Provinciam. Egit Deputatum Generalis Concilii sanctæ Inquisitionis; nec post eum alius de nostris in Lusitania eo honore fruitus est. Primus in Eborensi Academia Theologiæ mysteria enodavit. Hujusmodi dignitatibus sociavit peculiarem sui contemptum. Senii causâ sæpe cæteris Deputatis præesse debebat, ab eo tamen honore constanter abstinuit. Quantùm in eo perderet Inquisitionis tribunal, amplis verbis significavit Cardinalis Albertus. Vigesimâ primâ Septembris reliquit mortales P. Vascus Pirius, domo Elvensis, magisterio tironum insignis, & excellentissimis cumulatus virtutibus, ùt perhibet ejus vita fusa per me scripta, & data luci publicæ.

Comitia Provinciæ.

3. In Comitiis Provinciæ, Præside P. Janne Correa Provinciali, electus Romam iturus Procurator P. Nicolaus Pimenta Rector Conimbricensis, secundo loco P. Christophorus Gouvea Pro-Rector Eborensis. Calendis Januarii

Pictura templi D. Rochi.

patuit primùm nobilissima pictura laquearis templi Domûs professæ, cui par opus nondum viderat Hispania. Adfuit Card. Albertus.

Duo puellarum domicilia.

4. Duo pudicitiæ conservandæ sunt erecta Ulyssipone domicilia, præcipuo motore P. Petro Fonseca, alterum puellarum, quas dicunt *Præservatas*. Id persuasum Sodalitati misericordiæ, prope cujus templum ipsis surrexit nobile ædificium. Alterum in urbis castello, præprimis constructum ad recipiendas filias militum Castellanorum, quæ plerumque hujus perfugii defectu perdebantur.

Missiones.

Octo sacerdotes è Domo professa ad obeundas missiones egressi sunt. Duos

Catechesis.

eorum expetiit Villamvissosam Dux Catharina. P. Ignatius Martinius pueris stipatus frequenter adibat Cardinalem, mirè recreatum, cùm audisset parvulorum de elementis fidei concertationes. Dabat liberaliter stannum, quo conficerentur icunculæ distribuendæ respondentibus ad quæsita de Christiana catechesi.

Cathedræ Philosophiæ & Matheseos Ulyssipone.

5. Non minùs litteræ floruerunt. Collegii D. Antonii scholæ novum acceperunt incrementum, addito Gymnasio duplici, altero Philosophiæ, Mathesis altero. Philosophiam primus docuit P. Valentinus Carvalius Ulyssiponensis. Etsi memoretur sub primordia hujus Lycei apertum Matheseos Gymnasium, videtur tamen id haud diu perstitisse; nam monumenta vetusta sic de ipso

Declamationes, & præmia in scholis humanioribus.

nunc introducto loquuntur, ut appareat res nova. Vir locuples donavit aureos centum, ad comparanda, ùt vocant, præmia scholasticis in arena litteraria victo-

victoribus dividenda. Celebritati prælusêre declamationes artificio grato inter se contendentibus quatuor mundi partibus. Plausu audito mandavit Albertus coram se in palatio repeti, laudavitque plurimùm, Collegio submissis die sequenti ducentis cruciatis ad solvendum operis sumptum.

6. E Collegio Conimbricensi sex sacerdotes excursionem sacram fecerunt in diversis diœcesibus. Innumero populo ex pagis confluenti ad unum è Concionatoribus hisce audiendum se dedit obvium eques armatus, quem comitabatur æthiops, horrorem uterque spirabat, & minas. Eques minaci voce paganos interrogat, quò tenderent? Ad audiendum, reponunt, Apostolum. Hic in rabiem actus, stulti, inquit, ignoratis hujusmodi homines meros esse impostores, qui miseram fallunt plebem: redite ad propria, & simplicitatem ponite. Hæc, & similia protulit voce tam accensâ, feroci equo & æthiope adversùs ipsos penè immissis, ut conterriti domum repedarent. Protinus equo evanescente, cognitum est sub ea larva dæmonem latuisse. Res vulgata concursum auxit. Missiones.

7. Decimâ sexta Julii vivere desiit heros sanctissimus, omnibúsque superior encomiis Bartholomæus de Martyribus, Bracharensis Archipræsul, & nostri Collegii Fundator. Mortuus in oppido Viana Interamnensis Provinciæ, quo depositis infulis secesserat, ut Deo solùm, ac sibi viveret. Societas illi post obitum concessit nomen Confundatoris: etenim vir unicè studiosus divinæ gloriæ titulum Fundatoris renuerat, ut esset, qui ductus hujus tituli honore, reditibus Collegium augeret. Maximæ virtutes, & sanctitatis exempla illi meruerunt apud Lusitanos nomen Archiepiscopi sancti; quâ nomenclaturâ auditâ, Bartholomæus de Martyribus intelligitur. Vix fuit, qui Societatem nostram pluris fecisset. Moritur Bartholomæus de Martyribus.

8. Per hos annos P. Joannes Rebellus vir plenus spiritu Apostolico missionibus excolebat Transtaganam Provinciam maximo animarum lucro. Insignis fuit in erigendis sodalitiis, quæ forent auxilio animabus igne lustrali detentis, & quæ Deiparam, ac divinam colerent Eucharistiam. Ipse scribebat leges, quibus imposterum regerentur. Unà cum P. Ruysio Loelio illustravit Algarbia, extinxit discordias, & populos excitavit ad vitæ emendationem. Missiones Collegii Eborensis.

9. Præter hos, sex alii peregerunt missiones. Eos inter P. Ludovicus Alvarus, Ulyssipone natus, prædicator celeberrimus, cum P. Raphaële Carnerio profectus ad oppida Arrayolum, Labessamum, Paviam, Avisium, & alia. Ubiq; incredibiles excivit animorum motus. Avisii veneno eum de medio sustulerunt Judæi: adversùm hanc gentem perfidam sæpissime declamabat, & tonabat è sacro suggesto, prædicens brevi detegendam illorum malitiam ab Inquisitoribus, igníque tradendos. Nec secus evenit post Patris obitum. Tria DEUM rogaverat, ab omnibus contemni, Superiorem non esse, in nosocomio mori. Factus votorum compos, ùt ex ipsius vita jam in lucem edita abundè constat. Dictitabat, nescire nos, quid esset Christus Crucifixus, propterea fugere nos vituperia. Vix fuit, qui Societatem æquè adamaret. Quamvis apud nos multa sit perpessus, nunquam in vocatione sua vacillavit. Dixerat, si dimitteretur è Societate, ad ostium posticum inter mendicos petiturum se quotidianum victum, donec iterum in Societatem adoptaretur. Missio & mors P. Ludov. Alvari M.

10. Avisii inter mendicos nosocomii sanctissimè decessit magnâ sanctitatis opinione. Inde ipsius cadaver Eboram in lectica portatum. E cœnobio PP. Carmelitarum, quod erat ad portam Lagoam, inter innumerum populum, & Nobilitatem, funebri pompâ deductum est in templum Collegii, conditúmque in sacello prope sacrum suggestum, quod olim D. Vincentio, nunc, dum hæc scribimus, Christo de Cruce pedenti est consecratum. Ex eo plurimi de nostris audierant, virum notæ sanctimoniæ ipsi dixisse, fore Martyrem, idque significare notam rubram, quam haberet in brachio. Funus ejusdem.

11. Eboræ Domum Conversarum extinctam fœminæ piæ ac locupletes instaurari cupiebant, spondentque reditum perpetuum se donaturas. Unus de Domus Conversarum restituitur.

nostris suasit Archiepiscopo eam in se euram susciperet, ac dotatam domum per suos administraret. Annuit pia, ac justa flagitanti, magno animarum bono.

Sepulchrum in templo Eborensi.

12. Hoc anno in Eborensis Collegii templo pro majori hebdomade primò erecta est moles, sepulchrum vocant, ad Eucharistiam reponendam. Tum alia majestate plenior in Lusitania non erat. Augebat operis majestatem Conopeum sericum totam machinam complexum, pecuniis ad id collatis à nostro Ludovico Lobo fratre Baronis Alvitensis.

Moritur P. Ludov. Vasconcellius.

13. Angræ 24. Julii vitam exhalavit P. Ludovicus Vasconcellius Ulyssiponensis, vir primæ nobilitatis ex Dynastis Mafrensibus. Ante initam Societatem habitus est inter adolescentes justos, ac sanctos. Desiderium martyrii eum Societati conjunxit. P. Petro Almeidæ dicere auditus est, non recordari se, quòd ab annis triginta peccatum leve cum plena advertentia commiserit; millies moriturum potiùs, quàm sciens etiam leviter Deum offenderet. Separavit geminum modium magnum tritici ad succurrendum egenis: extractis de cumulo sex mensuris unoquoque die donandis indigæ plebi, anno verso inveniebatur idem modius duplex nihil imminutus. Eboræ, Conimbricæ, Ulyssipone tirones nostros informavit. In rebus licèt arduis ab obedientia injunctis omnes sprevit difficultates. Præibat subditis exemplo. Sui demissionem pluris fecit, quàm honores caducos. De ipso apud externos, & nostros erat virtutis opinio non vulgaris. Qui postremam Ludovici de universa vita confessionem excepit, occultam sanctimoniam admiratus inquiebat, se non putâsse, apud mortales tam celsam dari posse virtutem, qualem in Ludovico comperisset.

Mors P. Gaspari Gonsalvii.

14. Die nonâ Augusti Romæ lethum oppetiit P. Gaspar Gonsalvius, vir omni litteraturâ exornatissimus, domo Conimbricensis, in Eborensi Academia Doctor, & Magister præclarus, plurimi habitus à Cardinali Rege. Erat à confessionibus Eduardo Principi, adolescenti Angelico, de quo alibi facta mentio. Cur vocatus sit Romam, anno 1583. memoravimus.

Annus 1591. Soc. 52.

Profecti ad missiones ultramarinas.

1. Undecim, Lusitani novem, duo Itali ad Indos vela solverunt. Ibat Superior Petrus Rodericius, qui tirones erudivit Conimbricæ. Quatuor Lusitani petiêre Brasiliam, Petrus Coëlius, & Gaspar Lobus, sacerdotes Professi, Simon Pinerius, & Emmanuel Oliveira nondum sacris initiati. Pinerius annis labentibus egit Provincialem, Oliveira Rectorem Bahiæ, veniens inde Procurator, in Italia vitâ functus. Quinque in Angolam missi.

Ingressi.

2. Accesserunt de novo Societati Sebastianus Vieira Martyr illustris apud Japones; Didacus Secus, qui sacratus Episcopus Æthiopiæ obiit in navigatione Indica; Paulus Carvalius Eborensis, agens Theologiæ Professorem petivit Missiones Brasilicas, ibidem mortuus sanctissimè. Horum trium res gestas mandavi jam typis.

Moritur P. Hieronymus Rodericius.

3. Conimbricæ valedixit rebus humanis P. Hieronymus Rodericius Portuensis, de quo suo loco scripsi, Hierosolymam adiisse jussu Philippi Regis. Sic ejus animo impressa sunt pia Hierosolymæ monumenta, ut vix alia de re loqui posset. Magnâ vixit morum innocentiâ.

Fervor scholasticorum.

4. Ibidem Magister Latinitatis discipulos suos exhortatus de mundi vanitate, sic eos amore virtutis incendit, ut ad Majum mensem viceni se addixerint sacris familiis, & ex his quinque nostræ Societati. Cuidam obstinatiori tribus noctibus per quietem se Christus obtulit, author, ut mundum desereret, séque dicaret cœnobio. Nihil aliud, quàm somnium, primâ & alterâ nocte existimabat; tertiâ tantam in dormiente impressionem fecerunt Christi verba, ut somnum excusserit sanguinem evomendo. Tum enimverò sibi persuadet à Deo se vocari, & calcato mundo Christi vexillum sequitur.

5. Ja-

5. Januario hujus anni, ùt habent monumenta Eborensis Collegii, P. Ludovicus Molina cum Emmanuele Paësio illac Ulysipone transivit Madritum. Plurimùm Lusitanam Provinciam, in qua educatus, exornavit suo Magisterio, & profundâ scientiâ, cumprimis Eborensem Academiam, ubi Doctoris insignitus laureâ Theologiam summo plausu est professus. P. Molina abit in Castellam.

6. Memorari peculiariter in his annalibus meretur Fernandus Castrius, vir primariæ Nobilitatis Eboræ exemptus mortalitati. Ægrotanti, & morienti assederunt nostri. Hihil oneris satisfaciendum reliquit hæredibus suis. Eborensi Collegio legavit Bibliothecam, ut animum exhiberet gratum Collegio, ubi didicisset, quæ sciret. Plurimùm illi debet nostrum Chaulense Collegium in India, cujus primordiis favit, dum in illis ditionibus serviret Regi. Nihil ipsi, dum ægrotavit, erat æquè jucundum, ac sermonem miscere de perenni post mortem felicitate. Fuit Frater Joannis Castrii Indiæ Proregis celeberrimi. Moritur Fernandus Castrius amicus Societatis.

7. Rem perutilem optato fine coronavit P. Joannes Alvarus, Transmontanus, Portuensis Collegii Rector, dum perennem fontem per subterraneos canales è loco dissito traxit in Collegium. Multæ illi superandæ erant difficultates tum in mitigandis animis Civium, ut annuerent; tum in rumpenda per continuatam petram via subter urbis muros, ut rem consideranti cessus Joannis animus fuisse liqueat. Fons perennis in Portuensi Collegio.

8. Accessit Provinciæ nova fundatio Collegii Michaëlensis. Insula à S. Michaële dicta una ex eis, quas vocant Tertias, extenditur in longum octodecim leucas, latitudo diversis locis diversa: Abundat tritico & lino; frequens est oppidis, pagis, & vicis. Ponta de Lgada vocatur urbs insulæ caput. Invidebant Michaëlenses Angrensibus felicitatem habendi Societatis Collegium, quod à multis annis expetebant, tandem adepti. Datum spatium condendo ædificio, & reditus mille cruciatorum cum perenni aquæ vena de communi aquæductu. Fundationem plurimùm juvit Excellentissimus Comes Emmanuel Camera, insulæ Dominus. Multùm pariter debemus Joanni Lopio Portuensi, fratri nostrorum Patrum Emmanuelis Lopii, & Henrici Henriquii, Primus Superior fuit P. Fernandus Guerreirus. Sacerdos alius ter in hebdomada Clericis explicabat quæstiones de conscientia. Non habet Collegium Fundatorem, sed parata illius dos ex variorum civium donationibus. Usque ad annum 1636. habuimus nomine Residentiæ, subinde primus illi Rector præfectus venerabilis vir P. Ludovicus Lopius. Michaëlense Collegium fundatur.

9. Insula Michaëlensis obnoxia est crebris terræ motibus, ac eruptioni flammarum ex visceribus insulæ. Contigit, ut prope oppidum Villam francam, terrâ ignem ructante, terror fieret, & strages insolita. Unus è sacerdotibus nostris, etsi multi dissuaderent, eò festinat ad consolandos in tanta calamitate oppidanos; quod egregiè præstitit, institutis ad Numen placandum supplicationibus, & aliis in rem pietatis ac pœnitentiæ incitamentis. Charitas nostri.

10. Hoc anno obiit in oppido *Ribeyra grande* Insulæ S. Michaëlis Gaspar Fruduoyus, Presbyter sæcularis, quà litteris, quà virtutibus ornatissimus: animo rebus humanis majore Angrensem sibi oblatum Episcopatum recusavit. De nostra Societate bene meritus erat; nostróque Collegio in amoris argumentum reliquit Historiam de Insulis accuratè à se scriptam, quæ hactenus ibi conservatur. Mors D. Gasparis Fruduoyi.

11. Domi laboratum in extinguenda aliquorum intemperie, qui viperarum instar matris suæ viscera corrodere moliebantur. Causa turbarum P. Ludovicus Carvalius Ulyssiponensis, qui Conimbricæ venerat in Societatem anno 1554. Numerabat Societatis annos triginta quinque, professûs sui ne unum quidem diem. Hactenus non erat solenniter professus, ùt existimo, propter morbum comitialem, & mores parùm religiosos. Non deerant ingenium, litteræ, & bonæ dotes, modò virtus sociâsset. Minimè contentus vivebat, quòd parvi fieret à Societate propter judicii imbecillitatem. Per id tempus nonnulli P. Ludov. Carvalius conspirat cum aliis contra Societatem.

de nostris in Castella ordinem turbabant: horum incitatus exemplo, & innatâ levitate, credidit se quoquè hominem esse, qui posset aliquid audere.

12. Igitur scribit in Eborensi Collegio, ubi commorabatur, libellum famosum contra Superiores & Professos, calumniis & mendaciis plenum. Opus vocat *Observationes Constitutionum Societatis JESU.* Rem communicat cum P. Gaspate Coëlio Conimbricensi, in patria sua conjuncto Societati anno 1567. qui tum temporis navabat operam Theologiæ. Habebatur apud nos levissimus, inconstans, & homo nullius veritatis ac virtutis. Hic verterat in Latium sermonem, quæ Carvalius Lusitano composuit. Porrò sibi adjungunt Gasparem Fernandum, Simonem Cardozum, Dominicum Araujum, & Petrum Fonsecam Indiaticum, sic dictum, quòd ex India esset in Lusitaniam remissus, utpote illic parum utilitatis allaturus. Omnes erant ejusdem furfuris cum Carvalio, & Coëlio.

13. Proditis aliquot conspirationis indiciis P. Petrus Fonseca Visitator detrudit in carcerem Gasparem Coëlium. Metuens sibi Carvalius dat litteras ad Cardinalem Albertum: esse res magni momenti, quas proponat ejus Celsitudini; secretum id non permittere per epistolam transigi, necesse fore, jubeat quàm primùm venire Ulyssiponem. Annuit Albertus, imperátque Carvalium ad se mitti.

14. Apud Cardinalem deplorat miserrimum Ordinis statum, regimen esse tyrannicum, æquitatem nullam & ejusmodi: remedium esse, Ordinis reformationem demandare alicui Episcopo experto, daturum se scripta puncta præcipua. Cardinalis benignè respondet, commendátque silentium. E conspectu discedit triumphanti similis: etenim sperabat rem committendam Georgio Ataydio Episcopo, qui tunc Madriti præsidebat Regio Concilio Lusitani Regni. Erat illius Episcopi notissima cupiditas ordines sacros reformandi, seq; obtulerat nominatim ad reformandam nostram Societatem.

15. Porrò Carvalius scribit ad Coëlium, quàm benevolum haberet Cardinalem; eum postliminiò liberandum carcere; ut animet facti participes, & nominabat prædictos. Venit epistola in manus Visitatoris, ex qua patefacti, quos eadem pestis infecerat. Sine mora Coëlius dimittitur è Societate. Visitator Regi detegit conspirationem, & authores, simul rogat, ne patiatur aliquid detrimenti Societatem pati.

16. Cardinalis interim, nostris ad se vocatis, quæstionem secretam instituit; quos adigebat juramento veritatis dicendæ, & secreti servandi. Res erat plena periculi: nam leviores, quorum semper aliqui vivunt in tanto numero, arriperent occasionem turbandi Societatem, ejúsque sanctissimum Institutum, & vivendi morem. Remedium apparebat difficile; nam juramentis tollebatur libertas negotium vocandi in consilium, & quærendi opportunas modellas.

17. In tantis rerum tenebris Joanni Maduteiræ Professæ Domûs Præposito lumen affulsit divinitus planæ immissum. Exarat litteras ad summum Pontificem Sixtum V. rei seriem edocet, rogat infimis precibus, epistolam communicet cum Patre nostro Generali. Ex voto res evenit. Pontifex re collatâ cum Generali mittit diploma ad Regem, revocatorium prioris, quô ipsi concedebatur facultas destinandi, quos placeret ad lustrandos sacros ordines in Hispania, expressè jubens, ne talis facultas in Societatem extenderetur. Aliud diploma accipit Cardinalis Albertus, quo jubebatur, abstineret à quæstione de rebus nostris instituta, traderet scripturam factam moderatoribus Societatis, & simul exempla libelli famosi, quæ per Carvalium sparsa, ipse sub anathematis pœna ad se deferri ordinaret: fineret Societatem pro demerito sontes punire. Non secus fecit Cardinalis.

18. Post alia, atque alia, quæ accidunt in hujusmodi intricatis litigiis, facta Visitatori potestas afficiendi pœnâ sceleris authores & participes; castigati, ac dimissi quatuor illi, quos suprà recensuimus. Carvalium, quamvis facti pœni-

nitentem, in posteritatis documentum visum est pœnis gravioribus affici, priusquàm aliud de illo statueret Societas. Itaque Visitator scriptum exarat, quo declaratur hominis temeritas & scelus adversus Institutum nostrum, simúlque facti pœnitentia, ac dolor de commissis ad Visitatoris pedes exhibitus.

19. In quorum satisfactionem illi injungitur: Adeat cum flagellatione tergi Domûs Professæ, & Collegii Ulysiponensis triclinia, petat suppliciter errati veniam, & osculetur omnium pedes. Idem faciat in Collegio Eborensi. Duobus annis jejunet singulis hebdomadis quartâ & sextâ feriâ humi sedendo ad primam mensam. Prodeat item hebdomadis singulis cum flagellatione in triclinium, dicendo, id injungi sibi propter peccata commissa, & offensionem publicam. Ne faciat sacrum in templo. Recitet quotidiè septem psalmos à pœnitentia dictos cum lytaniis & precibus. Quotidie item horis tribus serviat in officiis humilioribus domesticis. In exeundo de prima mensa sit omnium postremus. Sit suspensus ab audiendis confessionibus, & concionandi munere. Sub virtute obedientiæ, & anathemate ipso facto incurrendo, ne colloquatur cum persona externa, recipiat, aut det litteras, sine venia speciali Superioris. Solùm loquatur cum nostris, quos Moderator assignabit. Hæc annos duos peragenda. Sed primis mensibus pane solùm & aquâ vivat diebus Veneris. Si præscripta, quanquam peccatis minora, ritè executus fuerit, Societas, quid porrò agendum, considerabit.

20. Hæc posteaquàm audiît, multis lacrymis orat Visitatorem, benigniùs secum agi, timere se, ne reviviscat tantis castigationibus morbus comitialis, quo affligi solebat. Cujus non vano metu Visitator post lectam in triclinio gravem reprehensionem Carvalium turbatorem bene flagellatum è Societate exturbavit.

21. Gaspar Coëlius ingressus ordinem D. Bernardi paulò pòst relicto tirocinio se recepit in domum fratris, qui cùm unicum misero præsidium mox obiisset, Coëlius reliquam vitam traduxit egenus, variis morbis & calamitatibus gravatus. Iustis ejusmodi pœnis, quas divina infligit Nemesis, pleni sunt Annales Societatis.

22. Doctor Laurentius Mouranus, cui Albertus commiserat videndum librum de observationibus nostrarum Constitutionum à Carvalio scriptum, respondit, Ejus Celsitudinem neque Gubernatoris, neque Legati munere posse nostros examinare, aut visitare, post Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino*, quòd per eam extincta foret Ejus Celsitudinis jam Legati potestas in Societatem.

Annus 1592. Soc. 53.

1.

SUb novo Provinciæ Præside P. Joanne Alvaro, P. Franciscus Monclatus, & Christophorus Castrius ex India reversi in Europam. Pro quibus alii quatuordecim eò navigârunt, Lusitani duodecim, unus Italus, alter Maronita ex monte Libano Abrahamus Georgius: Conimbricæ docuerat Græcam, & Hebraicam linguam: anno 1595. tentans aditum in Æthiopiam comprehensus à Turcis, quòd nollet Mahumeti legem amplecti, martyrio exornatur. Franciscus Paciecus Pontelimensis, nondum sacerdos, in Japonia pro fide Christiana crematus est igni. *Ex India reduces, & ad Indiam profecti.*

2. Ad Angolam missis sacerdotibus quinque, duobúsque laicis præerat P. Didacus Rodericius Eborensis, qui rexerat Madurense Collegium: gubernio Angolano expleto, migrat in Brasiliam, illic munus obiit Provincialis, & in ea Provincia ad Patres abiit. *Ad Angolam missi.*

3. Societati adscriptus est Simon Alvarus Guimaranensis, qui apud nos floruit virtutibus & litteris. Duo scholastici locupletum filii Conimbricæ ingressi, vi in domum maternam multis Conimbricâ leucis remotam deducuntur: *Ingressi.*

dissimulârunt tantisper, datâq; opportunitate, hyemali licèt & pluvio tempore clàm profugiunt pedites, in domum nostram recepti.

Res scholasticæ.

4. Studiosorum Conimbricæ numerabantur duo millia. Ex his contemptâ humanarum rerum vanitate viginti quatuor supra centenos sacris se addixêre familiis. In hac Provincia cœpit executioni mandari *Ratio Studiorum* typis commissa ad nostras ubique scholas dirigendas, ut omnes idem, & eodem modo sapiamus & dicamus.

Missio P. Joannis Rebelli.

5. Præter missiones è Collegiis Conimbricensi, Portuensi, & Bracharensi institutas, Eborâ contendit Helviam P. Joannes Rebellus. Plurima relatu digna in ea urbe gesserat. In comitando Eucharistiam, cùm ad ægros deferretur, supina vigebat negligentia: mancipiis facem præferendi munus demandabatur; viris nobilibus id ministerii subire dedignatis. Rebellus cùm nequidquam verbis effecisset, instituto sanctissimi Sacramenti sodalitio errorem correxit, atque ita omnium permovit voluntates, ut nobilissimi quique certatim nomen dederint novæ Sodalitati.

Imagines è collo gestæ.

6. Pari successu induxit supplicationem de Passibus Domini crucem bajulantis: hujus sodalitatis fratres gestabant è collo pendentem imaginem stanneam, quæ hinc Virginis inde Crucifixi simulacrum retulit. Hujusmodi imagines stanno aut plumbo fusas P. Rebellus suis manibus conficiebat, dum in Collegio se compararet ad sacras expeditiones, omnibus ad singularem imaginum venerationem excitatis, quam per id temporis hæretici abominabantur.

Prodigium de imaginibus.

7. Quàm accepta Deo foret ea consuetudo piam secum gestandi imaginem, prodigiis non paucis est comprobatum. Ex campo majore, ubi annis proximis missiones habuerat P. Rebellus, scribitur hominem amisso mentis usu concubiâ nocte dæmonis suasu in profundum se conjecisse puteum, ad quem ab homine sibi ignoto deductus esset, jussúsque imaginem, quam intra vestes assutam ferebat, ponere, & ad os putei relinquere. Sibi redditus cœpit Virginis opem magnis vocibus solicitare: horas duas aquis innatans, tandem auditus, & func demisso attractus est.

Reliquiæ S. Mansii.

8. Cùm Archiepiscopus Theotonius indeptus esset per Philippum Regem insignes Reliquias S. Mansii Eborensis urbis Patroni & primi Episcopi, eas diebus octo in templo maximo expositas urbs venerabatur, dictis etiam in ejus honorem panegyricis. Diem unam sibi speciali pompâ celebrandum sumpsit Academia Eborensis, mille sexcentos scholares complexa, qui adornatâ supplicatione ad templum maximum processêre; Professorum unus laudationem sancto Tutelari instruxit.

Moritur P. Simon Martinius.

9. Die vigesimâ Augusti supremùm vixit Eboræ P. Simon Martinius Conimbricensis, frater nostri Petri Martinii Japonensis Episcopi. Claruit in sacro suggesto, varias obivit missiones multo animarum lucro. Illius virtutes jam typo dedi.

Mors Mariæ Alarconiæ.

10. Ibidem vitam naturæ reddidit Domina Maria Alarconia, in nostro sepulta templo. Semper dilexit plurimùm Societatem, & juvit Collegium: huic moriens legavit cruciatorum tria millia, quibus templum suggestum surrexit magnificum, ac pretiosum.

Agitur de nostris admittendis in tribunal Inquisitionis.

11. Actitatum est hoc anno de conferendis Societati muniis aliquot in sanctæ Inquisitionis tribunali. Etenim Martinus Gonsalvius Camera, cùm lustravit jussu Regis Inquisitionem Lusitaniæ, inter cætera capita scripsit unum, quo significabat, interesse tribunalium Inquisitionis, uti Societatis operâ. Cardinalis Albertus, volente id Rege misit eum, qui à secretis tribunalis est, ad P. Emmanuelem Sequeiram Professæ Domûs Præpositum, Principis voluntatem esse, ut Ulyssipone, Conimbricæ, & Eboræ, foret unus de Societate deputatus Inquisitionis, & alter librorum Censor; designaret Societas, ac sibi traderet horum sex nomina, ut juxta morem tribunalis examinaretur eorum genus. Negotio in consilium vocato, & consulto Martino Gonsalvio Camera, visum, acceptanda à Patribus munera: suffragiis electi sunt, qui illa obirent. Cur exitu negotium caruerit, non comperi explicatum.

An-

Annus 1593. Soc. 54.

1.

DEnuo sex ad Indicas regiones excolendas commigrârunt, Italus cum quinq; Lusitanis. Horum unus erat Sebastianus Gonsalvius Pontelimensis, Eboræ tironum Magister, qui nostrorum per Indiam res gestas Goæ conscripsit. Fernandus Tellius Menesius in altum deducens Regiam classem ad fugandos piratas, quatuor de Professa Domo sibi adjunxit, duos in prætoria nave, duos in altera. Morbis ingruentibus naviter illi consuluêre ægrotis. At quia naves ventis compulsæ ad Gallæciæ æstuaria, expositi sunt ægrotantes, & curati: sub finem Decembris Ulyssiponem recepti. Profecti ad Indos.

2. Duo ex eadem Domo peregrinatum concessêre ad ædem divæ Virginis de Cabo in promontorio Barbarico. Eò certis diebus fit magnus concursus, non, ùt par esset, cultu Deiparæ impenso, sed morum licentiâ sequente; nam totâ nocte intra ædes sacras viri fæminis permixti saltant, canunt, tripudiant. Sacerdotes nostri hanc pessimam consuetudinem abolituri, verbi divini gladium acuunt; dein ad noctem mediam perstitêre orantes coram Virginis simulacro: post noctis dimidium psalmodia divina recitabatur. Exemplis hisce Virginis ædes perpurgata est. Missio.

3. Cœpti hoc anno Seminarii S. Patritii Ulyssipone præcipuus motor & author fuit P. Petrus Fonseca. Manum auxiliarem junxit P. Joannes Olingus, natione Hibernus, in Domo Professa degens ad reducendos hæreticos, & opitulandum Catholicis negotii causâ Ulyssiponem ex Anglia & Hibernia venientibus. Utrumque admirabiliter præstitit. Post varias in urbe sedes conductas fixa demum habitatio prope Castellum ad plagam Australem. Fundationem suscepit Antonius Fernandus Ximenius vir nobilis, & locuples. Duas habet Theologiæ cathedras, ubi à nostris edocentur Theologiam Polemicam & speculativam. Sacris initiati redire debent in patriam, ibique fide Catholica suam nationem conservare. Seminarium pro Hybernis Ulyssipone fundatur.

4. Clemens VIII. Pontifex maximus imperavit Patri nostro Claudio, Comitia universi Ordinis Romam indiceret. Ad eligendos, qui interessent cum jure suffragii, habitus in Domo professa Provinciæ Conventus mense Majo, Præside R. P. Joanne Alvaro Provinciali. Electi sunt Patres Petrus Fonseca, & Joannes Correa, duo Provinciæ lumina. Vicariâ interim potestate moderari Provinciam jubetur P. Emmanuel Sequeira. Provinciæ Conventus.

5. Ad milites præsidiarios sanctis moribus imbuendos Sodalitium à virtutibus dictum Ulyssipone erexit P. Ignatius Martinius. Scripsit leges, quibus administraretur, & quæ forent obeunda exercitia: tot inde promanantibus commodis, ut Centurionum aliquis profusas Ignatio gratias egerit, contestatúsque sit, nisi foret ipse, milites futuros Lutheranos. Sodalitas pro militibus.

6. Novo Ulyssiponensis Collegii ædificio jam præparato, nonâ die Novembris è veteri ad novum Collegium migratur, ordinatâ solemni supplicatione, dispositis scholasticis in alas duas, Numen Eucharisticum deportante P. Petro Lopio Collegii Rectore, quem sequebantur plurimi dynastæ, ac Dominus Fabius Hierosolymitanus Patriarcha, qui Ulyssiponem venerat acturus Collectorem Pontificis loco Cardinalis Alberti Lusitaniâ excedentis. In ferculis proponebantur Reliquiæ, ac Divorum simulacra. Ossa nostrorum, qui hactenus veteri in domicilio vitâ defuncti, pariter transportata sunt. Ad concionem dixit P. Joannes Lucena. Ad novum Collegium Ulyssipone transitur.

7. Anno sequente protinus ad id facultate justo citiùs impetratâ undecim millibus cruciatis vendidit Rector Eremitis divi Augustini Collegium vetus. Quo exili pretio enormem læsionem in re commissam quidam censuêre. Paucis post subscriptas tabulas diebus Mandatum P. Generalis venit, quo venditio Venditur Collegium vetus.

pro-

prohibetur. Multis id dolori fuit, quòd illam primam domum, propriam habuerit universo in orbe Societas; eam incoluerint homines hujus Provinciæ sanctissimi, Martyres insignes, & sanctus Franciscus Borgia; non verò Xaverius, ùt putant monachi monumentorum nostrorum inexpertes.

Inhabitatur Collegium Purificationis.

8. Eboræ die Virginis ab angelo salutatæ cœpit incoli Collegium Purificationis conditum à sereníssimo Rege Henrico pro Theologis sæcularibus, subditum Societatis administrationi, hactenus ædificatum reditu ad alendos Collegas destinato. Nondum erat operi suprema manus imposita, Archiepiscopus Theotonius jam ægrè ferre, Collegium esse extra suam potestatem, reditúsque abscissos à templo maximo. Ne quid proinde novi is moliretur, visum est adire per Societatem Collegii plenam administrationem. Igitur præmissis examinibus scientiæ secundùm Fundatoris leges, P. Christophorus Gouvea nostri Collegii Rector prædictâ Virginis die in templo nostro induit togâ præscriptâ ab eodem Fundatore sex scholasticos, quos magno comitatu idem Rector ad Collegium deduxit. Nec admissi plures Collegæ, priusquàm ædificium non absolveretur.

Obeunt P. Arias Botelius, & Antonius Carvalius.

9. Mense Aprili P. Arias Botelius, & Antonius Carvalius Coadjutor ingressi Angolæ mediterranea ad Nigros excolendos & imbuendos fidei mysteriis, febribus correpti malignis interiêre. Etenim, ùt non semel dictum, Cœlum illud est pestilentissimum alienigenis. Unde qui tales aggrediuntur missiones, se in aperta mortis discrimina immittunt, ut Æthiopum æternæ consulant saluti.

Ingreditur Alphonsus Mendius.

10. Novus Conimbricæ socius nobis jungitur Alphonsus Mendius, primam lucis usuram nactus in oppido S. Alexii trans Anam flumen in Eborensi diœcesi, illustrissimus Æthiopiæ Patriarcha, illustrior virtutibus, & unus è celsissimis heroibus nostræ Societatis.

Res Angolæ.

11. In Angola duodecimè Societate numerabantur binis in domibus, altera Loandæ, Massangani altera. Res domi tranquillas non sustinuit duorum in nos odium Provisoris Ecclesiastici, & Francisci Almeidæ summi ditionis Lusitanæ Præfecti. Provisor id hominis erat, qui nollet cognoscere Bullas Pontificum de rebus & immunitatibus Societatis. Ajebat, nec se, nec Præfectum posse feriri anathemate, quo P. Balthasar Barreira, ut Societatem tueretur, adversus utrumque usus fuerat. Calumniis interim & injuriis obruti sumus, delatúsque iniquè P. Barreira à Præfecto apud Cardinalem Albertum: protinus ille ex Angola revocatur, mittitúrque Madritum, acturus Procuratorem hujus Provinciæ, & calumnias apud Regem purgaturus; cui tandem patuit sanctissimi viri innocentia, & calumniatorum impudentia. Motus Magistratu Præfectus, substitutúsque frater omnino dissimilis Hieronymus Almeida, nostrorum amantissimus.

Congregatio Generalis.

12. Mense Novembri haberi cœpta Romæ quinta Congregatio Generalis, omnium prima ex celebratis vivente Generali: in illa delectus fuit Assistens P. Joannes Alvarus, qui Provincialis munere fungebatur; cui in officio successit P. Franciscus Gouvea Ulyssiponensis. P. Emmanuel Rodericius, qui Assistentem laudabiliter egerat, Lusitaniam repetiit, Eboræq; consedit.

Annus 1594. Soc. 55.

I.

Ingressi.

SUppetiæ novæ Societati venerunt Emmanuel Almeida, Visonii natus, operarius illustris Æthiopicæ vineæ, & ejusdem singularis scriptor; Didacus Carvalius, Conimbricensis, gloriosus Christi Martyr in Japonia; Stephanus Fagundius in doctrina de quæstionibus conscientiæ præclarus author.

Mortui Conimbricæ.

2. At quinque mortales exuvias Conimbricæ posuêre. Melchior Lobatius, & Didacus Cisnerius, Ulyssiponenses, ambo Professi, ambo Doctores, ille in Theologia, hic in Jure Civili, & Pontificio. Annum integrum uterque se com-

comparavit ad supremum agonem. Duo, nempe P. Didacus Pirius, & P. Gonsalus Fernandius, erant adjutores spirituales. Postremus P. Franciscus Pereira scholasticus Theologus, ortum duxit ex Illustrissimo sanguine Feiræ. Concesserat è Collegio ad balnea, sive aquas salutares, quas *à Regina* vocant: remedium illud ita noxium expertus valetudini, ut vitæ depositâ spe se accinxerit supremo itineri. Cum splendore natalium conjunxit admirabilem sui demissionem. Ad demortui feretrum certatim parvuli confluxêre, ipsummet feretrum osculo venerati. Pro ejus requie funebrem psalmodiam decantârunt sæculares presbyteri, ac iterum ordines Religiosorum. Obiit in nosocomio regio opinione virtutis singularis relictâ.

3. Ex eodem Collegio decem & quatuor sacerdotes cum totidem scholasticis sacras missiones habuerunt. Missiones. P. Sebastianus Barradas progressus ad Guardiensem diœcesim cum alio sacerdote more Apostolico discurrit, incredibilésque fructus collegit. P. Antonius Mascarenius & ipse pedes cum socio scholastico adivit Leyriam; nec in Episcopio, nec in palatio Villæ regalis, sed in nosocomio voluit hospitari. Neque admisit escam, nisi quam emendicabat ad civium ostia. Id in Antonio spectabilius, quòd esset omnibus cognita ejus primaria Nobilitas.

4. Ultra mare ad Indos navigârunt quatuor. Profecti ad Indos. P. Ludovicus Cerqueira, Episcopus Japonensis, vir magnæ virtutis & sapientiæ, P. Valentinus Carvalius, Ulyssiponensis, primus in scholis patriæ suæ Magister Philosophiæ, Franciscus Paira, & Emmanuel Joannes non sacerdotes. P. Cerqueira profitebatur Eboræ Theologiam, Doctoris accepit insignia jam designatus Episcopus, Patrono Alexandro Brigantino. Dum gradu donabatur, Theotonius Archiepiscopus annulum sibi detractum obtulit, ut insereretur novi Doctoris digito. Quâ die uterque Princeps apud nos prandere dignatus est. Accidêre hæc mense Novembri anni proximi.

5. Inauguratio Episcopi facta in nostro Eborensi templo à Theotonio, Ludovici Cerqueiræ Episcopi inauguratio. invitatis ab ipso nonnullis Episcopis. Res peracta ejusdem Theotonii expensis, magno utique apparatu, & donis, quibus Cerqueiram cumulârat. Prandium apud nos sumpsêre cum viris aliis gravissimis. Interim Nostri diversis linguis dixerunt è pulpito triclinii. Postremus Lusitano sermone explicuit, quas infulas admittere soleat Societas, & quos habeant reditus, nempe cruces, labores, & martyria. Hâc oratione multi non poterant sibi à lacrymis temperare.

6. P. Valentinus Carvalius erat in quarto anno sui Philosophiæ magisterii, P. Val. Carvalius Professor promptè pergit in Indiam. typísque mandaverat sustinendas de more theses Philosophicas, cùm monitus est ad comitandum Episcopum, peculiari gaudio obedientiam excepit. Primus erat, qui novi Collegii D. Antonii habitator ad Indicas missiones vela solvit.

Annus 1595. Soc. 56.

1.

Et hoc anno quaternos India sibi vendicavit, Gomium Ferreiram Eborensem, Ad Indiam & Brasiliam profecti. Melchiorem Fonsecam, Ludovicum Cardozum, sacerdotes, & Hieronymum Rodericium. P. Cardozus Covilaniensis egregiam in tirocinio probaverat constantiam, ùt relatum est anno 1580. Goæ Theologiam professus, illúsque Provinciæ moderatorem egit. Ad Brasiliam profecti sex; Raphaël Carnerius, & Joannes Fernandius, operantes ad aram; Emmanueles Gomius, & Tenreirus, scholastici; Joannes Baptista, & Franciscus Gonsalvius, adjutores temporales. Postremus annis triginta munus obivit Subministri, quod non exiguum est de virtute Francisci indicium.

2. Sociorum JESU labaro adscriptus est Conimbricæ 22. Februarii Ingressus. Vincentius Alvarus, scholasticus, natus Ferreiræ in diœcesi Eborensi: postea occisus à Mauris in odium fidei apud Indos.

Mortui in Domo Professa. 3. In Domo Professorum quartâ & vigesimâ Augusti vitam cum morte commutavit P. Emmanuel Sequeira, vir notæ virtutis, & primus Rector Madeirensis Collegii annis plurimis. De ipso fusiùs scribo in opere de Novitiis Eborensibus. Ibidem decessit P. Didacus Ferrazius Portuensis, adjutor spiritualis, vir admodùm pius. Celeberrima supplicatio de Passibus Domini Crucem ferentis humero originem primam in Lusitania Didaco acceptam refert.

In Collegio Ulyssiponensi. 4. Decimâ nonâ Februarii vitam exhalavit in Ulyssiponensi Collegio P. Ludovicus Alphonsus, tabe lentâ consumptus. Pinerii Dazeri Diœcesis Visensis editus est. Undecim annos docuit Grammaticam. Ministrum Domûs agens vir quinquagenarius verrebat scopis pavimenta, ut eo labore socios liberaret.

Conimbricæ. 5. Conimbricæ 13. Februarii immortalitatem subit P. Fernandus Perius, Cordubensis, unus è primis Professoribus Eborensis Academiæ. Litteris eminuit, & multò magis virtutibus, quibus jecit fundamenta in schola Joannis Avilæ per id tempus egregii sanctitatis Magistri. S. Borgia eum misit Eboram ad Theologiam docendam; eandem tradidit in Collegio Conimbricensi. Peculiari vigebat memoriâ, ut è cathedra dictando nunquam chartam inspexerit. Profundæ sapientiæ sociavit summam animi demissionem, & charitatem ferventem, ad quam supremis verbis socios cohortabatur. Ejus vita circumfertur fusè scripta, & vulgata in opere de tironibus Eborensibus. Ibidem 19. Novembris reliquit mortales P. Dominicus Joannes Liseimatus, dum facit excursionem sacram per regionem saltus ab stella, gravi morbo corripitur. Deductus in lectica ad Collegium, malo vincente cuncta remedia, ad supremam paratus luctam satisfecit naturæ summâ conscientiæ tranquillitate.

Missiones. 6. Bajam, Serpam, & Estremotium sacris missionibus excoluerunt Eborenses. Algarbia ingressus novus Episcopus Fernandus Martinius Mascarenius rogavit à moderatore Provinciæ mitti aliquos Patres, quos comites haberet in percurrenda diœcesi, iisdémq; ad populi institutionem doctoribus uteretur. Duo concessi, qui septem menses in ea cultura consumpsêre.

Dæmon fugatus. 7. Civium quidam retulit Episcopo res suas domi à stygio alastore perturbari: quæ venalia haberet, surripi; mercatoribus res empturis evanescere pecunias: duas filias è conspectu repentè sublatas, ductásque per loca prærupta ad Convivium exquisitis instructum epulis, mox paternæ domui restitutas incolumes. Episcopus hominem ad Patres relegat. Quibus tametsi insultaret dæmon, authores tamen fuêre civi & puellis, expiarent animas omnis anteactæ vitæ confessione; singulisque ceram benedictam de collo suspenderunt; cessavítque intemperies.

De aliis Collegiis, & Angola. 8. E Collegiis Bracharensi & Portuensi, atque Michaëlensi Residentia non defuerunt utilissimæ excursiones. Massangani in Angola Nostri cum oppidanis & præsidiario milite plurimùm perpessi sunt mensibus undecim, quibus à Nigris obsidebatur oppidum naturâ suâ munitissimum: verùm annonæ penuria tanta fuit, ut vix arma miles sustineret: tandem classe ex Lusitania accedente missis auxiliis aliquantùm respirârunt: sed aura pestilens sic novum militem prostravit, ut Nostri succurrendo ægris multum sibi laborem cumulârint.

Initium Collegii Angrensis. 9. Decimâ die Maji prope Dominicam Ascensionem positus est primus lapis pro novo ædificio Angrensis Collegii. Peregit eam cæremoniam Episcopus Emmanuel Gouvea, frater P. Ignatii Martinii. Verba fecit pro solemnitate P. Fernandus Guerreirus. Dicatum est Collegium Ascensioni Dominicæ, & ab Ascensione dictum.

Annus 1596. Soc. 57.

I.

Profecti ad Indos. MAgnum subsidium missionibus Indicis juvandis, etsi dispari successu, tulêre duodeviginti Nostri in duas distributi naves. Major pars erat cum P. Doctore Nicolao Pimenta, qui multis annis rexerat Conimbricense Col-

Collegium, mittebatúrque cum potestate Visitatoris Nostrorum per Orientem. Ex omni numero censebantur octo Lusitani, Hispani quinque, & totidem Itali.

2. Navem aliam S. Francisco dicatam conscenderunt septem, Superiore P. Gaspare Alphonso Serpæ nato, quos inter P. Carolus Spinola, & Hieronymus de Angelis, postea gloriosi in Japonia Martyres. Adversùs hanc conspiravit mare, procellæ, & infortunia. Post æquatorem dispersæ naves, ab aliis non visæ. Navis à S. Francisco vigesimam sextam partem, seu gradum, ad Austrum, superato æquatore secabat; cùm sub noctem clavus fractus diffiliit in undas: idcirco malis à puppi in mare protensis clavi locò uti coacti sunt. Ut navem reficerent, Bahiam petière inter timores & pericula, morbis insuper accedentibus. De nostris obiêrunt 27. Julii P. Joannes de Vicariis, & Joannes Sancius. Errores navis S. Francisci.

3. Moris in Brasilia quinque menses tractis, navigationem rursus non ad Indiam, sed in Lusitaniam aggressi, mari & ventis dejiciuntur ad *Portum ricum* in America 25. Martii sequentis; hic reliquêre nostri navem Indicam; delatúsque inde ad insulam divi Dominici, hinc Carthagenam, postea Abanam, demum Gades in Hispania, quas tenuit anno *1599. P.* Gaspar.

4. Patres verò Carolus Spinola, & Hieronymus de Angelis Octobri anni *1597.* nave debili dum Gades navigant, post insulas tertias ab Anglis capti, 5. Novembris pervenerunt in Angliam. Unde reduces Ulyssiponem in nave Flandrica portum intrârunt octavâ die Januarii anni 1598. atque anni ejusdem vigesimâ octavâ mensis Octobris P. Carolus solennem professionem nuncupavit.

5. E Domo Professa 28. Julii elatus est P. Didacus Alvarus Coadjutor spiritualis. Penè habitabat in sella confessionum; tam affixus erat sancto huic ministerio. Sæpe facto Crucis signo à præsentibus vitæ periculis liberavit ægrotos. Tanta erat apud omnes de virtutibus ejus opinio, ut certatim poscerent reliquias. Quo in desiderio eum habuerint, lacrymæ ad cadaver fusè testantur. Defuncti in Domo Professa.

6. Ibidem excessit P. Gaspar Vasæus Transmontanus Chavensis. Tradebat Eboræ Theologiam. Fernando Martinio Episcopo Algarbiensi rogante, ut Gasparem ad se mitterent pro concione dicturum, tantus ipsi labor incubuit, ut importunâ quartanâ implicitus redierit Eboram: inde Ulyssiponem missus convaluit. Monitus ad emittendam solennem professionem, dum se solitis exercitiis comparâsset, lethaliter ægrotat, & moritur, Nostrorum incredibili dolore propter ejus virtutem, ac singulares prærogativas.

7. Conimbricæ 21. Septembris de vivis abiit P. Vascus Baptista natus Moymentæ in Beirensi Provincia. Rhetoricam docuit Conimbricæ, Philosophiam Eboræ, Conimbricæ Theologiam. Impendebat operam Philosophiæ, cùm Scalabitanum miraculum adiisset, vidit illic Christum rubris vestitum indumentis. Qui conspectus sic ejus affecit animum, ut in posterum vitam traduxerit addictissimus virtutum omnium exercitiis: Eucharistiam præprimis, ac Deiparam veneratione prosequebatur, utramque invisebat frequens. Dum in custodia viri pestilenti febre correpti confessionem audiisset, eâdem correptus obiit pientissimè. In ejus vita typis impressa fusiùs illius virtutes & exempla commemoro. Conimbricæ.

8. Collegium Eborense 13. Septembris doluit mortem senis optimi, P. Emmanuelis Rodericii, qui viribus attritis Româ venerat, ubi egit Assistentem. Auram vitalem hausit primùm Monsancti diœcesis Guardiensis. Diversos obiverat Magistratus magnâ integritate, dilectus DEO & hominibus. Archiepiscopus Theotonius suâ præsentiâ honestavit illius exequias, juvitque feretri bajulos. Eboræ.

9. Decimâ sextâ Julii ibidem tumulatus est P. Martialis Beliartus Ulyssiponensis. Missus olim Provincialis ad Brasiliam, in reditu captus ab hæreticis

Antonius Franco, X 2 multa

multa toleravit. Plurima gubernavit Collegia eâ prudentiâ & sanctimoniâ, quam vult Societas. Demum spiritûs Præfectum agebat.

10. Ob nimium studium phthisi contabuit 28 Februarii P. Paulus Azevedus, ex fratre nepos Venerabilis Martyris Ignatii Azevedi, natus Canavesiis. Eboram missus ad tradendam Philosophiam prædixit ibidem se moriturum, eodémque loco sepeliendum, quo conditus fuisset P. Joannes Mellus ejus in Philosophia Magister. Non secus evenit. Rogabat aliquando circumstantes, genua flecterent coram Domino, adjecítque: *Non vident illum delentem calamo, quæ sunt exarata in charta?* Creditum, id fuisse argumentum de noxis condonatis. Demissio sui, & obedientia familiares illi erant virtutes.

Moritur P. Antonius Araujus.

11. In Portuensi Collegio 24. Maji adscriptus est æternitati P. Antonius Araujus, Leirensis. Primus ille scholasticorum nomen dedit Societati in domicilio tironum Eboræ. Causâ valetudinis formatus spiritualis Coadjutor, sui gradûs onera tum in procuranda re domestica, tum in audiendis, & instruendis pœnitentibus egregiè sustinuit.

Mors Lopi Soarii.

12. Ulyssipone 8. Septembris lucis usuram reddidit Lopus Soarius de Albergaria Portolegrensis electus Episcopus, Societatis amantissimus. Sepeliri desiderabat in templo Domûs Professæ, cui legavit pretiosam bibliothecam cruciatorum quatuor millibus æstimatam. Non parùm Ei quoque debet Collegium Eborense, ùt infrà dicetur.

Ingressi Societatem.

13. Viri præcellentes hoc anno Societatem auxerunt. Franciscus Costa Ulyssiponensis è primaria Nobilitate, Consanguineus P. Francisci Mendozæ, professus Conimbricæ & Eboræ Theologiam, rexit Eborense Collegium, multis clarus virtutibus. Paulus Rodericius Lanhosii natus, eruditissimus in sacris litteris. Antonius Andrada Oleiriensis Tibethi Apostolus. Christophorus Ferreira, alter Japoniæ Marcellinus, natus Zivreiræ diœcesis Ulyssiponensis, ingens humanæ fragilitatis, ac divinæ misericordiæ documentum. Benedictus Fernandius Borbensis, Martyr in Japonia.

Diripitur Farus.

14. Classis Anglica centum & sexaginta navium terrore compleverat Ulyssiponem, quò tantum belli apparatum collimare creditum est. Verùm tendebat ad Gades expugnandas. Proram in Algarbia direxit hostis: ostendit se Lacobrigæ imminere, huc Lusitanus confluxit prohibiturus hosticam excensionem. Nihil minùs cogitabat Anglus. Ut eò videt concurrisse militem, temporis momento proras vertere, atque in Farensi littore militem exponere, urbem capere & diripere divitiis plenam. Hoste cedente recipitur in urbem Episcopus, qui Lacobrigam cum milite contenderat. Ut tot afflictis rebus qualecunque adhiberet remedium, vocat de nostris aliquos ex Eborensi Collegio, qui tum subsidus spiritualibus, tum eleemosynis abundè procuratis miserorum inopiam sublevârunt.

Charitas in diversis Collegiis.

15. Collegia Portuense, Bracharense, & Brigantinum nacta sunt amplam charitatis exercendæ materiem. Eas regiones annonæ penuria multùm pressit. In Civitate Portuensi ex ærario publico adepti sunt Patres quingentos cruciatos, alios quingentos à personis piis collegerunt. Quibus, aliisque præsidiis aluêre ad nongentos pauperes. Ducenti diebus singulis victum habituri varias locupletum domos ex condicto Patrum adibant. Bracharæ sustentabantur ad ostium Collegii pauperes quadringenti, tercentum Brigantii. Illic fami conjunctus morbus perniciosus; subventum miseris. Ex pio labore solus obiit Joannes Valascus Coadjutor. Par fames in insula Madeira, & Tertia; par utrobique nostrorum charitas. Per insulas Tertiam, Gratiosam, Flores, aliáque oppida, nostri Evangelici præcones discurrêre.

Res Angolæ.

16. Angolanis non deerant excursiones sacræ per Loandam & Corimbam insulas, & Coansæ fluminis regionem. Lusitanus exercitus castra metatus est in ripis Coansæ; flumine cuncta inundante natabant homines aqua mersi: orta inde lues: nostri duo in castris instituêre nosocomium, quo curarentur ægri, sacris animæ mysteriis procuravêre morientes. Contagium secuta fames. Equos, quos

quos interemit lues, edebant. Non pauci, dum piscantur in flumine, à crocodilis, quibus abundat, devorati sunt. Gemini Sobæ, sive Reguli, bello victi, capti, &, quòd à Lusitanis defecissent, capitis damnati sunt; sacris tamen lymphis ante mortem ablui voluerunt.

Annus 1597. Soc. 58.

1.

Decem & septem Evangelicæ cultores vineæ ad Indiam solverunt, undecim Lusitani, cæteri ex Italia, omnium Moderatore P. Emmanuele Viega. In Societatem cooptati sunt: Michaël Carvalius Bracharensis, illustris Christi Martyr in Japonia: Antonius Soarius, natus Vianæ Interamnensis Provinciæ, obiit Malacæ cum Pro-Rege Martino Alphonso Castrio; quod animadverto, ut intelligatur, illum ejusdem nominis, qui patriâ Borbensis, Martyrium passus in Ceilamo, apud Indos Societatem iniviste: nec enim duo ejusdem nominis recensentur in Catalogo migrantium ad Indiam. *Ad Indiam profecti, & Societatem ingressi.*

2. Conimbricæ Aprili mense celebrata Provinciæ comitia. Romam iturus Procurator eligitur Ruysius Martinius Rector Portuensis, in Italia vitâ defunctus. In eo Conventu postulatum est à Patre nostro: daret titulum Fundatoris Domûs Professæ cum suffragiis solitis Regi Joanni hujus nominis tertio, cùm abundè donâsset illi domicilio, ut hunc honorem & preces mereatur. Annuit Roma, & tanto Regi, ac Societatis nostræ parenti honorificum hunc titulum cum suffragiis attribuit. Cur vivus non admiserit Fundatoris nomen, suo loco dictum. *Provincialis Conventus.* *Datur titulus Fundatoris Domûs Prof. Joanni Regi.*

3. Provincia Domo tironum separatâ crevit Ulyssipone, Fundatoribus Fernando Tellio Menesio, & ejus conjuge Maria Noronia de primaria regni nobilitate. Fernandus summa cum potestate gubernaverat Indiam & Algarbia, supremùmque Concilium Senatorum causarum Ulyssipone. Donârunt annuum reditum regalium æreorum quingenta millia, partim ex pecunia ad censum data, partim in reditu Villæ montis Oliveti, in qua domus tironum est fundata. *Initium Novitiatûs Ulyssiponensis.*

4. Interim placuit initium huic institutioni fieri in villa Campilidi, quæ vix quartâ parte leucæ ab urbe distat, Illam Domus Professa jussu P. Claudii tironibus vendiderat. Eò venire jussi Eborâ & Conimbricâ tirones aliquot. Primus ipsis Rector datus est Ven. P. Antonius Mascarenius. Dedicatio facta mense Decembri die Expectationis partûs. Domus consecrata Assumptioni Virginis. Sacris operabatur P. Christophorus Gouvea Portuensis, qui cœperat hoc anno Provinciam moderari, simul tironibus impertiit epulum Eucharisticum. Adfuit Dominus Fundator, & graviores de nostris. Accumbentibus mensæ cibos ministrârunt Joannes Madureira Domûs Professæ Præpositus, Ludovicus Alvarus Collegii Rector, & socius Provincialis. Sexennio victitârunt in ea villa tirones; dein reditus impensi condendo ædificio.

5. Alexander Brigantinus, qui Conimbricæ in nostris scholis absolverat curriculum Philosophicum, concessione avunculi sui Philippi Regis, intra Collegii nostri parietes examen pro prima laurea sustinuit. Gradus artium Magistri privatim illi collatus est in Cœnobio S. Crucis ab Academiæ Cancellario. Theses & examina cætera ex Regis dispensatione non subiit, litterarium tamen de more pendit tributum. *Alexander Brigantinus donatur gradu Magistri.*

6. Illustratur Conimbricensis Academia magisterio sapientissimi P. Francisci Suarii Granatensis. Etenim Rex litteris datis 11. Aprilis moderandam illi commendavit primariam Theologiæ cathedram. Advenit Conimbricam, ubi tunc erat noster Provincialis, qui potestate ex Societatis privilegiis concessâ eum donavit gradu Doctoris Theologi. Octavâ die Maji iniit possessionem cathedræ, cœpitque dictare quæstiones de Pœnitentia. *Venit in Lusitaniam P. Suarius Granatensis.*

7. Suborto postea dubio, num Doctoris gradus ita collatus sufficeret, affirmabant pro Universitatibus Pontificiis, non pro Regiis, ut erat Conimbricensis, *Lib. 5. tit. 68. §. 7.*

X 2

censis, in cujus legibus una est, tales non reputari Doctores, sed in ea facultate Baccalaureos, alia adhuc subituros, ut gradu Doctoris insigniantur. Hujusmodi dubiis tollendis P. Suarius Eboram proficiscitur cum Provinciæ Præside, qui adesse voluit, ut faciliùs, si forent, vincerentur difficultates. In legibus illius Academiæ idem est obex circa tales Doctores per privilegia creatos, si de Societate non sint.

Lib. 4. c. 4. §. 2. & 4.

8. Ne tamen persisteret scrupulus Conimbricensis Academiæ, visum est thesium actu magno prævio, donari laureâ. Sustinuit eo præside theses P. Gonsalus Luisius, ibidem anno sequenti docturus Philosophiam. P. Christophorus Gilius tantâ vi contorsit argumenta, ut Suarius in ipso cognoverit præstantissimum ingenium, & Magistrum, dixeritque: nescire, cur se ex alia natione vocaverint ad moderandam cathedram Conimbricensem, cùm tantus vir, quantus erat Gilius, Lusitaniam incoleret.

P. Suarius Eboræ fit Doctor.

9. Die quartâ Junii in templo nostro, Patrono Alphonso Mello Canonico & Inquisitore, subinde Lamecensi Episcopo, donatus gradu consuetis cæremoniis à P. Fernando Rebello Academiæ Cancellario, viro doctissimo, ût illius testantur opera Theologica typis vulgata. Quintâ Junii expedita testificatio Academica de collato gradu, membranæ inscripta conservatur in tabulario Conimbricensi. Subscripsêre P. Petrus Novasius Rector, olim in eadem Academia primarius Theologiæ Professor; Fernandus Rebellus Cancellarius, Blasius Viegas Professor scripturæ, Stephanus Coutus, Christophorus Gilius, & Petrus Luisius, sacræ Theologiæ Professores.

Classis Angliæ obsidet incassum Insulam Michaelensem.

10. Angli formidandâ classe in altum provecti ad capiendas naves Hispanas ex America redeuntes, ad Tertias insulas processêre, vastatis insulis Fayalio, & Pico, applicant omnem classem insulæ Michaelensi. Anchoræ jactæ in conspectu urbis Pontædelgadæ. Regebat insulam Gonsalus Vasæus Coutinius vir prudentissimus, ac fortissimus. Angrâ jam notam habuit classis magnitudinem. Igitur, ne imparatum hostis adoriretur, contrahit totius insulæ militem in Pontamdelgadam; omnem munit stationem, in quam poterant hostici milites exponi; verbo Ductoris optimi partes explet.

11. Decimâ quartâ Octobris Classis in anchoris ad vigesimam diem mensis ejusdem commoratur. Sæpe hostis tentavit excensionem, sæpe repulsus est. Tandem re infectâ sustulit anchoras, atque excessit. Quinque sacerdotes nostri his diebus fuêre in diversis castrorum stationibus, audiverunt pœnitentes milites, operati sunt ad aram, piis cohortationibus animârunt, ut pro fide, aris, & focis patriam tuerentur. Noluit à latere suo Rectorem discedere Coutinius. Vix dici potest, quantum in nos creverit Insulanorum amor, perspectâ curâ, quâ ipsis consulebamus.

12. Post hostis discessum opitulantur Patres superstitibus ex nave Indica à S. Francisco dicta, de qua suprà, cùm rediisset ex Brasilia, sed morbo & fame miserè cruciata. Haud minori curâ subvenerunt oppido Villæ francæ, quod desertum jussu Coutinii hostis occupavit, ac diripuit. Ad sublevandos miseros, cùm victûs annonâ pariter laborâssent, eleemosynæ à nostris conquisitæ sunt.

Annus 1598. Soc. 59.

I.

Mors P. Ignatii Martinii.

ANni hujus primordia funestavit obitus admirandi herois Ignatii Martinii, de quo hactenus toties gloriosa facta est mentio. Mundo editur Gouveæ in Conimbricensi diœcesi. Ingenium illi præclarissimum. Laureatus gradu Doctoris Eboræ. Cùm emineret dotibus ad sacri suggesti conciones, huic muneri applicabatur. Initio studium titillavit auræ popularis, plausitque sibi, quòd gratissimus accideret auditoribus. Leo Henriquius illius Eboræ Rector gnarus, quàm salubre foret Ignatio in rupe solida, non in arena mobili

mobili fundamenta jacere, eum quà crebris reprehensionibus, quà pœnitentiis injunctis paulatim fregit. Postremis annis cùm Henriquius vidit, qualis, quantúsque vir Ignatius evasisset; brachio apprehenso, *recordaris*, inquit, *Ignati, quàm tibi fuerim acerbus Eboræ? nisi fecissem, quæ gessi; procul dubio, qui es, non esses.*

2. Divino monitu contempsit hominum plausus, séque totum tradidit convertendis animis tum per conciones, tum per doctrinæ Catecheticæ explanationes; quod munus egit, dum inter vivos erat, incredibili sui laboris fructu, & virtutis opinione. Nemo Ignatio laborum appetentior. Excusare se à rebus arduis pro Dei gloria seu agendis, seu tolerandis ignoravit. Virtutes religiosæ ejus animam certatim exornârunt. P. Petri Fonsecæ verba erant: *Ignatius totus est aurum contritum, & redactum in pulverem.* Desiderio suo omnibus inferior, quemque ex sociis coadjutoribus sibi anteponebat. Quæsivit ex Coadjutore, num stultum se fingendo, ut cunctis esset risui, rectè ageret? Cui ille, sibi id non probari; cessaturum tunc lucrum animarum magno labore partum: placuit responsum, & conquievit. Ludovicus Granatensis plurimùm venerabatur Ignatium, ardorémque ejus suspexit in edocenda plebe & pueris.

3. Conimbricam adire jussus causâ Provincialis conventûs habendi pedibus iter fecit, ínque oppidis, quà transibat, doctrinam Christianam sparsit. Comitiis finitis, rogatu urbis & antistitis Conimbricæ remanet, durátque tantùm ad quadragesimæ initium; nam post concionem Dominicæ primæ ægrotare cœpit; mox in valetudinarium postulat deferri, quo cæteri curabantur. Duo per id tempus maximo sibi esse solatio dixerat: conscientiam notam semper habuisse Majoribus suis, séque totum permisisse placitis obedientiæ.

4. Ut eum exhilararent socii, transtulêre in valetudinarium arundinem, & unum ex vexillis doctrinæ Christianæ. Rogatus, si quid vellet ad animum recreandum? oblectamento sibi fore reposuit, si tiro aliquis coram se catechesim edoceret. Eorum unus extemplò vocatus ægroto morem gessit, tirones alios interrogando. Obiit suavissimè morte Justorum octavâ & vigesimâ mensis Februarii. Ejus cadaver tum à domesticis, tum externis venerationi habitum. Sepeliêrunt unà cum arundine sanctæ doctrinæ, quam manu gestabat. Ossa illius inter alia virorum illustrium sunt condita in pariete sacelli domestici D. Antonio consecrati. Vitam Ignatii prolixè scriptam, heroicis plenam rebus, typis mandavi in opere de Novitiatu Conimbricensi.

5. Præter Ignatium non defuêre mortui digni memoriâ. Eboræ dies sexta Septembris ultima fuit P. Nicolao Gracida Valentiniano. Vixit inculpatis moribus: tirones Eboræ instruxit: optimis ad dicendum talentis instructus inter insignes sui temporis Ecclesiastes numerabatur. Ab externorum commercio sic segregatus, ut neminem ipse inviseret domi suæ, nemo ipsum domi nostræ conveniret. *Moritur P. Nicolaus Gracida.*

6. Ibidem 24. Aprilis præmaturâ morte sublatus est Sebastianus Barretus scholasticus, Fronteiræ natus, adolescens modestissimus. Supremùm ægrotans, nihil cogitabat aliud, quàm æternam felicitatem. Socii eum recreaturi cœperunt tono suavi cantionem modulari de patria cœlesti; sic est, hâc auditâ, Cœli amore succensus, ut postulaverit cereum accensum; quo oblato tranquillimè efflavit animam. *Sebastianus Barretus.*

7. In Domo Professa vivis ereptus Franciscus Rodericius Coadjutor. Singulariter coluit multis obsequiis Virginem Matrem. Existimatur ab ipsa edoctus moriendi tempus. Collegit se per sancti Parentis exercitia, & generalem homologesim. Nec multò pòst transiit è caduca ad perennem vitam. *Franciscus Rodericius*

8. Conimbricæ 8. Februarii postremum edidit vitæ spiritum Antonius Mellus scholasticus, Ulyssiponensis illustri ortus familia. Pollebat optimo ad scientias & virtutes ingenio. Nihil eo mansuetius, aut propriæ demissionis studiosius. Factus certior vicinæ mortis novam induit lætitiam. Gratias, quas *Antonius Mellus.*

potuit,

potuit, DEO habebat, quòd moreretur in Societate. Crucifixum amplexus, ipſi reddidit animam.

Plures mortui in Ulyſſipon. Collegio.

9. Plures incolas amiſit Ulyſſiponenſe Collegium. Die 20. Aprilis Gaſparem Cunea Coadjutorem Guimaranenſem. Studioſiſſimus fuit laboris. Aſſiſtens ſacerdoti febri malignâ correpto luem contraxit, & abiit. Vigeſimâ Maji Emmanuelem Fernandium Coadjutorem monte trigo in Eborenſi diœceſi natum. Numerabat ætatis annum undeſexageſimum. Magna in eo charitas, magnum orationis ſtudium. Vir ſanctus ab omnibus habebatur. Quintâ Maji Gonſalum Serra Portuenſem Coadjutorem. Plurimùm induſtriis ſuis promovit opera ſurgentis Collegii. Modeſtus ſemper, ac manſuetus. Grandi lapide ei manum confringente, dolorem tantâ patientiâ tulit, ut eſſet cunctis admirationi. Vigeſimâ quartâ Novembris Chriſtophorum Pimentam Anſedienſem, tam amicum laboris, quàm inimicum otii. Cœperat tum peſtilentia, de qua anno ſequenti, nondum cognita Ulyſſiponem pervagari; dum Chriſtophorus it comes ſacerdotibus ad audiendas confeſſiones vocatis, peſte afflatur. Dolorem ſuborti in humero metuendi carbunculi ſuſtinuit invictâ patientiâ, & ſanctiſſimè expiravit, ſepultus in ſepto domeſtico.

Ingreſſi Braſiliam, & Societatem.

10. Ad Indiam nullus, ad Braſiliam quatuor contenderunt, Antonius Mattius, Melchior Alvarus, Hieronymus Peixotus, ſacerdotes, cum Joanne Gomio nondum initiato. Societatem inivêre Hieronymus Vogadus, vir exquiſitæ virtutis. Ludovicus Brandanus Ulyſiponenſis, poſtea Societatis Aſſiſtens. Franciſcus Garcia, natus Alterchami, præclarus apud Indos Archiepiſcopus. Antonius Azevedus Ulyſiponenſis è prima nobilitate, anno vitæ ſeptimo & quadrageſimo nuncium mundo remiſit.

Domicilium pro puellis.

11. Novum puellarum domicilium erigitur Ulyſipone, authore præcipuo operis P. Petro Fonſeca. Inſtitutum erat, ut ibi educarentur puellæ orbæ parentibus, quæ numerarent jam ætatis octavum, vel nonum annum. Hujusmodi agnas plerumque agebant lupæ in ſuas domos, nutriebántque, ut ætate creſcente proſtituerent, ac turpiſſimum facerent quæſtum, nutricibus lucroſum. Tam pio operi procurata in annuum reditum ducenta æreorum regalium millia. Conſcriptæ leges, & creata Nobilium Sodalitas, quæ gynæcei promoveret commoda.

Primus lapis templi Conimbricenſis.

12. Auguſti die ſeptimâ Alphonſus Caſtelbrancus Epiſcopus conſuetâ ſolemnitate poſuit primum lapidem templi noſtri Collegii Conimbricenſis: quod inde paulatim ſurrexit ad eam amplitudinem, ut nullum ſit in urbe auguſtius. Regebat Collegium P. Hieronymus Diaſius Conimbricenſis. Adfuit etiam Chriſtophorus Gouvea Provinciæ Præpoſitus. Prandente apud nos Epiſcopo decem linguis diverſis de pulpito dictæ ſunt orationes.

Aliæ res Collegii Conimbricenſis.

13. In eodem Collegio inſtituta Sodalitas pro ſcholaſticis externis. P. Ignatius Martinius induxit bis ſingulis Quadrageſimæ hebdomadis conventum ad piam flagellationem. Idem mos ampliatus ad tempus Dominici Adventûs. Decem & tres è Collegio progreſſi ad ſacras miſſiones obeundas.

Res Eborenſis Collegii.

14. Eborenſi templo additum eſt ſacrum Veſtiarium, quo nunc utimur. Aliud erat obnoxium incommodis, quòd per illud tranſiretur è Collegio ad templum. In compluvio prope pharmacopolium erectus fons pyramidis inſtar ex marmore Eſtremotienſi, ut ſunt reliqui fontes ejuſdem Collegii. Decem ex eodem Collegio peregerunt miſſiones. P. Joannes Rebellus excoluit Beneventum oppidum prope Tagum. Illic erexit ſodalitium pro juvandis animabus igni luſtrali addictis, & aliud Chriſti ferentis crucem, cum ſupplicatione Paſſuum. Id planè admirandum: vir pius plurimùm ſumptu ſuo conſtruxerat ſacellum in ſtatione montis Calvariæ. Concubiâ nocte audit propè inambulantis tonitum: percontatur, quid hominis ſit? reſponſum percipit: Egredere quàm primùm, imminet ruina domûs. Hoc metu perculſus ſuſcitat familiam. Vix pedem extra limen tulerant, ecce domus collabitur. Præſentem Angeli Cuſtodis opem viri pietati tribuerunt omnes.

15. Bri-

15. Brigantini Collegii charitas nacta est amplissimum theatrum: nam sæviente fame non solùm pauperes, sed etiam divites eguerunt. Utrisque pro, potestate sua subvenit Collegium. Porrò persuadebant nostri iis, qui abundabant, ut horrea sua aperirent. Compensavit Deus effusam in pauperes liberalitatem anni insequentis fæcundâ messe. Charitas Collegii Brigantini.

16. Ut anno superiore terruerant Angli Michaëlensem insulam; sic præsente grande periculum Angrensi impendebat. Classis in eo mari expectat Hispanienses naves ex America redeuntes. Factum est, ut densâ nebulâ obtegente naves Hispanæ, hoste ne quidem viso, incolumes Angrensem portum ingrederentur. Ubi discussa nebula, conspexit Anglus prædam elapsam, urente dolore meditatur in ipso portu naves invadere; sed arcis, quæ ipsas protexit, metu abstinuit. Cogitabat pariter milite exposito insulam depopulari; sed Insulanis ad impediendam descensionem paratis, sine ullo emolumento in Angliam est reversus. Nostri his in angustiis se devoverant militi juvando. Labor Angrensis Collegii.

17. Nefas est præterire silentio obitum Regis Philippi Hispaniarum secundi hujus nominis, Lusitaniæ primi, quem natura abundè cumulavit donis omnibus ad formandum Regem tanto dignum fastigio. Exemptus mortalitati die decimâ septimâ Septembris, sepultus jacet in sacro & Regali Cœnobio divi Laurentii, quod augustâ prorsus Majestate ipse condiderat. Illi successit Philippus Hispaniarum Rex tertius, Lusitaniæ secundus. Moritur Rex Philippus II.

Annus 1599. Soc. 60.

1.

Annum, sæviente pestilentiâ, huic nationi funestum scribimus, nostræ verò Societati ob immolatas charitati victimas gloriosum. Octobri mense anni superioris jam cœpit malum explicari Ulyssipone, inde ortum, quòd navis alienigenarum appulsa ad Gallæciam pestis incendio flagrantem merces aliquot exposuit, mox recepit contagione infectas. Septembri mense Ulyssiponensem portum ingreditur, secum vectâ pernicie, quæ cum mercibus exposita est. Pestis Ulyssipone.

2. Primis mensibus, ùt solet fieri, vix esse credebatur, quod erat: donec latiùs se malo diffundente, patuit urbem infici. Constitutâ à Regentibus domo, ùt vocant, *salutis*, quâ curarentur lue contacti, postulârunt à P. Francisco Gouvea Domûs Professæ Præposito, haberet sibi curæ illam domum, daturos, quæ in rem forent opus. Ad hæc P. Præpositus: Societatem non defuturam omnibus, verùm nolle se admittere ullam temporariam administrationem pecuniarum, ob validas, quas allegavit, rationes, súntque probatæ viris prudentibus. Subinde ostensum, quàm sanum hujusmodi consilium fuisset; nam qui susceperunt eam curam, tot, ac tam indigna sunt passi sine merito suo, ut plurimùm laudarent Societatem, quòd à tali administratione abstinuerit.

3. Provinciæ Præses Conimbricâ scripsit, ut relictis Ulyssipone, qui forent necessarii, cæteri statim mitterentur ad loca diversa, ab hoc timore libera. Socii Conimbricenses rogant ardentissimè eam sibi demandari Provinciam, ignorantes, brevi eâdem pernicie urbem suam involutum iri.

4. Ad domum igitur separatam urbis misit Præpositus Antonium Rodericium, Antonium Carvalium, & Gonsalum Leitium, sacerdotes; Didacum Diasium, Franciscum Pirium, & Emmanuelem Laurentium, coadjutores. Eòdem iêre P. Laurentius Ortogius Belga, & P. Joannes Olingus Hybernus, in convertendis hæreticis egregii. Progrediebantur, ac per urbis plateas interrogabant, essénne, qui vellent animas expiare?

5. In templo nostro fiebant sacra, ac dabatur volentibus cœlestis panis. Exiêre per urbem nonnulli ad escas dividendas tum honestis pauperibus, tum aliis. Flagitavit Senatus, ut Nostri largirentur indigentibus numos, quos de suo ærario proferebat: id acceptatum eâ conditione, ut vir, quem destinarent ipsi,

pecunias acciperet, & referret in librum expensarum, quoad jussu Nostrorum distribueret. Hoc modo & charitati, & honori nostro consultum.

In peste defuncti. 6. Dum tam pio incumbunt ministerio, animas ex iisdem aliqui posuerunt. Videlicet: PP. Laurentius Ortogius, & Joannes Olingus: Melchior Diasius, Didacus Diasius, Emmanuel Laurentius, & Sebastianus Gonsalvius, Coadjutores: demum P. Didacus Vieira Madeirensis, unus ex antiquioribus Provinciæ, vir multæ authoritatis & virtutis.

Quid egerit Collegium D. Antonii. 7. Interim & ex Collegio Ulysiponensi, cui præerat P. Franciscus Araujus, pari studio latæ miseris suppetiæ. In templo apertis foribus sacerdotes ad aram faciebant; atque etiam excepêre confessiones pœnitentium sedilibus prope cancellos clausos dispositis, cerato panno inter pœnitentem & Confessarium suspenso, ne oris halitum Confessarius ebiberet. Sic factum, Deo favente, ut, quamvis illic auditæ fuissent infectorum non paucæ confessiones, nullus tamen sacerdos malo feriretur.

8. In ædes extra Collegium migrârunt Patres Calixtus Mota Brasiliensis, & Alexander Ferrarius Italus cum duobus Coadjutoribus: quotidianus victus ad eos è Collegio mittebatur. Ex illa statione discurrebant per urbis regiones expiando infectos; spargendóque eleemosynas tum missas de Collegio, tum ex locupletibus & Senatu acquisitas. P. Mota perculsus lue sanctissimè decessit. Reliqui tres superstites evasêre. Tum hic, tum in Domo Professa multis precibus ac jejuniis justam Numinis iram placare satagebamus.

9. Quia locupletes ex urbe cesserant, fames plurimùm dominatur. Penè toto anno ad ostium Collegii quotidianus victus trecentis, nonnunquam quadringentis pauperibus distributus est. His compendio enarratis, Ulysipone, quam mense Septembri reliquit pestis, egrediamur.

Pestis Conimbricæ. 10. Conimbricam eadem flamma corripuit, deducta Ulysipone à Regio Provisore, qui Præfecturam initurus in domestica supellectili pervexisse contagionem creditur. Etsi custodes urbis prohibebant ingressum, vi usus eorum elusit conatus. Veneno hoc cum aliis extinctus est Provisor: conjux mulier piissima intimo dolore tacta, se, suúmque maritum fuisse tanti mali causam, devovit suam vitam infectorum servitio, quod egregiè præstitit, quàm diu licebat.

11. Ne tanta communitas, quanta solet Collegium inhabitare, periculis exponeretur, missus tironum Magister cum suis ad Residentiam quandam Collegii. Ne populo deessent mystæ & Confessarii, decem migrârunt ad ædes dictas Collegium vetus. Nullum his erat commercium cum cæteris domûs incolis. E magno numero, qui studiis ardentissimis rogârunt, destinari ad pium opus infectis serviendi, sunt electi sacerdotes Georgius Tavora, & Emmanuel Rodericius cum Ludovico Antunio Coadjutore, missi in villam Cheiram, quæ leucæ quartâ parte à Collegio distat. Inde prodibant ad confessiones excipiendas in salutis æde posita inter oliveta prope sacellum D. Sebastiani: quacunque exciti accurrebant.

12. Præter auxilia urbi destinata in vetere Collegio, P. Antonius Proensa cum Petro Francisco Coadjutore secesserunt in domum areæ, quæ est contra templum Collegii. Ex illa statione fervore incredibili obibant urbem clamando, si quis vellet confiteri. Dum sacerdos unum audiret, Coadjutor alium parabat, ut rite confiteretur.

Defuncti. 13. Ubique maximis animis egregii decertârunt athletæ, omni labore & periculis majores. In Collegio multimodis precibus, & voluntariis castigationibus placabatur DEus. Cecidêre ad charitatis aras quaterni. Ex confidentibus in Collegio vetere tertiâ Maji spiritum Deo reddidit P. Arnaldus Crucius Ulysiponensis: splendebat moribus sanctissimis, quos pretiosa coronavit mors. In anno glorioso de ipso mentionem facere sum oblitus. E tribus, qui ad villam secesserant, obiêre duo, P. Georgius Tavora, natus in oppido S. Joannis de Pesqueira, Aprilis die quartâ finivit vitam, & pium laborem: sepultus ad infimos gradus ante porticum ædiculæ divi Sebastiani. Ad nostros dies ibi cer-

cernitur lapis sepulchralis cum notis incisis, quibus ipsius mors, piâque mortis causa eleganter exprimitur. Decimâ octavâ Julii Ludovicus Autunius efflavit animam, tumulatus prope P. Georgium: natus erat Lorvani prope Conimbricam.

14. Vigesimâ tertiâ Maji periit Petrus Franciscus Coadjutor, patriâ Bracharensis, qui juvabat in urbe P. Antonium Proensam; Contage affectus in Cheiram deducitur, mandatus & ipse terræ ad ædiculam D. Sebastiani. PP. Proensa & Rodericius iunumeris defuncti periculis triumphantibus similes, malô terminatô, se domum recepêre. Rector P. Hieronymus Diasius adornaturum se Divo Antonio Lusitano spopondit intra domesticos parietes novum sacellum, si Collegium à pestilentia immune foret. Voti reus solvit promissa. Porrò dum calamitas grassabatur, profusissimè egenis consuluit, cibis ad Proensam quotidie missis, ut distribuerentur.

15. Brigantinos cives par Dei flagellum terruit, Nostros par charitas illustravit. P. Gonsalus Paira cum Bartholomæo Alvaro Coadjutore extra Collegium in quadam urbis æde consedit: nocte, diéque non pepercerunt labori: P. Gonsalus malo perculsus post triduum convaluit. A dimidio Julio ad Septembrem sævit lues. Ilud mirandum, quòd in carne secta, & de corporibus infectorum avulsa apparerent lacertarum, ranarum, & aliorum animantium figuræ prorsus fædæ, indices divinæ ultionis. Pestis Brigantii.

16. Huic pestilentiæ prælus erat atrox fames, & ex ea per egenos vagatus morbus plurimos absumpsit. Horum auxilio se consecravit P. Garcia Gonsalvius, natus Mazagami. Eleemosynis abundè datis à Collegio, ab Episcopo, & personis piis juvit miseros. Verùm perniciosa febris, quæ vorabat pauperes, eum dejecit in lectum, & tumulum. Suâ sorte, & morte lætissimus exuit vitam 12. Martii. Credebant cives ob effusam in pauperes liberalitatem Collegium annonæ penuriâ laboraturum. Omnes fefellit opinio: quin segetes illius plurimum tulêre proventum, & citiùs aliis adeptæ sunt maturitatem. P. Garcia claruit virtutum omnium cumulo jam typis vulgato. Mors P. Garciæ Gonsalvii.

17. Ulyssipone in navi delata est Angram pestilentia. P. Franciscus Fernandius Francozensis Coadjutor spiritualis, multis id flagitantibus, destinatur, ut in urbe infectorum confessiones audiret. Cæteri jussu moderatoris se continebant domi, & in templo administrabant sacramenta. Inopi turbæ, quam fames presserat, subventum eleemosynis. P. Franciscus 30. Augusti peste confectus est magnâ de se apud Insulanos relictâ virtutis opinione. Pestis Angræ. Obit P. Franciscus Fernandius.

18. Victimis, quas ad aras suas immolavit charitas, relatis, ad alia progredimur. Quartâ die Novembris in Domo Professa mortalitate exutus est P. Petrus Fonseca, hujus Provinciæ firmum columen, heros incomparabilis, Theologiæ pharus lucidissima, virtutibus ornatissimus, natus in oppido Cortissada Prioratûs Cratensis in Beirensi Provincia. Egit Rectorem Collegii Conimbricensis, Assistentem Romæ, Præpositum Domûs Professæ, & Visitatorem, summâ integritate, & prudentiâ. Ulyssipone instituit diversa domicilia pro puellis conservandis, & educandis, pro fæminis ad meliorem frugem conversis, pro catechumenis, pro monialibus divæ Marthæ, pro adolescentibus Hybernis. Omnibus utiles, quibus gubernantur, scripsit leges. Mors P. Petri Fonsecæ.

19. Ille ex aliis nationibus ad Domum Professam evocavit operarios, qui suos populares, si essent orthodoxi, promoverent in studio virtutum; sin hæretici, ad fidem salvificam reducerent. Domûs Professæ templum, atque ædificium maximis auxit incrementis. Scripsit in Philosophiam volumina plena doctrinæ. In suo Theologico magisterio docuit primus in scholis *Scientiam mediam*. Magni habitus à Gregorio XIII. Magni à Rege Philippo; quibus valde probata P. Petri ingens in rebus agendis prudentia. Patriæ suæ donavit *Lignum veræ Crucis*, quod illic ad præsentem diem colitur.

20. Res nulla magno ejus animo difficilis; quæque ardua, ubi est aggressus, reddidit facilia. Inter negotia nihil ejus interna pax turbari poterat. De

rebus à se factis nemo loquentem audivit. Causâ pestis Ulysipone grassantis Eboram secesserat: sed eâ jam extinctâ rediit Ulysiponem: paulò post tertianâ laborare cœpit, à qua magno omnium luctu paulatim consumptus est, editis per id temporis exquisitæ virtutis exemplis. In opere de domicilio tironum Conimbricensium descripta reperies.

Moritur P. Blasius Viegas.

21. Magnam pariter Provinciæ jacturam attulit mors P. Blasii Viegæ Eborensis Doctoris Theologiæ: in illa Academia fuit celeberrimus divinæ Scripturæ Professor, & scriptor præclarissimus. Spectatissimæ dotes Blasium ad magisteria exornârunt. Annis quindecim exposuit de cathedra sacras litteras. Naturæ dotibus ornamenta virtutum accessêre, quibus erat venerationi universis. Vix numerabat Societatis annos triginta, ætatis quadragesimum sextum. Post mortem typis commissa illius in Apocalypsim commentaria, probata sapientibus.

Antonius Homo venit ad societatem.

22. Plures inter anno labente Societati junctos, peculiarem memoriam promeretur Antonius Homo, Fronteirensis, temporalis Coadjutor, selectis præditus virtutibus. De iis, qui ad Indias profecti, sermo occurrit uberior. Anno proximo naves solvêre quatuor, in quibus vehebantur multi de nostris, in portum regredi coactæ, quòd plurimæ naves Anglicæ eas expectarent. Batavi pariter incussêre metum. Igitur anno hoc naves septem expediuntur omni apparatu bellico instructæ. Eas de nostris conscenderunt viginti duce Christi Martyre P. Carolo Spinola, quatuordecim erant Lusitani, unus Sardus, Itali reliqui.

Profecti ad Indos.

23. Regni Gubernatores tum quinque denuntiârunt profectionem mense Januario futuram. Quoniam verò urbs laborabat pestilentiâ, timebatúrque, ne inter navigandum naves incenderet, non fuit sacerdos, qui posset ullo induci pretio ad munus animarum Curionis in navibus obeundum. Quare postulârunt Gubernatores, ut nostri pro Societatis charitate per naves dividerentur. Quod præstiterunt eâ animi præparatione, ac zelo, quâ se consecraverant Ethnicis salvandis. Magni ab omnibus habita ejusmodi charitas, vulgatúmque in angustiis promptissimos solùm inveniri Societatis homines.

24. Quatuor naves, earum una fuit, quâ vehebatur P. Carolus, quartâ Februarii moverunt. Reliquæ tres decimâ tertiâ Martii. Inter eos, qui de nostris hominibus hâc classe navigârunt, præter Spinolam martyrio sunt laureati P. Hieronymus de Angelis apud Japones, Vincentius Alvarus scholasticus apud Indos. In itinere vitâ defuncti sunt PP. Petrus Marcanus, Blasius Cardozus, Alphonsus Alvarus, Petrus Brixianus, & Felicius Augerius.

Missiones.

25. Intra limites Provinciæ ultra quinquaginta discurrêre missiones obeundo. Viceni & duo de Collegio Conimbricensi; cæteri de Domo Professa, & Eborensi Collegio. Clausis ob pestilentiam Eboræ & Conimbricæ publicis scholis, Nostri intra Collegia suos audivêrunt Magistros, solitáque studentium exercitia obiêrunt.

Scholæ privatæ.

Res Eborensis Collegii.

26. Quo tempore urbes aliæ pestilentiâ conflictantur, Provinciæ Præses Eboræ multis precibus unà cum toto Collegio procurabat amoliri pœnam divinam. Exposita per dies plurimos in sacello domestico Eucharistia à quarta hora matutina ad sextam vespertinam, sociis in orbem sibi succedentibus, fundentibúsque preces. Bis per hebdomadam tintinnabulo designante initium & finem verberatio fiebat. His, aliisque suppliciis iram divinam avertimus; neque Collegium, aut urbem lues attigit: tametsi quatuor de nostris sacerdotibus cum tribus coadjutoribus in Domo quapiam extra Collegium expositi fuissent, ut datâ necessitate urbi succurrerent.

27. Urbs Guadalupensi Virgini, quæ colitur in agro Eborensi ad Montem murum, promisit anathema argenteum magni ponderis, si suos cives incolumes servaret; compos voti, argentum misit. Mendicis, queis intra urbem degere vetitum, Nostri cum ex suo, tum liberalitate Archiepiscopi, magnâ diligentiâ subvenerunt. Præterea contulerunt carceri & nosocomio. Sedata ingens

gens discordia inter cives & urbis Præfectum, lite non sine multo sanguine aliàs dirimendâ.

28. In Portuensem urbem pauperum ad duo millia confluxerunt, dirâ fame pressi. Patres illius Collegii rogârant Episcopum, & urbis Præfectum, ut cum Optimatibus civitatis consulerent, quî posset succurri tot miseris: rogantibus annuerunt datis ex ærario urbis mille cruciatis, quibus Episcopus, & cives locupletes Symbolam adjecêre suam: destinati viri, qui certis quotidie horis partirentur victum illi multitudini in unum locum compulsæ; eò quòd non esset illi ad petendas eleemosynas permissum ostiatim vagari. Angræ, ubi itidem fames, Collegium distribuit in alendos pauperes omne triticum. Præter duas mensuras (*alqueires* vocant Lusitani) nihil prætereà in horreo superfuit. In extrema penuria providit Deus; nam civis locuples Rectorem convenit, obtulitque omne frumentum necessarium. Charitas in Portu, & Angræ.

29. Erysipelas perniciosum serpebat per mendicos, & egenam turbam in urbe principe Michaëlensis insulæ. Ne in pestem degeneraret, unus è Collegii sacerdotibus suasit urbis Rectoribus, sibi darent Medicum, Chirurgum, & medicamenta, quæ forent opus. Collaudatâ Societatis curâ & charitate, promptè factum, quod sacerdos poposcerat; illéque de pulpito templi denunciavit, ut ægrotorum, quos domi suæ haberent, nomina indicarent; cúmque eorum syllabum confecisset, quotidie illos cum Medico, chirurgo, & uno ex triumviris Senatûs invisebat. Intra dies octo extinctus morbus. Charitas apud Michaelenses.

30. Rex Angolanus diutino bello fessus, pluribúsque præliis devictus ac fractus, promissis obsidibus pacem postulavit à Præfecto Lusitano, simul atque fidem Catholicam amplecti desiderat. Dati obsides Nobilium filii, quo tutè possent eas adire gentes Evangelici præcones. In Angola vitam terminat Emmanuel Fernandius Coadjutor, probatæ virtutis, decennio vixerat in Societate. Rex Angolæ.

31. Mense Octobri in Provinciæ comitiis electus est Procurator P. Joannes Correa, qui septem annos Rectorem egerat Conimbricensis Collegii, Provincialem quatuor; jámque interfuerat quintæ Congregationi Generali. Congregatio Provincialis.

32. Initium habuit Farense Collegium in Algarbiis. Fernandus Martinius Mascarenius Algarbiensis Episcopus, ex quo inierat possessionem diœcesis, nil magis optabat, quàm Collegium Societati condere. Quatuor habuit fratres in Societate, Petrum, Franciscum, Nonium, & Antonium; postremi duo superstites vivebant; propterea nos semper tanquam suos dilexit. Igitur nondum cœptâ fundatione, quotannis ad se vocabat nonnullos, qui verbi Dei prædicatione, aliisque ministeriis diœcesim excolerent. Initium Collegii Farensis

33. Locum pro ædificio delecturus censuit aliud in urbe spatium capacius non esse, quàm illud, quo cernitur Collegium. Ibi erant amplæ ædes Didaci Lopii Decani templi maximi cum horto sobi pinguis. Rogavit Episcopus, has domos cum horto legaret Societati; lubens id fecit 22. Januarii anno 1597. donavit insuper quinquaginta & novem millia æreorum regalium annui censûs ex pecuniis depositis in domo Indica Ulyssipone, quæ à multis annis non solvebantur, nec hactenus capitalis pecunia, aut census potuit recipi.

34. Non defuêre, qui piæ Fundatoris menti contradicerent. Utiliùs eas pecunias applicatum iri puellis orphanis, præsertim post urbem ab Anglis direptam; homines Societatis esse astutos, brevì fore dominos omnium Algarbiorum. Hæc, & ejusmdi, cives & vulgus, immemores, quos sumptus in eorum commodum Episcopus profudisset post dictam urbis calamitatem. Certè apud Regem evicerunt, ut solùm daretur facultas ad condendam sine ullo reditu Domum Professam. Nec Episcopus amplius voluit, spe fretus, ipsâ die convertendam in Collegium.

35. Quoniam in ædibus legatis præter parietes combustos incendio Anglicano nihil superrat, de ipsis reficiendis curatum. Non reperi diem, quâ Farum sunt ingressi P. Nonius Mascarenius, & alii nostri, quorum ibat Superior, sive Præpositus. Multis significationibus innotuit omnium adversùs hospites amor.

amor. Celebratus est adventus, nocturnis ignibus, cursibúsque equitum. Instituta supplicatio 24. Septembris, in qua circumlatæ reliquiæ, donatæ à Domina Marchione de Castello Rodrigo consanguinea Episcopi, & non exigua veræ Crucis particula, ipsius Fundatoris donum egregium, qui dicavit templum nostrum & Collegium divo Jacobo majori.

Commentaria Vellesii.

36. Prodiêrunt in lucem hoc anno nostri Antonii Vellesii Portalegrensis commentaria in Grammaticam Emmanuelis Alvari. Correxit nonnulla ejus carmina, & omnia Grammaticæ præcepta conclusit versibus tam fluidis, nitidísque, ut in re nihil peti absolutius posit. P. Emmanuel Pimenta sui temporis Poëta insignis ajebat, in re tam arida fieri non posse elegantiora carmina. Idem Vellesius ordinavit compendium Grammatices nostri Emmanuelis, quod puerorum teritur manibus. Quanquam plurimis Nostris aliarum gentium sit commendatum ea præcepta complecti versibus, ut essent usui scholis Societatis, non fuit, qui Vallesium æquaret.

Annus 1600. Soc. 61.

Postulata Provinciæ.

1. Duplex postulatum per Procuratorem Romanum, alterum, ut indulgentia plenaria horarum 40. Domui Professæ Ulyssiponensi concessa ad omnia Collegia Provinciæ Lusitaniæ extenderetur, alterum, ut nostri possent in navigatione Indica sacrificium missæ facere, obtinuerunt à Pontifice.

Defuncti in Domo Professa.

2. Domus Professa Ulyssiponensis 2. Octobris amisit P. Joannem Lucenam, natum Francozi in Beirensi Provincia, præclarum vitæ S. Xaverii scriptorem, & sui temporis concionatorem insignem. Semper studuit sui contemptui, & frænandis naturæ propensionibus. Monitus de propinqua morte mirùm recreabatur. Præ desideriis Deum coràm intuendi nequibat à lacrymis temperare. Eius vita circumfertur impressa.

3. Ibidem 14. Junii vixit Andreas Gomius Coadjutor Portuensis. Annos triginta munus gessit petendi eleemosynas, quibus Domus victitat. Admirabilis modestia ac mansuetudo & ejus vultum, & animum exornavit. Aliquando vir nobilis, dum Andreas stipem ab eo postulat, verbis bile plenis in Societatem invehitur. Audivit patientissimè; ubi tempestas quievit, *Bene est*, inquit Andreas, *jam, Domine mi, tribuisti mihi stipem meam; nunc, oro, aliquid dones meis Patribus.* Tantam mansuetudinem admiratus Dynasta veniam petit, amplámque largitur eleemosynam, redditus subinde ex adversario amicissimus Societati. Ubique datâ occasione referebat admirandam Andreæ virtutem.

Conimbricæ.

4. P. Georgius Contreiras 20. Julii hominem exuit, natus monte majore novo. Tradebat Philosophiam, cùm morbus extremus eum adortus vitæ curriculo deturbâsset. Mores hominis sanctissimi. Non protulit verbum, quod alium offenderit. De ipso dictum, quod sciverit bene vivere, & bene mori. Ipsius vita typis excusa, quantus vir fuerit, exhibet.

5. Ibidem secundâ Junii attigit vivendi metam P. Joannes Simonius Conimbricensis. Numerabat Societatis annos sex. Nullus promptior ad Majorum imperia. Ardentissimè flagitavit mitti ad infectis lue serviendum. Deum videndi insolitis flagrabat desideriis. Idcirco cùm postremùm ægrotanti nunciatum est, mortem impendere: *Gratulamini mihi*, inquit, *Fratres mei, nihil poterat lætius referri.*

6. Idem Collegium 28. Octobris morientem vidit P. Salvatorem Sotomajorem, patriâ Eborensem. Insigni præditus erat tolerantiâ. Propter falsum testimonium inclusus carceri siluit instar accusati Salvatoris. Id magis laudabile, quòd esset natus loco nobili. Verùm cognito, quantus lateret thesaurus in vituperiis, his postposuit nomen & famam. Præscivit diem obitûs. Post quem patefecit Confessarius ejus innocentiam. In opere de tirocinio Eborensi singularia illius exempla vulgavi.

7. Ma-

7. Madriti 12. Octobris cursum consummavit P. Ludovicus Molina, de quo toties injecta mentio. Natus Cuencæ in Hispania, in Lusitania educatus ab ipso tirocinio. Hac in Provincia didicit, ac professus est scientias incredibili famâ sapientissimi Doctoris, & Magistri excellentissimi. Philosophiæ magisterio exornavit Conmbricensem Academiam, Theologiæ Eborensem, ubi plurimis annis illam tradidit, ac in lucem emisit *Concordiam*, in qua *scientiam mediam* inconcussis stabilivit fundamentis. Quâ scientiâ redditus Academiis orbis Christiani notissimus. Sapientiam Virtus comitabatur. Sæpe ad salvandas animas obivit excursiones sacras Apostolico more. Prælo typographico mandavit egregia volumina. Ejus virtutes vulgavi in opere de Novitiatu Conimbricensi. **Madriti.**

8. Ad Indos expediti sunt viceni, Lusitani duodecim, octo ex Italia. Tres martyrium intulit Cœlo, Christophorum Ferreiram, Didacum Carvalium, & Antonium Andradam. Duo primi apud Japones laureati, Andrada apud Indos in odium fidei per Judæum veneno sublatus. Venit in Societatem Conimbricæ 28. Februarii Joannes Metella, natus Sarnachii, passus martyrium in Ceilamo. Eboræ nobis adjungitur Ludovicus Cardeira ortus in agro Bejensi: transivit in Æthiopiam, ibidem occisus ab Schismaticis. **Profecti ad Indiam.** **Ingressi.**

9. Eboræ laboratum est naviter adversus contagium, quod agros & urbem infecerat. Nostri, quibus felix sors obtigit, migrârunt in domum à Collegio haud multùm dissitam, ut inde, quò vocarentur, diu, noctúque accurrerent. P. Gaspar Nunius, dum ad expiandam animam pœnitenti peste infecto aurem commodat, bibit luem, obiitque sanctissimè 17. Julii, natus in pago, qui dicitur monasterium de Flegris in diœcesi Lamecensi. Eodem morbo de vivis expunctus est mense Aprili Thomas Maglius Anglus natione. Vigesimâ octavâ Septembris in eodem Collegio caduca reliquit P. Joannes Estremotius Eborensis sexagenarius, non centenarius, ùt habet Nadasi: ætatis anno trigesimo iniit Societatem, in qua laudabiliter vixit annis triginta. **Contagium Eboræ.** **Defuncti.**

10. Pulsi Eborâ Comœdi. Quanquam eorum fautores omnem moverint lapidem ad eosdem retinendos; plùs tamen valuit Nostrorum opera pro tuenda DEI gloria, & animarum salute. Per verni jejunii Dominicas dies, sex & quadraginta, bini & bini è Collegio prodibant ad populum edocendum in pagis, vicinisque oppidis. Bejenses obtulerunt suis expensis fundationem Domûs Professæ, quæ justis de causis admissa non est. **Pulsi Comœdi.** **Missiones.**

11. Oppidum Villanova ad ripam durii è regione urbis Portuensis laboravit peste. Huc non parva subsidia de Collegio missa. Præterea persuasêre Nostri viro pio & locupleti, ut medicamenta, quibus esset opus ad infectos lue curandos, suo de peculio promeret. In sacello domestico Brigantini Collegii locatæ Sanctorum reliquiæ, ligneis corporibus & capsis decenter exornatis. **Res in Portu, & Brigantia.**

12. Incolæ domûs Farensis strenuè incubuerunt eradicandis abusibus, licentiisque, quæ irrepserant. Licèt domus scholis careret, nostrorum tamen suasu Ludimagistris demandavit Episcopus, menstruam à discipulis exigerent confessionem. P. Nonius Mascarenius paschali tempore Ulyssiponem concedit, rogatu Dominæ Margaritæ conjugis Marchionis Castelli Rodrigi, Lusitaniæ novi Pro-regis. Successit illi P. Antonius Vasconcellius, qui vitas Lusitanorum Regum typis mandavit. Aliquot sacerdotes per illud regnum utiles obivêre missiones. Ipse Vasconcellius Taviram adiit, ubi præter alia extinxit quàm plurima adulta odia. **Res domûs Farensis.**

An-



Annus 1601. Soc. 62.

1.

ANno jam tertio pestilentia, quamvis remissior, vagabatur Ulyssipone. Par visum miraculo, quòd nullus è nostris malo percelleretur, cùm assiduè vocati fuissent ad confessiones audiendas. Operâ Nostrorum Ecclesiæ aggregati sunt Hebræi tres, totidémque Mauri. Ex posterioribus unus sic incenditur desiderio jungendi Christo populares suos, ut apud eos ageret Evangelicum præconem. Id ægrè tulit quidam, stricto pugione vulnerat, enecátque. Unicus supra viginti dies fluxerat, ex quo sacro fonte ablutus est. Patres Domûs Professæ, quantâ poterant, pompâ sepeliêre intra domum in sacello divini Spiritûs, quod est in peristylio prope januam communem.

Ulyssipone conversi.

Maurus Martyr.

2. P. Joannes Correa Villæ regalis post reditum ex urbe suscepit totius Provinciæ gubernaculum, quod jam annis quatuor summa cum prudentia & laude fuit moderatus. Novos commilitones adlegit, Emmanuelem Borgium Eborensem, Martyrem in Japonia; Apollinarem Almeidam Ulyssiponensem, Episcopum & Martyrem apud Æthiopes illustrissimum.

Novus Provincialis.

Ingressi.

3. Die, quâ in Apostolos delabebatur Spiritus sanctus, cœpit in Lusitana Provincia Nostrorum Juniorum separatio à convictu veteranorum. Hactenus absoluto tirocinio convivebant cæteris Collegii: docuerat experientia id observantiæ juventutis parùm convenire. Igitur jussit P. N. Claudius, ut post probationis biennium viverent recentiores socii à reliquis semoti sub speciali Ministro, & Præfecto spiritûs. Quam institutionem probavit VI. Generalis Congregatio decr. 7.

Separatio Juniorum.

4. Quindecim divisi in naves duas iter auspicantur ad Indos. Ex eis Joannes Baptista Machiadus Lusitanus Angrensis, Martyr in Japonia; & Felicianus Silva natus in diœcesi Bracharensi, egregius apud Sinas. Altera ex duabus navibus mari & ventis contrariis cedens repetit Lusitaniam: anno sequenti eandem aggressi navigationem Nostri, qui in ea vehebantur.

Profecti ad Indiam.

5. Pater noster concessit fundationem Domûs Professæ Theodosio hujus nominis secundo Duci Brigantino in suo oppido Villavissosa diœcesis Eborensis. Ad initia ponenda missi de Domo Professa Ulyssiponensi tempore Dominici Adventûs PP. Petrus Novasius, futurus primus Præpositus, qui moderatus fuerat in Eborensi Academia primariam Theologiæ cathedram, egerátque Rectorem Collegii & Academiæ; Didacus Valentius, qui mortuus est Japonensis Episcopus; & Antonius Abreus, qui Provincialis obiit. His tribus velut columnis factum illi domui principium. Hospitati domo jussu Ducis ad id parata cum sacra ædicula. Ex antiqua veneratione Brigantinæ Domûs erga divum Joannem Evangelistam dicari placuit sancto Apostolo. Consecrationi Theodosius cum filiis & Catharina matre adfuerunt.

Initium Domûs Professæ Villavissosæ.

6. Ex Ulyssiponensi domo divi Rochi decimâ nonâ die Maji ad sempiternas regiones transivit P. Joannes Correa Portuensis. Assiduus & solers erat in audiendis pœnitentibus, nam post singulas confessiones discutiebat, an satisfecisset suo muneri. Tantæ fuit observantiæ, ut P. N. Generalis, cùm duos gravissimos Patres designaret ad examinandum, quomodo in domibus nostris observarentur regulæ in muniis domesticis, unum voluerit P. Corream, qui Domum Professam, & aliquot assignata Collegia lustravit. Morbus supremus illi fuit instar martyrii longo tempore continuati: non dolores ulli Joannis exarmârunt patientiam.

Moritur P. Joannes Correa Portuensis.

7. Quintâ Octobris in mari Gallæciæ fatis cessit P. Joannes Madureira Portuensis, filius Henrici Nunii Gouveæ, suo parente digna proles. Rexerat Professam domum Ulyssiponensem; cùm jussus est Visitator Provinciæ Brasiliensis,

Mors P. Joannis Madureira.

ensis, sensit gravissimè Dux Averiensis, cui Joannes erat à confessionibus, & Magnates alii, qui pro virili desudârunt in navigatione impediendâ. Verùm Joannes omni humano respectui præposuit obedientiam. In tempus dissimulavit consilium suum: cùm navis erat in procinctu, nemine conscio illam conscendit, ac vela solvit cum aliis sociis vigesimâ 4tâ Septembris.

8. Tres, aut quatuor tantùm leucas in altum navis processerat, cùm fiunt obviæ duæ naves Anglicæ piraticam exercentes; die sequenti post trium horarum acrem pugnam, deditionem facit navis Flandrica, in qua Nostri, comiter ab hæreticis tractati. Undecim exponunt in littore maris Lusitani prope oppidum *Sines:* P. Madureiram, & Fernandum Cardinium, qui venerat Procurator è Brasilia, aliósque secum in Angliam deferre statuunt.

9. Die 3. Octobris cœpit P. Madureira ægrotare: deerant remedia commoda; malum augebat navis jactatio: quintâ ejusdem mensis vitam finiit. Ipso obitûs momento indutus veste candidâ Anglis in nave Flandrica conspicitur. Etiam 40. Martyres Brasilienses nostræ Societatis morienti adstitisse scribunt. Præclaræ dotes & virtutes P. Madureiram ornârunt. In sacris concionibus habendis æquabat ejus temporis insigniores. Successit in magisterio Christianæ Catechesis P. Ignatio Martinio, audiebatúrque totius Ulyssiponis concursu maximo. Avebat unicè mori in complexu divinæ Providentiæ factus obedientiæ victima. Voto subscripsit Deus. Vitam P. Madureiræ continet typis mandatum opus de tironibus educatis Conimbricæ.

10. Conimbricæ 2. Maji præfixum vivendi terminum explevit P. Antonius Carvalhus Ulyssiponensis vir consummatæ litteraturæ, nec minoris virtutis. *Mors P. Antonii Carvalii.* Eboræ laureatus in Theologia Doctor, hanc professus est usque ad primariam cathedram. Orator egregius illic coram Rege Philippo è suggesto dixit panegyrim. Elucebant in eo demissio profunda, singularis amor religiosæ paupertatis & obedientiæ, ciliciorum & flagellorum usus assiduus, vocationis amor tenerrimus. Ante solemnem professionem propter matris, & sororum virginum inopiam illi majores, si vellet, indulsêre abitum de Societate; horruit ad id verbum P. Antonius, rogavítque per Christi viscera, subsidium aliquod ipsis mitteretur de bonis Collegii, eo modo, quo soleret pauperibus aliis succurrere Societatis charitas.

11. In eodem Collegio 25. Octobris vitæ statione decessit Balthasar Gonsalvius Coadjutor Portuensis. *Mors Balthasaris Gonsalvii.* Multùm promovit industriis suis Angrensis Collegii œconomiam. Nec minori curâ consuluit Residentiæ Canalensi. Si necessum erat, laborabat ipse inter operas mancipii instar. Ubi per occupationes licuit, vacabat excolendo spiritui per rerum divinarum commentationes: inde factum, ut agens cum externis, verbo & exemplo prodesset.

12. Plures de Conimbricensi Collegio egressi sunt ad homines per sacras missiones salutis studio inflammandos. *Res Conimbricæ.* Diebus hebdomadæ, quibus aperiri solent nundinæ pro scholasticis, in area prope Collegium unus sacerdos dimidiæ horæ spatio ex loco altiori narrabat concioni exemplum aliquod singulare de confessione, de benignitate Deiparæ erga suos clientes prodigiis declarata, & ejusmodi. Quod multùm ab Academicis laudatum, emente populo absque argento salutis æternæ documenta. Frequenter etiam Patres graviores induti subnigras tironum tunicas prodibant in publica urbis compita plebi doctrinam Christianam explicaturi.

13. Eborense Collegium arsit studio missionum Brasiliensium, & Indicarum. *Res Eborensis Collegii.* Non minùs triginta fuêre socii, qui à Majoribus eas obtinuerunt, & anno sequenti adornârunt perfectionem. Non dispar ardor invaserat Academiæ nostræ externos scholasticos: ut se Deo arctiùs conjungerent, octoginta sunt adscripti sacrarum familiarum cœnobiis. Suadente P. Provinciali Sodalitas instituta in honorem Virginis purificatæ intra Collegium ipsi dicatum Eboræ, non solùm pro Collegis & Convictoribus, sed etiam pro scholasticis Theologis, & Urbis Nobilitate. Habitæ missiones Bejæ, Mertolæ, & Crati. Die 18. Octobris

bris æternitatis bravium attigit P. Ludovicus Perpinianus, germanus frater P. Petri Perpiniani oratoris celeberrimi. Erat ex Senioribus Provinciæ, moribus religiosissimis instructus.

Bracharense Collegium.

14. In scholis Bracharensibus ob discipulorum copiam additum Grammaticæ aliud Gymnasium. Septem externi Nobiles intra Collegii parietes sancti nostri Patris ascesi se excoluerunt. Votum id erat plurium, sed obstitit angustia habitationis.

Pestilentia Fari.

Duo mortui peste.

15. Cùm anno hoc Farum adorta esset epidemica lues, Domus nostra amplum exercendæ charitatis campum reperit. Miro prælucebat exemplo Mascarenius Episcopus, adibat cum nostris ædem salutis, & ægrotantium in urbe domos, consolabatur quemque, nulli parcebat sumptui, eâdem cum Nostris habitatione utebatur. Duplici victimâ contenta fuit charitas: nam dum pio incumbit operi P. Fernandus Martinius, Coadjutor spiritualis, natus Olivensæ, peste perculsus interiit septimâ die Junii. Tum Nostri suasêre Episcopo, comigraret in locum contagio liberum, quando ex ipsius vita miserorum pendebat salus. Pari fato mortem oppetiit Dominicus Rebellus, temporalis adjutor, 23. Junii. Lusadi in diœcesi Lamecensi primùm solem vidit. Mensium quinque intervallo pestilentia Farum consumpsit; successêre morbi tam acuti aliis quinque mensibus, ut Nostrorum etiam auctus sit labor.

Res Angolæ.

16. In Angola suprema dies oppressit P. Georgium Diasium, quem virtutes eximiæ spectabilem reddidêre, omnibúsque charum. Externi presbyteri defuncto parentârunt. Porrò ossa P. Ariæ Botelii, & Antonii Carvalii Coadjutoris in templum Collegii translata sunt ex locis mediterraneis longinquis, quò contenderant ad reducendas animas, in quarum obsequio vitam posuêre.

Moritur Simon Alvarus novitius.

17. Eboræ 19. Novembris immaturâ præreptus est morte Simon Alvarus, tiro scholasticus, natus in eadem urbe. Ex quo societati nomen dedit, admirabiles fecit in virtute progressus. Sæpe reperiebatur inter orandum sic vultu succenso, suspensóque usu sensuum, ut Angelo, quàm homini, similior videretur. Sui hostis acerrimus naturam in bilem propensam egregiè domuit. Necessum erat Moderatori vigili eum oculo observare, ut ipsius aviditati se macerandi modum figeret. Quâ nocte de vivis abiit, sacerdoti Societatis per quietem tironis æterna felicitas demonstratur.

In Portuensi Collegio Gymnasium moralis scientiæ.

18. Hactenus Collegium Portuense non aperuerat ullum Gymnasium; id enim ceu urbis perniciem Cives pertinaciter impedivêre. Dictitabant, ob multitudinem confluentium ad scholas annonæ caritate laboraturam urbem; posse contingere, ut huc commigraret Conimbricensis Academia, suisque privilegiis pessumdaret patriæ immunitates. His, aliisque vanissimis terroribus sic erant animi occupati, ut ne verbum quisquam auderet in favorem nostrum pronunciare, ne haberetur patriæ hostis.

19. Anno 1587. Senatus urbicus rogaverat Provinciæ Præsidem Sebastianum Moralium, aperiret in urbe sua scholas. Id erat relatum in monumenta Senatûs. Cur Provincialis non sit usus eâ facultate, explicatum non reperi. Etenim hujusmodi rem etiam probârat plebis concilium. Rector Collegii P. Antonius Vasconcellius nixus eâ Senatûs voluntate struere cœpit ædificium Gymnasii. Verùm plebs antiquum furorem renovat, obtentâ ad id altiori potestate, Rectorem ab ædificio prohibet, séque nolle publicas scholas denunciat. Abstinuit Rector ab opere, ædificii partem convertit in horreum, partem in sacellum Virgini dicatum, in quo Sodalitas instituta: singulis sabbathis illic plurimi Senatores regii, & Ecclesiastici Nobiles conveniebant peracturi pia Sodalium opera.

20. In eodem sacello mense Octobri apertum est Gymnasium moralis scientiæ pro nostris duntaxat: pauci de externis admittebantur. Quòd Gymnasium foret domesticum, re per plebem diligenter exploratâ, nihil turbarum oritur. Verùm anno sequente causâ cujusdam Magistri monachi tradentis in templo maximo moralem scientiam sic est Nobilitas & plebs concitata, ut tantùm

tùm seditio adversus Collegium non fuerit. Crediderunt sub prætextu Gymnasii domestici viam sterni publicis scholis. Conquesti sunt in Castella de nobis apud Regem. Cùm inde Ulysiponem remitterentur, non curati à Pro-rege ipsorum clamores: imò quòd authores tumultuum citati, ut coram Pro-rege rationem darent, non comparuissent, acerbè adversùs ipsos pronunciatum. Obstitit tamen executioni sententiæ Societas, & justam Pro-regis iram placavit.

Annus 1602. Soc. 63.

1.

SOlverant è Tago ad Indiam naves senæ: in eis vecti sexaginta nostræ Societatis operarii, distributi in naves quatuor. Lusitani erant quinque & viginti, ex Italia reliqui, Duce Patre, Alberto Laërtio, qui numero huic insuper adjunxit tirones decem. Scio Catalogum proficiscentium ad Indiam solùm recensere octo supra quinquaginta, sed ex aliis documentis firmis hausi, quæ scribo. Ad nostra tempora non solvit ad Indiam æquè numerosum & gloriosum agmen. Ex his quinque sunt coronati martyrio, Sebastianus Vieira, Michaël Carvalius, Benedictus Fernandius Lusitani; Antonius Robinus, & Joannes Baptista Zola, Itali; omnes Japonia Cœlo immisit. Vigesimâ quintâ Martii in altum provectæ naves, Septembri Goanum omnes ingressæ portum. De nostris septuaginta nè unus quidem obiit, rarâ felicitate in tam longa navigatione, & tanto numero. Forsan ex his in navem admissis unus fuit Antonius Socirus Borbensis, Martyr in Ceilamo; nam Alegambus in *Mortibus Illustribus* ait Socirum cum Alberto ad Indiam migrâsse. Alius ejusdem nominis relatus in catalogo Indico item cum Alberto profectus erat Interamnensis, & obiit Malacæ. *Profecti ad Indiam.*

2. Ad Brasiliam undecim contenderunt, omnes Lusitani, quatuor sacerdotes, coadjutor unus, cæteri nondum initiati. In eis P. Ludovicus Figueira Almondovarensis, de quo suo loco dicetur, mortuus in regressu ad Maranoniam. *Profecti in Brasiliam.*

3. Inter alios heterodoxos à Nostris ad fidem traductos Ulysipone singularem meretur memoriam ille, qui à teneris virus hæreseos bibit; subinde desperatâ corporis salute, unum de nostris sacerdotibus ad se accivit; coram eo detestatur errores suos, expiat animam totius anteactæ vitæ homologesi: quâ finitâ ejecit per os maculis distinctum colubrum, ægritudinis causam; atque ita animi, & corporis sanitatem est indeptus. *Res Domûs Professæ Ulysiponensis.*

4. Cùm populus concursu magno, & non minore pietate feriis sextis Quadragesimæ decurreret pias stationes, quas de passibus Domini, ad montem Calvariæ designaret Sodalitas S. Crucis instituta in Cœnobio Eremitarum D. Augustini, non defuêre in tanta multitudine, qui minùs decentia quæpiam commisissent. Idcirco Archiepiscopus vetuit ejusmodi concursus. Patres Domûs Professæ, ut Sodalium innocentiam tuerentur, conveniunt Præsulem, suadent paucorum malitiam non anteponendam multorum pietati; vix esse concursus pios, ubi se non inserat aliquorum pravitas, nec propterea illos omitti, aut prohiberi. Rationibus sanis acquievit prudens antistes, indulsitque restitui piam frequentiam.

5. Solemnitas divi Rochi Patroni Domûs Professæ celebratur magno apparatu, ipsâq; die declaratur clausam ædem salutis, atque extinctas esse pestis omnes reliquias. Ut enim jam diximus, non penitus id genus mali cessârat ab anno 1599.

6. Singularis DEI providentia refulsit in captivitate P. Fernandi Cardinii. Anno superiore, ùt retulimus, mortuo P. Joanne Madureira, Cardinius cum aliis delatus est à piratis Londinum. In ea urbe noster Michaël Roger sacerdos omni industriâ modum quærebat, quo posset Ulysiponem mittere quinq; illustrissimas puellas, quarum duæ erant è Reginæ familia. Rem summopere ju- *Charitas Nostrorum.*

vit Cardinius datâ pecuniâ ad itineris sumptum, quæ per schedas esset recipienda Ulyssipone. Navicularius numis è Cardinio inducitur, ut furtim eas transvehat in Caletum Galliæ urbem. Inde terrestri itinere Matritum, ac demum Ulyssiponem petivère, omnium exceptæ plausibus, & post dies aliquot ingressæ monasterium S. Birgitæ de monte Sione, Anglarum virginum asylum.

Res Collegii Conimbricensis.

7. Epidemiæ malum, quod extinctum putabatur, revixit Conimbricæ. Præstò erant denuo nostri, sospitesque reversi sunt. Hæretici factâ exscensione in oppido Figueira prope Mundæ fluminis ostium diripuerant domos ac templa, divorúmque simulacra profanârunt. Perlato Conimbricam nuncio, Rector Academicus addixit, quantâ potuit celeritate, militiæ scholasticos, ac Figueiram festinavit: duo sacerdotes nostri ivère comites: porrò in re tam urgenti Collegium nostrum juvit scholasticas cohortes misso abundè commeatu. Ad famam adventantis auxilii properè suas naves Hæretici repetiêrunt, pueris duobus Anglis in hac festinatione ad littus relictis, captivis nostris, sed felicibus captivitate suâ, nam perducti Conimbricam, & catechesim in Collegio edocti, fidem Catholicam Romanam amplectuntur: eos subinde suos inter domesticos Episcopus adscripsit.

8. Prodigio simile est, quòd faciente primam missam Presbytero in templo divi Joannis de Almedina fortè in linteum (Corporale vocant) deciderit guttula vini consecrati. Repositum in vase abluendis baptismate infantibus destinato, ut lavaretur. Post triduum reperitur totum guttulis sanguineis aspersum. Id auxit admirationem, quòd aliud linteum appositum similes notas non habuerit. Episcopus jussit examinari linteum in Collegio; censuêre Patres non carere prodigio. Servatur hactenus in templo nostro inter Divorum reliquias.

Tironum fervor.

9. Ex eo Collegio duodecim prodiêrunt in diversas regiones ad prædicandum Dei verbum. Aliquot tirones instituêre peregrinationes solitas. Ostendit res ipsa Deum infirma mundi elegisse, ut confundat fortia. Supra quinquaginta discordias composuêre. In oppido quodam duo de præcipuis, neque hominum, neque loci, neque Dei reverentes, eò væsani furoris prolapsi sunt, ut coram sacerdote sacram tollente hostiam alter alteri alapam infregerit. Res ad arma venit, multúmque sanguinis fuisset profusum, nisi qui aderat populus, irritatos in mutuam cædem divulsisset. Eodem tempore tres nostri tirones oppidum ingressi, quod gestum erat, audierunt: conveniunt utrumque, & tametsi primùm irrisi, & ceu simplices ac imberbes explosi, mutuam tamen pacem serinis cordibus persuasêre. Alibi, cùm Eucharistia in templo non servaretur, evenit, ut plurimi sine viatico obirent. Rem indignam tirones execrati, authores fiunt, ut SS. Eucharistiæ sodalitium instituatur, eique flamma perpetua in templo ardeat.

Moritur P. Gonsalus Dinisius.

10. Septima dies Aprilis cryptam aperuit Conimbricæ Patri Gonsalo Dinisio Coadjutori spirituali, nato Tavaredi. Annis plurimis procuravit bona Collegii in prædio *Goleta*. Quamvis statio foret ejus valetudini parùm amica, nunquam id significavit, sed æquanimis tulit corporis afflictationes. Vixit semper memor sui professûs, & exercitiorum, quibus fovetur, & augetur virtus.

Moritur P. Petrus Luisius.

11. Eboræ 14. Martii desiit inter mortales numerari P. Petrus Luisius, è regno Valentiæ oriundus. Annis viginti professus Theologiam, & in Eborensi Academia creatus est Doctor. Scribitur fuisse primus, qui in scholis dictavit *Unionem hypostaticam in positivo consistere.* Adjunxit sapientiæ, ceu gemmam annulo, singularem virtutem.

Moritur P. Joannes Rebellus.

12. Ibidem 24. Julii animam egit P. Joannes Rebellus, natus in Prato Lamecensi. Conimbricæ Societati nomen dedit. Quo die ingressus est, existimans sibi necessarium fore lecticarium instructum, apportari secum curabat stragulum, culcitram & lodices. Magister Candidati humeris totum onus referri jubet, restituique domui, unde adferri fecerat. Paruit sine mora, ac reversus tironibus adscribitur, non sine præsagio futuræ sanctitatis ex initiis tam generosis conjectæ.

13. Emen-

13. Emenso studiorum curriculo, totum se addixit missionibus obeundis, in Transtagana plurimùm Provincia. Insignis fuit in erigendis sodalitiis Eucharistiæ, Passuum Domini, Virginis, atque in subsidium purgantium animarum. Auxit sacrarum imaginum cultum, innumeras distribuendo, quas ipse stanno aut plumbo impresserat. Venerabilis P. Ignatius Martinius magnam de Joannis virtute habuit opinionem.

14. Quàm bonus aliis, tam in seipsum crudelis. Suspenso fune de collo suo, cujus partes extremas innexuerat Crucifixi pedibus, se flagellis concidens clamabat, sic puniri vile mancipium, quod crucifixisset Dominum suum. Sæpe eodem apparatu altâ nocte in loco semoto voce stentoreâ ingeminabat, supplicium esse, quod DEUS justus Judex imperâsset sumi de Joanne Rebello peccatore.

15. Cùm in supremo morbo pes ei resecandus foret, vincula, quibus alligari debebat, generosè respuit: sed Crucifixi simulacrum complexus tulit immotus sectionem. Id simulacrum, quo in missionibus est usus, hodie servatur Eboræ in cubiculo Magistri tironum. Sodalitates ab ipso institutæ mortuo Rebello justa persolverunt; narratúrque pro eodem diversis in locis centies cantatum officium defunctorum.

16. Anni superioris procella Collegii Portuensis Gymnasium firmius reddidit. Jusserat Rex ob turbas excitatas carceri mancipari triumviros senatûs urbani: ipsos tuendos, atque liberandos Regis irâ suscepit Societas, quam adeò oppugnârant. Admirati charitatem sibi ipsis succensebant, quòd tam infensi fuissent Collegio. Erigitur insuper Sodalitas pro scholasticis, cui nomina dedêre Episcopus, urbis summus Præfectus, Comites Taroucensis, Penaguiensis, Senatores Concilii Regii, & præcipua Nobilitas. *Gymnasium Portuense, & sodalitium.*

17. Conimbricæ die dicatâ S. Michaëli Archangelo sumpsit exordium Sodalitas opificum consecrata Virgini de Nivibus, quæ indies magis efflorescit. Bracharæ supplicatio de Passibus Domini instituta. *Sodalitium Conimbricæ, Supplicatio de passibus Domini.*

18. Consensit P. N. Claudius, ut unus è nostris in Domo Professa Latii sermonis leges traderet filio primogenito Proregis. Volebat is, ut Magister adiret quotidie palatium, ibique adolescentem instrueret. Verùm declinavit Provincialis, ne præberetur ansa Dynastis aliis rem eandem petendi, quibus sine multis incommodis satisfieri non poterat. *Magisterium filii Proregis.*

19. Theotonius Eborensis Archiepiscopus, Matriti apud Regem de summi momenti negotiis acturus, die 29. Julii ad æternam quietem corpore solutus convolavit. Cadaver Eboram deductum in Cœnobio PP. Capuccinorum extra muros conditum est. Plurimùm favit Ecclesiæ Japonicæ, nostrisque in ea vinea laborantibus, quorum sudores apud eas gentes typis mandari fecit opere dicato Heroibus nostris Francisco Xaverio, & Simoni Rodericio. Hujus cineres decreverat, facultate jam obtentâ, condere sepulchro marmoreo; Mors opus prohibuit. Theotonii Successor à Rege nominatur Alexander Brigantinus. *Theotonius moritur.*

Annus 1603. Soc. 64.

1.

GRaviores totius Provinciæ Patres convenerant ad comitia pro eligendo Procuratore Romam mittendo. Favêre suffragia P. Doctori Francisco Pereiræ. Unum è postulatis erat, ut singulis Sabbathis Litaniæ Virginis aliarum locò, quas Sanctorum vocant, recitarentur. Pater N. Generalis rem commisit arbitrio Provinciæ Præsidis, invaluitque deinceps hujusmodi pia consuetudo. *Conventus Provincialis.*

2. Quindecim in duas divisi naves Indicam expeditionem susceperunt, octo Lusitani, ex Italia reliqui. Eos inter numerabatur P. Antonius Proensa Fundanensis, qui egregiam operam præstitit in contagio Conimbricensi; Joannes *Profecti ad Indiam.*

nes Metella Martyr in Ceilamo; & P. Camillus Constantius in Japonia pro fide defensa flammis exustus.

Primus lapis tirocinii Ulyssipone.

3. Solicitè hactenus quærebatur locus pro ædificio tirocinii Ulyssiponensis. Placuit tandem fabricam struere in villa à Fundatore donata, & à monte Oliveti dicta, in ea regione, quam vocant Cotoviam. Die 23. Aprilis positus ædificii primus lapis, ipso Fernando Tellio Fundatore suâ præsentiâ celebritatem augente. Ut reditus omnis in ædificio construendo absumeretur, citiúsque perfici posset, tirones Campilidi pars Eboram, pars missi Conimbricam.

Res Domûs Professæ.

4. Aliquæ pestis scintillæ Ulyssiponem terruerunt, ast ope SS. Rochi, Sebastiani, & Gregorii Thaumaturgi extinctæ. Horum Reliquiæ in templo Domûs Professioni venerationi expositæ omnibus fuêre præsidium; præprimis fasciæ tangentes Oranium D. Gregorii tumoribus è pistilentia ortis admotæ dissipabant luem. Æs, quod Senatus urbicus dabat in subsidium pauperum infectorum, noluit expendi, nisi per Coadjutorem Domûs Professæ: cùm ex labore ægrotâsset, numos Præpositus remisit Senatui, hic alium substitui postulat Coadjutorem. Quatuor oppida stabili missione sunt exculta per Domûs Professæ operarios; in eis fuit Mons major novus, ubi magna dissidia composuêre. Obtenti insuper tercentum Cruciati, quibus è regione carceris, ut vincti sacrum audire possent, sacellum surrexit.

Moritur P. Gonsalus Leitius.

5. In ea Domo 19. Aprilis vitæ & laboribus finem imposuit P. Gonsalus Leitius Brigantinus. Ætatis numerabat annos octo supra quinquaginta, trium votorum solemnium Professus. Strenuè rem egerat Ulyssipone lue afflatis succurrendo. In missione cum P. Gaspare Ferrazio morbum supremum contraxit. Creditum est ambobus in odium virtutis propinatum esse venenum, quo sublatus de medio Gonsalus: Ferrazii sic imposterum affecta fuit valetudo, ut paucos, quos vixit, annos maximos inter dolores egerit. Die 28. Januarii ibidem spiritum efflavit P. Ferdinandus Vasæus sexagenarius. Adventârat nuper ex India consumptus labore navigationis. Annos plurimos contriverat Ethnicorum Conversioni operam impendendo.

Moritur P. Fernandus Vasæus.

Sodalitas pro Academicis

6. Progressum & finem sæpe non respondere initio docet sodalitium BB. Virginis ab Expectatione institutum Conimbricæ pro Doctoribus, Professoribus, & scholasticis Academicis, magnóque cœptum plausu. Certatim scripsêre nomen. Adstitit concioni Episcopus Castelbrancus jam designatus Lusitaniæ Pro-rex. Martyriæ Episcopus Sacrum fecit. Academiæ Rector sacram distribuit synaxim. Hæc sodalitas tanto erecta fervore & plausu, sic paulatim refrixit, ut vix fuisse sciatur.

Missiones.

7. Duodecim ex eodem Collegio sacerdotes, velut totidem Apostoli, missionibus occupabantur. Tironum peregrinationes multorum excitârunt pietatem. Accidit, ut Episcopus Conimbricensis diœcesim lustrando tirones tres obvios haberet, qui inter campi frutices nixis genibus orationis solitæ horam transigebant. Ille defixus hærere tam pio spectaculo, adolescentes blandè compellare, paternóque amore complecti, ac in seipso pietatis sensum experiri. Abroritii vir Nobilis Judici rapiens virgam, muneris sui insigne, fregit, ipsúmq; fragmento per summam injuriam verberavit. Frustra conabantur multi eos conciliare: id triunculi ausi sunt: fusis priùs ad Cœlum precibus, negotium aggrediuntur, & successu felice terminant. Res apud omnes tantam peperit admirationem, ut ex finitimis oppidis multi dederint epistolas gratulatorias & Eucharisticas.

Mors Bartholomæi Sancii.

8. Eboræ 30. Septembris corporis custodiâ liberatus est Bartholomæus Sancius Coadjutor Hispanus. Supputabat ætatis annum quartum supra sexagesimum, quadragesimum quartum Societatis, singularis cultor magnæ Matris: cum externis alios sermones non miscuit, nisi de rebus divinis. Ibidem calendis Octobris ad æterna sese recepit tabernacula P. Emmanuel Pimenta Scalabitanus, sexagenario major, tria vota solemniter professus. Æquavit sui temporis optimos Poëtas. Annis 14. egit Præfectum studiorum Conimbricæ, bis

P. Emman. Pimenta.

octo

octo Eboræ. Indefessus erat in exercendis nostris ministeriis; se totum conformabat ad apices Instituti nostri: neminem seu facto, seu verbo lædere observatus est. In eodem Collegio ultimam lineam transiliit P. Ruysius Vasæus, natalem sortitus lucem Tavordeli in diœcesi Portuensi. Non excedebat ætatis annum vigesimum octavum. Spiritualia exercitia, P. Joannis Rebelli exemplo, de genibus peregit. Mors P. Ruysii Vasæi.

9. Ex Eborensi Collegio in septem diversa oppida sacerdotes profecti sunt ad Societatis ministeria per verni jejunii tempus obeunda. Duo Abrantium (oppidum ad ripam Tagi situm) adiêrunt. Etenim oppidani permoti Conimbricensium tironum, de quibus suprà, exemplis, & fructu collecto ex piis eorum exhortationibus, postulârunt sacerdotes ad se mitti. Peregrinationes Eborensium tironum non caruêre grandibus emolumentis. In oppido quodam à multis annis vir unus fovebat odium insanabile; Feriâ quintâ majoris hebdomadæ Parochus coram populo per Numen Eucharisticum, quod manu tenebat, hominem rogat, inimico daret veniam. Negavit obstinatus, etiam si idem Dominus Crucem bajulans adesset; majus fore miraculum id odium extingui, quàm suscitari de mortuis Lazarum. Narrata tironibus offensio publica. Deo negotium commendant: animosè hominem conveniunt, quà verbis, quà lacrymis oppugnant cor saxeum. Triduum in eo labore sanctâ quâdam pertinaciâ insumptum, donec emollitus tot precibus & flectibus manus dedit, atque ex animo condonavit. Ajebat postea, ad illud tempus vitam se duxisse inter dæmones, per Apostolorum tirones ex inferis emersisse. Missiones.

10. Brachara nobis donavit liberaliter turrem ad producendum ædificium. Donationem confirmavit Archipræsul Urbis dominus. Existimo illam esse turrem, in qua volventibus annis ampla est constructa bibliotheca. Turris Bracharæ.

11. Domus Professa Villavissosana Olivensam & Helviam sacerdotes expedivit ad missiones peragendas. Cùm in facello Ducis Ecclesiastes noster in otiosos inveheretur, dixit, etiam in palatio optimum videri, si quisque suâ distineatur occupatione; sic vitari otium multæ malitiæ Magistrum. Eâdem die cœpit Ducis conjux acu pingere, mater Catharina fila legere, quas sequitur Gynæcæum. Res Villavissosa.

12. Emmanuel Cerveira summus rei Lusitanæ per Angolam Præfectus bellum movit contra Regem toties perfidum. Lusitanos comitabatur P. Georgius Pereira, visu tam debilitato, ut ne horas Canonicas recitare posset; unicum de B. Virgine, quòd memoriâ teneret, faciebat sacrum ex indulto Pontificio. Omnibus tamen ingenti erat solatio virtus illius, & authoritas. Res Angolæ.

13. Ex Angolana Residentia 29. Martii Cœlum petiit optimus senex P. Balthasar Alphonsus. Vitam exorsus est Portelii in diœcesi Eborensi. Annis ferè triginta desudavit apud eas nationes in dilatanda fide, & juvandis Lusitanis apud barbaros militantibus. Illustris erat in evertendis idolis; insignis quoque famæ apud Venerabilem virum Balthasarem Barreiram. Ejus vitam, & sacras expeditiones scribo in opere de domicilio tironum Eborensium. Moritur P. Balthasar Alphonsus.

Annus 1604. Soc. 65.

I.

Altero anni mense Provinciæ gubernacula aggreditur P. Antonius Mascarenius, Collegii Conimbricensis Rector, vir ad omnia summa natus, prudentiâ & virtutibus insignis. Haud multò pòst grandis expeditio, huic Provinciæ suscipienda, ei obvenit. Insani Mahometis lex per Guineæ regiones in Africa propagabatur: indies magis nationes illas hujusmodi error implicuit, ut fierent Evangelicis veritatibus inaccessæ. Philippus Rex veneno latè se diffundenti obviam ire constituerat; nam & suâ id plurimùm interesse credidit ob arces, quas Lusitanus tenebat præsidio ad maris oram; simúlque occur- Novus Provincialis. Initium Residentiæ Capitis viridis.

rit

rit Lusitanos Reges Majores suos non tam solicitos fuisse de dilatando imperio, quàm fide propaganda.

2. Igitur dat litteras ad Mascarenium Provincialem, ut pro studio, quo se animarum lucro addicit Societas, arduam, sed gloriosam adornet expeditionem. Negotio in consilium vocato, difficultatibusque perpensis, censuit Mascarenius non subtrahendas labori manus. Consideranti, quem mitteret, occurrit emeritus jam miles P. Balthasar Barreira, tot annis inter Angolanas gentes versatus. Agebat Eboræ tirocinii Magistrum, ætatis anno sexto supra sexagesimum, Societatis quadragesimo septimo.

3. Erubescenti similis ad eum scribit Mascarenius, quid in re sit, & an volens, lubénsque pro Dei gloria expeditionem susciperet: non ignorare se illius annos & labores, at simul longum usum tractandæ Nigrorum nationis. Non solùm Balthasar acceptavit, verum egit Provinciali amplas gratias, quòd se reputaret tantâ dignum provinciâ. Comites illi dantur Emmanuel Barrius, Emmanuel Fernandius sacerdotes, & Petrus Fernandius coadjutor. Felici navigatione appulsi sunt mense Junio ad Insulam S. Jacobi, quæ inter decem Hesperidas princeps est, longitudinis undeviginti, latitudinis decem leucas continet. Distant hæ insulæ quindecim gradibus ab Æquatore septentrionem versus, à Lusitania quadringentis sexaginta tribus leucis: jacent contra promontorium Africæ continentis, quod antiqui vocabant Arsinarium, nostri dicunt Caput viride; inde nomen insulis decem, quas Hesperidum antiquitas nuncupavit.

4. Quamvis Fernandus Mesquita insularum Præfectus vellet hospites domi suæ, benevoléque invitaret, P. Barreira habitis gratiis elegit nosocomium misericordiæ, dum per tempus non licebat in Africæ continentem transire. Ut est gravissimum alienigenis Cœlum regionis, hoc anno illic mortem oppetiit P. Emmanuel Fernandius. Datâ opportunitate P. Barreira Octobri jam elapso navigavit ad continentem, ex aliis ad alios delatus oræ Africanæ portus, ubi negotiabantur Lusitani, mercimonii magis, quàm animæ memores, quorum saluti consuluit, longique temporis confessiones excepit. Socii relicti in insula. Hoc fuit initium laboriosæ Residentiæ, quam post annos plurimos deseruimus, ut suo loco referetur.

Profecti ad Indiam, & Brasiliam.

5. Ad Indos transportati sunt quindecim, Lusitani septem, quatuor Itali, è quibus unus censebatur P. Robertus de Nobilibus, sanguine junctus nostro Cardinali Bellarmino, micuit insigni splendore virtutum, vectus cum aliis tribus, in prætoria nave Alphonsi Castrii Pro-Regis. Ad Brasiliam octo solverunt, Lusitani omnes, sex sacerdotio insigniti, scholasticus unus cum adjutore laico. Præerat P. Fernandus Cardinius ex Anglia reversus, quò raptus fuerat à piratis.

Ingressi.

6. Ordini se aggregârunt nostro Emmanuel Alvarus, Turribus novis ortus, vir Apostolicus in Africa, & in laboribus imitator egregius P. Balthasaris Barreiræ; P. Emmanuel Feycis Bejensis, ætatis anno sexagesimo quinto, eximius Concionator, inservivit Societati, nostra peragens ministeria, annis viginti sex; Simon Almeida, natus in oppido Cano diœcesis Eborensis; hic annis labentibus fundavit Portalegrense Collegium, ùt suo loco dicetur.

Initium Collegii Portalegrensis.

7. Illud videtur singulare divinæ providentiæ argumentum, quòd præsente anno, quo Simon dedit nomen Societati, jacta sint initia Collegii Portalegrensis. Rogante Episcopo Domino Didaco Correa, & urbis Senatu, aderant ad faciendam missionem Portalegriæ Patres Antonius Vasconcellius, & Stephanus Castrius. Novem insumpserunt menses tum urbem excolendo, tum diœcesim, usque ad Julium sequentis anni, quo nobis firma sedes concessa Portalegriæ, ùt infrà exponam.

Missiones.

8. Sex & triginta præter eorum socios ex Collegio Eborensi, per Quadragesimam hujus anni sacras obierunt conciones, alii extra urbem, intra alii, quidam in agro Eborensi, & oppidis viciniorібus, ac remotis, ùt Bejæ, Monte majore novo, Salaciæ, Nizæ, Mourami,

9. P.

9. P Gonsalus Luisius Salaciæ divisum oppidum reperit, & similiter Nizam P. Antonius Fernandius, quòd oppidanorum pars alterius ordinis Concionatoribus magis ob privatas rationes favens ægrè tulerit nostros fuisse vocatos, Eos animos tam alienos ab his contentionibus nostri ostenderunt, ut, quibus illorum adventus contigerat parùm gratus, fuerint acceptissimæ conciones. Salaciæ introducta supplicatio de Passibus Domini. Mourami P. Leo Henriquius filius Dynastæ Alcacerensis præter alia suo digna spiritu consuluit ossibus mortuorum; sic erant per templum dispersa, ut nonnunquam cernerentur canes hominum crania, vel ossa dentibus ferre. Rem fœdam improbans Leo cum socio in unum congessit ossa, & pro defunctis missæ fecit sacrificium: idem exemplum imitati sacerdotes, & ossa condita; cautúmque, ne deinceps ejusmodi irreperet negligentia.

10. Hoc anno suprema manus imponitur Collegio Regali Purificationis, quod pro Theologis sæcularibus fundari jusserat Eboræ serenissimus Rex Henricus, totámque ejus administrationem commisit nostræ Societati. Magnitudinem operis considerantibus mirum videtur absolvi potuisse viginti sex annorum spatio. *Absolvitur ædificium Collegii Purificationis.*

11. Conimbricæ diem suum obiêrunt nonnulli singularibus instructi virtutibus. Decimâ octavâ Julii P. Ludovicus Crucius Ulyssiponensis, sui temporis Poëta insignis, litteris Græcis & Hebræis, omníque sacrorum Bibliorum litteraturâ eruditissimus. Postremo vitæ tempore biennio rursus docuit Rhetoricam, podagræ causâ in sella gestatoria latus in cathedram. Transtulit in versum elegantem psalmos Davidicos, & excudit typo volumen tragœdiarum. *Moritur P. Ludovicus Crucius.*

12. P. Hieronymus Carvalius Barcellensis 25. Octobris ad Cœlum vocatus est. Dum per Tagum navigat, procella vertit scapham submersis omnibus; Hieronymus super carinam inversæ cymbæ in littore reperitur. Gratum animum exhibiturus DEO sacravit vitam in Societate undis mirabiliter ereptam. Cùm vires essent impares studio scientiarum, rogavit fieri coadjutor spiritualis, atque ita animæ virtutibus perficiendæ dedit operam, ut sit habitus vir exquisitæ sanctitatis. Idcirco constitutus in Collegio Conimbricensi Præfectus spiritûs, munus obiit annis viginti quinque. Grassante pestilentiâ Conimbricæ obtulit se juvandis ægris: non consensêre Superiores, quòd illius exempla plurimùm sociis proficerent. Manè surgens antè solis ortum non minùs quatuor continuatis horis orabat. Videbatur ali ex familiaritate cum Deo. Eucharistiæ, & magnæ Matris cultus erat Hieronymo instar deliciarum. Adversus se ipsum bellum gessit perpetuum. Mortis suæ tempus præscivit. Illius vita typis vulgata est, optimis virtutum plena exemplis. *Moritur P. Hieronymus Carvalius.*

13. Naturæ debito absolutus dies æternos inchoavit 23. Januarii Emmanuel Gonsalvius scholasticus Theologus, adolescens singularis patientiæ & mansuetudinis, Deiparæ obsequiis addictissimus. Die 7. Septembris Cosmas Oliveira Coadjutor, natus in diœcesi Bracharensi, laboravit strenuè juvando nostros sacerdotes, qui peste sævienre procurabant salutem contagio infectorum. *Obeunt Emmanuel Gonsalvius, & Cosmas Oliveira.*

14. Domui Professæ Ulyssiponensi mors abripuit egregios operarios. Vigesimâ die Septembris P. Franciscum Cardozum, qui Fornis ortus fuerat in diœcesi Visensi. Tradidit Philosophiam, moralem scientiam, & Theologiam. Cùm è sacro suggesto diceret, ubique cum plausu, & animarum lucro audirus est. Plurimas obivit excursiones sacras. Ad peragendas, quæ se offerrent, conciones tam plenus erat rebus dicendis, tam eloquens, & copiosus, ut semper in subitis etiam casibus paratum Superiores invenerint. *Mors P. Francisci Cardozi.*

15. Ad laborem se natum credidit vir indefessus: at supra modum negligens in rebus ad corpus pertinentibus. Victus nonnisi communis, & vilior: ajebat, naturam suam aliud non postulare: recentes pisces non attigit in mensa, sed solùm duratos sale, & sole. Multa patientissimè toleravit. Post communem horam eundi cubitum adibat templum, corámque Eucharistia ad mediam orabat noctem; tum acriter flagellato corpore recessit ad quietem capiendam.

16. Ignatium Martinium in plebe, pueris, ac rudibus catechesim edocendis ad vivum expresserat. Æquali cum eo Ulysipone veneratione colebatur. Decimâ nonâ Septembris de morte verba fecit in templo nostro, vespertino tempore in scalis Regii Palatii habuit eâdem de re exhortationem. Die sequenti, quâ horâ sacrum facturus erat ad aram summam, cùm non compareret, quæsitus ab æditvo invenitur figurâ sedentis in suo Musæo digito signans illa Apocalypseos verba, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur,* ipse jam, ut credere pium est, in domino mortuus, & beatus.

17. Ubi vulgata mors est, incredibilis mæror nostrorum juxtà, ac externorum corda occupavit. Nobiles Præpositum & Patres consolabantur in tanta domûs jacturâ. Opifices ad exhibendum luctum officinas clausêre. Pueri lacrymantes agminatim ad nos confluxerant. Concursus ad ejus funus innumerus fuit. Lintea, precationum globuli applicabantur cadaveri, ut pro reliquiis servarentur.

18. Instituerat sodalitium musicorum Ulyssiponensium, è cujus legibus erat una, certam lucri partem in arca deponere ad dotandas filias, & sorores musicorum. Hi sodales tanto apparatu justa Francisco solverunt, ut ab annis pluribus simile quid visum non sit. Illius vita inter alias Nostrorum typo impressas circumfertur.

Obit P. Emmanuel Costa.

19. Vigesimâ quartâ Februarii è corpore excessit P. Emmanuel Costa Ulysiponensis. Iêrat Farum ad regendam domum: contractâ ægritudine remissus est ad Cœlum patrium, nullis medicinæ præsidiis restituendus. Ajebat in toto corpore sibi doloris vacuam non esse partem. Mirè coluit Dominicam passionem, quam assiduè contemplabatur. Doloribus immunem se fassus est, cùm acciperet Eucharistiam, & sumebat frequenter. Egerat Rectorem Bracharensem, & ter socium Provincialis. Petentibus Brigantinis Ducibus concessit Villamvissosam ad missiones instituendas.

Mors P. Gasparis Alvarii.

20. Corpus P. Gasparis Alvari 30. Septembris terræ redditum est. Vivere mundo dedit Resendium diœcesis Lamecensis. Vix in ea domo ullus Coadjutor spiritualis pleniùs suo gradui satisfecit. Annis triginta illic indefessus operarius. Multus erat in carceribus, nosocomiis, & triremibus adeundis. Ad eum confluebant tum ex fæminis illustribus, tum aliis innumeræ, ut conscientiam expiarent. Sæpe has nobiles relinquebat, ut infimam plebeculam audiret ad januam communem. Eucharistiam, B. Virginem, divos Josephum, & Antonium peculiari cultu est veneratus.

Moritur Helena Mascarenia.

21. Memoriæ Nostrorum meritò adjungimus obitum Helenæ Mascareniæ fæminæ ætatis, & virtutis provectæ. Conjugem nacta est Petrum Mascarenium Indiæ Pro-regem, qui Lusitaniæ Societatem importavit. Non illa conjugi cessit amore erga res nostras. Favit plurimùm eleemosynis Domui Professæ, quondam magnopere adnixa, ut nobis donaretur divi Rochi ædes sacra, ubi secundam totius Societatis domum Professam condidimus.

Instauratur verberatio.

22. In ea domo per vernum jejunium nocturnis horis in templo verberatio externorum instauratur. Ne sub specie pietatis tanta multitudo seditionem moliretur, hujusmodi castigatio fuerat interrupta vel jussu, vel significatione, vel timore locò Regis rempublicam administrantium. Verùm dies ipsa demonstravit inanes fuisse timores, quos dæmon injecerat ad extinguendam rem Deo gratam. Vir pius dedit aureos quadraginta, ut flagella non habentibus tribuenda emerentur.

Missiones.

23. Tres & quadraginta de Collegio Conimbricensi Quadragesimæ tempore sacras missiones diversis in oppidis peregerunt. Introducta, ubi non erat, pia flagellatio. Abusus non pauci extincti. In oppido quodam apertis nundinis mercatores intra sacram ædem misericordiæ, quod esset in foro, adornabant tabernas suas, ac vendendas merces exponebant. Indignatus noster acriter eos reprehendit, atque instar Christi è templo ejecit, persuasitque Senatui, ut id deinceps vetaret, conditâ lege prohibente.

24. In

24. In Collegio Ulyssiponensi die sextâ Aprilis Libitinæ succubuit P. Joannes Socirus natus Alcacere Seguerio in Africa. Plurimis annis exemplo magno procuravit negotia Provinciarum Indiæ, ac Brasiliæ. Ante solis ortum horis aliquot de lecto solitus consurgere, ut expleret orationis pensa, essétque ad tractanda negotia sine ulla spiritûs jacturâ expeditior. Sebastianus Gonsalvius Coadjutor, Sociri socius, demortui vestigia pressit 21. Augusti: modestia, mansuetudo, & omnimoda virtus cunctis charum reddidêre. Obeunt P. Joannes Socirus, & Sebastianus Gonsalvius.

25. Scholæ ejusdem Collegii tum litteris, tum Christianis moribus florebant. Scholastici 40. se tradidêre religiosis claustris. Habita tragædia de divo Antonio Abbate, cui interfuit Alphonsus Castelbrancus regni Prorex. Præluserant certamina mansuetiorum Classium, & præmia victoribus collata. Ad bacchantium furorem sanandum Magistri cum discipulis instar supplicantis agminis vias urbis præcipuas obivêre: septem Musicorum chori distantibus intervallis recreabant populum. Tam gratum oculis, auribúsque spectaculum urbem attraxit omnem, quæ & alias temporis illius posuit insanias, multúmque laudavit piam jucunditatem bonis moribus utilissimam. Scholæ Ulyssipone.

26. In Portuensi Collegio 8. Januarii quinquagenario major è medio sublatus est P. Antonius Pirius Tentugalensis, Coadjutor spiritualis, notæ virtutis. Eminuit charitas in pauperes, qui & mortuum jugibus lacrymis defleverunt. Primus non semel se obtulit in contagiosis morbis ad succurrendum. Rogabat mitti nocturno tempore ad ægrotantes. Immodica in audiendis pœnitentibus assiduitas calendis Januarii ad lectum prostravit. Supremo morbo tam pacatus erat, atque ille, qui post longos viarum errores patriæ appropinquat. Obitus P. Antonii Pirii.

Annus 1605. Soc. 66.

1.

Ulyssipone 20. Martii positus est primus lapis templi tironum: eum jecit solitâ cæremoniâ Episcopus Malacensis, monachus Ordinis D. Hieronymi, portantibus P. Antonio Mascarenio Provinciali, & Domûs Professæ Præposito. Fernandus Tellius Menesius ejus domûs Fundator supremæ necessitati cessit 26. Novembris: cujus cadaver depositum est in sacro Vestiario Domûs Professæ, ut post constructum tironum templum, eò transferretur. Primus lapis templi tironum, & Fundatoris mors.

2. Cùm PP. Antonius Vasconcellius, & Stephanus Castrius menses novem insumpsissent excolendo Christianis mysteriis Portalegriam, ejúsque diœcesim, placuit Illustrissimo Domino Didaco Correæ Episcopo firmam Societati in urbe sedem constituere. Ille cum Capitulo donârunt nobis ædiculam D. Blasii vetusti, ùt illic vocabant, & sacram ædem S. Mariæ Magnæ; prope hanc conducta domus, in quam commodè paratam, ùt sinebant angustiæ, Patres immigrârunt die trigesimâ primâ Julii Protoparenti nostro dicatâ. Hactenus hospites fuerant in Seminario Convictorum. Septembri proximo nostro vocato Eboram Vasconcellio ad Collegium gubernandum successit P. Eduardus Silveira. Victum liberaliter, dum vixit, præbuit Episcopus. Initium Collegii Portalegrensis.

3. Dominus Julianus Alva Portalegtiæ primus antistes (nam anteà ea diœcesis pars erat Guardiensis) anno 1570. jecit quodammodò hujus fundationis primordia: nam instituens Gymnasium moralis scientiæ, & alterum Latinitatis, imperavit, ut, si quo tempore Societas Portalegriæ domum conderet, ipsi gymnasia cum reditu traderentur, & simul ædificium cum sacello divi Sebastiani, quod condiderat, ut ibi Magistri habitarent. Post multam rerum, & annorum periodum à nobis emptum est ædificium cum ædicula D. Sebastiani, unde nomen Collegio.

4. Tredecim ad Indiam naves conscenderunt, novem Lusitani, quatuor Itali. In eis P. Ludovicus Pelingotus, qui cum P. Joanne Metela ab Ethnicis in odium fidei est occisus, dum ambo Leylami neophytos habent curæ. Instituto nostro animum adjecerunt Vincentius Bochia Portimanensis, Franciscus Profecti ad Indiam. Ingressi Societatem.

Tavora Lamecensis, Andreas Sâ, & Antonius Vasconcellius Portalegrensis, hic obiit in tirocinio, Tavora fuit Assistens, alii duo scholastici illibatis moribus.

Res Collegii Portuensis. 5. Grande refugium pauperibus ægrotis ope nostrorum est paratum in urbe Portuensi: nam illorum suasione permotus Lopus Almeida dotavit nosocomium in platea de Floribus nuncupata; administratur à sodalitio misericordiæ. Oblivione ferè sepulta solemnitas divi Pantaleonis Martyris, urbis Patroni tutelaris, eujus & inter mænia sua conservat ossa, per nostros suscitata est.

Moritur Laurentius Costa scholasticus. 6. Conimbricæ fato præcoce discessit 27. Augusti Laurentius Costa scholasticus, natus Ramelæ in diœcesi Guardiensi. Antequàm conjungeretur nobis, octavo quoque die animâ per homologesim expiatâ divinis accubuit epulis. Probationis biennio laudabiliter emenso studia scientiarum ingressus, cœpit laborare sanguinis vomitu, & phthisi. Quatuor poscebat, patientiam, fortitudinem, lætitiam, & suæ voluntatis cum divina conformationem: mori demum, ut esset cum Christo.

Obit P. Franciscus Noronius. 7. Decimâ Aprilis fatalem habuit Ulyssiponem, quam olim sortitus est natalem, illustrissimis parentibus prognatus P. Franciscus Noronius. Apud nos dedit operam Latinitati, aliisque facultatibus ad professionem necessariis. Vitam consumpsit naviter incumbendo nostris ministeriis. Primariam nobilitatem humilitate eximiâ illustriorem reddidit. Dum in urbis carcere audit ægrotantium confessiones, febri perniciosâ contractâ extinctus est.

Obit P. Hieronymus Cardozus. 8. Ibidem de vivis exiit 3. Augusti P. Hieronymus Cardozus Goveensis. Commodorum peculiarium hostis nunquam sibi indulsit: propterea agens Provinciæ Procuratorem nolebat uti mulis, quamvis Majores concessérint, ut minori fatigatione negotia apud tribunalia regia promoveret. Frequentes illius de rebus divinis sermones indicabant cor Deo plenum.

Missiones P. Balth. Barreiræ. 9. P. Balthasar Barreira, quem sub finem anni superioris diximus ex insula S. Jacobi transfretâsse ad continentem Guineæ, adiens regionem saltûs leænæ velut novus sol illuxit eis regionibus in umbra mortis delitentibus. Quatuor vel quinque annos desudavit in convertendis iis Ethnicis: Reges plures tinxit baptismo. Specialis DEI providentia elucet in Rege Tora, numerabat ætatis annos triginta centenos, tam vegetus ac robustus, ut quinquagenarius videretur. Hic olim in locis Africæ mediterraneis cùm abundaret populo, magnum ductans exercitum novas sedes quærentem, in has maritimas regiones pervenerat: alebatur exercitus humanis carnibus captarum nationum. Cum suis hic fixit stationem. Neque ex tanto numero alius restabat, quàm ipse. Auditis sacris mysteriis baptisma recepit dictus Petrus. Erat apud eas gentes prodigii instar propter dignitatem & ætatem suam, quam non vulgaris in rebus agendis prudentia exornabat.

Res Angolæ. 10. In Angola contages turbârat Loandam: duo sacerdotes Petrus Sousâ, & Gaspar Azevedus ministrârunt ægris, & incolumes rediêrunt. Venientem è Lusitania Fratrem Antonium de S. Stephano Episcopum domûs nostræ Superior invisit, patuitque ex sermone, quàm parùm propenso in nos esset animo, à malevolis Societati multis mendaciis obrutus. Id Loandæ ostendit, id in Congo, quò est profectus, & ubi gravis eum morbus oppressit. Redditus valetudini, simúlque Loandæ, didicit experientiâ, quàm erroneis imbutus esset opinionibus. Anni die primâ in templo nostro ad concionem dicens effundebatur totus in Societatis laudes, quibus & populum recreavit, & deterfit existimationem de animo nobis parùm benevolo conceptam.

11. In eadem domo apertus est ludus pro alphabetariis, qui magnopere desiderabatur. Multò jucundissimum erat populo audire, cùm id Superior post concionem declarâsset. Episcopus lacrymis temperare non potuit, gratiásque dixit Superiori pro nuntiis tam lætis. Protinus, vulgatâ famâ, cœperunt confluere pueri non solùm ex urbe, sed Congo, & aliis regionibus, quos eorum parentes etiam nobilitate conspicui ad perdiscendum mittebant.

An-

Annus 1606. Soc. 67.

1. Septem hoc anno socii navem conscenderant Indicam eas regiones petituri; verùm (caussas non reperi) navis impeditâ profectione dilati sunt in annum sequentem. Ad Angolam missi P. Eduardus Vasæus Bajensis, P. Franciscus Goësius, & Antonius Barrius coadjutor. *Ad Angolam profecti.* P. Eduardus plurimis annis inter labores innumeros apud eas gentes fidem propagavit. Erant in Angolæ conspectu, cùm navis à piratis Hollandis est capta, spoliati vectores rebus omnibus; conjecti in navis scapham, victu admodùm exiguo; remigârunt in littus, ac semimortui in terram evasère.

2. Naufragium prorsus miserandum subiit navis ex India redux, ad portum prope arcem à S. Juliano dictam in ostio Tagi scopulis impacta. *P. Franc. Roderici naufragium.* In ea vehebatur P. Franciscus Rodericus Procurator Japoniæ cum Prorege Aria Saldania. E quinque navibus ex India revertentibus unam Franciscus voluerat conscendere, quæ sola nacta est felicem navigationem; ast prohibuit Arias. Poterat idem in littus egredi, nisi pereuntium æternam salutem suæ temporariæ anteponeret. Moratus, ut confessione miseros expiaret, & sanctissimis verbis roboraret ad supremum agonem.

3. P. Emmanuel Barrius, quem sui loco reliquerat P. Barreira cum socio coadjutore in Residentia Capitis viridis, diem suum clausit. *Obit P. Emmanuel Barrius.* Virtus magnam ipsi pepererat sanctitatis famam. Adversus dæmones singulari potestate instructus, quos alii non poterant, sine negotio abigebat. Agrum fæcundum infestavère Lemures, ob id nullus audebat excolere; sed ubi Emmanuel aquâ lustrali conspersit, formidanda spectra disparuerunt.

4. Sors omnibus mortalibus una tumulo intulit Conimbricæ vigesimâ nonâ Novembris P. Hieronymum Fernandium. *Mors P. Hieronymi Fernandii.* Nexu optimo litteris junxit virtutem. Pluribus annis Theologiam professus est. Sui contemptor egregius. Nemo ipso mansuetior, aut corporis macerandi studiosior.

5. E Collegio Conimbricensi progressi sunt multi sacerdotes cum sociis scholasticis ad excolenda diversa oppida, Visonium, Arganilium, Penamcovam, & alia. *Res Conimbricensis Collegii.* Ubique diligentissimè prospectum animarum saluti. In Collegio fidei mysteriis est instructus adolescens Danus, in quo singulariter proluxit Numinis providentia. Erat Pro-regis Norvegiæ Calviniani, & Matris Catholicæ filius. Quamvis hæc vehementer optârat, pater tamen prohibuit sacrâ lymphâ ablui. Adulto illo suadet mater, ageret cum P. Laurentio Norvego nostræ Societatis, ut, quid esset optimum factu, perdisceret. Interim vocatur ad Cœlum pia mater. Zachariam (id erat adolescenti nomen) genitor sectæ suæ homini commendatum Nobilium more per universam Europam misit, ut primarias ejus urbes, & Principum aulas lustraret.

6. Pervagatus Germaniam, Italiam, & Galliam, cùm in Hispaniam penetrâsset, ductorem suum amisit infelici morte sublatum; sed ab eo, cùm moreretur, traditus est alteri Calvinistæ, qui nobilem Gallum pari consilio deducebat per provincias. Cùm verò Hispali solvissent, tenderéntque in Lusitaniam, incidunt in Hollandum piratam, à quo capti, suique omnibus spoliati in Algarbiorum littus ejiciuntur. Uterque nobilis adolescens pedibus iter capit Ulyssiponem. Cetobricæ Dano multa per somnium ostensa sunt, quæ nutantem voluntatem permoverunt ad suscipiendam orthodoxam religionem.

7. Sed ùt attigit Ulyssiponem, obvius illi fit Calvinianus mercator, qui domum, genúsque adolescentis non ignorabat. Hic ejus calamitatem cùm audîsset, spe magnæ mercedis à Patre obtinendæ eum domi suæ recepit, atque opportunam occasionem præstolatur reducendi in patriam. Zacharias tamen, urgente divino instinctu lembum in Tago conscendit Scalabim navigaturus. Fe-

rebant-

rebantur eodem Dominicani duo, quibus suam aperit mentem; suadent, ut Inquisitionis se sistat tribunali, quod ab eo factum Conimbricæ.

8. Rite à Nostris Inquisitorum jussu instructus, baptismo lavatur sine pompa, ne rei fama Ulyssiponem perferretur. Favit subsidus pecuniæ Episcopus, & multi locupletes. Statuit ex urbe Portuensi Flandriam petere, ut ab Archiduce Alberto litteras commendatitias obtineret ad parentem suum, quo sineret Catholicum vivere, vel sua bona divendere, ac vitam, ubi lubet, tranquillam degere. Porrò nostri litteris ad homines Societatis juverunt. In excessu cùm uberrimas profudisset lacrymas, cur fleret? interrogatus: Ploro, inquit, quòd, cùm tot beneficiis affectus sim à Patribus Societatis, nil habeam, nisi lacrymas, quibus gratum animum contester.

Conventus Provinciæ. 9. Coactus est hoc anno Provinciæ Conventus Ulyssipone, præside P. Antonio Mascarenio Provinciali. Electus Romam iturus Procurator P. Doctor Fernandus Rebellus. Adsuit his comitiis P. Franciscus Suarius Granatensis. Agitatum est de dividenda Provincia in duas, nempe Cistaganam, & Transtaganam: sed visum fuit, non esse res in eo statu, ut tunc divisio fieret.

P. Antonius homo dimittitur. 10. Haud parùm molestiæ facessivit Superioribus P. Antonius Homo Doctor Theologus, & Theologiæ in Eborensi Academia Professor, vir in sensu suo abundans, minúsque consideratus: Ideo multorum sententiâ magisteriis non applicandus. Dictavit nonnulla contra modum correctionis fraternæ, quem tenet Societas. Jussus est, ut è cathedra auditoribus injungeret, delerent calamo, quæ in rem perperam dictâsset; renuit, nisi P. Generalis cogeret imperio suo. Cùm videret Societas ingenium novitatibus inhians, & pronum ad turbas, decrevit, ipsum à suo arcere complexu. Migravit ad Carmelitas calceatos, apud quos vixit, & obiit.

Martyr. 11. Alterius dimissi felicioris non est prætereunda hìc mentio. Vigesimâ Aprilis Conimbricæ iniit Societatem Joannes Maxius Anglus natione, ortus Londini. Uno jam anno operam Theologiæ impenderat: non perseveravit apud nos, sed revertens in patriam suam martyrio vitam finivit.

Res Angolæ. 12. Acceptis novis auxiliis, licèt pro messe exiguis, duo peragrabant Angolæ regiones, & Nigros, ac Lusitanos ad æternarum rerum desideria concitabant. Augusto mense P. Gaspar Azevedus próvidit cum Antonio Sequeira Coadjutore: excurrerant per aliquorum Sobarum ditiones, cùm litteris à Superiore datis Loandam vocantur. Nam Rex Cacongi legatos miserat, velle se Christiana sacra complecti. Id Regnum finitimum est Congo: à fluminis Zairi ostio distat itinere dierum quatuor: Zairus à Loanda leucis octoginta. Quamvis multi se offerrent presbyteri, noluit Episcopus alios mitti præter nostros.

13. Interim Loangi Rex Evangelicos præcones ad se mitti popoſcit. Centum & viginti leucæ Loandam inter & Loangum intercedunt Septentrionem versus. His expeditionibus obeundis se comparaverant Gaspar Azevedus, & Franciscus Goesius. Obex repentè à Præfecto supervenit. Misit, qui bellum inferrent Ungensi Sobæ. Admonet Superiorem, num haberet Patres, qui comitarentur exercitum; secus evocaturum se Monachos tertii Ordinis D. Francisci. Mandatum præseferebat minas, scripturum Regi, nos frustra ejus illic expensis ali, si militiæ præstò esse abnuamus. Igitur destitum à prædictis expeditionibus. Gaspar Azevedus sacerdos cum Gaspare Dominguio adjutore profecti ad exercitum. Quid illis acciderit, explicabit annus sequens.

An-



Annus 1607. Soc. 68.

1.

Ulyssipone habita sunt mense Aprili Provinciæ comitia ad eligendos, qui cum jure suffragii Romæ Generali Congregationi interessent. Electi PP. Franciscus Gouvea, & Franciscus Pereira, qui Romam concesserunt cum P. Antonio Mascarenio. Provinciam moderabatur interim vicariâ potestate P. Martinus Mellus. Anno sequenti celebrata Romæ comitia. Congregatio Provincialis.

2. In Asiam, Americam, & Africam suppetias misit Provincia: ad Indias undecim; sex erant Lusitani, quatuor Itali, unus Belga Nicolaus Trigautius, quem gesta sua & scripta orbi notissimum fecêre. Die 5. Februarii egressi Tagum, Octobris decimâ intrârunt Goanum portum. Sex Lusitani Brasiliæ tulêre subsidium, P. Emmanuel Lima cum potestate Visitatoris, ejus socius P. Jacomius Monscirus, & Matthæus Gonsalvius coadjutor, duo scholastici, & alius coadjutor. Angolam petivit P. Ludovicus Brandanus Portuensis cum Emmanuele Bernardio fratre laico. Profecti ad regiones ultramarinas.

3. Ad insulas Capitis viridis & Guineam iter aggressi terni sacerdotes ornatissimi virtutibus, Emmanuel Almeida Trancozensis, Præfectus scholarum Ulyssiponensium, Emmanuel Alvarus natus Turribus novis, Petrus Netus Povoënsis: postremi duo erant Coadjutores spirituales. Almeidæ fervorem omnes, qui virum noverant, admirabantur. Conimbricæ docuit annis octo humaniores litteras, quinquennio Philosophiam: ad magisteria æquè, ac ad sacras conciones donis præcellentibus instructus. Profecti ad Caput viride.

4. Negotium unicè egerat cum Provinciali. Ideo duntaxat de profectione cognitum, quando navigium conscendit. Mense Februario soluta vela, eodem tenuerunt insulæ portum. Illic degebat è nostris solus Petrus Fernandius coadjutor, qui diebus novem elapsis cum P. Emanuele Alvaro navigavit ad flumen, quod magnum dicunt, in Africæ continenti, ut essent auxilio Patri Barreiræ, simul ejus supplerent vices, quòd erat opus illius præsentiâ ad res domesticas ordinandas: nam Rex nuper jusserat in insula D. Jacobi Collegium fundari, quo 12. socii alerentur.

5. P. Almeida situm ac domos elegit ad nostra ministeria commodiores, quàm fuerint conductæ pretio, quibus hactenus utebamur. Laborabat instar integri Collegii, pueros Latinitatem, Presbyteros Theologiam moralem edocebat. Magnam adhibuit curam, ne sine baptismo morerentur adulta mancipia. Biennio ad alias insulas sacerdos non pervenerat, ut moris erat quot annis; decernit eas adire; ast jam conscensurus celocem impeditur ab insulæ Præfecto. Id tamen ortum commodi, quòd alius sacerdos externus eò transfretaverit ad expiandas incolarum conscientias.

6. Non diu superstites vixerunt hi duo vineæ Domini cultores. Nam Augusti octavâ die mors sustulit P. Petrum Netum. De ipso scripsit P. Almeida, in ea regione non secus castigationibus fregisse corpus, atque solitus erat in Lusitania, cùm insulæ id minimè ferat Cœlum supra modum insalubre. Virginem matrem, ac Dominicam passionem dilexit intimis sensibus. Virtutes religiosas in seipso admirabiliter excoluit. Suorum commodorum vix alius repertus tam incurius. Studebat contemni, & ab omnibus pro nihilo pendi. Franciscus Correa summus insularum Præfectus deferri fecit in suum palatium, ut ejus valetudini diligentiùs consuleretur. Paruit, tametsi invitus, amicissimi hominis charitati, cùm domi nostræ id fieri commodùm non posset. Sepultus à Canonicis in sacello primario templi maximi. Ejus virtutes, quemadmodum & P. Emmanuelis Almeidæ, sunt in lucem editæ in opere de domicilio tironum Conimbricensium. Moritur P. Petrus Netus.

7. Non

Mors P. Emmanuelis Almeidæ.

7. Non dispar fatum excepit P. Almeidam 17. Octobris. Cùm, posthabitis vitæ suæ commodis, labori impensè vacaret, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret, pernicioso correptus morbo sanctissimè profudit animam. Nec præclaræ, quibus pollebat, naturæ ac scientiarum dotes aliam ei vitam persuadere poterant, quàm se immolare animarum saluti. Habuit fratrem germanum P. Antonium Almeidam sanctimoniâ clarum apud Sinenses.

Expeditio P. Barreiræ.

8. P. Balthasar Barreira suscepit expeditionem spe, quàm successu majorem. Bena regnum est in locis mediterraneis, ad quod per flumen alterius dominii conscenditur. Eò pervenerat fama Regum à Patre conversorum in regione saltûs Leænæ. Benensem Regem pariter cupido invasit amplectendi Christiana sacra. Mittit nuncios ad Patrem, & cum eis adolescentem filium suum. Inter maxima vitæ discrimina longum iter emensus Barreira agit cum Rege de superstitione multiplici desetenda, ipseque paulatim annuebat; cùm supervenit Bexerinus (ita illic vocant præcones legis Mahumetanæ) qui pro concione cœpit laudibus evehere Mahumetana dogmata, deprimere Christiana, atque Christo maledicere. His verbis, & metu Regis se superioris, Benensis animus prorsus est immutatus. Cùm nulla melioris successûs affulgeret spes, Barreira inter eadem pericula ad saltum Leænæ revertit; quo tempore P. Emmanuel Alvarus in eas accesserat regiones, mirum in modum illius conspectu recreatus.

Gesta ab Emmanuele Alvaro.

9. P. Emmanuel Alvarus in navigatione magnis defunctus pelagi periculis ob vadosa maria, ad Guinalæ appulsus regna, profuit Lusitanis, duobus cumprimis, quos inter se conciliavit, nam mutuis ardebant odiis. Quòd gratiâ pollerent apud Regem, erant momenti non parvi ad conversionem Ethnicorum. Rex ipse Emmanuelis suasu demolitur idola sua, & barbarum morem sustollit occidendi famulos post mortem dominorum suorum, ut quibus vivi, eisdem mortuis servirent. Petiit baptismo ablui: verùm, ùt sunt hujusmodi Nigri, instabiles in proposito, fervor dilatione probatur.

P. Barreira revertitur è Guinea.

10. P. Balthasar post res innumeras in Dei gloriam apud eos Æthiopes gestas, neophytis Emmanueli commendatis, magno sui desiderio relicto navigium conscendit reversus ad S. Jacobi insulam. Etenim delatis ad se duorum sociorum funeribus, res domestica erat in magna solitudine; & oportebat providere fundationi Collegii. Divinâ factum providentiâ, ut ventis parùm faventibus sit coactus in alios, atque alios portus oræ maritimæ se recipere. Ubique Lusitanis suæ salutis incuriis instar novæ facis illuxit. Tempus edocuit, non casu in eas terras delatum; nam si ventus favisset cursui ad insulam, capienda fuisset navis à piratis mare infestantibus. Ubi illud deseruêre, ventus è continenti perflans Barreiram sospitem invexit portui, exceptum ab indigenis velut Angelum.

Obit P. Fernandus Carvalius.

11. Ex Ulyssiponensi Domo Professa in domum æternitatis commigrârunt. Undecimâ Junii P. Fernandus Carvalius Palmelensis, ætatis anno quinto supra septuagesimum. Pauperum, pupillorum, & viduarum habebatur Parens. Fuit è præclaris sui temporis Concionatoribus.

Dominicus Fernandius.

12. Septimâ Augusti secutus est Dominicus Fernandius coadjutor, exquisitæ virtutis, quam probavit fœdus cancer vultum depascens. Tulit atrocissimas carnificinas invictâ patientiâ; cui malus dæmon invidens, adest sæpe sub horrenda larva, cubile aperit, intróque agit canes, qui turbarent ægroti pacem. Sed invocatâ ope B. Virginis, terribiles formæ extemplò disparuerunt. Ipse tranquillissimè expiravit.

P. Emman. Fernandius.

13. Collegium Ulyssiponense suum etiam tributum morti dedit. Vigesimâ septimâ Octobris P. Emmanuelem Fernandium, Provinciæ Brasiliensis Procuratorem, de quo apud omnes erat non vulgaris opinio. Modestia, & verba de rebus divinis indicabant hominem sanctum. Ferebatur occulta manu pulsata templi nostri cymbala, ubi spiritus P. Emmanuelis corpore solutus est.

14. Ter-

14. Tertia Novembris ibidem in urnam sepulchralem incidit P. Didacus Barrius nonagenarius. Conimbricæ in Societatem adscitus est anno 1550. Nec in tanta senectute ullas admisit immunitates à communi more alienas, lectum ipse sternere, suâ manu cubiculum verrere solitus. Gravabatur immodico mærore ob Numen offensum, cùm audiret narrari de publicis peccatis. Assiduus erat in tribunali pœnitentium. Deum rogavit de vita tolli mortis genere, quo nemini molestiam facesseret; auditus est, nam defectu nativi caloris invenêre exanimatum. P. Didacus Barrius.

15. Portalegriæ Cœlum petiit Angelicus tiro Antonius Vasconcellius, ibidem natus è primariis civibus. Cùm in tirocinio cœpisset phthisi prævus indiciis laborare, missus ad Portalegrensem Residentiam, ut Cœlo patrio restitueretur sanitati; obtinuerunt parentes, ut secederet cum ipsis in prædium suum non longè ab urbe: paruit adolescens, quanquam illi nihil potuit acerbius contingere, qui vellet mori domi nostræ. Illic pejùs habenti succurrit P. Stephanus Castrius, ac roboravit supremis Ecclesiæ præsidiis. Innocentem efflavit animam 29. Maji. Inde noctu in urbem portatus feretro, ac inter accensas faces locatus in aula ædium parentis. Antonius Vasconcellius.

16. Vulgatâ morte Antonii, fit ingens concursus ad eum venerandum. Admirationem concivit odor suavissimus è cadavere diffusus; applicabant sudaria, quibus idem inhæsit odor; manus, pedésque osculabantur. Maximâ pompâ elatus & sepultus est in templo nostro. Illius virtutes multæ & egregiæ fuerunt. Quidquid modestiæ, familiaritatis cum DEO, proprii contemptûs, & curæ ad cumulandam sanctimoniam Societas cupit in suis tironibus, enituit in Antonio, ùt abundè liquet ex ipsius vita, quam in opere de tirocinio Eborensi typis vulgavi.

17. Religioni nostræ se tradidit primis vitæ sanctæ principiis imbuendum P. Eduardus Costa è prima Nobilitate, frater P. Francisci Mendossæ scriptis suis notissimi. Quamvis esset hæres paternæ domûs, à nuptiis abstinuit, vitámque vixit sanctis moribus spectabilem. Exemplo Francisci fratris sui decrevit amplecti societatem. Apud nos virtutes cumulatis auxit incrementis. Bona sua donavit ad fundandum Scalabi Collegium. Ingreditur P. Eduardus Costa.

18. Anno superiore relatum est P. Gasparem Azevedum cum Gaspare Dominguio Coadjutore profectum Loandâ ad Lusitanum exercitum in Cambamben, quò pervenit die quintâ Januarii. Sobam unum, sive Regulum, cum septem aliis Lusitanus capitis damnaverat: profuit Sobæ, & quinque aliis sociis præsentia sacerdotis; nam sunt ante mortem sacrâ lymphâ Christo regenerati. Duo permoveri non poterant, otiosum esse, dictitantes, Christianos fieri, si mortem non evaderenr. Nostri multa bona scripserant ad Loandæ socios de regione Cambambensi cùm sibi aërem noxium experiri cœperunt, correpti acutis febribus; ex quibus consumptus est 22. Januarii Dominguius, natus Sabadelni in Lamecensi diœcesi. P. Azevedus ægrè perduravit usque ad 27. Maji, ortus Castelbranci diœcesis Guardiensis. Ambo ùt boni Christi milites ceciderunt in acie, séque in ea conjecère pericula proximi juvandi ergò. Res Angolæ. Moriuntur Azevedus & Dominguius.

19. Cœptum Angolanum ædificium, ubi nunc est, prope forum. Hactenus incolebamus ædes ab urbe remotas, parùm nobis, parùm Civibus commodas, ut nostris fruerentur ministeriis. Gubernator, sive Præfectus, donavit terræ leucam ad Bengum flumen Collegio nostro. Etenim moris tunc erat, ut Gubernator terras divideret eâ conditione, ut, qui accipiunt, intra certos annos excolant, reddántque fructuosas. Ni facerent, jure amisso Gubernator, cui lubitum, largiebatur. Angolæ temporalia.

Annus 1608. Soc. 69.

I.

Comitia generalia. COmitia universi Ordinis Romæ, secunda vivo Generali, mense Februario celebrari cœpta sunt. Assistens renunciatur pro Lusitaniæ provinciis P. Antonius Mascarenius. Ejus locò Provinciam gubernare jubetur P. Hieronymus Diasius Conimbricensis. P. Joannes Alvarus hactenus Assistens regressus in Lusitaniam, cæteros vitæ annos agere moliebatur in Sanfinensi Residentia prope flumen Minium, ubi loco edito inter nemus condidit sacellum Virgini Lauretanæ dicatum. Haud diu secessu illo fruebatur; nam ob commune bonum iterum est gubernio admotus. Egit Præpositum, Visitatorem, denuo Provincialem, ac postremùm Eborensis Collegii Rectorem.

Profecti ad Caput viride. 2. Quamvis Provinciam mœrore compleverit obitus duorum Patrum in Residentia Capitis viridis, non ideo defuerunt, qui sponte sua devoverint se ipsos juvandis gentibus in ea regione alienigenis tam mortifera. Hi fuêre sacerdotes quatuor, & unus Coadjutor. Patres Joannes Delgadus Atouguiensis, Sebastianus Gomius Michaëlensis, Antonius Diasius Conimbricensis, Joannes de Nigris Italus, & Joannes Fernandius Coadjutor. Patris Delgadi fervor cunctos rapuit in admirationem; cùm profiteretur Theologiam Conimbricæ, libenter humanis plausibus arduos pro DEI gloria labores anteposuit.

Profecti ad Indiam, & Angolam. 3. Octo, Lusitani omnes, se fluctibus commisêre ad Indiam. Superior P. Nicolaus Vieira Ulyssiponensis obivit in itinere. Eorum etiam è numero erat P. Emmanuel Borgius Eborensis, martyr in Japonia. Ad Angolam missi quinque, duo sacerdotes, Dominicus Pirius, & Alphonsus Diasius, cum tribus Coadjutoribus.

Init Societatem P. Didacus Brandanus. 4. Quadraginta & octo tirones adscripti sunt nostræ militiæ. Hos inter P. Didacus Brandanus Ulyssiponensis, sacerdos nobilis ac locuples, ætatis numerans annos octo supra quadraginta, motus ad ineundam Societatem, suáque bona donanda Japonensis Provinciæ lectione litterarum, quas de rebus Japonensibus Nostri inde mittebant. Illius est donatio prædium Carcaveliense non longè ab ostio Tagi.

5. Ulyssipone in Domo Professa nonnulli Coadjutores notæ virtutis felice exitu vitam clauserunt. Ludovicus Mendius Ulyssiponensis 27. Januarii: bis inservîerat peste contactis: rebus divinis plurimùm studebat. Quintâ Septembris Franciscus Pirius Portuensis: Viginti postremis vitæ suæ annis dolores summos patientiâ maximâ sustulit, aliquot annis Jobi instar plenùs ulceribus. Calendis Martii Joannes Vandronius Belga: venerat è patria sua, ut comes esset sacerdoti suæ Nationis, qui procurabat Ulyssipone conversiones hæreticorum. Quàm foret utilis horum sacerdotum opera, compertum est, ex quo P. Petrus Fonseca eos Ulyssiponem vocaverat. Hoc anno sexaginta hæretici supra centum ope Nostrorum veram fidem complexi sunt. Conversi.

Mors P. Christophori Gilii. 6. Grande lumen extinctum est Conimbricæ 7. Januarii vir sapientissimus P. Christophorus Gilius, domo Brigantinus, ætatis anno tertio supra quinquagesimum, Societatis trigesimo octavo, Doctor Theologus, ac celeberrimus Professor in Eborensi Academia, tunc in Academia Conimbricensi agebat Theologiæ vespertinum, ùt vocant, Professorem. P. Franciscus Suarius Granatensis magnopere laudavit ingenium, & sapientiam Gilii, cujus extat specimen typis datum volumen *de sacra doctrina, & essentia, atque virtute DEI.*

7. Virtutibus multò majorem impendit operam, quàm scientiis; has absque illis reputabat aridas, & sine succo. Sæpe inter orandum repertus est inflammatâ facie, lacrymis ubertim promanantibus. Sermones Christophori cum externis & nostris ùt plurimùm erant de rebus divinis. Quantumvis fecerit plurima, nihil tamen, ajebat, se fecisse Deo plenè gratum, nisi cùm adhuc puer

esset,

esset, edens cibum, nescio, quem amænum sibi & suavem, eum præbuit pauperi stipem per Deum roganti. Nescivit privatos affectus. Sæpe usurpabat hæc verba, *Amicus omnium, amicus nullius*. Sibi persuasum habuit, se nihil esse præter meram umbram religiosi hominis. Ejus funus Rector cum omnibus Academiæ Professoribus comitatus est. Academia in templo suo Gilio parentavit, ùt assolet, cùm moritur Professorum aliquis. Vitam hujus herois fusè scriptam vulgavi in primo volumine de domicilio tironum Conimbricensium.

8. Ibidem 29. Februarii lucis usuram restituit P. Sylvester Georgius, quàm primùm accepit Nagueiræ in diœcesi Conimbricensi. Habitus est architectus insignis, ideo non parùm utilis ædificiis nostrarum domuum per id tempus surgentium. Peculiariter afficiebatur considerando nascentem Dominum, quod mysterium illi erat Deliciæ suavissimæ. Moritur P. Sylvester Georgius.

9. Idem Collegium terræ mandavit P. Alvarum Lobum 23. Aprilis nobis ereptum. Mundo datus est Villaregali. Eluxit in eo singulariter demissio sui, suarúmque passionum dominium. Valetudine corporis minùs favente utebatur, otiosus tamen & videri, & esse horruit. Scripsit primos septendecim annos Historiæ hujus Provinciæ. In Lusitanum idioma transtulit Martyrologium Romanum, quod in usu est. De vitis sanctorum Lusitanorum composuit volumen, quod nondum typis impressum. Obitus P. Alvari Lobi.

10. Decimâ septimâ Junii mundana deseruit P. Melchior Franciscus tria vota solemniter professus. Eminuit in eo cultus B. Virginis: priusquam esset sacerdos, habuit curæ sacellum domesticum Marianum; eam noluit amittere initiatus. Erat Præfectus sodalitii Dominæ de Nivibus: sodalis cujuspiam malignâ contacti febre confessionem dum excipit, eodem malo correptus interit morte justorum. Obit P. Melchior Franciscus.

11. P. Simon Vieira Conimbricensis Magister Philosophiæ die quartâ Augusti auxit immortales. Magnum ingenium claruit magis à modestia tum verbis, tum factis. Adeò charus omnibus, ut obitus ejus magnum mærorem pepererit. Sepulti sunt in eodem Collegio quatuor, aut quinque scholastici, quos absumpsit phthisis; nec præter nomina aliud est de ipsis monumentum, nisi quod sanctè obierint. Aluit hoc anno Conimbricense Collegium cum domi, tum foris in Residentiis triginta supra ducentos socios. Moritur P. Simon Vieira. Numerus personarum Conimbricæ.

12. Eborense Collegium pariter accumulavit funera. Quintâ Januarii dissolutus est P. Gonsalus Sousa Averiensis, ortus parentibus multæ nobilitatis, ampli hæres patrimonii: Christi servitutem præhabuit: annis sex & quadraginta apud nos vixit summâ integritate, magistratibus aliquot perfunctus: tandem perculsus sideratione vitam duxit reliquam instar pueri innocentis: velut compos usûs rationis exactè peragebat exercitia omnia, quæ juvant animam, ac subigunt corpus. Mortui in Eborensi Collegio.

13. Decimâ quartâ Augusti spirare desiit Andreas Georgius scholasticus, natus Vianæ in Transtagana Provincia. Vel antequam nobis adjungeretur, habitus multæ virtutis. Jussit Magister iniquè delatum flagello subjici: paruit, ne verbo obtento. Compertâ dein innocentiâ percontanti, cur non attulisset excusationem? respondit, voluisse se Christum imitari. Ad vitæ finem usque conservavit gratiam acceptam in fonte lustrali. Non auditum ex eo verbum, quod alium læderet. Plurimus fuit in castigando corpore, plurimus in commercio cum Deo. Complexus Crucifixum illi animam tradidit. Andreæ vitam typis dedi in opere de tironibus Eborensibus.

14. Ipsâ die, quâ fidelium omnium defunctorum memoria agitur, iis adnumeratus est P. Antonius Pirius, natus Mealladæ in diœcesi Conimbricensi. Numerabat ætatis annum septuagesimum. Ter præstò fuit pestilentiâ infectis, omnia pericula posthabens charitati. Cadavera peste extinctorum agebat ante se in jumento, ut terræ mandaret. Una ex præcipuis ipsius cura fuit scortis deditos corrigere. Die ac nocte reperiebatur semper paratus ad confessiones excipiendas. Nihil pavoris in eo fuit prope mortem; imò tanquam ingressurus

Cœlestis Agni nuptias, voluit sibi radi barbam, lavari manus, ac de collo suspendi corollæ Marianæ globulos albos, aliquot post mortem annis apertâ ejus sepulturâ, suavissimus odor exhalabat.

15. Vigesimâ Novembris doluerunt socii mortem Clarissimi viri P. Fernandi Rebelli Doctoris Theologi, suis scriptis plurimùm noti. Caria in diœcesi Lamecensi prima dedit incunabula. Jobum patientem vocabant Academici ob insignem inter jurgia Academica tolerantiam: nihil unquam, sive objiceret, sive refelleret argumenta, turbatus est, aut impatientis animi nimiam ostendit significationem. Dum aliquando Nostros exhortaretur, incitatus ardore subito se provolvit in genua, orans Rectorem, ut suam ipsius frangeret rebus in omnibus voluntatem; ni faceret, præbiturum supremo Judici rationem.

16. Sextâ Decembris mortuis additus est P. Christophorus Freirius, natus Arzilæ in Africa. Venit in Societatem vivo adhuc S. P. Ignatio anno 1555. Nunquam sibi indulsit, quantumvis adversâ valetudine uteretur. Studiosè declinavit, ne ulli inferret molestiam: quod ipsi Deus vel in postremo concessit morbo, minimè diuturno. Illi demandaverant Inquisitores expurgare libros: in eo labore bonam vitæ partem consumpsit.

Res Eborensis Collegii. 17. Censuit Eborense Collegium octoginta supra centum socios, præter Collegas sæculares domûs à Purificatione dictæ, & scholasticos ægrotantes in Academiæ nosocomio. Cœpit & habitari Collegium Matris DEI ædificatum pro Convictoribus Fundatorum consanguineis, subditum nostræ Societatis administrationi. P. Antonius Vasconcellius Rector in villa suburbana dicta Valbonia nobile construxit ædificium cameras duodeviginti complexum, ut socii ibidem lassum studiis animum relaxarent. Hoc subinde multis incrementis auxerunt PP. Sebastianus Abreus, & Benedictus Lemius, ùt suo loco dicetur. Sacræ Reliquiæ arcis pretiosè ornatis clausæ sunt, quæ bis annis singulis exponuntur in maximo templi sacello. Suis expensis juvit opus Domina Soeira Vasconcellia Rectoris mater, Societatis amantissima, & inter insignes hujus Provinciæ Benefactrices numerata.

Charitas Brigantii. 18. Octodecim socii inhabitabant Collegium Brigantinum. Eò confluxit de Gallæcia pauperum multitudo, quam in externas regiones domestica fames compulerat. Cùm urbis senatus existimaret non esse cives alendis pauperibus indigenis, & Gallæcis, jussit hos ex urbe facessere: quod erat illos morti tradere. Convenerunt Nostri urbis Regentes, significant id esse à Christiana charitate alienum; modo mitiori consuli rebus posse, si ditiores inter se egenos sustentandos partirentur Admisêre pium consilium: factâ partitione, Collegium terno mense aluit quadraginta ex his Gallæcis.

Moritur P. Antonius Luisius. 19. Famem excepit morbi perniciale genus, quo repentinâ morte opprimebantur non pauci. Curatum à nostris, ne perirent, quin priùs expiarent per confessionem animas. P. Antonius Luisius dum nocte, dieq; instat operi, eodem morbi genere corripitur, ac piè moritur duodecimâ Septembris. Vivere cœpit Vianæ Interamnensis Provinciæ.

Mors Philippi Brigantini. 20. In Domo Professâ Villavissosana strenuè rem agebant septem sacerdotes & coadjutores quinque. In eo oppido explevit ætatem Dominus Philippus, germanus frater Ducis Theodosii, moribus Christiano Principe dignis ornatus. Adeò dilexit Societatem nostram, ut obtinuerit à P. N. Claudio facultatem, eam ineundi. Ajebat, ex animo dolere, quòd non oppeteret mortem militiæ nostræ jam indutus sago. Piissimè de vivis exüt, Nostris illum sacro alloquio ad supremum agonem roborantibus.

Mors Alexandri Ebor. Archiepiscopi. 21. Non unâ nobili prædâ contenta mors 11. Septembris rapuit Excellentissimum Dominum Alexandrum Brigantinum, filium Catharinæ Principis. Majoribus suis appositus est in templo PP. Augustinianorum. Magnum in eo columen amisimus.

Novum ædificium Angrense. 22. Aogræ è veteri Collegio mense Februario migratum. Dicti mensis decimâ sextâ dispositâ supplicatione sub umbella vespertinis horis Eucharistiam trans-

transtulit Dominus Hieronymus Teixeira Cabralius Episcopus ad sacram ædem novi Collegii, quod regebat P. Mathias Sâ.

23. Ad Indiam mense Octobri iter adornavit Ruysius Laurentius Tavora in classe sex navium, Indiæ futurus Pro-Rex. Navigantium spirituali commodo petiit in prætoriana nave missam fieri. Ad id temporis nemo tale quid ausus est ob periculum navi jactatâ sacri sanguinis effundendi. Consuluit Tavora Gasparem Ferreiram nauclerum insignem, qui tricies superaverat caput bonæ spei. Periculum abesse sereno tempore respondit. Igitur Pro-Rex jubet celebrari missæ sacrificium die octavâ Decembris Conceptioni Virginis dicatâ. Viso successu omnium solatio per totum iter sacris operabantur sacerdotes. Navigatio contigit faustissima. Primum missæ sacrificium in itinere Indico.

24. Exemptus est caducis rebus Ulyssipone 24. Septembris admirandus heros Franciscus Trigiamus, domo Anglicanus ex illustrissima Britanniæ familia. Quòd esset in domo ejus comprehensus sacerdos Catholicus, spoliatur pinguissimo reditu, & bonis omnibus domesticis, conjicitur in horridum carcerem, ubi pressus ærumnis infinitis latuit annos octo supra viginti, donec Regina Elizabeth de vivis excessit. Tum Franciscus solutus carcere, in exilium compulsus, venit Ulyssiponem. Annuum reditum, ut honestè viveret, præbuit Rex Philippus. Erat Trigiami exemplum omnibus spectabile, atque ùt vixit, ita obiit sanctissimè. Vicinus morti rogavit infimis precibus Patres Domûs Professæ, quibus ad animam gubernandam usus fuerat, in eorum templo sepeliri. Post annos plurimos aperto tumulo reperiebatur corpus integrum, recens & incorruptum. Mandata sunt omnia tabulis authenticis. Positum corpus venerabile intra templi parietem, incisis literis indicantibus, quantum virum hoc marmor tegat. Mors viri sanctissimi Francisci Trigiami.

Annus 1609. Soc. 70.

1.

PReces 40. horarum toto orbe solemnes cum indulgentia plenaria per modum Jubilæi triduo antecinerali induxit hoc anno Societas in Lusitania: quæ devotio multis jam annis apud nostros in Italia vigebat. Ex fonte rem narrare aggredior, ut celeberrimi Instituti pateat origo & progressus. Adhuc inter mortales degente S. P. N. Ignatio, anno salutis 1556. de Collegio Lauretano progressi sunt Maceratam ad missionem habendam PP. Joannes Mortagna, Oliverius Manareus, Belgæ, & Petrus Gomius Lusitanus. Preces 40. horarum cum indulgentia plenaria. Orland. l. 16. n. 10.

2. Comœdiam parùm honestam adolescentes nobiles paraverant theatro committendam postremis diebus genialibus, quibus licentia effusior laxat frænos. Noxiam lætitiam frustra nostri impedire conantur suasionibus piis. Igitur novo consilio vulgant, illo triduo, spatio 40. horarum expôsituros se sacrosanctam Eucharistiam, sessurósque pro tribunali pœnitentiæ ad expiandas animas. Insolitum pietatis genus adeò commovit animos, ut ingens ad confessiones peragendas factus sit concursus. Optimo successu viso, idem per Italiam in aliis domiciliis inducitur.

3. Roma usque ad annum 1594. nondum celebravit publicè hujusmodi devotionem. Cæterùm cùm ibidem duobus abhinc annis instituta fuisset in Domo Professorum Sodalitas Nobilium sub invocatione Deiparæ in Cœlos assumptæ, inter alias pias consuetudines eam tenuit, quòd triduo Saturnalium privatim in suo sacello haberet expositam Eucharistiam; sodales, ad id impetratâ plenariâ indulgentiâ, expiarent animas, ac reficerent corpore Dominico, & spatio 40. horarum preces ante Deum funderent, ut his obsequiis ex parte compensarent injurias per id temporis illatas Numini.

4. Præfecto Sodalitatis Duci Aquaspartensi & Sodalibus visum est, communicare cum populo hoc privatum institutum, exponendámque in templo Domûs Professæ Eucharistiam. Obtentum à summo Pontifice, ut indulgentiam Sodalitati concessam extenderet ad omnes Christi fideles, qui detersis animæ labibus

Juvenc. Hist. Soc. l. 7. §. 6. n. 43. bibus divino epulo accubuissent. Primo die ad aram operatus est P. N. Claudius, declaravitque ex ambone sanctissimæ institutionis scopum. Supra modum placuit, & deinceps apparatu magnifico, plausu & concursu maximo 40. horarum solemnitas Romæ concelebrata. Quatuordecim fluxerunt anni, priusquàm hoc bono frueretur Lusitania.

5. Anno proximo P. N. Claudius impetravit à summo Pontifice Bullam, quâ talis solemnitas fiebat communis cæteris nostræ Societatis domiciliis. Cùm in Lusitaniam pervenisset diploma, visum est hujus Provinciæ Patribus, rogandum Pontificem, ut quædam modificaret. Adhibito modo, rediit Bulla, & hoc anno primùm in templo Domûs Professæ divinum ferculum expositum est.

6. Cùm diebus aliquot prævìis urbs edoceretur, quid illi triduo esset in templo nostro peragendum: nobiles & piæ personæ censebant nullius id sanctum artificium utilitatis fore. Ajebant, nihil Reges, nihil valuisse Regios ministros, ad frænum tantæ libertati injiciendum. Illis non pauci de nostris suffragabantur, consideratâ immensi populi per eos dies væsaniâ. Irrisui, non venerationi, futurum Eucharistiam exponere videbatur. Quis enim ludicra, quibus est innutritus, poneret, ut templum frequentaret?

7. Terriculamenta omnia P. Hieronymus Diasius Provincialis superavit, Deo, cujus erat negotium, confisus. Res ipsa ostendit divinitus immissum tale consilium. Induit novam faciem Ulyssipo. Ad confessiones & sacrum panem sumendum certatim confluxêre cives, cunctis admirantibus animorum communem motum ad inquirendam æternam salutem. Opifices clauserunt tabernas, navicularii scaphas suas & lembos deseruêre. Primores & illustres fæminæ Ecclesiâ vix divelli poterant. Non defuerunt externi, qui vellent sustinere sumptum. Tertiâ die in supplicatione fieri solita umbellæ ferebant hastilia Magnates Regni. Postquam Lusitania Regem iterum habuit, Rex ipse unus fuit ex numero ferentium. Quod factum usque ad annum 1710. Tunc enim cœpit illo triduo celebrari hæc solemnitas in Regio sacello, quod hodie est Patriarchale templum; nec ampliùs Rex potuit id obsequii præstare Deo, nisi in supplicatione sui Regii sacelli.

8. Die quolibet tridui pomeridianis horis specialis supplicatio per urbem discurrebat. Die primo Magister sacræ catechesis innumero puerorum agmine stipatus prodibat litanias canendo ad locum, ubi erat explicanda catechesis. Secundo die Magistri Collegii cum suis discipulis ordine longo dispositis, cum multiplici choro musici concentûs procedebant ad templum Domûs Professæ. Die tertio Sodales Virginis à doctrina piam ejusmodi excursionem ordinârunt. His artificiis avocabatur populus à ludicris suis. Verùm cum oratio horarum 40. diversis per urbem templis institueretur annis sequentibus, sublatæ sunt dictæ supplicationes.

Beatificatio nostri P. Ignatii. 9. Protoparens noster Ignatius 27. Julii Beati titulo in terris decoratur. Quâ solemnitate plauserint domus nostræ & Collegia, explicatu facile non est. Ut nostræ felicitati gratularemur, nihil omissum, quidquid in hæc solemnia conferri poterat. Mirandâ solertiâ & alacritate juverunt, & auxerunt exteri celebritatem, non velut alienam, sed tamquam suam, quòd omnium fuerit Ignatius.

Profecti ad Indiam. 10. Viginti & quatuor divinæ legis præcones migrârunt in regiones Orientis, duodecim Lusitani, decem Itali, Belgæ duo. Inter eos Antonius Sousa Covillanensis martyrii laureâ donatus est in Japonia. Navigatio contigit plena laboribus. Desiderati sunt, Vincentius Paciecus, Joannnes Vinea, Paulus Hieronymus, sacerdotes; Emmanuel Alvarus, Scipio Dilerus, Bartholomæus Alvarus, & Michaël Ribeirus nondum initiati.

Missiones. 11. Ex Eborensi Collegio octodecim missiones habitæ. Vix oppidum erat, quod vellet alios concionatores. Dignissimum laude est P. Emmanuelis Rodericii exemplum; nam absoluto Philosophiæ magisterio noluit quietem aliam, quàm obire missionem; hanc maximo fructu peregit Alcacere de Sale; ubi sodales Misericordiæ mutuis odiis inter se discordes composuit. E Conimbricensi

censi Collegio, è Domo Professa Ulyssiponensi instituerunt multi similes excursiones. Annuæ litteræ summatim colligunt parta emolumenta hisce verbis: Ex hæreticis & Mauris sex supra septuaginta Nostrorum industriâ ad ovile Christi reducti sunt. Confessionum vitæ universæ audita tria millia. Amicitiæ redintegratæ trecentæ octoginta & septem. Personæ sexdecim liberatæ à proposito consciscendæ sibi mortis. Septem supra quinquaginta abstracti vel à concubinis, vel à publicis scortis. Restitutiones factæ nostrorum ope æquârunt cruciatorum duo millia. Tria millia eorundem & sexcentos diviserunt nostri pauperibus: ad opera pia hanc summam obtinuêre.

Obeunt Franciscus Gouvea, & Hieronymus Continentia.

12. Conimbricæ 5. Aprilis Deo Creatori animam reddidit Franciscus Gouvea scholasticus, ætatis unno vigesimo tertio phthisi consumptus. In eo prudentia & modestia proluxerunt. Vel priusquàm adjungeretur Societati, habitus est adolescens honestissimus. Cùm musicam calleret optimè, postulantibus amicis, ut cantitatet non sine allusione parum pudica cantiunculam, horruit morem gerere. Nonâ Junii in Residentia Lapensi vitæ annos clausit Hieronymus Continentia Coadjutor Italus, laboris amantissimus. De ipso scribit Georgius Cardozus in suo Lusitano Hagiologio.

Obeunt P. Antonius Vellesius, & Antonius Mendius.

13. Duo pariter erepti sunt Eboræ. Alter P. Antonius Vellesius Portalegrensis, tria vota solemnia professus. Annis septem docuit mansuetiores litteras, moralem scientiam triennio. Pax animi, & antiqua bonitas familiares ipsi cum cæteris virtutibus fuerunt. De commentariis in Grammaticam suprà diximus. Alter Antonius Mendius Coadjutor. Vitam consumpsit procurando rem familiarem. Sæpe in prædiis, cùm diem transegisset pane & aquâ contentus, dormiebat sub dio inter operas, ut muneri suo invigilaret. Bis singulis hebdomadis jejunio se maceravit. Diebus festis totum se tradebat divinis rebus meditandis. Postremis annis ob visûs defectum absolutus ab omni munere vix ab aris tecedebat.

Moritur Dominicus Oliveira.

14. Bracharæ è viventium contubernio proturbatus est secundâ die Septembris Dominicus Oliveira Coadjutor, ex eadem prognatus diœcesi. Cùm pestilentia Eboram infestâsset, unus fuit, qui vitam dicavit auxiliis infectorum. Ille suis humeris sæpe in ædem salutis portavit malo perculsos, sæpe morte sublatos eisdem humeris efferebat, ut sepelirentur.

Moritur P. Joannes Delgadus.

15. Vigesimâ quintâ Julii vitam profudit in ora Africæ continentis ad caput viride P. Joannes Delgadus Atouguiæ natus. Tradiderat Eboræ Philosophiam, Theologiam Conimbricæ. Academicos splendores postposuit Nigrorum saluti. Illius sanctitatem omnes venerabantur. Sepultus est in æde sacra oppidi Bicongotii distantis à Cacheo prope flumen leucis quinque. Ægroti plurimi ad ejus tumulum sanitatem corporis recepêre. Rami virides super illius sepulturam inter calores maximos multis mensibus conservârunt recentem vitorem, tanquam ex arbore non forent avulsi, cæteris in templo sparsis brevissimè arescentibus.

Ingressi.

16. In album tironum relati sunt Antonius Amaralius natus Curvaceiræ in diœcesi Visensi, floruit multis virtutibus. Hieronymus Lobus Ulyssiponensis, peregrinationibus terrâ & mari pro DEI gloria percelebris. Joannes Nunius ortus Meanii in agro Conimbricensi, Reginæ Aloysiæ à confessionibus. Hieronymus Mascarenius, nepos ex fratre Fernandi Martinii Mascarenii Algarbiensis Episcopi; nuncupavit Aprili mense biennii vota; magnam inde patruus concepit animi lætitiam, cujus indices literæ in tabulario nostro conservantur. Hieronymus annis volventibus ad salvandas animas Indiam petivit.

Turbæ Collegii Purificationis.

17. Eboræ non defuerunt turbæ in Collegio Purificationis, quod Fundator Henricus subdidit nostro Rectori, deditque potestatem illi Collegio præficiendi Pro-Rectorem sive aliquem ex ipsismet Collegis, sive unum de nostris. Contigerat, ut hactenus Collegam cæteris regendis præponerent Rectores, non exiguo Collegii detrimento. Laxabatur domestica disciplina, negligenter in studia incumbebant. In dies facti ferociores, tanquam essent immunes ab im-

perio

perio nostri Rectoris. Cui tandem placuit Collegis præficere Moderatorem Societatis, ne ultrà serperet incendium.

18. Tum patuit, quàm non vanus fuisset timor. Nam septendecim Collegæ sumptis armis Collegium muniêrunt, tanquam Castellum, vigilias agebant, ne die, noctéve ulli nostrorum illuc aditus esset. Societatem prosecuti multis injuriis, adversus nos incitârunt cives; penè seditio mota est. Causa defertur ad tribunalia, re citrò, ultróque agitatâ, Judices pro Societatis æquitate & jure pronunciârunt sententiam. Id ægerrimè ferentes seditiosi recesserunt è Collegio; quod ex eo tempore nonnisi per Nostros regitur maximâ quietis, & boni communis utilitate.

Annus 1610. Soc. 71.

1.

Difflatur calumnia contra nostros Italos in India.

TAmetsi nulli de nostris hoc anno solvissent in Indiam, non tamen sine procella res fuit cum nostris alienigenis illius vineæ cultoribus. Calumniabantur aliqui apud Regem Patres Italos de Societate, qui per Indiam Dei verbum maximâ cum laude prædicabant, tanquam non multùm utiles, & infidos Regi. Quapropter Philippus Rex omnes in Europam regredi jussit. Consuluit tamen servis suis providens Deus. Occursum est calumniis, difflata tempestas, ex qua passura fuisset non vulgarem jacturam animarum salus.

Ingressi.

2. Sub Christi vexillum Duce S. Ignatio conscripti sunt Balthasar Tellius Ulyssiponensis quartâ Martii; decimâ tertiâ Novembris Nonius à Cunea Ulyssiponensis de prima Regni nobilitate; secundâ Januarii Sebastianus Abreus Cratensis. Omnes strenui apud nos milites.

Preces 40. horarum. Missio Alph. Mendii.

3. Solemnitas 40. horarum triduo antecinerali Eboræ & Conimbricæ introducta. Tribus mensibus egressus de Collegio Conimbricensi per Beirensem provinciam usque ad Almeidam excurrit P. Alphonsus Mendius, postea Æthiopiæ patriarcha, unà cum P. Emmanuele Mouramo. Multus essem, si referrem, quos Alphonsus excitaverit animorum motus ad expiandas conscientias, condonandas injurias, & restituenda furto sublata.

Mors Gomii Vasæi.

4. In Domo Professa Ulyssiponensi vitalem auram reliquit 3. Septembris P. Gomius Vasæus Serpensis: nuper adventârat ex India electus Procurator. Apud eas regiones strenuè desudavit obeundo præconis Evangelici ministeria. In Sanfinensi

Mors Vinc. Fernandii.

Residentia 10. Maji suavi morte quievit P. Vincentius Fernandius Coadjutor spiritualis, natus apud insulam Michaëlensem. Ex ipsius ore verbum non prodiit, quo quis offendi posset. Nemo ullus coram eo ejusmodi sermones miscere audebat.

Mors Franc. Gallucii.

5. Conimbricæ decimam Januarii fatalem habuit Franciscus Gallucius Theologus Siculus. Egerat annis quatuor Magistrum in insula Chio Turcis subjecta, sed plurimis Christianis habitata. Inde venit iturus ad Indiam. Operam Theologiæ navantem intercepit mors. Inter nostros erat de Francisci sanctimonia singularis opinio.

Mors Vinc. Rochiæ.

6. Eboræ 4. Januarii theatrum humanum deseruit Vincentius Rochia scholasticus Portimanensis. Cùm se Conimbricæ tradidit Societati, visa est in paterna domo lux insolita discurrere. Vix annis quinque inter nos vixit, sed tot exornatus virtutibus, ut meritò lux illa earum splendorem denunciârit haud diu duraturum. Cùm cœpisset phthisi laborare, jussu Superiorum migravit Eboram. Nihil profuit Cœli mutatio. Pungentibus auctis doloribus, usurpabat verba Xaverii: *Amplius Domine, amplius!* Novit ex Deo mortis tempus. Medicus non alio eum vocabat nomine, quàm Angeli. Nec aliud merentur illius heroicæ virtutes jam typo in lucem editæ.

Mors Gasp. Mendii, & Dominici Fariæ.

7. Ibidem 27 Aprilis è consortio viventium abreptus est Gaspar Mendius, tiro, Castelvidensis, phthisi exustus. Cùm intelligeret de se mittendo ad auram patriam, dixit, malle potiùs in Societate statim mori, quàm foris diu vivere. Subscripsit voto Deus. Dominicus Faria, scholasticus Leiriensis, arden-

dentissimè postulabat ad Indos mitti. Quòd esset valetudinis affectæ, non auditus. Interim mors eum rapuit undevigesimâ Novembris.

8. Per hoc tempus S. Parens Ignatius clarebat miraculis. Inter ea numeratur salus filii Fernandi Martinii Mascarenii, Algarbiensis Episcopi Sobrini. Parentes implorârunt in re desperata Divi opem. Facti compotes voti, ad gratum animum exhibendum Eboram concedunt, festúmque S. Ignatii in templo nostro celebrant apparatu maximo. Ad aram operatus est Christophorus Fonseca Nicomediensis Episcopus, qui erat auxiliaris Archiepiscopi Eborensis. Præsens fuit Eduardus frater Brigantini Ducis Marchio Flexilæ ac Malagonis. Mascarenius ipsâ die toto Collegio prandium instruxit, & nobiscum prandere dignatus est. **Favor D. Ignatii.**

9. Alexandro Brigantino successit in Archiepiscopatu Eborensi Didacus Sousa Mirandensis antistes. Venientem excepit Academia. Nonnulli de theatro consalutârunt lætis carminibus; mox de suggesto in aula primària panegyrim audivit; deinde invisit aliquot Gymnasia, ubi cum Magistri, tum discipuli tanto hospiti applausêre. Prandit nobiscum in triclinio. Inter epulas de pulpito decem linguis declamatum. Remotis mensis cætera lustravit Gymnasia. Verùm, quæ humanarum rerum est vanitas, hujus anni die 30. Decembris vix ortum grande hoc lumen est extinctum. **Didacus Sousa Archiep. Eborensis.**

10. De Collegio Eborensi prodière quidam ad missiones. Vianæ duodecim supra centum amicitiæ conciliatæ. Introducta supplicatio de passibus Domini Fronteiræ. Mertolæ, ubi non erat ædes ulla sacrata B. Virgini, curatum, ut ipsi ædificaretur ædicula futura omnibus Palladium. **Missiones.**

11. In insulâ Madeirensi sic à nostris inductus est pius mors corollam Marianam recitandi, ut vix esset, qui non præstaret magnæ Matri gratum hujuscemodi obsequium. Auxilio præsenti Deipara indicavit, quâ curâ prosequeretur suos clientes. Civis adierat silvam cum operis ad cædenda ligna pro Virginis æde reparanda. Ecce per noctem in valle conspiciunt longum ordinem accensarum facium: bajuli homines monstrosi horrorem incutiebant: adde fætorem teterrimum. Attoniti tam fœdo & metuendo spectaculo sanctissimam Virginem inclamant, & evanescunt monstra. Hæc res vulgata omnes in obsequium Deiparæ ampliùs stimulavit. **Corona, & patrocinium B. Virginis.**

12. Per Guineam in saltu Leænæ P. Emmanuel Alvarus imitabatur Balthasaris Barreiræ præcelsos spiritus. Filios hæredes Regum saltûs Leænæ & Fatemæ è summa caligine in lucem veritatis Catholicæ reduxit. Insulam D. Jacobi P. Barreira illustrabat exemplis suis ac doctrinâ. Suspiciebatur tanquam vir, ùt erat, sanctimoniæ exquisitæ. **Res Guineæ.**

Annus 1611. Soc. 72.

1.

Metuendus turbo scholis nostris hoc anno minabatur. Etenim fuerunt homines tam infensi litterarum studiis, ut sub specie boni communis Regi proponerent opportere scholas extingui. Cumulabant plurimas rationes, scilicet: ex quo tot erant Gymnasia publica, & locis commodis, deesse milites, nautas, opifices, agricolas; innumeros esse presbyteros, & Advocatos; nec sacerdotia pro illis, nec pro his causas, ut honestè alantur, inveniri. Limitibus angustis circumscribi Lusitaniam, sufficere Academias Conimbricensem, & Eborensem, ut provideatur reipublicæ. Eò, qui abundarent re domesticâ, posse filios mittere ad bonarum artium studia. Hæc, & alia in eandem sententiam congessêre. Ubi in publicum prodivit noxium consilium, obstiterunt multi viri sapientes, scripsêre ad Regem, ejúsque Ministros, quanta inde esset oritura pernicies, quàm inanes forent rationes, quàm alia sit Lusitania, ex quo Gymnasia multiplicata sunt, quàm culti adolescentes, quàm docti presbyteri. Tot, ac tam fortia rationum momenta typis vulgata, ut omni- **Scholarum persecutio.**

bus possent legi, cumprimis Duci Lermensi, cui dicatur illa scriptura, quòd apud Regem gratiâ multùm cæteris anteiret. Perpensis maturè rationibus, visum est insanum illud consilium Cimmeriis dignum tenebris æterno tumulandum silentio.

Profecti ad Indiam. 2. Duo supra viginti navigationi Indicæ se commiserunt. Ex his unus Castellanus, alter Mediolanensis, cæteri Lusitani. De quibus Martyres fuerunt in Æthiopia Ludovicus Cardeira Bejensis, Franciscus Machiadus Villaregalensis. Præerat omnibus P. Franciscus Veiga Doctor Theologus, qui hanc scientiam tradiderat in Eborensi Academia, modò Bracharensem agebat Rectorem. Ibant etiam Jocomius Medeirus Rector Portuensis, Petrus Freirius Professor Philosophiæ in Eborensi Academia, & Franciscus Diasius, qui eandem scientiam tradiderat.

Ingressi. 3. In Societatem cooptantur non silenda nomina: Franciscus Pinerius Gouveensis præclatus Doctor, & Scriptor. Sebastianus Maya Ulysiponensis, qui Professor sacræ paginæ, ac Doctor Theologus Indiam petivit. Gaspar Gouvea Visensis, vir multæ prudentiæ, & virtutis. Joannes Cardinus heros excelsæ sanctitatis, natus Moncorvi. Andreas Noronius Villavissensis, & nobilitatis, & virtutis magnæ. Antonius Cardinus Vianensis Transtaganus, frater Joannis Cardini. Franciscus Freirius Estremotiensis, vir consummatæ litteraturæ. Ægidius Abreus Martyr apud Indos in nova Batavia. Ludovicus Lopius Vidigueirensis virtutum idea

Conventus Provinciæ Mors P. Gasparis Ferrazii. 4. In Domo Professa coactus Provinciæ Conventus mense Aprili Præside P. Hieronymo Diasio. Romam iturus Procurator eligitur P. Petrus Novaisius. In eadem Domo diuturno morbo contabuit P. Gaspar Ferrazius Portuensis, cui in odium virtutis, dum missionem habuit, propinatum fuerat toxicum, quo illius comes illico extinctus, ipse nonnullis annis inter acutos dolores supervixit.

Moritur Regina Margarita. 5. Domestico funeri adjungo obitum Reginæ Margaritæ Conjugis Philippi tertii Hispaniarum, Lusitaniæ secundi. Peculiariter favit Societati. Illius est sempiternum monumentum Salmanticense Collegium. Non minùs protexit Indicas missiones, & illius vineæ operarios; hos speciali sui amoris significatione solebat commendare Pro-regibus Lusitaniæ & Indiæ. Domus Professa Ulyssiponensis juxta Ei solemnia persolvit.

Obitus Soeiræ Vasconcelliæ. 6. Nec silentio involvenda mors Nobilissimæ Dominæ Soeiræ Vasconcelliæ, matris nostri Antonii Vasconcellii. Obiit Eboræ 24. Maji, sepulta in templo nostro. Tria sacrificia pro ipsius anima fecère mystæ nostri, alii socii tres coronas recitârunt. Vix in hac Provincia fuit ulla pia & nobilis fæmina, quæ plùs nostram diligeret Societatem, eique magis benefaceret. Domus Professa & Collegium Ulyssipone, Collegia Eborense, & Madeirense per ipsam multis donis cumulata.

Obeunt P. Gonsalus Peiva, & Laur. Fonseca. 7. Conimbricæ 20. Maji ad feliciora transiit P. Gonsalus Paiva, natus in oppido S. Petri de Sule. Ex quo Brigantii contactis peste servivit, sic vixit attritus valetudine, ut sit perpessus longum martyrium invictâ patientiâ. Ibidem die octavâ Augusti sublatus est Laurentius Fonseca Coadjutor, singularis modestiæ, & aliarum virtutum, quas sibi tam familiares fecerat, ut etiam intercepto rationis usu earum opera exteriùs exerceret.

Obeunt PP. Petrus Lopius, & Ant. Alvarus. 8. Ex Domo divi Rochi 18. Decembris in domum Domini translatus est P. Petrus Lopius Ulyssiponensis. Rexerat Madeirense, Ulyssiponense, & Conimbricense Collegia. Natura ipsa fecerat pronum ad sublevandos miseros. Ad viri multùm affabilis pedes gaudebant omnes suas exornare conscientias, & ipse patientissimè audiebat. Diutino morbo tanquam flammâ lustrali purgatus cessit è vita. Domus Villavissosana multis lacrymis prosecuta est funus P. Antonii Alvari Arrudensis. Magni habitus à Ducibus Brigantinis ob virtutem & eloquentiam sacrâm, qui extra suggestum elinguis videbatur. Ajebat, si dimitteretur è Societatē, se non discessurum de janua, donec iterum aditus ad nos

sibi

sibi pateret. Dum æstivo tempore suæ salutis immemor excurrit per oppida more Apostolico, se domum recepit acutâ correptus febre, ex qua summo omnium, ac Ducum Brigantinorum dolore obiit. PP. Augustiniani solemniter funeri parentârunt.

9. De Conimbricensi Collegio non pauci ad missiones iêre. P. Alphonsus Mendius petente dynasta Petro Cunea, Santarii in Visensi diœcesi, patravit multa suo digna spiritu. In amicitiam redegit, quos nec Dynasta, nec Episcopus potuerant concordes reddere. Tirones Conimbricæ BB. Virginis singulare patrocinium experti sunt. Plurimos in lectum morbi dejecerant: occultâ quâdam pietate compulsi ad se ipsos inungendos oleo de lampade ante Virginem Domûs Patronam pensili, miro effectu postliminio sanitati restituuntur. Terni de more suo peregrinantes considebant pone amnem Mundam, cùm ferox taurus aërem mugitu complens ad ipsos convolat. Nullum erat effugium, flumine à tergo præterlabente. Igitur unus properè de cingulo tollit Virginis coronam, è digitis suspensam extento brachio exhibet tauro; hic ubi audivit globulorum stridorem, terretur, atque citato cursu sese è conspectu proripit. Missiones. B. Virginis patrocinium.

10. Ex Eborensi Collegio octodecim Verni jejunii tempore cum intra, tum extra urbem divinum seminârunt verbum. Possessionem vacantis Archiepiscopatûs iniit Josephus Mellus, quem solitis plausibus excepit Academia. Rexit eam diœcesim usque ad annum 1633. Semper tamen rebus nostris minùs favit. Josephus Mellus Eborensis Archiep.

11. Bracharæ noctu multus erat concursus ad ædem sacram extra urbem. Sub prætextu pietatis enormia latebant scelera. Pro virili desudârunt nostri, ut tolleretur conventus, quod magno animarum bono est obtentum. Ne reviviscеret malum, Archiepiscopus pronunciavit ipso facto feriendos anathemate, qui horis nocturnis deinceps illuc adire attentarent. Tollitur abominatio.

12. Portalegriæ, ubi residebat Episcopus Didacus Correa sobrinus sanctissimi Præsulis Bartholomæi de Martyribus, apertum est hoc anno moralis scientiæ Gymnasium, Professore P. Francisco Vasæo. Multum inde manavit emolumentum diœcesi, in qua non erat ejusmodi magisterium. Adfuit celebritati Episcopus & Nobilitas. Ad sexaginta presbyteri frequentabant aulam. Edocuerat ab annis 30. Clericus Latinitatem, plerumque ducenti scholastici ascultabant. Suaserunt nostri Episcopo, juberet, ut illi scholastici singulis mensibus in expianda per confessionem anima, & reficienda sacro pane nostros imitarentur. Sanctissima consuetudo mirùm placuit Civibus. Moralis scientia Portalegriæ.

13. In Michaëlensi Residentia, ubi erant quatuor sacerdotes, & tres coadjutores, strenuè res agebatur. Ex quo illic sedem fiximus, introducta sacramentorum frequentia; nam anteà vix tres, quatuórve per annum sacram mensam accedebant. Contigit, ut in postremo missæ sacrificio sacerdos noster consecraret particulas, consumptis, quæ servabantur in pyxide, populo porrigendas. Has in patena positas intra Tabernaculum recondit, in quod noctu pervasit formicarum vis magna. Sequenti aurorâ, dictu mirum! formicæ omnes repertæ sunt emortuæ circùm patenam, ubi erat Angelorum panis ab iis intactus. Res Michaëlensis Residentiæ.

14. In Guinea P. Emmanuel Alvarus magnum numerum adjunxit Ecclesiæ per baptismum Neophytorum. Recensuit non paucos Regum filios, & regnorum Optimates. Puerorum gratissimus erat ludus idola conquirere, ac flammis tradere. Fames innumeros mortales exedit; erant viæ plenæ corruptis cadaveribus. Accessit novum genus supplicii muscarum vis incredibilis, quæ homines, & bruta animantia insidentes, eorum sorbebant sanguinem, ac necabant. Mulier dum ramo muscas abigit, hoc labore jam fessa in terram collapsa, sine mora operitur muscis, totúsque è corpore sanguis momento est exhaustus. Successêre his malis variolæ genus pestilentiæ apud Nigros. Cùm omnia formidolosus explêsset horror, quod mala desîerint, Neophytorum precibus est tributum. Res Guineæ.

Annus 1612. Soc. 73.

1.

Mors P. Balth. Barreiræ. GUinea, de qua mox sermo, amisit die quartâ Junii Apostolum suum P. Balthasarem Barreiram, morte interceptum apud insulam D. Jacobi, quæ primaria est inter Capitis viridis insulas. Vivere occepit Ulyssipone. In ea urbe sæviente peste opem tulit miseris: malo perculsus acerbissimas tulit curationes. Sanitati redditus iterum succurrit contagio laborantibus. Fuit è primis, qui missi sunt ad fundandum Angrense Collegium. Illic abegit sæpe dæmones è corporibus; qui cùm eum vocari persentiscerent, protinus recedebant. Plurimis annis Angolam suis laboribus Apostolicis illustravit. Erat omnibus instar oraculi. Animo æquissimo tulit injurias, & invidorum calumnias. In Europam accitus per majores suos, ut apud Regem dilueret falsa testimonia, id Matriti feliciter præstitit, non tam ut sibi, quàm Societati consuleret.

2. Cùm rediisset in Lusitaniam, vivebat in secessu agens Magistrum tironum Eboræ; donec oblata esset expeditio ad insulas & regiones Capitis viridis. Illam complectitur vir id ætatis avido animo. Plurimos Reges Ethnicos junxit Ecclesiæ. Receptus in domum insulæ S. Jacobi pueros docuit prima elementa cum piis moribus. Unus erat instar Collegii, concionabatur, audiebat confessiones, quocunque tempore vocatus succurrebat miseris; eum omnibus omnia fecerat charitas. Obiit septuagenario major. Tumulatus est inter maximorum, infirmorúmque lacrymas. Tum vivus, tum mortuus rebus admirabilibus illustratus. Ipsius vita heroëm celsissimum nostræ Societatis fuisse demonstrat. Plurimi res illius gestas typis vulgârunt.

Obeunt P. Emmanuel Rodericius, & Andreas Sà. 3. Conimbricæ 20. Septembris annorum suorum periodum clausit P. Emmanuel Rodericius, Coadjutor spiritualis, natus Covillanii. Tam insigni charitate instructus erat, ut ex ea nomen illi indiderint *Patris Charitatis*. Ter grassante pestilentiâ vitam objecit juvandis contagiosis, Ulyssipone, Bracharæ, & Conimbricæ. Postremos annos vixit cæcus sibi ac DEO vacans, sanctisque exemplis prælucens toti Collegio. Eâdem die, & ibidem phthysi præreptus placidè exspiravit Andreas Sà Scholasticus, moribus præditus innocentissimis, natus Cascalii. Ex debilitate mortem haud procul abesse augurans rogavit majores, concederent sibi mori cum P. Rodericio. Quo mortuo admonet Andreas valetudinarii Præfectum, paret necessaria ad funus suum, vocet ad se Rectorem, nolle proficisci, quin ipsi valediceret. Confluxêre simul socii. Tunc postulatâ à Superiore moriendi facultate, sumpto Crucifixo, & cereo accenso, sanctissimæ JEsu & Mariæ nomina pronuncians mortalitatem exuit.

Mors P. Joannis Delgadi. 4. Tumulavit idem Collegium P. Joannem Delgadum trigesimâ Septembris. Ortus fuit Lacobrigæ in Argarbiis. Methesim didicit Romæ ex P. Christophoro Calvio facultatis illius insigni Magistro; eam profitetur Lusitaniæ redditus. Scientiæ conjunxit mores religiosissimos.

Mors P. Emmanuelis Vallii. 5. Eboræ sunt extincta duo Theologiæ lumina, & virtutum exemplaria. Ultimâ Aprilis P. Emmanuel Vallius Serpensis. Micuit præclarâ sapientiâ. Pluris fecit minimos virtutis apices. Theologus Doctor columbæ simplicitatem scivit adnectere serpentinæ prudentiæ. Theotonius Archiepiscopus non permisit in rebus magni momenti Senatûs Ecclesiastici Judices aliquid decernere, quin consuleret Emmanuelem. Eo nullus obedientior, pauperior, aut rerum divinarum amantior. Annis duodecim in tribunali S. Inquisitionis Archiepiscopi vices explevit.

Mors P. Gasparis Gomii. 6. Ibidem 20. Maji debitum naturæ reddidit P. Gaspar Gomius, & ipse Theologus Doctor, natus Cabessavidu diœcesis Helviensis. In loquendo vix ullus æque circumspectus: neminem unquam offendit verbo. Modestia vultûs intu-

intuentes componebat. Academici vocabant *prædestinatum*, quòd in ipso sanctitas non vulgaris emineret. Utriusque egregias virtutes typus vulgavit.

7. Trigesimâ Julii idem Collegium conspexit obeuntem P. Thomam Sequeiram natum Alcacere de Sale. Jam sacerdos notæ virtutis, anno ætatis vigesimo sexto Societati aggregatur. Inculpatis apud nos moribus vitam duxit. In morbo supremo tantam animi pacem expertus, ut illi fuerit suspicioni, ne dolus sub ea lateret; cùm tamen intus sensisset, niti se DEI misericordiâ, non merito suo, conquievit. Dulcissima miscens colloquia deseruit res perituras. Mors P. Thomæ Sequeiræ.

8. Collegium Ulyssiponense amisit duos. Decimâ septimâ Januarii P. Hieronymum Fernandium, Goleganæ ortum. Vixit in Societate annis quadraginta. Modus illi erat singularis ad animas Deo conjungendas. Virginem matrem dilexit tenerrimè. Die 9. Augusti Antonium Gonsalvium Coadjutorem Borbensem. Frequenter invisebat Eucharistiam, coram ipsa immotus longo tempore. Ejus in laborando diligentia multos æquabat. Genium subasperum egregiè domuit. Peculiaris illi cura in externorum sensuum custodia, ne per has corporis fenestras in animum mors irreperet. Mors P. Hieronymi Fernandii, & Antonii Gonsalvii.

9. Quatuor ad Indos navigârunt, tres Lusitani, unus Armenius, omnes sacris initiati. Plena laboribus contigit navigatio. Coacti vectores sunt Socotoræ navem applicare, quorum plurimos rapuit dies suprema; in eis P. Georgium Figueiredium nostrorum Superiorem, qui Philosophiam docuerat. Profecti ad Indiam.

10. Die Trinitati sanctissimæ dicatâ in templo Domûs Professæ Ulyssiponensis instituta est Sodalitas Virginis Deiparæ à Doctrina. Nulli, qui Nobiles sint, scribuntur in ejus Albo. Lusitania sodalitium non habet æquè locuples, neque gloriosius in institutis suis, & operibus charitatis erga consodales cum vivos, tum vitâ defunctos. Sodalitas B. Virginis à doctrina.

11. Conimbricæ 26. Martii jussu Pauli V. Pontificis aperto tumulo sanctæ Elisabethæ Reginæ compertum est cadaver incorruptum. Inter cæteros tantæ rei futuros testes adstiterunt de nostris P. Franciscus Suarius Granatensis, & P. Joannes Delgadus, hic Matheseos, ille Theologiæ in Academia primarius Professor. Per eos dies cùm esset innumerus ad urbem concursus, multùm nostri profuerunt volentibus pœnitentiæ lavacro peccata abluere, quos eâ occasione Deus traxit, ut animis consulerent. Aperitur tumulus D. Elisabethæ.

12. Eboræ in sacellum domesticum Christo Domino Crucifixo dicatum conversa sunt cubicula, in quibus olim hospitari solitus Henricus Collegii & Academiæ fundator. Cum ex Eborensi, tum Conimbricensi Collegio plures egressi sunt sacerdotes ad sacras missiones diversis locis habendas. Cabapsævidii cujusdam civis domum infestàrunt lapidibus mali dæmones; nihil domi tutum, tegulæ, fictilia saxis frangebantur: incolæ consilii inopes recurrunt ad nostrum sacerdotem oppidum missione excolentem: dat in charta S. Protoparentis depictam effigiem, ut è pariete domûs suspendant. Hoc unico antitodo cessavit omnino importunissima lapidatio. Sacellum Eboræ. Missiones.

13. Nostrorum exhortationibus plurimùm creverunt Deiparentis obsequia: nam suaserunt populis, ut singulis horis, quota jam flueret, tinnitu æris indicante, recitarent salutationem Angelicam. Multùm pia consuetudo placuit, & profuit Brigantinis, apud quos radices egisse altiores docet eventus sequens. Juvenis studio satiandi ultotem animum, farsit nitrato pulvere, & glandibus plumbeis sclopetum displosurus adversus inimicum. Contigit, ut, horam designante ære campano, inimicus genu flecteret ad pronunciandam salutationem: ipso momento fistulam ferream juvenis exonerat. Glandes perforatis vestibus, ubi tetigerunt cutem, in terram relabuntur, cute ne leviter quidem demotsâ. Miraculum cultissimis versibus à civibus celebratum firmavit, & auxit deinceps gratam virgini consuetudinem. B. Virginis cultus, & patrocinium.

14. Portalegriæ pauci pro multis laborabant. Gymnasium moralis scientiæ celebrabatur auditorum frequentiâ. Magister palàm facturus discipulorum progressus, theses de quæstionibus conscientiæ cum plausu sustinuit. Domino Residentia Portalegrensis.

Episcopo die festo S. P. Ignatii pro concione dicere libuit in templo nostro; quod lumen majus addidit solemnitati.

Annus 1613. Soc. 74.

1.

Primus lapis templi Ulyssiponensis Collegii, & Fundatrix.

PRimâ anni die jactus est primus lapis pro templo Ulyssiponensis Collegii S. P. Ignatio dicati. Excellentissima Domina Philippa Sa Comes Linariensis mortuo conjuge cum bina filia vitam ducebat in suburbana villa prope Ulyssiponem. Continuato funere ambas extulit, hærede nullo domi relicto. Ut erat fœmina imprimis addicta pietati, DEum solum hæredem ex asse voluit; & primò quidem cogitabat cœnobium pro monialibus in ea villa condere, cúmque ipsis transigere vitæ suæ reliquos annos; sed exortis nonnullis difficultatibus, refrixit ea cogitatio: perseverabat tamen internum studium donandi bona sua Ministris divini cultûs.

2. Fortè in manus sumpsit vitam S. Ignatii nuper in lucem editam. Legenti, ac meditanti egregias sanctissimi herois virtutes & Institutum mirabile Societatis nostræ, in mentem venit fundandi templi augusti in aliqua Societatis domo. Novæ difficultates eam retardabant. Multa fieri curavit sacrificia, multásque à piis personis in Cœlum effundi preces, ut exploraret divinam voluntatem. Tandem illi sedit sententia erigendi templum magnificum in Collegio divi Antonii. Huic operi applicavit reditum pinguem, quo struereturædes, & post factam structuram alerentur presbyteri templo servituri, quique pro ejusdem anima sacra facerent. Opus totum constat marmore polito. Vestiarium sacrum perelegans. Voluit Fundatrix, ut templum majestate nulli foret Ulyssipone secundum.

Profecti ad Indiam

3. Quatuor hoc anno naves navigationem Indicam aggressæ sunt, quarum unam sex è nostris conscenderunt à SS. Philippo & Jacobo dictam, infelici prorsus eventu; nam & justò tardiùs soluta vela, & venti à prora pertinaciter flantes, ac maria turbata coëgere in Tagum, unde prodîerant, regredi. Cæteris incommodis accesserunt graves morbi in navi, quâ vehebantur Nostri: quadringinti ægrotabant eodem tempore. Tam sedula cura miseris impensa, ut è tanto numero duodecim solùm occubuerint. Etiam Nostri malo correpti, sed cæsis venis evaserunt periculum. Appulsi Ulyssiponem, quotquot in nave fuerant, Societas laudibus urbem complevêre.

Mors Nicolai Pereiræ.

4. In Domo Professa Ulyssiponensi labores & vitam complevit 28. Januarii Nicolaus Pereira Coadjutor temporalis, natus in oppido Pias diœcesis Thomariensis. Quanquam facilè referri posset inter Coadjutores spirituales, cùm Latinis litteris excultus esset, recusavit, volens Deo servire in muniis abjectis. Vix alius eo vigilantior in procurando religiosæ paupertatis patrimonio. Per id tempus habebat curæ opus ædificii tironum.

Mors Alphonsi Proensa.

5. Ibidem 21. Martii posuit mortalitatis exuvias Alphonsus Proensa Coadjutor, ortus Monsarasii in Eborensi diœcesi. Ejus modestia, mansuetudo, sanctitas in familiari sermone, & cura suadendi virtutem externis juxta leges status sui, sic placuerunt Ven. P. Ignatio Martinio, ut annis octodecim, quibus catechesim docuit Ulyssipone, præter Proensam alium noluerit socium. Numerabat duos supra triginta Societatis annos.

Moritur Martinus Gonsalvius Camera.

6. Adjungo obitum, qui die 6. Octobris accidit, viri piissimi ac nobilissimi Martini Gonsalvii Cameræ fratris nostri Ludovici Gonsalvii Cameræ; qui postremis annis vitam exegit in Domo Professa hospitio separato. Natus in Madeirensi insula parentibus è primaria Nobilitate. Non fuit, qui gratiâ magis polleret apud Regem Sebastianum, quem pro virili dimovere satagebat ab expeditione Africana. In tanta Regis gratia studuit unicè Reipublicæ commodis; suos non auxit reditus. Post Regis mortem egressus est de palatio cum eo tantùm modico reditu, quem habuerat, antequàm ad Regiam familiaritatem admit-

admitteretur, ex pensione ab Avunculo Visensi Episcopo sibi assignatâ. Christianas virtutes, & conscientiam suam præhabuit omnibus rebus humanis.

7. Patres Domûs Professæ pro studio, quo semper favit Societati, rogaverat, sibi concederent domûs angulum, ut in eo transigeret senectutem, séque ad supremnm agonem compararet. Hospitatus est cubiculis ad ostium posticum. Maximè consulebat domûs quieti, non passus domesticos famulos dormitoria penetrare. Illic egit senectutem omnibus bonis invidendam. Partem diei insumebat orando, partem pios legendo libros, partem cum senioribus de rebus divinis conferendo. Circumstantibus domûs incolis, eúmque juvantibus ritu Ecclesiæ placidè expiravit. Sepultus in eodem tumulo, ubi sunt ossa P. Ludovici Gonsalvii. Per Provinciam multa pro ipso sacra facta sunt, multæ recitatæ preces, quòd res nostras tanquam suas semper observaverit.

8. Consultum hoc anno Magistri Simonis ossibus, non quidem eâ magnificentiâ, quam Theotonius morte præventus meditabatur. Ex sepultura, ubi hactenus fuêre, collecta, creditáque sacrophago in pariete templi ad sacellum SSS. Trinitatis. Marmor congruam præfert inscriptionem. *Transferuntur ossa P. Simonis Roderícii.*

9. Ex quo Campilidi cessavit habitatio tironum, de domiciliis Conimbricensi & Eborensi tirones aliquot mittebantur ad Professam Domum Ulyssiponensem, ut obirent officia domestica eodem modo, quo nunc solent; postea revertebantur ad Collegia. Hoc tamen anno speciali Patris Nostri concessione Societatem ingressus est in ea domo Laurentius Lombardus, quem DEus ad nos modo mirabili pertraxit. Juvat recensere. *Societatem init Laurentius Lombardus.*

10. Erat natione Belga. Ulyssiponem venit, ubi diversis navigationibus susceptis ad Indiam & Guineam eas cumulavit divitias, ut censeretur inter locupletissimos mercatorum. Conjugem duxit Belgæ pariter mercatoris filiam. Binam prolem ex ea suscepit, masculam, & sequioris sexûs. Accidit, ut filius ex insania usum mentis amitteret. Parens, ne dolor continuus observaretur oculis, eum misit in Flandriam apud suos alendum. Filiam meditabatur rerum omnium hæredem instituere.

11. Interim ipse vitam vixit optimi Christiani, nam octavo quoque die in templo Domûs Professæ detersâ conscientiâ se pane cœlesti reficiebat, usus Confessore P. Fernando Guerreiro. Domos amplas ædificavit in colle Domui Professæ vicino, & alias minores, has, ut locaret; illas, ut habitaret ipse cum familia, & genero, quem animo designabat. Decimo die, antequàm in ædes migraret, moritur filia, unica parentum spes. Nihil turbatus Laurentius, sed humanis majora concipiens, conjugi suæ mentem aperit: se intus compelli ad religiosam vitam amplectendam; ipsam quoquè posse deligere cœnobium, & sanctimonialium Institutum profiteri. Non acquievit uxor hujuscemodi consiliis. At scivit Deus nodum solvere.

12. Migrant ad novas ædes. Effluxerant omnino dies decem, cùm morbi repentino insultu conjux Laurentii de medio tollitur. Tum manifestè cognovit DEI esse voluntatem, ut se religioni alicui manciparet; decrevítque re maturè perpensâ, & cum Patre spirituali communicatâ, se, suáque omnia Societati JESU tradere. Ut id exequeretur, vocari fecit è Flandria filium rationis usu destitutum, ut, probato apud Judices, & noto mentis vitio, posset testari de filii bonis. Cuncta rite peracta sunt. Oneribus aliis satisfecit. Largitur bona sua domicilio tironum. Societatem ingreditur in Domo Professa Julio mense hujus anni: commissus disciplinæ P. Guerreiri, qui illius eò usque egerat Confessarium: post exercitia S. P. Ignatii unà cum Patre migravit Laurentius ad Residentiam montis Oliveti, ut ipse procuraret opera surgentis ædificii.

13. In Collegio divi Antonii 11. Februarii immortalibus adscriptus est Venerabilis P. Eduardus Costa Fundator Scalabitani Collegii. Vitæ sumpsit initium Ulyisipone ex avito prognatus stemmate; fulgebat insuper dignitate Censoris maximi stemmatum totius Regni. Non ille, ùt æquales, annos trivit deditus vanitati. Quid Christianum deceret, semper ante oculos habebat. *Moritur P. Eduardus Costa.*

Quan-

Quanquam ægrè tulit fratrem suum Franciscum Mendossam ad nos transiisse; postea tamen illius secutus exemplum se & bona sua dedit Societati, in qua vixit religiosissimè. Inungendus oleo sacro, honestatis memor, rogavit, corpus suum, quoad fieri posset, non detegi. Ossa P. Eduardi volventibus se annis translata Scalabim condita fuêre in medio sacelli majoris templi nostri, cum nobili epitaphio.

Mors P. Dominici Pirii. 14. Scalabi 6. Martii corporeis vinculis solvitur P. Dominicus Pirius, Adjutor spiritualis. Indefessè laboraverat in Angola. Patientia, demissio sui, & obedientia prompta semper ipsi fuêre cordi. Procurabat Labrujense prædium, quod P. Eduardus Costa donaverat pro dote Collegii Scalabitani. Tentatus acuto morbo iter intendit in Collegium Ulyssiponense; sed Scalabi progredi nequibat. Sepultus est in ædicula sacrata divo Antonio Abbati, quæ pertinet ad Collegium Ulyssiponense.

Mors Antonii Emmanuelis. 15. Duodecimâ Octobris phthisi contabuit Antonius Emmanuel Bracharensis. Docens Latinas litteras in Angrensi Collegio valetudinis affectæ causâ regressus est Ulyssiponem. Tantâ animi fruebatur pace, ut socios interrogaret: num in Cœlum aliquid nuncii haberent? Ibidem 21. Octobris desideratus est

Mors P. Andreæ Alvari. P. Andreas Alvarus spiritualis coadjutor, natus monte majore novo. Plurimos consumpsit annos procurando rem domesticam in diversis Collegiis, tandem totius Provinciæ egit Procuratorem. Inter tot negotia non est oblitus religiosæ observantiæ. Cùm est refectus sacro viatico, tam piè Dominum alloquebatur, ut circumstantes non continerent lacrymas.

Missiones. 16. Hactenus, quæ contigerunt Ulyssipone. De Conimbricensi Collegio nonnulli præcones Evangelici discurrêre per populos vicinos saltui de Stella. Exterminati abusus multi, quibus solent ignorantes implicari. Rustici cujusdam pagi adorabant, sole oriente, stolones cujusdam arboris: interrogati, cur id facerent? respondêre: folia stolonum inter manus trita, ac in stomachum missa lenire, ac frangere acutas febres, idcirco venerari se arborem tam beneficam. Admoniti erroris sui, abstinuerunt deinceps ab hac anili dementia.

Mors Michaëlis Alcacevæ. 17. Eboræ, ubi fuerat natus, phthisi emortuus est 23. Maji non multò post absolutum tirocinium Michaël Alcaceva scholasticus. Cùm ipsi offerrent impetraturos se expeditionem à religiosis votis, ut libertati restitutus valetudinem recuperaret; nihil aliud reposuit, quàm Apostoli verba, *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Plenus ulceribus ex continuato accubitu ne semel quidem ingemuit patientissimus inter peracerbos dolores.

Mors Franc. Rodericii. 18. Ibidem 12. Julii eâdem phthisis pernicie de vivis sublatus est Franciscus Rodericius Coadjutor. Primò ingressum Societatem aliqui populares apud Moderatores nostros infamârunt, quòd originem duceret ex Hebræo sanguine; proptereà dimissus est. Verùm eam adhibuit diligentiam apud Judices, ut falsi testimonii delatores convicerit. Rursus, cognitâ veritate, iniit Societatem. Redux ex Italia, quò fuerat comitatus Procuratorem electum in Provinciæ conventu, phthisi extenuatus est. Vicinus jam morti dulcem inter risum insolitâ perfusus lætitiâ, percunctantibus sociis, cum cerneret aliquid cæleste? se videre significavit; & paulò post efflavit spiritum.

Missiones. 19. Egressi ex eodem Collegio sacerdotes ad oppida Corucium, Alegretum, & Alcacerem de Sale, ut concionibus, ac ministeriis nostris animas juvarent. Moris erat in uno ex prædictis oppidis fœminas innuptas bis solùm quotannis templum adire, Natalis Domini pervigilio, & majore hebdomadâ. Id multò magis reprehendendum, quòd eædem innuptæ omnibus fœmineæ vanitatis fucis & ornamentis phaleratæ hac illac ostentantes pompam vagarentur. Hujusmodi monstri fœditatem exaggerans Concionator, tandem exterminavit.

20. E Collegio Bracharensi duo sacerdotes missionem peregere Guimaranii: oppidum nobile est, non multis leucis distans Brachará, Lusitanorum Regum prima sedes, & Curia. Duæ familiæ de primoribus se lacerabant infensissimis odiis: multùm nostri desudarunt in his conjungendis; demum in tem-

templo datis manibus, & amplexibus inimicitias posuêre. De Brigantino Collegio ter per annum sacerdotes aliquot prodiêrunt ad populum in pagis edocendum.

21. Militanti Societati ereptus est 16. Octobris Joannes Pintus Collegii Portuensis Rector, natus Carquere in diœcesi Lamecensi. Decies & septies universæ vitæ homologesi detersit animam, tanquàm extemplò migraturus esset è vivis. Nihil æquè curavit, ac omnium virtutum ornamentis seipsum excolere; ut testatur illius vita in lucem edita. Mors P. Joannis Pinti.

22. Villævissosæ populi augebant pietatem Theodosii Ducis exempla. Ille in supplicatione horarum quadraginta tulit manu unum ex hastilibus umbellæ. Idem Princeps cum filiis quâvis per vernum jejunium sextâ feriâ sub noctem adibat templum nostrum auditurus piam de Passione Domini exhortationem flagellationi præviam. Theodosii Ducis pietas.

23. In Guinea P. Emmanuel Alvarus non modò conservabat neophytos P. Balthasaris Barreiræ, sed augebat plurimis Ethnicis ad fidem conversis. Farmæ Logorum Regi meditanti fidem amplecti suasit, ut Mitombi ad oram maris ædem vero Deo construeret, quod lubens præstitit. Etsi patrios ritus non deseruit, subditi quàm plurimi deseruêre. Cùm per id tempus accepisset litteras de morte P. Barreiræ, vix dici potest, quanto mærore P. Emmanuel, Lusitani, & Nigri affecti sint. Res Guineæ.

24. Novembri mense Sebastianus ab Ascensione novus Episcopus earum regionum pervenit è Lusitania in D. Jacobi insulam. Quòd esset alterius ordinis religiosi, suspicabantur nonnulli minùs in nos benevolum fore. Aliter evenit. Ut erat Præsul optimus, & vir prudens, scivit æstimare Nostrorum pro dilatanda fide labores. Pro concione in laudes Societatis effusus, cùm incideret mentio de P. Barreira, his cœpit verbis: *Sanctus ille senex P. Balthasar Barreira gloriosæ memoriæ:* ad nomen Patris pronunciandum venerationis causâ detexit caput. P. Antonius Diasius erudiebat pueros Grammaticæ præceptis, & piis moribus. Sic erant exculti, ut cives illos compellarent Angelos, & parvos Apostolos.

25. Excitatus ad peccatorum dolorem populus occasione suppliciorum irati Numinis. Contagium omnes penè interemit equos. Supervenit multitudo incredibilis vermium odoris teterrimi. Tecta & domus complebantur hujusmodi peste. Erupit ignis è terræ visceribus in sancti Philippi insula, flumine ignei bituminis omnia populante. Anchoras jecit classis hostilis ad oppidum Prayam; eò sumptis armis convolârunt omnes, & nostri, ut animarum saluti consulerent. Post dies aliquot discessit, excensione ne quidem tentatâ.

26. Nonnulli viri nobiles cogitârunt hoc anno de montis agrassi reditibus emendis à Collegio Eborensi. Alii offerebant quingenta scuta Romana, alii quadringenta in singulos annos. Regebat Collegium nostrum & Academiam Ven. P. & vir prudentissimus Joannes Correa Villaregalensis, ad quem de re scripsit P. Joannes Alvarus Visitator. Vocatis Consultoribus, & Procuratore, ex omnium sententia responsum est: Nullo modo vendendum dominium in oppidum & reditus, nisi prædia, quæ darentur, evidentissimam præseferrent utilitatem longè majorem, quàm erant oppidi reditus. Quod Greorgius XIII. in Bulla, quâ concedit posse nos alienare, vel commutare montem agrassum, ait, commutationem fieri debere *pro aliis bonis stabilibus, ex quibus reditus multò majores, quàm ex dicta villa percipi possint.* Agitur de vendendo oppido Monte agrasso.

27. Propterea unam omnium esse firmam sententiam, non commutandum jus, ac reditum, nisi dentur quinquaginta modii magni tritici in singulos annos (Lusitani id genus mensuræ vocant *Moyos*) sed hos donandos in prædiis Transtaganæ provinciæ, vel in agro Ulyssiponensi. Porrò danda scuta Romana centum censûs annui. Sic firma cuncta, ut possint dici bona stabilia, in quibus esse nequeat vitium, vel timor, quòd pereant, aut minuantur ullâ rerum vicissitudine. Cùm nullus ex emptoribus petitum pretium & securitatem præstaret, negotio est supersessum. Id oppidum quondam Lusitaniæ Reges donâ-

rant Eborensi tunc Episcopo pro oppidis Arrayolo, Vimieiro, & Alcacera pertinentibus ad Episcopos Eborenses.

Annus 1614. Soc. 75.

1.

Mors P. Georgii Rijí. A defunctorum memoria ordior. Et primo quidem loco recenseri meretur, qui 15. Julii piissimè obivit Conimbricæ Ven. P. Georgius Rijus trium votorum solemniter professus. Natalem sortitus est pagum S. Joannis de Tallia prope Sacavemum in Ulysiponensi diœcesi. Conimbricæ se dicavit Societati anno 1548. Annis quinquaginta Ministrum egit in Collegio Conimbricensi, tantâ integritate, & sanctitate, ut nemo ullus fuerit, qui de ipso justè sit conquestus. Si quis maturè perpendat, quòd Conimbricense Collegium ducentos socios alat intra domesticos parietes, partim adolescentes, partim ætatis mediæ, partim senes, judicabit raram fuisse virtutem ejus viri, qui tot annis, tot omnis ætatis, diversique genii homines sine justa offensione gubernârat, maximè cùm ad id muneris pertineat leges transgressis pœnas dictare.

2. Quicunque de nostris viri præclarissimi Georgium novêre, illum inter sanctiores hujus Societatis heroës numerârunt. Venerab. P. Ignatius Martinius, Petrus Fonseca, Hieronymus Carvalius, Didacus Miro, Sebastianus Barradius, & Franciscus Suarius Granatensis, magna de Georgii virtutibus texuerunt elogia. Sexaginta septem annis, quibus vixit in Societate, prima illius de lecto surgentis erat cogitatio: *Hodie incipio DEO servire.* Propterea nunquam, intuitus, quæ fecisset, sed quæ facienda forent. Coram Rectoribus & Provincialibus, quamvis plurimos illorum educâsset, eâ fuit humilitate, ut nihil submissius, nihil reverentius exquiri potuerit. Familiaritas cum DEO, qualem habent sanctiores. Sic diem totam distribuerat, ut scirent omnes, quid in hac, quid in illa hora perageret. Virtutes sic excoluit, ut nulla sit, cujus non reliquerit posteris exempla celsa, quorum testis est vita typis excusa. Præscivit suæ mortis tempus. Ossa condita in speciali sacrophago cum lemmate in sacello domestico inter alia virorum illustrium.

Mors Barthol. Alvari. 3. In Domo Professa Ulyssiponensi 24. Augusti è corpore excessit Bartholomæus Alvarus Coadjutor, patriâ Portuensis. Vixit in Societate sex & quadraginta annos: quadraginta curæ habuit insigni charitate valetudinarium. Residuum tempus ab injuncto munere impendebat orationi, & sacris audiendis. Apud externos erat opinio de illius virtutibus. In augendo cultu divino solicitum noverunt omnes. Idcirco largiti sunt externi pecunias, quibus fuit templo non parùm utilis. Ægrotus acceptum viaticum evomuit, catino vomitum collectum Bartholomæus animosè sumit. Noster Sebastianus Moralius Episcopus voluit secum ducere ad Japoniam, ibique sacerdotem consecrare; at humilitas Alvari eo se reputavit honore indignum.

Mors P. Antonii Simonii. 4. Ulysiponense Collegium 7. Novembris funus extulit P. Antonii Simonii Eborensis. Tradiderat in sua patria Philosophiam. Illius dotes ad magisteria, & sacrum suggestum erant raræ. Accedebant religiosæ virtutes, quas pluris fecit naturæ ornamentis. Nuntium mortis ex diuturna hydropisi ortæ accepit vultu hilari, tanquam nihil magis cuperet, quàm vinculis corporeis exsolvi.

Tres mortui Conimbricæ. 5. Conimbricæ tres sepulti sunt. Ultimâ Octobris Angelus Borgius Italus coadjutor, ex labore, cui semper addictus erat, phthisi computruit. Die 9. Novembris Ludovicus Rebellus scholasticus natus Ferreirimi in Lamecensi diœcesi. Quoties in cubiculo repertus non esset, sciebant, qui illum quæsierant, inveniendum in templo coram Numine Eucharistico. Admonitus vicinæ mortis, nihil ardentius se optare reddidit. Calendis Decembris P. Emmanuel Tavarius Eborensis, ætatis anno quadragesimo, Societatis vigesimo quarto: religiosis moribus se diligenter exornaverat.

6. Ti-

Ingressi.

6. Tirones novi sub signa nostra conscripti sunt, Emmanuel Azevedus scholasticus, ortus Voucellæ. Franciscus Barretus ex Monte majore novo, præclarus apud Indos, ubi egit Provincialem, & Visitatorem. Rex Joannes IV. eum designavit Crangamorensem Archiepiscopum. Gaspar Moreira Algarbiensis, natus Lacobrigæ, virtutibus omnibus exornatus.

Profecti ad Indiam.

7. Ad Indiam transportati duodecim, Lusitani omnes. Ex his Sebastianus Diasius, cujus vitam fœcundam sanctis exemplis vulgavit typographia. Alius erat Stephanus Cassella Helviensis, qui suscepit expeditionem Tibeti, & in ea vitam consumpsit.

Rei Domûs Professæ Conversi. Seditio sepita.

8. Nostri alienigenæ Domûs Professæ operarii suavi violentiâ pertraxerunt ad Christi gregem hæreticos quinquaginta. Viceni & quinque ex Mauris & Hebræis ad fidem orthodoxam reducti sunt. Compressa feliciter seditio plebis; inde originem sumpsit: vir capitis damnatus, cùm esset educendus ad infamem Crucem, vitandæ aut saltem differendæ mortis ergo, sparsit in vulgus, se monachum esse, & sacerdotem: ad id probandum testes paraverat. Judex Ecclesiasticus reum sibi expetere. Regii Senatores latere mendacium non dubitant: igitur inter armatum militem rapi jubent ad patibulum. Plebs concitata supplicio ereptura monachum capessit arma, jàmque se colligebant ad decem millia. Indubium est fore, ut multum sanguinis profunderetur, nisi populus errorem deposuisset. Sacerdos noster, cui procurandam Rei salutem æternam commiserant, homini suasit, mendacium declararet, ne pereant tot innocentes. Monenti paruit, & malum simul omne extinctum est.

Reus reductus.

9. Haud minoris momenti fuit alterum. Vir nobilis convictus latrocinii, patibulo addicendus, secum statuit, ne solus nocens haberetur, ex scalis infamibus altâ voce nominare ejusdem noxæ participes, viros nonnullos honesto loco natos, quorum nomina scripserat in charta. Desudavit multùm sacerdos, ut insaniam dissuaderet; evicit tandem. Chartam reus lacerat, lacrymis detergit scelus.

Ludovicus Alvarus Tavora accepit Fundatoris nomen.

10. Hactenus Portuense Collegium nullo gaudebat Fundatore. Legatis aliquot relictis à piis personis, ac donationibus Henrici Cardinalis Regis ægrè se sustentabat. Fundationem hoc anno suscepit Illustrissimus Dominus Ludovicus Alvarus Tavora Eques Militiæ S. Joannis Balius Lessensis. Donavit triginta cruciatorum millia. Habuit fratrem in Societate Joannem Sousam.

Conventus Provinciæ.

11. Sub finem Octobris in Domo Professâ convenêre ex Provincia Patres, Præside P. Joanne Alvaro secundùm Provinciali post obitum Visitatoris munus. Electus Procurator Romam iturus P. Nonius Mascarenius ejusdem Domûs Præpositus, anno sequente jam erat Barcinone transfretaturus, cùm est nunciata mors Patris nostri Generalis, revertit in Lusitaniam. In eandem pervenit P. Sebastianus Gonsalvius secum ferens brachium S. Francisci Xaverii, quod Romæ colitur.

Brachium S. Xaverii adfertur ex India.

Mors Principis Catharinæ.

12. Quintâ die Novembris amisit Lusitana Societas insignem suarum rerum fautricem Catharinam Principem, matrem Brigantini Ducis, & neptem Regis Emmanuelis, filiam Infantis Eduardi, & Elisabethæ Brigantinæ, sororem Mariæ Parmensis. Dum non fuit Societatis domus Villævissosæ, frequenter eò vocabat Nostros ad obeundas sacras missiones. Inde permotus Theodosius ejus filius ad Villavissosanam domum fundandam. Propter singularem benevolentiam, quam semper ipsa, ejúsque Regalis Domus in Societatem ostendit, singulis per Provinciam sacerdotibus sacrum pro ipsius anima indictum est.

Mors Didaci Correæ Episc. Portalegrensis.

13. Portalegrensis Residentia die 9. Octobris singulari Patrono viduata est Illustrissimo Domino Didaco Correa Episcopo. Natus Cætobricæ, parentem habuit Præfectum maximum arcis Bracharensis, filium sororis Bartholomæi de Martyribus. Tam sancto patruo dignos mores præ se Didacus semper tulit; quem etiam imitatus in amore erga nostram Societatem. Fuit Canonicus Bracharensis, annis duodecim Septensis Episcopus in Africa. Cùm in excursione

Mauri cepissent majorem præsidiariorum partem: quòd ipsi non essent numi tot redimendis captivis, transiit in Hispaniam, vim magnam æris contraxit ex personis piis, quo plurimos servitute liberavit. Cùm tamen & hæc pecunia multitudini tantæ eripiendæ non sufficeret, oppignoravit verbum suum, solvítque pretii reliquum, gubernans diœcesim Portalegrensem.

14. Quidquid habuit, egentium erat. Semel petenti aliquid, quo nudos artus defenderet à temporis injuria, dejecit è fenestra pallium suum. Quando dicebant domestici, sæpe ab egenis ipsum falli; ajebat, non curandas fraudes, quæ sibi donanti felices forent. Solicitus fuit in cognoscendis honestorum pauperum necessitatibus, ut succurreret, antequam flagitarent. Societatem nostram in eam urbem vocavit. Socios aluit, dum viveret. Post ejus mortem Capitulum nobis eadem contulit subsidia. Novembri mense anni 1598. diœcesim ingressus, eam rexit annos sexdecim. Sepultus in templo maximo. Successit illi Anno 1616. Rodericus à Cunea, postea Portuensis, Bracharensis, & Ulyssiponensis Antistes.

Annus 1615. Soc. 76.

1.

Moritur Ven. P. Claudius Generalis.

FUnestus nostræ Societati accidit primus anni mensis, cujus die postremâ morte ereptus est vir immortali dignus memoriâ Venerabilis P. Claudius Aquaviva universæ Societatis Moderator, seu Præpositus Generalis. Ipsâ obitûs die nostro Petro Novasio Doctori Theologo, cùm interesset Concilio sanctæ Inquisitionis Ulyssipone, Frater Vincentius Pereira Dominicanus dixit Societatis Generalem obiisse. Supervenientibus postea certis nunciis, Novasius ex Fratre Vincentio quæsivit, unde cognovisset? Respondit, esse in cœnobio suo virum sanctum sæpe res hujusmodi enunciantem, ex ipso audivisse.

2. Ven. P. Claudius Aquaviva, in quo summa fuerunt omnia, prognatus est parentibus illustrissimis Ducibus Atriensibus. Ipsum natura dotibus præcellentibus ornavit, ingenio ad capessendas scientias promptissimo, prudentiâ rarâ, & in agendis rebus spectatissimâ. His accessit admirabilis morum integritas. Gaudebat jam celso munere in Palatio Pontificio, cùm Nostrorum tum charitatem in morbis perniciosis navatam consideràsset; tum modestiam, quando Pontificem conveniebant, omni spe caducarum rerum spretâ, militiam Christi apud nos complectitur.

Conventus Provinciæ.

3. Nondum numerabat Societatis quatuotdecim annos, cùm est creatus Generalis. Rexit ordinem annis triginta & quatuor; inter omnem rerum varietatem semper sibi par, & rebus vel prosperis, vel adversis. Ad successorem eligendum mense Majo habita Ulyssipone Provinciæ Comitia, Præside P. Doctore Francisco Perreira, qui P. Joanni Alvaro Provinciali successit. Electores cum ipso Romam ituri designantur PP. Nonius Mascarenius, & Joannes Alvarus. Dum iter faciunt Romam, ægrotavit Conimbricæ Mascarenius; cùm is brevi restitueretur sanitati, suffectus P. Antonius Abreus Salmanticâ, quò Mascarenius devenit, rediit in Lusitaniam.

Congregatio Generalis.

4. Generali Congregationi septimæ factum initium 5. Novembris. Ejusdem die 15. electus Præpositus Generalis P. Mutius Vitellescus Romanus. Lusitaniæ Assistens P. Nonius Mascarenius successit fratri suo Antonio Mascarenio, de quo tanta fuit P. Mutio existimatio, ut in eo conventu, cæteris variantibus, semper ipse tulerit suffragium pro Mascarenio. Postea sincerè fassus est, in eo venerabili consessu neminem se digniorem Generalatu esse opinatum. Legentibus Antonii vitam facilè apparebit, quanta in viro ad tam celsum munus fuerit habitudo.

5. Jus-

5. Jussum est, ut deinceps postremis quatuor diebus majoris hebdomadæ in Dominicæ Passionis venerationem ab omni colloquio abstineatur. Actum de pileis Coadjutorum, quod jam in aliis comitiis ventilatum fuerat, videbatur nempe indignum, eos uti pileis clericalibus; qui ideo prohibiti ingressuris, permissi tamen iis, qui jam erant in societate: sublatâ dispensandi facultate, etiam ipsi P. Generali. Verùm non dabatur tum executioni tale decretum; sed, ùt infrà dicetur, Congregatio VIII. Decr. 21. id exequendum efficaciter injunxit; nec ampliùs dissimulatum. De pileis Coadjut. Cong. VII. Decr. 24. & 47.

6. Brachara 18. Februarii morientem conspexit Ven. P. Joannem Cardinum. Natus est Moncorvi in Transmontana provincia; quamvis, si spectentur regni leges, ejus patria censeatur Viana in Transtagana regione, quòd ejus parens triennio illic ageret Regium magistratum. Parentes cum nobilitate, tum virtute splendebant. Habuit Cardinius tres patruos, & fratres duos in Societate; sorores, præter unam, quæ nupsit, se sanctimonialibus adjunxêre. Propterea solebat Joannes suis fratribus crebrò dicere: *Recordamini, nos genus esse Sanctorum.* Mors Ven. P. Joannis Cardini.

7. Cùm parentibus essent jam filiæ quatuor, votô se obstrinxêre sacellum divo Joanni Baptistæ ædificandi in oppido Campo majore, si domi viderent prolem masculam. Facti compotes voti, filio indiderunt Joannis nomen. Ille profectò factis suis virtute plenis ostendit à DEO se exoratum. Conimbricam missus causâ discendi scientias nihil antiquius habuit, quàm servare mores illæsos. Erat exemplo cunctis Academicis. Præcellebat ingenio, propterea magnam de ipso parentes spem conceperant. Laureatus in Jure Pontificio Doctoris gradu suasione amicorum conatus est, præviis solitis experimentis, indipisci Collegiaturam, ùt vocant, in regali Collegio divi Pauli: quamvis ejus merita forent nota, ipsi prælatus est alius, quem juvit major potentia.

8. Id ægrè tulit Joannis animus generosus; inde lux immissa à DEO, ut cognosceret, quanti debeant æstimari humanæ res. Idcirco decrevit, mundô conculcatô, totum se Deo tradere. Societatem jam sacerdos inivit Conimbricæ 23. Junii anno 1611. Non pauci scholastici florentissimis ingeniis præditi, Joannis exemplo permoti se dedêre sacris familiis. Primum insumpsit mensem se comparando ad primum sacrificium, quod fecit postremâ Julii in sacello tironum tanto pietatatis sensu, ut perennes illi fluxerint lacrymæ, nec, dum vixit, sine ipsis ad aram operatus est.

9. Ajebat, duo sibi appatere difficilia, somnum accomodare horis solitis, & persistere multùm flexis genibus. Verùm ita se, Deo favente, rigori utrique assuefecit, ut exiguo somno foret contentus, & nonnunquam majorem noctis partem traduceret genibus nixus. Adhuc tiro comitatus sacerdotem missionem habuit Visonii; rarum illius exemplum annis plurimis apud eos cives recens fuit. Post tirocinii primum annum Bracharam missus est, operam impensurus Philosophiæ. Tum domi, tum foris singularis de ipsius virtute crevit opinio, exemplis non paucis corroborata.

10. Biennii vota suo scripsit sanguine, ac tulit è collo suspensa in crumenula, dum vixit. Ardentissimè flagitavit ad Indiam mitti. Procul dubio audirentur vota, si instructus Theologiâ esset. Interim fovit hunc sanctum ardorem edocendo famulos domesticos, & mendicos ad ostium catechesim. Festis diebus excurrebat Apostolico more per vicos & pagos Bracharæ conterminos. Frequens erat in adeundis carceribus & nosocomiis.

11. Scienter non violavit regulam Instituti nostri. In sui contemptu, paupertate, obedientia, amore tenerrimo adversus sacrosanctam Virginem, & studio cæterarum virtutum æquavit sanctimoniâ præclaros viros. Denique tantus fuit, ut qui excepit totius vitæ confessionem, sit testatus, amisisse nunquam eam, quâ in lustrali fonte adornatus erat, gratiam. Sensit ardentissima desideria DEum videndi, quæ postliminiò explenda cognovit. Medici febrim, quâ prostratus fuit, censuêre rem esse exigui momenti: verùm Joannes planè affir-

mavit se moriturum. Instanter petivit à Rectore, juberet corpus suum in sterquilinium conjici, sineretque humi positum exspirare. Manu tenens Christi Crucifixi simulacrum, ipsúmque alloquens suavissimè animam egit ætatis anno trigesimo, Societatis tertio, & octavo mense.

12. Illud omnibus existimatum singulare DEI beneficium, quòd prope mortem, dum Joannes osculatur Crucifixum, effigies clavis soluta, incidit in ejus vultum, tanquam felicem animam exceptura. Servatur hodie Crucifixus in templo Bracharensi cum litteris dictum eventum significantibus. Joannis vitam plenam virtutibus ac miraculis in lucem edidit noster Sebastianus Abreus, & alii quàm plurimi. Legitimis etiam testimoniis comprobata sunt ejus facta & virtutes, ut illum Mater Ecclesia, si videatur, locet in altaribus.

Moritur Ven. P. Sebast. Barradas.

13. Conimbricæ 14. Aprilis animam omni virtutum genere excultissimam triumphanti in Cœlis Societati transscripsit Vener. P. Sebastianus Barradas Ulysiponensis, unus è magnis luminibus nostræ Societatis. B. Virgo ab scala in cœnobio Patrum Prædicatorum voce non obscurâ ipsi imperavit Societatem ingredi; obsecutus est 27. Septembris anno 1558. ætatis decimo sexto. Ingenio pollebat ad scientias & discendas, & tradendas felicissimo, præterea dotibus præclarissimis ad exornandum sacrum suggestum.

14. Divinas litteras professus Eboræ annis plurimis, ibique Doctoris insignitus epomide. Quanta fuerit ejus in scripturis divinis sapientia, testatur illius in Evangelia multiplex volumen sacrâ eruditione refertissimum. Ipsimet libri præferunt Authoris sui pietatem. Amor, quo B. Virginem est prosecutus, nullis explicatur verbis. Confirmaturus aliquando vacillantem in vocatione socium, volens declarare, quantum esset bonum Societas, impetu quodam spiritûs, *Hoc bonum tale est*, ajebat, *ut ipsamet Virgo mihi dixerit, ut ingrederer Societatem: ipsa mihi dixit, ipsa mihi dixit.* Sociis frequenter suadebat, plurimùm Virginem matrem diligerent, quoniam ipsâ favente Societatem ingrediebamur, & in eâdem perseverabamus. Quoties de Virgine fiebat sermo, in oculis, vultu, & labiis eminebat sanctus ardor, quo calebat intus. Ferebat ægerrimè, intueri Virginis aliquam effigiem minùs, quàm par est, decentem. Viri doctissimi, cùm legerent, quæ de Virgine Sebastianus scripsit, præsertim in primo volumine, confessi sunt, nescire se, quòd author ullus tractaret ejusmodi materiam majori suavitate, affectu, atque eruditione.

15. Non minoribus obsequiis coluit sanctissimam Eucharistiam. Ad faciendum sacrum se comparabat diligentissimè per binam, trinámve orationis horam. Morabatur in sacrificio peragendo vel horâ integrâ, vel ampliùs. Vix avelli poterat à venerando mysterio. Acceptarus hostiam contremiscebat toto corpore. Ut sacrum continuaret, necessum erat admoneri à ministro. Inter habendam coram DEO orationem incendebatur, & vix poterat urentem intus fervorem capere. Aliquando similis attonito egressus ad ostium cubiculi, ut reciprocaret animam, dixit socio sibi obvio: *Meditabar modò Tartareas flammas, & pœnas; morerer præ horrore concepto, nisi mentem avocarem, atque de cubiculo profugerem ad auras captandas, & reciprocandum spiritum.*

16. Sæpe in concionibus usurpabat hanc vocem, *æternitas, æternitas.* Percontantibus, cur id verbum toties pronunciaret, reposuit: *quoniam me tremefacit, & cogit esse virum bonum.* Alienissimus erat à confabulationibus cum externis. Novem annis Eboræ ad communem januam ab ullo mortalium non est vocatus: quod, considerato nostro vivendi more, & qui vir foret Sebastianus, vix credi potest, & explicat supra modum infensum commerciis otiosis animum.

17. Nemo proprii contemptûs studiosior vixit, aut appetentior sui corporis subjugandi. Paupertatis religiosæ vix existimare possum apud nos rarius fuisse exemplum. Non mendicus ullus vestem externam tot obruit centonibus, quot ille gestabat internam. Noctu Majorum jussu sublato vestimento tam inutili, substituebatur aptum; reperto furto profundebat inconsolabiles lacry

crymas. Illi erat in deliciis thorax lineus; novo posito, Vestiarius noctu vetustum sustulit, atque ut aliis usibus jam ineptum transtulit in peniculum ad everrendum furnum; comperto furto, adit vestiarium, uberibus lacrymis sibi reddi postulat; cúmque dicto ministerio applicatum intelligeret, sine mora convolat in furnum, ac recipit suum thoracem, sibique gratulatur, tanquam opima spolia reportaret ab hoste.

18. Mille vexationibus corpus suum persecutus, fraudabat victu exquisito, grossiore contentus. Nonnunquam suppositis urticis inter lodices volutabat sese. Si majores sinerent, vitam omnem consumere paratus in missionibus obeundis. Semel excurrit per provinciam Beirensem incredibili populorum motu. Decumbens lecto tumefactis pedibus, ajebat, id esse supplicium, quòd huc illuc non discurreret Apostolico more seminando per Beirenses agros Dei Verbum. Iners otium ad mortem usque exosus. Annis postremis frequenter exhortationes habebat ad socios, id se facere dictitans, ne victum otiosus consumeret. Non sine lepore proferebat, calamum suum esse sibi sarculum, quo sudando in agricultura parabat quotidianum victum.

19. Se, suáque semper habuit vilissimo in pretio. Obedientiâ coactus scripsit æquè doctos, ac pios libros, qui sunt in lucem editi. Suos labores felices reputabat, si ex ipsis unius animæ oriretur æterna salus. Morti vicinus à Collegii Rectore jubetur monitum aliquod ad solandum socios edicere; voce quantumvis fractâ, modo tamen concionantis, *Humiliamini*, inquit, *sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Non est aliud consilium. Simus omnes humillimi, Christum Deum, ac Dominum nostrum imitantes, qui vitâ totâ fuit Magister humilitatis, & quando est mortuus, inclinato capite emisit spiritum.*

20. His dictis, caput reclinavit super lævum brachium; nec ampliùs verbum, quod intelligeretur, pronunciavit. Post mortem tum nostri, tum externi, Episcopus, & Academici jacentis in feretro manum exosculati sunt. Tenuissima supellex in reliquias partita. Confluxit innumerus populus ad figenda pedibus oscula, & Marianæ coronæ globulis corpus contingendum. Ossa tanquam viri excellentis hodie sunt in sacello domestico S. Antonii. Ex ipsius laboribus fuerunt typis vulgata quatuor volumina in Evangelia, & Itinerarium filiorum Israël. Vita Sebastiani virtutum omnium plenissima ornamentis à pluribus scripta, & formis typographicis excusa.

21. Eboræ ad securiora transiit Blasius Alvarus Eborensis tiro scholasticus imitator B. Aloysii Gonzagæ, cujus die festa Junii vigesimâ primâ solutus corpore. Cùm ad nos venit, optimis jam erat institutus virtutibus. De prandio suo bonam partem donabat mendicis. Erga Magistros suos utebatur singulari comitate. Martio hujus anni additus fuit nostris tironibus. Dum ægrotavit, séque vidit morti proximum, mirificè est recreatus; quódque ardenter petiit Aloysio die sacrâ de vivis exire, impetravit. Secundâ post meridiem horâ interrogavit Magister, si quid vellet? Cupio, inquit, audire tirones canentes. Piâ cantiunculâ sic est incensus ad æternæ felicitatis desideria, ut exclamaverit: *Si tanta suavitas inest terrestri musicæ, quantâ imbuetur Cœlestis?* Paulò post inunctus sacro ceromate, quietissimè profectus ad Superos. *Mors Blasii Alvari.*

22. Non silendus Petrus Dominguius, qui postquàm triginta quatuor, & ampliùs, annos egisset Procuratorem litium nostri Eborensis Collegii, cui magnâ dexteritate ac fidelitate serviit, hoc anno moriens legavit nostro templo, in quo fuit sepultus, centum scuta Romana ad ferculum Eucharisticum exornandum. *Mors & legatum Petri Dominguii.*

23. In Ulyssiponensi Domo Professa septuagenarius obivit P. Ludovicus Alvarus Coadjutor spiritualis, natus Trouxisalii diœcesis Ulyssiponensis. Egit multis annis Procuratorem Provinciæ, ac rexit diversa Collegia. Singularis obedientia illum exornabat. Ultimo quadriennio jacuit affixus lecto, quas æru- *Mors P. Ludovici Alvari.*

ærumnas animo sustinuit æquissimo, semper tam lætus rebus molestis, ac fuerat prosperis.

Ingressi.

24. De novo inter alios accrevêre Societati Emmanuel Martinius Alvisensis, in Madnrensi Missione præclarissimus operarius. Antonius Gonsalvius Estremotiensis, Doctor Theologus, ac Professor in Eborensi Academia, qui Romæ Assistens obiit. Antonius Ferrazius Coadjutor, Portuensis, vir multæ virtutis, & artis medicæ peritissimus.

Profecti ad missiones ultramarinas.

25. Duodecim se mari commiserunt reducturi Indianos, tot Lusitani, quot Itali. Præerat P. Emmanuel Rodericius, qui Rectorem egit Bracharensis Collegii. Ad Angolam missi P. Hieronymus Vogadus cum potestate Visitatoris, & P. Michaël Alphonsus Arrayolensis, uterque apud eas gentes insignis Operarius. Duo sacerdotes confecto studiorum curriculo, ad Hyberniam patriam suam navigârunt. Alter haud multò post adventum suum in odium fidei detrusus est ad carcerem. Nomina non exprimunt Manuscripta.

Inauguratur Episcopus D. Rodericus à Cunea.

26. In templo Domûs Professæ consecratur Episcopus Portalegrensis Illustrissimus Dominus Rodericus à Cunea, peculiariter benevolus nostræ Societati. Ipsâ die nobiscum in triclinio sumpsit prandium. Consulturus domûs silentio & quieti nullum de domesticis suis adhibuit. Heros est immortaliter meritus de diœcesibus, quas rexit, exornavítque scriptis suis ac historiis prælo datis.

Ossa Joannis Borgiæ.

27. Ad idem templum sunt convecta ossa Joannis Borgiæ Comitis Ficallensis filii S. Francisci Borgiæ. Quòd reliquiis Sanctorum illud templum locupletavit, Societas illi donaverat ad se, suósque sepeliendos sacellum maximum. Condita fuerunt ossa in ejus sacelli fornice subterraneo. Illius Conjux Francisca Aragonia Lusitana misit ad sumptum mille & quingentos cruciatos, & serica pro aris vestimenta cum multis reliquiarum arcis.

Moritur Alphonsus Castelbrancus Episcopus.

28. Duodecimâ Maji nostrum Conimbricense Collegium egregio fautore mors spoliavit Alphonso Castelbranco Episcopo. Assederunt ægrotanti nostri homines, eique omnia charitatis officia impenderunt. Tanquam vir justus & piissimus è mundo discessit. Collegio legavit Bibliothecam bis mille cruciatis æstimatam, peristromata de figuris mensium, & tabulas de historia S. Tobiæ, ac de duodecim Apostolis, prætereà conciones suas, quæ servantur in Tabulario.

Donatio Dominæ de Lara.

29. Etiam hoc anno donavit eidem Collegio suam bibliothecam Excellentissima Domina Beatrix de Lara vidua Petri Medicei filii Cosmi I. & fratris Francisci & Ferdinandi I. magnorum Hetruriæ Ducum, quæ nostris rebus plurimùm semper faverat, etiam meditata Societati Collegium Averii, ubi degebat, fundare. Sæpe ad suum solatium eò nostros accersebat è Conimbricensi Collegio.

Portalegriæ Gymnasium aperitur.

30. Portalegriæ initium accepit Latinitatis Gymnasium. Novus Episcopus Rodericus à Cunea exceptus ab scholis oratione Latinâ & eclogâ plurimùm gratiosâ & eleganti, actoribus scholasticis.

Farensis domus mutatur in Collegium.

31. Farensis domus, quæ hactenus dicebatur Professa, in Collegium transmutatur. Facta pro illustrissimo Domino Fernando Martinio Mascarenio solita suffragia, quæ per universam Societatem indicuntur pro Collegiorum Fundatoribus. Scholis, dum hæc scribuntur anno 1721., sunt duo Gymnasia, scientiæ moralis, & duplex Latinitatis. Primus Rector fuit P. Didacus Valentius Ulyssiponensis, qui labentibus annis promotus est ad infulas Japonenses.

Annus 1616. Soc. 77.

Profecti ad Paraguayum.

I. CAlendis Novembris die omnibus Sanctis dicato Ulyssipone movit ex diversis nationibus ingens operariorum numerus ad Paraguayum in America Castellana. Inter eos censebantur Joannes Castillius, Alphonsus Rode-

Rodericius, ac Didacus Alfarus, quos insignivit Martyrium. Eorum præsentiâ, ùt multis aliis Martyribus condecoratum est Ulyssiponense Collegium.

2. De nostris quatuor sacerdotes, ac duo nondum initiati concesserunt ad regiones Indicas, successu votis non respondente. Morbi graves aperuerunt nostrorum charitati amplum theatrum. 16. Junii obiit P. Augustinus Costa Amarantii natus. Præerat reliquis. 24. ejusdem mensis secutus est Petrus Diasius scholasticus Pedrogamensis, adolescens innocentissimis moribus. Quotiescunque miscebatur sermo de laudibus B. Virginis, vultus lætitiâ innudabat. Complexus Crucifixum ingeminavit: *Quàm serò te dilexi Domine!* In illius suavi osculo vitam efflavit. Cùm navis progredi nequiret ob temporum iniquitatem, relictos cursus Ulyssiponem iteravit. Profecti ad Indiam

3. Die primâ Novembris Beatissimæ Deiparentis, & Sanctorum omnium sacratâ festò apertum est templum domicilii, quod Ulyssipone tironibus parabatur, in eòque primum DEO sacrificium est immolatum. Opus totum pulcherrimâ structurâ nitorem præfert. Octavo die mensis ejusdem ex vestiario sacro Domûs Professæ magnâ pompâ huc transtulimus ossa Fernandi Tellii Menesii domûs Fundatoris, posita in sacello majori ad latus Evangelii tumulo marmoreo duobus elephantis sustentato. Apertum templum Domûs tironum. Translata ossa Fundatoris.

4. Mense Februario cœpit esse usui totum atrium scholarum Conimbricensium. Continet Latinitatis undecim Gymnasia, quatuor pro Philosophia, unum pro Græca, & Hebræa lingua, & unum pro quatuor Theologiæ Magistris ad nostros solùm edocendos Theologos. His additur aula maxima, & sacellum. Ædificium omne amplum est, dignum Regio Fundatore. Circumdatur totum columnis ad operis augendam majestatem. Ut initium foret celebrius, Aprili mense theatro commissa est tragœdia de Balthassare, authore Joanne Rochia Ulyssiponensi tertii Gymnasii Magistro, qui post multos annos inauguratus Episcopus obivit Goæ. Atrium scholarum Conimbricæ.

4. Undetrigesimâ die Novembris piissimè obdormivit in Domino Conimbricæ P. Antonius Moralius Madeirensis insigni virtute præditus. Fuit germanus frater nostri Sebastiani Moralii Japonensis Episcopi, & P. Ludovici Moralii. Conimbricæ professus Rhetoricam, & Philosophiam, præclari Magistri nomine; propterea designatus est ad componendum cursum Philosophicum Conimbricensem, quod fecisset, nisi hæc meditantem intercepisset cæcitas oculorum. Secundâ Julii anni 1598. post celebratum missæ sacrificium visum amisit. Inde usque ad vitæ finem cæcus traduxit annos, sibi, Deo, ac quæstui animarum deditus. Obit P. Antonius Moralius.

6. Plurimus enim erat in audiendis nostrorum, & externorum confessionibus. His annis semper pressit communem sociorum vivendi modum; cibos in triclinio cepit: ad cætera obedientiæ mandata antevertit tempus: non nisi ad necessaria prodibat è cubiculo: cum sociis solùm de rebus divinis miscebat sermones. Noluit uti alienis manibus ad sternendum lectum, & verrendum cubile, aliáve ministeria. Cùm tamen Majores adverterent, quanta ipsi forent in rebus iis agendis incommoda, jussêre, abstineret deinceps ab eis, designato socio, qui viro optimo serviret.

7. Orandi assiduitas, fervens cum Deo commercium, studium insatiabile exercendi virtutes omnes magnam ipsi promeruere sanctitatis opinionem. Non est virtus religiosi statûs, in qua posteris non reliquerit exempla singularia; quibus redundat illius vita typis data. Superveniente morbo postremo, multæ à sociis in Cœlum pro ipso fusæ preces. Cognovit antè mortis suæ tempus. Penè ad extremum anhelitum verba pia locutus; pacatissimè decessit, magno sociorum dolore, quòd ejus virtus esset veluti columna totius Collegii. Fuerat à confessionibus Ven. P. Francisco Suario Granatensi: Si post hunc obiisset, ex ipso sciremus, quàm largâ manu Deus Suario dona sua impenderit. Hujus herois ossa locata sunt in sacello domestico Collegii inter alia virorum sanctimoniâ illustrium.

Obit P. Joannes Correa. 8. Haud minùs idem Collegium doluit 30 Septembris obitum Ven. P. Joannis Correa. Natalis illi sedes Villaregalis oppidum nobile in Transmontana provincia. Sociis adscriptus est Conimbricæ 15. Februarii an. 1562. Dum Conimbricæ de superiori Collegio concedit ad inferius, tegula è tecto decidens Joannis caput læsit: sanato vulnere, feliciùs, quàm antea, experitur ingenium; quod tributum temperatis eâ plagâ organis. Tradidit Eboræ Philosophiam quadriennio, mox alio quadriennio Conimbricæ; deinde Theologiam Eboræ, ubi laureatus Doctor. Propter insignem prudentiam cum singulari virtute conjunctam plurimos & præcipuos egit Magistratus. Bis Rector fuit Conimbricæ, bis Provincialis, ac tandem Eborensis Collegii & Academiæ Rector.

9. Sic exosus omne peccatum, ut dictitaret, se potiùs habitaturum in cubili suo cum dæmone, quàm cum peccato levissimo. Plurimùm refugit cum sæcularibus commercia, quòd inde oriretur inquies conscientiæ. Nullus externus eum privatim convenit, nec ipse aliquem externum. Consanguineos, quàmlibet è nobilioribus oppidi sui curavit, quasi non haberet. Lustraturus Collegium Brigantinum declinabat ab itinere faciendo per patriam suam. Semel illac iter direxit, sed antelucano tempore transiit per medium oppidum, nemine salutato, quod ægrè tulêre consanguinei. Postremis annis, quòd urgerent aliqua negotia suorum, rogatus, ut ad illa componenda Villamregalem accederet; *Non ego*, reposuit, *dedecorabo canos meos eundo senex Villam regalem, quam juvenis nunquam adii*.

10. Non patiebatur externos admitti ad interiora Collegiorum. Dicentibus, posse nobiles offendi, respondebat: *non curandi hujusmodi apices honorum. Deo fidamus, non displicebunt externis, quæ fecerimus conservandæ modestiæ, & observantiæ causâ*. Nec Superior, nec subditus delibavit mensæ accumbens aliquod edulium singulare. Multus erat in orando coram Eucharistia. In itineribus nunquam omisit horam piis commentationibus destinatam.

11. Cùm esset Ulyssipone, cupiit mori Conimbricæ: eò profecturus obsecravit, sibi concederent cubiculum, ubi fuerat mortuus Ven. P. Sebastianus Barradas, ut recordatione exemplorum tanti viri magis ad virtutem incenderetur. Dies consumebat invisendo Numen sub pane velatum, & sacella. In morbo supremo nihil dixit, nihil egit, quod non contineret argumenta sanctitatis. Ossa illius in sacello divi Antonii sunt condita ad universi Collegii solatium.

Obit Ludovicus Craveirus. 12. Ibidem 28. mensis Junii immaturâ morte abiit Ludovicus Craveirus tiro scholasticus, natus Figueiroi diœcesis Conimbricensis. Anno proximo mense Novembri se dediderat Societati. P. Didacus Monteirus tirocinii Magister testatus est Ludovici mentem in oratione nullis raptam fuisse evagationibus, nullis turbatam cogitationibus impuris, vixisse similiorem Angelo, quàm homini. Piissimis sensibus complexus est patientem Dominum, ac Virginem Deiparam. Creditum est, & præscivisse mortis horam, & B. Virginem in extremo agone illi se præbuisse spectandam. Utriusque rei non defuêre argumenta.

Obit P. Franciscus Fernandius. 13. Decimâ Januarii in urbe Portuensi valefecit mortalibus P. Franciscus Fernandius. Societatem ingressus inarsit desiderio extra ordinem corpus macerandi, sibi persuadens levia nimis esse, quæ suis tironibus permittit Societas. Hujusmodi raptus errore profugit è Novitiatu, tetenditque in ædem sacram Virginis Lapensis Conimbricâ dissitam leucis duodeviginti. Domum B. Virginis ubi conspexit, prorsus evanuit tentatio mali dæmonis. Secum decreverat ad Societatem reverti. Ab Virginis æde digressus habuit obvium virum specie venerabilem, qui comiter eum compellans deduxit Conimbricam, sustinétque itineris expensam.

14. In platea S. Sophiæ ad ingressum urbis, viro ex oculis repentè evanescente, intellexit fuisse Custodem Angelum. Adit igitur Collegium, inter ube-

uberes lacrymas narrat, quæ accidêre, Hieronymo Natali, qui rursus adoptavit in Societatem. Reliquam vitam duxit augendarum virtutum studiosus. Habebatur Instituti nostri observantissimus. Ad annos quinque supra quadraginta vixit in urbe Portuensi, semper intentus audiendis pœnitentibus. De Francisci virtute singularis erat apud cives existimatio.

Annus 1617. Soc. 78.

1.

IN Domo Professa Ulyssiponensi 25. Septembris mortem oppetiit, famâ viri nunquam intermoriturâ, Venerabilis Pater Franciscus Suarius, scientiarum lumen splendidissimum, & Societatis nostræ in scholis astrum majus, natus Granatæ; Salmanticæ se aggregavit Societati 16. Junii an. 1564. Vitam insumpsit illustrando suis magisteriis Academias. Segoviæ tradidit Philosophiam, Theologiam Vallisoleti, Romæ, Compluti, Salmanticæ, denique Conimbricæ jussu Regis Philippi agens in Academia primarium Theologiæ Professorem. Ejus insignes libri sapientibus familiares, quantus colluxerit scientiarum sol, argumento sunt. Moritur Ven. P. Franc. Suarius Granatensis.

2. Eboræ, ùt suo loco memoratum, insignitus Theologici Doctoris gradu, non parùm ornamenti adjecit illi Academiæ, quæ jure merito gloriatur, quòd inter præclarissimos suos Doctores Suarium recenseat. Sed quod laudabilius est, huic profundissimæ sapientiæ conjunxit omnium virtutum concentum; posteritatem libris, an exemplis plùs locupletaverit, amodò in dubio versatur. Dum preces in Cœlum fundit, extra se raptus: è plagis Crucifixi luminum radii prodeuntes illustrabant cubiculum, & vultum Suarii. Hodie conservamus Conimbricæ in sacello Dominæ à divo Luca pictæ id simulacrum.

3. Lucra ex suis libris enata pauperum applicuit necessitati. Sermone suo neminem læsit, imò coram se non pertulit alienum corrodi nomen & facta. Aliorum honorem suo solebat anteponere. Rarum est, quod illi Conimbricæ contigit. Suarii promotionem ad eam cathedram ægerrimè tulerat Frater Ægidius ex Eremitis D. Augustini vir sapientissimus, qui indubiè sperabat se in eam cathedram evectum iri. Ostentaturus, quàm parùm ea Academia egeret Professore alienigenâ, theses sustinendas impressit. Invitatus Suarius summâ totius Academiæ expectatione. Die constitutâ, erectis in eventum omnium oculis & animis, adest Suarius. Habitâ veniâ proponit argumentum. Negavit majorem propositionem Ægidius. Hic Suarius omnino siluit, nec ullum ampliùs addidit verbum. Creditur sic jugulatum argumentum, ut progredi nequiret Suarius, propterea sibi pudendum silentium indixisse. Nostri erubescunt, ac vehementer admirantur.

4. Domum regressi circumdant Suarium, & percontantur, cur tacuerit? Cur saltem aliquot propositionibus vanâ pompâ exornatis non dissimulaverit in speciem difflatum primo ictu argumentum? Tum vir modestissimus, proferens, quem apud se habebat, librum Conciliorum, sociis ostendit Canonem Concilii, qui nihil aliud erat, quàm ab Ægidio negata propositio. Urgent, cur suo, ac Societatis honori non consuluerit, aperto libro? Sciebam ego, respondit, quantus vir sit Ægidius, quanta sit apud Academicos de illius sapientia existimatio; si libro convincerem, periret; aut saltem ejus honor labefactaretur, quod non decebat: Societatis honori DEus prospiciet.

5. Cùm Suarii silentium esset in omnium ore, novit Ægidius legitimam ejus causam. Ut erat vir celsæ sapientiæ, & profundæ mentis, stupuit vehementer, quòd inter homines homo viveret, tam sui dominus, tam aliorum æstimator. Eò pervenit Suarium venerando Ægidius, ut quotidie in missæ sacrificio adjiceret commemorationem de Doctore innominato. Cùm Minister rem animadverteret, quæsivit, quinam foret ille Doctor sanctus? Cui Ægidius:

Est Pater Franciscus Suarius Granatensis, quem licèt inter mortales degentem, ut Sanctum apud me, hujusmodi recolo commemoratione.

6. Celeberrimum Francisci nomen per universam Europam inclaruit: nam libri ubique gentium suum commendabant authorem. Illum timuerunt hæretici; quapropter Vulcano mandârunt librum adversus errores Anglicanos scriptum, sibi persuadentes, non posse modo alio tantæ sapientiæ resisti. Gigantei herois vita à plurimis in lucem edita est plena rebus maximis. Qui sibi tamen minimus: ùt abundè comprobat Elogium è Conimbricensi Collegio positum. Sic habet: *Franciscus Suarez, Europæ, atque adeò orbis universi Magister appellatus: Aristoteles in naturalibus scientiis: Thomas Angelicus in divinis: Hieronymus in scriptione: Ambrosius in cathedra: Augustinus in Polemicis: Athanasius in fidei explicatione: Bernardus in mellisua pietate: Gregorius in tractatione Bibliorum, ac verbo: oculus populi Christiani; sed suo solius judicio Nihil.*

Mors Emmanuelis Azevedi.

7. Bracharæ 18. Junii sublatus est Emmanuel Azevedus scholasticus, natus Vouzillæ in diœcesi Visensi. Societatem inivit Conimbricæ an. 1614. permotus exemplis nostrorum, qui Vonzillæ missionem habuerant. Virtutibus ex animo studuit, præprimis orationi, contemptui proprio, ac sui corporis, quod velut mancipium tractabat, castigationibus. Missus Bracharam, litteris humanioribus daturus operam, singularem prætulit modestiam. Ajebant scholastici loquentes de Azevedo, versari in suo Gymnasio *Patrem ex Lapide*, quo nomine significârunt immobilitatem corporis, oculos compositos, & modestiam ab Emmanuele servatam in scholis.

Obeunt PP. Nicolaus Gonsalvius, & Alphonsus Vasæus.

8. Prætoriam navem Classis regiæ ad arcendos piratas in altum provectæ conscenderunt Nicolaus Gonsalvius, & Alphonsus Vasæus, sacerdotes, ut in spiritu juvarent milites, & nauticas operas; quod egregiè præstiterunt. Ex hoc ministerio, cùm pestilentes morbi per navem serperent, hæsit Nicolao malum: jam erat munctus sacro oleo, cùm navis appulsa Ulyssiponem, expositus, ac portatus in domum nostram 11. Octobris exspiravit, natus Aldeæ novæ in diœcesi Guardiensi. Alphonsus, postquam est in terram egressus, eodem morbi genere corripitur, ac emoritur sanctissimè quartâ die Novembris, ortus Fronteiræ in Helviensi diœcesi. Tum ad magisteria, tum ad sacrum suggestum pollebat dotibus spectatissimis, ideo deploratus ab omnibus, cumprimis Alphonso Noronio summo Classis Præfecto.

Obit P. Fernandus Guerreirus.

9. In Domo Professa Ulyssiponensi 28. Septembris ætatis sexagesimo sexto cursum consummavit P. Fernandus Gnerreirus Almondouvarensis in agro Orichiensi. Diversos gessit magistratus, sacrásque obivit missiones cum Societatis, & multo populorum emolumento. Degens in Domo Professa Laurentium Lombardum, cujus animam dirigebat, inclinavit, ut se, ac sua donaret domicilio tironum, ùt jam retulimus. Habitabat illic cum Laurentio ad procurandam domûs fabricam, cùm pleuritide percellitur, ad Domum Professam delatus se diligenter comparavit ad agonem postremum.

Obit P. Martinus Mellus.

10. Eboræ 14. Januarii superadditus est P. Martinus Mellus, ortus Calsalvasci in diœcesi Visensi. Obiit cum integritate diversa munera, Visitatoris, Provincialis, Vice-Provincialis, & ejusmodi. Viscera & affabilitatem paternam cuncti subditi cognoverunt in Martino. Sic religiosam veneratus est paupertatem, ut etiam post tot munia ne minimam rem acciperet sine facultate demissisimè postulata.

Profecti ad Indiam, & Angolam.

11. Duodena sociorum Indiæ transmissa est, Lusitani decem, duo Siculi, omnes in tres divisi naves: in prætoria cum Francisco Coutinio Comite Redondensi Pro-Rege ferebantur Didacus Rebellus, & Ægidius Fonseca, sacerdotes, qui proximo anno ex itinere Ulyssiponem regressi. In nave architalassi vecti sex, quos inter Andreas Palmeirus Ulyssiponensis, Rector Bracharensis Collegii: periêrunt in ea navi Simon Rijus, Faustinus Vasconcellius, & Dionysius

Pereira,

Pereira, sacerdotes. Cæteros continebat navis altera; præerat Melchior Seixius Rector Brigantinus. Erant omnes sacris initiati. In Angolam comigrarunt Matthæus Cardozus, Antonius Amaralius, sacerdotes, & Hieronymus Mendius Coadjutor. Adjunctus Societati est Franciscus Rodericius, natus Carnidii, Martyr apud Æthiopes.

Init Societatem Franc. Rodericius Mart.

12. Ex tribus tantùm in Guinea operariis, Emmanuele Alvaro, Sebastiano Gomio, & Antonio Diasio, primus in regione saltûs Leænæ finem suis laboribus, ac vitæ posuit. Successerat in ejus vineæ cultura Patri Barreiræ, animarum utilitatem procurando annis ferè decem apud illas nationes. Nulli pro Dei gloria labori parcebat. Quidquid habuit, egenis dare solitus est. Demissio & obedientia in eo eminuêre. Neophyti tanquam communem parentem deplorârunt mærore immodico. Natus est Turribus novis diœcesis Ulysiponensis.

Res Guineæ. Mors P. Emmanuelis Alvari.

13. P. Antonius Diasius transfretavit ex insula D. Jacobi ad insulam D. Philippi, quam vocant etiam Ignis insulam, quòd flammas evomat. Hospitatus in Domo Misericordiæ, ubi quondam obivit P. Emmanuel Barrius non sine virtutis opinione. Publicato Jubilæo cœpit explanare catechesim. Plurimùm omnes invitabat Concionatoris vita moribus integris ornata, ut conscientias fidenter expiarent. Etenim eorum sacerdotes cumulatis erant inquinati sceleribus, ob quæ duos per id tempus metuendis suppliciis DEus affecerat: alter in complexu scorti transfossus pugione; alterum stantem ad aram, ut sacris operaretur, invasit equus solutus à præsepio, nemine alio in Ecclesia læso, velut in solum sacerdotem esset immissus, quà dentibus, quà ungulis in terram dejecit, & arcuit à tam sacro loco; protrivisserque, nisi populus gladiis impediret. Omnes id tribuêre Sacerdotis corruptissimis moribus.

Missio in Insulis Capitis viridis.

14. Inde transiit ad Bravam insulam, quæ sacerdote carebat; ipsâ excultâ redivit ad S. Philippi, ubi per 40. dierum jejunium desudavit; supplicatio de Passibus Domini introducta. Reversus in domum nostram, continuavit Latinitatis magisterium. In honorem divi Blasii Ecclesiæ nostræ Turelaris habitæ Latinæ orationes ab scholasticis, auditorium recreantibus pueris symphoniacis.

15. P. Sebastianus Gomius adivit pagum in S. Jacobi insula, non pœnitendo fructu relato. Post reditum malus dæmon puellas obsider, jactitans, velle se modò infecta reddere, quæ Pater egisset. Res delata ad P. Sebastianum; scripsit, denunciarent fœdo spiritui, nisi actutùm puellas desereret, venturum se, ut abigat. Quo nuncio territus miseras posthac non fatigavit. Vulgata canum rabies non solùm brutis animantibus, sed etiam hominibus noxia fuit. Si demorsi sanguinem contigit canis dens rabidus, mors fuit inevitabilis. Non parvus labor nostros manebat, dum hæc calamitas sævit; obliti enim sui ferebant egentibus auxilium.

16. Eborensis Academia hoc anno testata est singularibus officiis venerationem erga intaminatam Virginis Beatissimæ conceptionem. Datis litteris Rex Philippus significabat mentem suam de petenda hujus mysterii definitione à summo Pontifice: proinde inter se Doctores ac Magistri considerarent libellum supplicem Academiæ nomine cum cæteris offerendum Christi Vicario. Mirificè recreati omnes hujusmodi litteris; omnium una fuit sententia, rogandum enixè summum Pontificem, declararet inter fidei nostræ capita Virginis conceptum immunem prorsus fuisse à labe originali. Ut affectum suum Academia magis palàm faceret adversùs hoc piissimum mysterium, sanxit, ne quis deinceps insigniretur ullo scientiarum gradu, quin priùs se obstringeret sacramento defendendi Virginis illibatam conceptionem. Porrò decrevit annuam die consecrato Virginis Conceptioni supplicationem Academicam è Collegio Matris DEI ad templum nostrum.

Jusjurandum de tuenda Virginis Conceptione, & supplicatio Ebor. Academia.

Annus 1618. Soc. 79.

1.

Mors P. Petri Pauli Ferreirii.

DOmus Professa Ulyssiponensis misit ad superos 1. Junii P. Petrum Paulum Ferreirum. Malaga in Granatensi regno orbi dedit. Sub magistratu crevit Joannis Avilæ viri piissimi. Eum S. Franciscus Borgia misit Eboram, ut novæ Academiæ foret Professor. Illic pluribus annis moderatus est sacram bibliorum cathedram. Eminuit ingenio, & memoriâ eorum, quæ legisset, tenacissima; ideo vocabatur Bibliotheca viva. Calluit apprimè Latinas, Græcas, Hebræas, & Chaldaicas litteras. Habitus vir consummatæ sapientiæ. Etiam annis multis egit Academiæ Cancellarium. Inierat Societatem jam Theologici Doctoris gradu insignitus. Postremos annos transegit Ulyssipone in tribunali Inquisitorum. Antiquam sinceritatem & candorem præferebat. Specialiter consuluit ægrotantibus, in quos admirabilem exercuerat charitatem. De nemine malè opinatus, omnes existimabat sanctos, & homines Angelicos. Illius vita circumfertur in opere de domicilio tironum Eborensium.

Moritur P. Emmanuel Correa.

2. Ibidem cum anni exitu vitæ suæ dies clausit P. Emmanuel Correa Ulyssiponensis, ex senioribus Provinciæ. Recensebat annos Societatis 64. ex his tres supra quadraginta vixit in domo Professa nostris ministeriis indefessam navans operam. Insigni charitate rem gessit, cùm pestis an. 1569. Ulyssiponem complevit funeribus. Ob sapientiam & præclaras virtutes eum sibi voluit Confessarium Georgius Almeida Ulyssiponensis Archiepiscopus. Monito Emmanuelis permotus vir pius donavit quinquaginta millia Cruciatorum Domui Misericordiæ ad sustentandos ægrotos, quos ex re dicunt incurabiles. Alia centum Cruciatorum millia ab aliis eidem domui procuravit. Religiosam paupertatem, tametsi ditaret alios, sic dilexit, ut præter Crucem ligneam habuerit nihil.

P. Didacus Valentius inauguratur Episcopus. Introducitur Communio Generalis.

3. In templo Domûs ejusdem consecratur Japonensis Episcopus P. Didacus Valentius Ulyssiponensis. Rem solitâ peregit ceremoniâ Fernandus Martinius Mascarenius Episcopus Algarbiensis, & Inquisitor Generalis. Vel hoc anno, vel ex proximis aliquo, introducta est mensis cujusque Dominicâ quartâ Generalis, ùt vocant, communio in templo Domûs Professæ. Tantus ad obtinendas has indulgentias concursus initio fuit, ut eâ die unoquoque mense septendecim, vel octodecim millibus personarum distributus sit Angelorum panis. Temporum vicissitudine, impetratis ejusmodi indulgentiis pro aliis Ulyssipone solemnitatibus, minutus est concursus ille ad domum Professam, populo diviso in alias, atque alias ædes sacras.

Obeunt P. Emmanuel Costa, & Franciscus Fernandius.

4. In Collegio Ulyssiponensi 30. Martii phthisi confectus est P. Emmanuel Costa, ætatis anno trigesimo tertio. Concedentibus Superioribus si vellet abire in domum paternam, votis religiosis solutus, ut liberiùs valetudini consuleret; respondit, à se non præponi vitam Societati. Diuturno in morbo maximè curavit nemini molestiam afferre. Dum per vires licuit, tempus insumpsit audiendo poenitentes. Ibidem finem laborum fecit 12. Januarii Franciscus Fernandius Coadjutor, anno ætatis septuagesimo secundo, Societatis altero & quinquagesimo, natus Souzelii dioecesis Eborensis. Antiqui vir moris spirabat dictis ac factis virtutem. Multum illi cum DEO commercium, perennes inter orandum lacrymæ.

Mors Philippæ Sa Comitis Linariensis.

5. His adjungo suavem obitum Illustrissimæ Dominæ Philippæ de Sa Comitis Linariensis, templi nostri Collegii Fundatricis. Vitam efflavit 2. Septembris in Telleiris ab Ulyssipone unâ leucâ dissitis. Assederunt Nostri cum ægrotanti, tum morienti. Sanctissimis vixit ornata moribus. Post solis occasum cadaver in lectica portatum ad templum Domûs Professæ, hinc, inde plurimis sacerdotibus ac Dynastis comitantibus, facésque accensas gestantibus. Ibant

omnes

omnes equis sublimes. Die sequenti sacrorum duo millia Ulyssipone facta sunt pro ejus anima. Post meridiem, quantâ potuit, funebri pompâ elatum cadaver ad templum vetus nostri Collegii, exequiis rite celebratis, locatum est pone maximam aram. Inde, structo jam novo templo, cujus est fundatrix, translata sunt ossa ad egregium Mausoleum ex politissimo marmore in sacello majori ad latus Evangelii.

6. Iter ad Indiam ingressi sunt unus & triginta, novendecim Lusitani, cæteri diversarum gentium. Ex iis Hiacynthus Franciscus Mediolanensis, & Ægidius Abreus Lusitanus, martyrio vitam profuderunt. Navem à S. Mauro dictam cum majori parte conscendit Episcopus Didacus Valentius; penè sexennio rexerat domum Villavissosanam, gratiosissimus Duci Brigantino, qui suis expensis sustinuit navigationis sumptum pro Episcopo. Didacus annis labentibus Macai obiit regens Ecclesiam Sinensem. Navem prætoriam conscendit P. Nicolaus Trigaucius, qui venerat Procurator è Sina. Aprilis decimâ sextâ vela solverunt. *Profecti ad Indiam.*

7. Ad Residentiam Capitis viridis missus est Nicolaus Fernandius Coadjutor. Secum tulit Crucifixum, quem dixit illummet fuisse, quem lapsum in undas cancer ad littus retulit inter chelas D. Xaverio. Solutâ Residentiâ Capitis viridis, effigies illa missa Conimbricam, conservatur inter Reliquias Sanctorum. Unde socius ille rem tam pretiosam habuerit, quis dixerit Xaverii fuisse Crucifixum, quem cancer ex mari tulerat, nec declaravit ipse, nec interrogavit quisquam. P. Antonius Diasius testatus est habitum in ea existimatione cum cæteris Sanctorum Reliquiis ab illa Domo possessis, illúcque portatum ab Nicolao. *Ad Residentiam Capitis viridis it Nicolaus Fernandius.*

8. Conimbricæ duo sacerdotes cum uno Coadjutore letho cesserunt. P. Gaspar Alphonsus Serpensis: mansuetiores litteras quinquennio, morales novennio docuit. Anno 1596. Indiam petens toleravit immensos errores, ut suo loco est relatum. Exactissimus erat in piis exercitiis obeundis. P. Balthasar Joannes Conimbricensis ad nos venit sacerdos: dum super caput S. Parentis Ignatii depingit radios, senserat intus moneri se, ut sociis ejusdem aggregetur: paret vocanti Deo, & religiosè vivit, ac moritur 12. Julii. Basilius Franciscus Coadjutor, natus in pago S. Martini de Mauris in diœcesi Lamecensi, nunquam indulsit corpori suo, at castigabat jejuniis, & ciliciis. Ante socios, & ortum solem de lecto surgebat ad explendum orationis pensum, ne ob superventuras occupationes negligeret: summopere coluit religiosam paupertatem. Sexdecim, qui de novo militiæ nostræ adscripti sunt, virtutibus fulsit splendidissimis Emmanuel Henriquius arte pingendi insignis. *Mortui, & ingressi Conimbricæ.*

9. Non obeunda silentio mors Domini Vasci Sousæ Conimbricensis Academiæ Rectoris. Magistratum inierat Martio hujus anni, 25. Junii de vivis exiit. Postulabat in templo nostro sepeliri, quod illi concessum ob singularem in nos benevolentiam. Erat Consanguineus nostri Michaëlis Sousæ viri sanctissimi. Casu ad Rectorem Academiæ tumulandum aperta est ea sepultura, in qua humatus fuerat ejus patruus P. Michaël Sousa. Illud notatu dignum, Vascum è Rectoribus Academiæ primum fuisse, qui in eo Magistratu obiit; & Michaëlem Sousam similiter in Rectoratu nostri Collegii primum vitam clausisse. *Moritur Vascus Sousa primus Rector Academiæ Conimbricensis.*

10. Cùm Ven. P. Antonius Mascarenius hoc anno creatus esset secundùm Provincialis, & Collegium Conimbricense regeret celebratissimus vir P. Franciscus Mendossa, utrique, & rebus nostris molestiam non levem peperit P. Emmanuel Veiga Ulyssiponensis. Conimbricæ Societatem ingressus 8. Novembris an. 1598. Romæ studuerat Theologiæ: redux tradidit moralem scientiam Bracharæ. Præsenti anno promotus ad magisterium Theologiæ in Collegio Conimbricensi, ita se gessit, ut per eosdem, qui promoverant, sit ab eo magisterio remotus. Id ægrè tulit, reponi conatus per Octavium Collectorem Pontificis, usus patrocinio Cynthii Aldobrandini Sobrini Collectoris, qui in *Turbator.*

divi

divi Pauli Collegio degebat. Res ultrò, citròque agitata, jubente Collectore, ut restitueretur in cathedram, reluctantibus Societatis Moderatoribus; quibus visum cuncta mitiora, quàm tam fœdum admitti exemplum. Veiga sequenti anno dimissus è Societate tanquam rerum nostrarum perturbator. Postea in Transmontana provincia adeptus pinguem Abbatiam, aliáque sacerdotia, homo vanissimus Ulyssiponem obibat curru, stipatus famulis, pauperum patrimonio in eas consumpto vanitates. Certè palàm fecit, quàm indignus foret, qui vitam duceret in sancta JESU Societate.

Casus mirabilis.

11. Subnecto casum planè stupendum. Septembri mense infelicem animam exspuit Conimbricæ Franciscus Sylva, ortus parentibus Judæis, Judæus ipse, vetustæ legis cultor, sed Christianus fictus. Illi concessa sepultura in templo nostro. Quo tempore præmittebantur justa, solutus Caper è macello Academiæ, quod est prope Collegium, profugit veloci cursu in templum nostrum, & accedens apertæ sepulturæ horrendùm blaterat, atque in sepulturam alvum & vesicam exonerat. Circumstantes insolitum aliquid ex re insueta ominati, post justa terræ mandârunt. Contigit annis sequentibus, ut Quæsitores sacri repererint, hominem Mosaicam legem professum, in eâdem crepuisse. Idcirco exhumata sunt ossa, & igni tradita.

Moritur Balthasar Diasius.

12. Eboræ supremum vitæ diem morte confecit Balthasar Diasius Coadjutor, Bracharensis, pharmacopæus insignis, septuagenario major. Consumente Ulyssiponem pestilentiâ anno 1569. indefessam navavit operam. Cum Sebastiano Rege in Africam transfretans, captus à Mauris servivit durissimam servitutem. Redditus Lusitaniæ, jussu Philippi Regis cum P. Hieronymo Rodericio adivit Hierosolymas, ùt suo loco dictum. Præcellebat in eo cum in nostros, tum exteros ardens charitas. Medicamentis juvabat pauperes. Ajebat officinam eò magìs esse quæstuosam, quò liberalior egenis succurreret. Quoties misit ad transmarinas regiones pharmaca, vel rem aliam, posuit intra capsam aliquid Reliquiarum, quas attulerat Hierosolymis, nullam ex capsis deperdi dictitans. Nec Deus vanam sivit esse Balthasaris fidem. In ejus vita typis excusa uberiùs virtutes prosequor.

Moritur Franciscus Gonsalvius.

13. Septimâ die Maji Ovarii, pergens ad Portuense Collegium, vitæ terminum invenit correptus apoplexiâ Franciscus Gonsalvius Coadjutor in Castella natus, adjunctus Societati in Lusitania, præditus moribus innocentissimis. Erga pauperes vix alius fuit charitatis flagrantioris. Secum loquens inquiebat: *Hi sunt dii tui Francisce:* Christi pauperes intellexit. Jacet consepultus in oppido prædicto.

Sodalitates erectæ.

14. Excursiones sacræ in diversis Collegiis factæ sunt. Portalegriæ Sodalitas scholasticorum instituta. Funchali pro scholasticis erecta Sodalitas B. Virginis à Luce; alia ibidem pro mercatoribus sub patrocinio B. Virginis de populo: utraque templum nostrum magno splendore exornat.

Hieron. Azevedus Indiæ Prorex.

15. Ulyssiponem hoc anno pervenit navis Indica adducto Hieronymo Azevedo, fratre venerabilis P. Ignatii Azevedi Martyris. Egerat Indiæ ProRegem: Imperio Lusitano adjecit Ceilanum insulam. Ex ipsa nave deductus in vincula, rebus omnibus spoliatus vir locupletissimus, reliquam vitam traduxit in costodia. Victum præbuit nostra Societas cùm in memoriam venerandi fratris, tum quòd in gubernio suo benevolus erga nos fuerit. Post mortem sepelivimus in sacro apodyterio templi domûs Professæ. In summa rerum humanarum necessitate & miseria præter nostræ Societatis charitatem alia non habuit subsidia ante, & post mortem. Innocens, an nocens sit tot ærumnas perpessus, meum non est judicare. Certè ejus facta bellica laudem immodicam promerentur.

An-

Annus 1619. Soc. 80.

I.

Cum expensis & industriis Laurentii Lombardi paratum jam esset ædificium, & habitatio commoda pro tironibus Ulysipone, visum est Majoribus, ut Conimbricâ & Eborâ tirones eò commigrarent, extinctâ in duobus Collegiis tironum educatione, quæ initium utrobique sumpserat vivente S. Ignatio. Ad novam dedicationem electa dies S. Antonio Ulysiponensi dicata. Pervenerant Eborâ tirones sex, Conimbricâ novem. Sacrum fecit in sacello domestico P. Antonius Mascarenius Provincialis, dispersit novis incolis Angelorum panem, deinde in rem habuit exhortationem. Auxerunt solemnitatem graviores Patres Domûs Professæ, & Collegii. Magister & Rector tironibus præficitur P. Antonius Moralius, qui tirones instruebat Conimbricæ. *Incipit habitari domus tironum Ulysipone.*

2. Non erat perfectum ædificium, sed in statu, quo nunc est. Habitatio accelerata, quòd timeretur, ne Rex venturus Ulysiponem juberet in ea domo hospitari militem. Cùm domus sit tenuiter dotata, hactenus (hoc est anno 1721.) non potuit ædificio addere supremam manum. Structura ampla & pulchra est, & veluti compendium Collegii Conimbricensis. Primâ die Novembris nova hæc Domus primitias Deo obtulit immaturâ morte sublatum Matthæum Amaralium tironem, natione Hybernum, adolescentem virtutis notæ, quam probavit, ùt ignis aurum, diuturnus morbus. *Moritur Matthæus Amaralius tiro.*

3. Vitæ religiosæ apud nos fundamenta jacere cœperunt, mense Februario in Domo Professa Franciscus Soarius, ad Granatensis distinctionem Lusitanum vocamus, patentes habuit è primaria Nobilitate. Eodem mense Conimbricæ Emmanuel Mascarenius, filius Marchionum Montalvensium. Uterque clarus litteris & sanctimoniâ. *Ingressi.*

4. Excurrêre plurimi tirones per Ulysiponensem diœcesim edocendo rudimenta fidei. Obvios nacti viros tres, qui nudatis ensibus, meditabantur pugnam; eos allocuti placaverunt, testatos amicitiam conditis ensibus, manibúsque datis. In itinere repererunt mendicum ex febre seminecem, amisso jam usu sensuum: ad aurem pronunciant actum contritionis. Interim præterit eques, ùt res ostendit, vir pius; rogant tirones, equo sinat imponi mendicabulum, ac in oppidum proximum deferri: promptè desilit: attollitur pauper, uno è tironibus præeunte, & fræno equum ducente; aliis, ne cadat, firmantibus. *Peregrinantur tirones.*

5. In Bracharensi Collegio 7. Augusti fatis perfunctus est P. Antonius Marquius Portuensis, tria vota solemniter professus. Vixit in Societate annis quinquaginta: septendecim docuit litteras Latinas, & morales. Assiduus fuit in audiendis pœnitentibus. Ad morientes vocatum quocunque tempore obedientia semper paratissimum reperit. Paupertatis religiosæ amantissimum noverunt omnes. Delicata conscientia plurimùm est ab scrupulis perpessa. Diuturno purificatus morbo manifestas fecit egregias virtutes. *Moritur P. Antonius Marquius.*

6. Ibidem 10. Novembris vitam edidit Antonius Diasius Coadjutor, quinquagenario major. Invaletudines tolerabat summâ patientiâ, nec ob eas à laboribus abstinuerat. Majoribus parebat exactissimè. Ejus virtus adornabatur quâdam sanctâ & amabili sinceritate. Octavâ Decembris idem Collegium perdidit alterum Antonium Diasium, etiam Coadjutorem, natum Meiamfrii diœcesis Portuensis. Addictissimus erat obsequiis magnæ Matris, author Sodalitatis Virginis à Regibus dictæ in Bracharensi Collegio. Ab Archiepiscopo Castrio magni fiebat, à quo sæpe nummos retulit, ut egenis largiretur. Nec verbum, nec factum in eo locii notabant, quod possent arguere levis culpæ. Magna illi cum DEO familiaritas, & omnigenum virtutum studium. Morte impendente nemo quietior, hilarior nemo, tanquam qui nihil cuperet avidiùs, *Moritur Antonius Diasius.* *Moritur alter Antonius Diasius.*

quàm mori. Postulavit à magna matre die illius Conceptionis obire, & impetravit.

Archiepiscopus Bracharensis excipitur. 7. Alphonsus Furtadus Mendoffa novus Bracharensis Archiepiscopus magno à nostris scholis plausu excipitur; nam venientem ad Templum scholastici de theatris consalutârunt carminibus. Mox dicta panegyris. Dein singuli Magistri in Gymnasiis adeuntem collaudârunt. Tragædia de Absalone plausum coronavit.

Franciscus Xaverius beatificatur. 8. Vigesima quinta Octobris dies illuxit Societati nostræ faustissima; in ea Paulus V. Pontifex Maximus recensuit inter Beatos Cœlites nostrum Franciscum Xaverium. Quæ lætitia singulariter Lusitanum affecit Nationem, quòd in ejus ditione Xaverianæ exuviæ conserventur.

Mors P. Didaci Brandani. 9. In Domo Professa Ulyssiponensi duo multæ virtutis & authoritatis sacerdotes è corporis ergastulo soluti sunt. Octobris 29. P. Didacus Brandanus Ulyssiponensis. Sacerdos jam quadragenario major, nobilis, ac locuples se tradidit Societati, ac sua bona donavit Japonensi Provinciæ, inter ea prædium Carcaveliense non longè ab ostio Tagi. Litteræ Nostrorum de rebus Ecclesiæ Japonensis, quas volutabat, eum permovêre. Multis excultus virtutibus, patientiâ cumprimis in podagræ importunæ doloribus, totum se ad voluntatis divinæ placita conformabat. Ad postremum anhelitum verba sanctissima pronunciavit.

Mors P. Francisci Pereira. 10. P. Didacum secutus est 16. Novembris P. Franciscus Pereira, natus Britiandii in diœcesi Lamecensi. Professus Eboræ Theologiam singularis Magistri famâ, ibidem Doctoris laureâ condecoratur. In rebus momenti maximi, eum frequenter Rex, & Ministri consuluêre. Comitatus est Archiepiscopos Eborensem, ac Bracharensem, & Martinum Gonsalvium Cameram, adeuntes Regis curiam, ad retundendas Hebræorum preces pro obtinenda commissorum venia. Rexit Professam Domum Ulyssiponensem, dein totam Provinciam: summopere studebat subditos suos consolari: nunquam usus artificiis aut fictionibus, sed nudâ veritate. Si quis externus habens in Societate sanguine junctum ope egebat, libens favit datis eleemosynis ad vitam tolerandam. Ipse cibi parcissimus accumbebat mensæ modestiâ prorsus spectabili. Ter adivit Romam; bis ad universi Ordinis comitia, semel electus Procurator. Ter quoque impetitus paralysi tandem succubuit. Collector Pontificius, Prorex, Inquisitor Generalis, Archiepiscopus, & Magnates Regni significârunt non potuisse Societatem per id tempus majorem hâc morte pati jacturam. Ut sapientiæ Oraculum omnes venerabantur. Vita ipsius typis vulgata est.

Conventus Provinciæ, & res domûs Professæ. 11. Mense Aprili in eadem Domo habitus est Provinciæ Conventus, Præside P. Antonio Mascarenio. Missus Romam Procurator P. Antonius Castelbrancus. Sacrum templi apodyterium, seu vestiarium exornatum arcis ex ebeno, aliisque lignis pretiosis ebore distinctis, picturis & tabulis facta Beatorum Patrum Ignatii & Francisci Xaverii referentibus. Concursus populi Dominicis quartis ad communionem Generalem haud minor erat anno superiore. Floribus, odoribus, ac cæteris sanctarum animarum illiciis per eos dies nitebat templum.

12. Occasione piissimi simulacri Domini JESU mortui anno proximo devecti Matrito, solemnitas de descensu ex Cruce hebdomadæ majoris feriâ sextâ est instituta. Necessum fuit novæ solemnitatis causâ amovere tabulam Eucharistici symposii. Quod fuerat exequendum horis tribus. Vocati sunt opifices nonnulli; adfuit inter eos unus, qui summo silentio incubuit operi. Putabant externi domesticum esse; nostri verò externum opinabantur. Cùm aliquid cibi reficiendis viribus sumeretur, ille visus non est. Dum reditum est ad laborem, ipse jam manum applicuerat. Re perfectâ non ampliùs conspectus est. Quid illo factum fuerit, quæsivêre externi è nostris, nostri de externis. Occurrit Dominum misisse Angelum suum, ut eâ curâ ostenderet, quàm sibi cha-

charum foret illud opus. Sextis per Quadragesimam feriis ter complebatur templum ad verberationem, ter facta exhortatio ad commovendos animos.

13. Rex Philippus hoc anno venit in Lusitaniam debitis undequaque plausibus exceptus. Majo mense ingressus Eboram decimâ sextâ horis pomeridianis adiit Collegium nostrum & Academiam, agmine spectabili eum deducente cum Professorum, tum Doctorum, & scholasticorum. Gradu condecoratos sua nobilitabant insignia. Templum ingredientem consalutârunt sub angelorum specie selecti pueri. Deinde progrediens ad aulam Academicam audivit panegyrim dictam ab Alphonso Mendio divinarum litterarum Professore. Mox Philosophicæ theses propugnatæ. Munus arguentis honorarium Rex perhumanè accepit, illitas odore chirothecas. Interim pro more Academico sedere jussit operto capite laureatos. Excedens aulâ in Academico peristylio spectavit drama cultissimum. Postremò Collegium totum perlustravit tanquam insigne monumentum proavunculi sui Henrici. Rex Philippus ab Academia Eborensi excipitur. Vasconcel. in exped. Philip. pi II. pag. 567.

14. Quamvis Ulyssipone, ut in urbe regia divitiis inundante, Regis adventus artificiis & machinis admirandis sit concelebratus; omnium, ipsius etiam Regis sententiâ, nihil æquavit pompam tragicomædiæ ab scholasticis nostris theatro datæ. Argumentum præbuit Rex Emmanuel Indiam armis Imperio suo adjungens. Tot adamantes, gemmæ, ac pretiosi lapilli actores singulos exornârunt, ut appareret omnem Indiam uniones, quibus abundat, communicâsse Ulyssiponi, ut applauderet Regi suo. Biduum huic spectaculo datum, avidissimis semper Rege, ac spectatoribus. Author fuit operis P. Antonius Sousa Amarantensis Rhetoricæ primarius Professor. Integrum volumen in lucem editum rei magnificentiam tradidit posteritati. Tragicomædia Ulyssipone.

15. Ante postremam diem Julii Domum Professam Rex inviserat unà cum Principibus, qui dignati fuère vesci paratis cupediis, domum omnem & septum contemplari, singularibus benevolentiæ indiciis. Ultimâ die Julii interfuère solemnitati B. Protoparentis Ignatii; licèt Rex valetudinem tentari persentisceret, noluit tamen præsentiâ suâ carere celebritatem. Rex invisit Domum Professam.

16. Sex tantùm moverunt in Indiam, tres Lusitani, & totidem Itali. Ad Brasiliam decem cum P. Henrico Gomio, qui Procurator inde venerat: præter Joannem Hermen Amburgensem pictorem, cæteri Lusitani erant. Eodem anno, sed aliâ opportunitate ad Brasilos navigârunt terni, P. Paulus Carvalius Eborensis Doctor Theologus, & in Eborensi Academia Professor sacræ Theologiæ, vir sapientissimus, qui contemptis Academicis splendoribus sese devovit animarum saluti. P. Benedictus Amadeus Siculus, qui ex Brasilia transiit in Maranoniam. P. Fabius Moyus Neapolitanus, postea missus ad Paraguayum in America Castellana. Profecti ad Indiam, & Brasiliam.

17. In Ulyssiponensi Collegio secundâ die Septembris spiritum efflavit P. Petrus Simonius, natus Mortaguæ diœcesis Conimbricensis. Moralem scientiam in scholis illius Collegii professus est. Inter alias virtutes præcelluit obedientia. Inde factum, ut senectutis vitio deperdito mentis usu, si quid juberetur, aperto protinus capite sine mora pareret. P. Petri commodis invigilando Emmanuel Semedus Coadjutor, contraxit acutissimam febrim, ex qua præmortuus est 17. Augusti. Nizæ in diœcesi Portalegrensi primam hausit auram. Militaverat annis pluribus; sed exosus vitæ periculosæ genus nostram delegit Societatem, in ea vixit quinquennio. Obeunt P. Petrus Simonius, & Emmanuel Semedus.

18. In Insula Madeirensi crescebat indies cultus B. P. Ignatii: multiplicatis favoribus cumulavit insulanos. Permoti cives tot beneficiis in urbis Funchalis paræcia instituêre Sodalitatem divo Ignatio dicatam. Sodales B. Virginis de Populo in templo nostro acceperunt Ulysipone B. Matris statuam ligneam, affabrè sculptam: existimatur prima, quæ de ligno sit facta juxta picturam B. Virginis à divo Luca exaratam: Magnâ pompâ devecta ex ædicula sacra Virginis de Callao, nostro infertur templo. Etiam Sodalitium scholasticorum habuit Ulysipone simulacrum perelegans Virginis à Luce. E vetustis Gymnasiis Res Collegii Madeirensis.

fiis ad nova migratum: poëmatis, orationibus, aliôve scholastico plausu migratio celebrata.

Res Angolæ. 19. Angolana Residentia decem sustentabat, sex sacerdotes, reliquos Coadjutores. Per id temporis naves centum ex America Castellana & Lusitana quotannis ad emendos Nigros intrabant portum Loandensem. Infinitam mancipiorum multitudinem exportârunt. In tanta navium & commercii celebritate, & in regione parùm amica alienigenis crevit Nostrorum labor. Tum Albis, tum Nigris die, noctúque succurrebamus. Hactenus illic scholæ nullæ. Hoc anno Gaspar Alvarus Loandensis civis locupletissimus annuum largitus est reditum ad alendos quatuor Magistros, unum pro alphabetariis, duos pro Latinitate, quartum pro morali scientia. Magna inde oritura commoda omnes sibi promiserunt. Cùm deessent Grammaticæ præcepta, ea unius Patris charitas fuit, ut transscribendis singulis partibus Artis Grammaticæ improbum laborem impenderit.

Scholæ Angolanæ.

Missio ad Congum. 20. Anni septem supra viginti effluxerant, ex quo nulli Societatis excurrêre in Conganas regiones. Hoc anno, quòd propter bella Lusitanorum cum Angolano Rege non possent adire arces mediterraneas PP. Matthæus Cardozus, & Eduardus Vasæus, ad Congum sunt progressi. Multùm profuit Lusitanis illa peregrinatio, tum quia negotiantes apud eas gentes expiârunt conscientias; tum quia extincti timores belli inter Bambensem Ducem, ac Regem: id enim magnopere impediebat itinera; nec mancipia tutè deduci poterant Loandam.

21. Indigenis multam peperit utilitatem Patris Matthæi labor in Codice Christianæ doctrinæ (*Cartiliam* dicunt Lusitani) transferendo in linguam Congensem. Nam cùm primi presbyteri religiosi tempore Joannis Regis ejus nominis secundi cœperunt illas gentes gregi Christiano adjungere, docuêre sermone Latio Dominicam orationem, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, præcepta, & alia fidei capita. Perdiscebant miseri instar psitacorum. Patres tanquam per manus tradebant prolibus suis illas rusticæ & corruptissimæ Latinitatis cantilenas, quarum sensum omnes ignorârunt. Id factum initio, quòd Concionatores nescirent Congensem linguam, nec indigenæ Lusitanam. Modulantur jam pueri patrio sermone, quæ paulò antè pronunciabant Latinè. Rex ipse mirum in modum gavisus est prædictâ translatione: promisit daturum se locum ædificando Collegio Societatis, quod ille fundandum poposcerat. Decembri mense pervenerunt Loandam.

Acta Loandæ. 22. In hujus insulæ, quæ protenditur è regione urbis, cui nomen fecit, habitatoribus excolendis plurimùm est insudatum. Multis annis Nostri vices illic egerunt parochorum, cunctam eam gentem ex idololatria ad veram fidem traduxerant. Ut animarum cura presbyteris mandaretur, Societati est erepta, Negligentia cujusdam presbyteri, & quod nollet ibi sedem figere, miseram faciem mores induêre. Miserti sunt Patres: festis diebus unus eò transfretat, operatur sacris, docétque fidei mysteria. Nostro etiam suasu Insulæ Præfectus erexit novam ædem sacram; nam antiqua in dies singulos ruinam minabatur.

Annus 1620. Soc. 81.

I.

Celebratur Xaverii Beatificatio. SOlemnitas Patris Francisci Xaverii Beatis additi maximis plausibus per dies octo celebrata est. Id anno superiori fieri non poterat, cùm sub anni finem nuncius ad Lusitaniam pervenerit. Multis videbatur prudentius parcere magno sumptui, rémque servare ad postremam tum Ignatii, tum Xaverii sacràm apotheosim, quam postliminio futuram non dubitabant. Vicit tamen studium condecorandi Xaverium. Quid lætitiæ, plausûsque sit editum, typis in libro mandavit presbyter Didacus Marquius. Appendit poësim epico Carmine compositam à Francisco Macedo tunc in scholis nostris primario Rhetori-

cæ.

ces Professore. Graphicè describit ignium artificia, & reliquam celebritatem tam eleganter, ut vix in eo genere possit optari, quid cultius & exquisitius.

2. Indicas regiones petivêre duo duntaxat, Sebastianus Suarius, & Antonius Pereira, sacerdotes, ambo Lusitani. Ad Brasiliam pariter duo Siculi profecti, P. Leonardus Mercurius, & P. Josephus Costa. Profecti ad Indiam, & Brasiliam.

3. In Album tironum Societatis nostræ relati sunt duo supra quadraginta. Inter eos numerantur Benedictus Pereira Borbensis vir sapientissimus; Franciscus Marquius Bracharensis, in Æthiopia operarius insignis; & Petrus Cassuyus, Japonensis, Martyr in Japonia: quanquàm hic postremus Romæ ingressus, continuabat Ulyssipone tirocinium. Ingressi.

4. Ex patria sua Ulyssipone ad meliorem patriam commigràvit P. Emmanuel Lima, in Domo Professa 22. Februarii defunctus. Instruxit Conimbricæ & Eboræ tirones. Egit Rectorem Conimbricensis Collegii. Hæc munia gessit optimis virtutum exemplis. Subortus carbunculus causam præbuit sustinendis acerbissimis curationibus, quas invictâ tulit patientiâ. Alter P. Michaël Lemius pariter Ulyssiponensis eodem quoque malo correptus cecidit 11. Febr. dum peste contactis serviret, victima factus charitatis. Nec ultrà vagata est pestis. Mors P. Emman. Limæ. Mors P. Michaëlis Lemii.

5. Inter alias missiones commemorari meretur, quam habuit Visonii P. Didacus Monteirus heros apud nos insignium virtutum. Rogante Episcopo jam eò anno superiore concesserat. Didaci familiaritas Episcopi ipsius animum permutavit, reddiditque studiosum virtutum. Nam antequam uteretur is amicitiâ Monteiri, plus meminerat, quid virum nobilem, quàm quid Præsulem sacrum deceret: ideo non abstinebat à sæculari vanitate curruum, & comitatûs ad pompam adornati. Jam verò non quod oblectamento carnis deservit, respicere, sed divinis se tradere commentationibus, & corpus macerare; unà cum domesticis artus suos flagro ferire. Non circumscriptus Monteiri fervor uno Episcopi palatio, magnos in urbe sermonibus suis civit animorum motus, plurimos inter se discordes copulavit, cæteráque Societatis nostræ ministeria quàm diligentissimè explevit. Missiones.

6. Novo Collegio est aucta Provincia in oppido Scalabitano prope Tagum eo loco, ubi quondam divæ Iriæ corpus Angeli sub undis condidêre marmoreo tumulo; inde mutatum oppido nomen, Lusitanis dicitur *Santarem*. P. Eduardus Costa, de quo scriptum suo loco, prædium Labrujense ad Tagi ripas, & alia bona donavit anno 1609. ut Scalabi fundaretur Collegium. Quòd si facultas nequiret obtineri, esset Generalis nostri bona sua domui, cui placeret, applicare. Usque in hunc annum laboratum est in expedienda Regis facultate, qui tandem, enixè id oppido postulante, concessit eâ conditione, ut teneremur Gymnasia Latinitatis aperire. Initium Scalabitani Collegii.

7. Missus ad faciendum fundationi initium P. Ludovicus Lobus frater Baronis Alvitensis, hospitatus in domo nostri Collegii Ulyssiponensis, adhærente sacello D. Antonii Abbatis ejusdem Collegii. Parùm ibi cum aliis substitit Ludovicus. Migravit ad ædes vicinas sacello divi Sebastiani, quod non multùm distat à nostro Collegio. Illic sumus commorati, donec Rex Joannes IV. Lusitanæ libertatis assertor Societati dedit ad erigendum Collegium palatium Scalabitanum. Idcirco dicatur Virginis intemeratæ Conceptioni, ut infra referemus. Habet duo Latinitatis Gymnasia, duo scientiæ moralis & Philosophiæ; quanquam principio solùm prima duo sunt aperta.

8. In Collegio Ulyssiponensi B. P. Ignatii pœnitentis Sodalitas est instituta, & firmata sanctissimis legibus, authore Ven. P. Antonio Mascarenio. Ex eo Collegio diversis temporibus communicata aliis atque aliis Sociorum domiciliis. Prima Sodalitas P. Ignatii pœnitentis.

9. In Angola strenuè laborabatur. Duo nempe P. Eduardus Vasæus, & socius Coadjutor Benguelam adiêre: nonaginta leucis distat Loandâ. Milites Lusitani Benguelensis arcis præsidiarii per summam insolentiam exuerant Res Angolanæ.

præfecturâ Emmanuelem Cerveiram Pereiram, virum fortem, & in sui Regis proferenda ditione apud eos populos impigrum; bis enim illic gubernaverat omnem rem Lusitanam. Societati favit cum in Angola, tum Matriti. Conimbricæ quondam atramentario conjecto Prætorem regium perculserat, quòd malè de nostra Societate loqueretur. Hunc virum seditiosi spoliatum omnibus præter indumentum, quo tegebat corpus, lacero navigio impositum miserunt Loandam. Postquam est in terram expositus, navigium, premente sentinam aquæ vi, demersum est. Unde patuit, Deum viri causæ consuluisse, navi conservatâ, dum viam fecit.

10. Hominis vicem miseratus Rector, domi nostræ aluit, ob ejus in nos merita, & valetudini affectæ prospexit. Restitutus viribus egit cum Præfecto maximo de regressu in Benguelam. Cùm parùm faventem experiretur, ad Regem scripsit, demandantem Præfecto, daret Cerveiræ equitatum & peditatum, ut redditus Præfecturæ subigeret eos Nigros, & cuprifodinas vendicaret. Vix illi Præfectus concessit tirones sexaginta ex Lusitania recèns advectos. Rogat Cerveira Rectorem duos è nostris sibi dari viæ & laborum comites, confidere se per ipsos facilè lenitum præsidiarios arcis Benguelensis, & rem sine sanguine transactum iri.

11. Designati ad eam expeditionem P. Eduardus Vasæus, & Gonsalus Joannes Coadjutor. Ad Benguelam appulsi mense consumpto in iis nonaginta leucis superandis, quòd navigarent adversus aquarum impetus. Per Eduardum placati suo Præfecto arcis præsidiarii, & Præfectus ipsis: oblivioni sunt injuriæ commendatæ. Deinde Cerveira, navibus imposito milite, exploravit, ac reperit cuprifodinas. P. Eduardus ùt erat in lucrandis animis operarius indefessus nunquam sanis, morbidisve defuit, donec regressus est Loandam.

Annus 1621. Soc. 82.

1.

Opera nova in Domo Professa. Templum Domûs Professæ Ulyssiponensis nobilitavit sacellum SSS. Trinitatis ornatum versicolori lapide politissimo Româ advecto: per id tempus non erat Ulyssipone opus illius generis æque spectandum. Ædes ampla in Bibliothecam accommodata. Ampliatur sacellum domesticum B. Protoparenti Ignatio dicatum.

Mors P. Fernandi Borgii. 2. Eadem domus humavit 25. Martii P. Fernandum Borgium Coadjutorem spiritualem, natum Gonsali diœcesis Guardiensis. In audiendis pœnitentibus vix ullus fuit diligentior: non se recepit in cubiculum, dum circumsisteret aliquis, qui vellet animam explicare. Diuturno morbo plurimùm est probata Borgii patientia. Scopum sibi defigebat cum divina voluntate conformationem.

Obeunt Franciscus Campionius & Dominicus Ferreira. 3. Temporales Coadjutores duo Ulyssiponensi Collegio erepti morte sunt. Alter 11. Novembris Franciscus Campionius Italus Anconensis. Agebat præfectum vestiarii. Singulis feriis quintis sacro se pane roborabat, procurans, ut eidem epulo cæteri coadjutores accumberent. Multum illi cum Deo commercium, festis præcipuè diebus. Quoties Subminister de sustinenda publica pœnitentia admonebat, solitus est duplicem salutationem Angelicam recitare, unam pro Subministro, aliam pro Ministro. Charitas ejus amabatur ab omnibus. Alter Dominicus Ferreira 24. Novembris, natus Ribeirapenæ diœcesis Bracharensis, vixit moribus inculpatis. Cùm nôsset honestam virginem periculo admittendi pudicitiam laborare, conquisitis eleemosynis imminentem ejus animæ & corpori jacturam avertit.

Profecti ad Paraguayum. 4. Mense Januario Ulyssipone ad Paraguayum iter auspicati sunt quà sacerdotes, quà nondum initiati viginti quatuor ex diversis Hispaniæ provinciis.
Mors August. Lopii. Unus in Collegio nostro vitæ finem invenit, qui Compluto venerat, Augustinus Lo-

Lopius Codassus. Maximo illi fuit solatio mors in Societate, cui donaverat ex paterna hæreditate decem cruciatorum millia.

5. Cum Prorege Alphonso Noronio ad Indiam navem conscendêre PP. Petrus Morejonius Castellanus, Didacus Lopius, & Hieronymus Lobus, Lusitani, in altum provecti die 29. Aprilis. Inter Tenarifen insulam, & oram continentis Africæ cœperunt morbis tentari. Trimestri ferè luctati sunt incassùm ad æquatorem superandum. Premente multitudinem atrocitate morborum, corruptis etiam alimentis, vertêre proram Ulyssiponem, cujus portum subiêrunt Octobris septimâ die. *Profecti ad Indiam.*

6. Sodalitium divi Antonii Abbatis, permoti rationibus, quas explicatas non comperi, reliquimus in templo Collegii veteris apud PP. Eremitas divi Augustini, dum migrâssemus ad Collegium novum. Instanter Sodales adnixi fuerant transferre ad templum nostrum sui Divi sodalitium, id semper Collegio recusante. Tandem illis indultum sub conditione, ut singulis mensibus per homologesim eluerent animas, audirent exhortationem, & sorte traherent SS. Tutelares menstruos pro more Societatis. Jis legibus facta mutatio. *Sodalitas divi Antonii Abbatis.*

7. Novis Theologiæ cathedris crevit Athenæum Ulyssiponense. Duo designati Professores, quorum unus fuit P. Michaël Tinocus Elvensis, alter Didacus Pereira Portuensis. Theologiam, seu de Deo loquendi modum, induxêre tirones nostri. Dum in scapha per Tagum navigant, miscuerunt vectores sermonem parùm honestum: frænum verborum licentiæ injecturi tirones Litanias B. Virginis occipiunt altâ voce concinere; extemplò cuncti vectores alternis respondent vocibus, priorum sermonum obliti. Factâ in terram excensione, in nosocomio hospitantur: concubiâ nocte pauperes in vicino cubiculo de rebus spurcis cœperunt confabulari: hìc tirones scuticâ sumptâ sua corpora conscribunt; audito verberum sonitu, verborum quoque cacoëthes desiit. *Cathedræ Theologicæ Ulyssipone. Peregrinatio tironum.*

8. Conimbricæ quatuor de medio sublati sunt. 13. Januarii Ambrosius Luisius Coadjutor prope Alcobassam natus, laboris amantissimus, ut in sudore vultûs sui panem sumeret. Vota religiosa scripta è collo suspendit, ut ad exactam eorum observantiam commoneretur. Eiusdem mensis die 19. Gonsalus Alvarus Coadjutor septuagenario major, vir candidus, summè propensus ad sermones de Deo, ac Deipara miscendos. Singulariter diligebat pauperes. Dixerat cumprimis, à se coli Divam unam, quam vocabat *Sanctam Communitatem.* Quo verbo Majores nostri significare sunt soliti, quantæ virtutis sit argumentum, ne latum quidem unguem ab ordine domestico recedere. Vigesimâ sextâ Aprilis P. Petrus Oliveira Coadjutor spiritualis ex diœcesi Lamecensi. Singulos intimâ charitate complexus est socios. Ne cui facesseret molestiam, morbos suos occultavit. Nulli mortalium unquam fuit offensioni. Decimâ sextâ Decembris Sylvester Rajolius coadjutor Italus Neapolitanus. Multus erat coram Eucharistia, quam sensibus tenerrimis venerabatur. Cultor silentii, solùm non fastidiebat locutionem cum Deo. Religiosæ observantiæ in se ac aliis habitus studiosissimus. In eodem Collegio Sacramentorum frequentia tanta fuit, præsertim quartis Dominicis, ut referatur singulis mensibus decem millia particularum accedentibus sacram mensam divisa esse. Quod nostro tempore vix credi potest. *Defuncti, & res Collegii Conimbricæ. Frequentia Sacramenti Eucharistiæ.*

9. Bracharæ 8. Junii vitæ finem attigit optimus senex P. Laurentius Paira Ulyssiponensis, septuagenario major, trium votorum solemniter Professus; gratiosus valde sancto Archiepiscopo Bartholomæo de Martyribus. Pluribus annis tradidit scientiam moralem. Divam Magdalenam arctâ devotione complexus, annis quattuordecim de ipsa verba fecit in sacello extra urbem structo, quò Bracharensis populus in angustis rebus frequens concurrit. Quanquam senex, & afflictâ valetudine, semper tamen cum cæteris de strato surrexit, & domûs disciplinæ se accommodavit. In rebus spectantibus ad observantiam nemo ipso scrupulosior, & exactior. *Moritur P. Laurentius Paira.*

10. Bri-

Moritur Antonius Gonsalvius. 10. Brigantii 16. Septembris octogenario major corporis custodiâ liberatus est Antonius Gonsalvius Coadjutor Interamnensis. Plurimi fecit gradum suum; licèt enim latinis litteris excultus esset, vilia domûs officia prælegit, atq; inde DEum sibi vitam longævam dixit indulsisse. Infensus otio, noctibus hybernis ante cænam adibat horreum, & triticum purgabat. Nec de victu, nec de vestitu solicitum vidit quispiam. Præscivit diem mortis suæ. Ad postremum anhelitum usque piissima cum DEO locutus est.

Res Eborensis Collegii. 11. Eborenses socios non parùm febribus exercuit misericos DEus. In Castellæ confinibus dominabatur morbi genus affine pesti. Inde in Lusitaniam irrepsit, affixítque Eboram. Cùm Nostri periclitantibus succurrerent assiduè, domum secum traxêre idem malum; quod per socios grassatum multos sustulit è vita.

Moritur P. Leo Henricius. 12. Omnem Provinciam afflixit obitus sanctissimi Leonis Henricii Consanguinei alterius ejusdem nominis, qui Cardinali Regi fuerat à confessionibus. Vivis adnumeratus est Alcacevæ in Eborensi diœcesi, parentibus progenitus ejus oppidi dominis, ac dynastis. Tradidit Eboræ Philosophiam, ac moralem scientiam, cujus Professorem cùm egisset decennio, gradu Doctoris est insignitus. Unicus, quòd sciam, fuit eo honore donatus in magisterio scientiæ moralis. Antequam iniret Societatem, laxantem animum in horto specie pulcherrimæ puellæ malus dæmon invitavit ap turpia; horruit, ac profugit ad famulos suos, qui nudatis ensibus accurrêre ad locum, unde fugâ se sustulerat Henricius. Invento nemine, insidias stygii Alastoris fuisse non dubitatum.

13. Explicari nequit, quantus fuerit in exercendis nostræ Societatis ministeriis. Plurimas obivit missiones. In exponenda populo ac pueris sacra doctrina invisendis carceribus, & miseriis sublevandis extitit diligentissimus. Suam nobilitatem flocci pependit. Nec pluris corpus suum, quod flagris, aliisque castigationibus torsit. Sæpe visus est per medium forum Eborense portare suis humeris stragula, lodices, storeas, & ejusmodi ad Christi pauperes in carcere defendendos ab injuriis temporum.

14. Viro uxorem deserenti, ac fugienti in Castellam, quòd negaretur dos promissa, apparens in itinere Henricius, domum regredi imperavit, ipse factâ recuperandi dotem. Auscultat, Henricius evanuit de conspectu. Reversus Eboram quæsivit Henricium, qui rem ad votum afflicti composuit. Divinitus noverat Alcacevæ honesto loco natum virum extremâ rerum indigentiâ laborare; ad fratrem suum scribit, oppidano succurreret. Protinus ad se vocat, & benevolè reprehendit, quòd Henricium, non se, fecisset necessitatis certiorem. Stupet vir, fatetúrque ingenuè, nemini mortalium se angustias suas aperuisse. Duodecima Novembris ei vitæ ultima fuit. Henricii vitam scripsi, typísque edidi in opere de domicilio tironum Eboræ.

Moritur P. Benedictus Gouvea. 15. Ibidem 17. Novembris spirare cessavit P. Benedictus Gouvea Anrensis, primarius Theologiæ Professor, ac Doctor Theologus. Magnus ille omnium laudator, suarúmque rerum contemptor eximius. Omnia illius verba præferebant modestiam, ac profundam demissionem. P. Antonius Ferreira, natus in oppido de S. Comba diœcesis Conimbricensis, cœperat profiteri Theologiam. Ajebat suas delicias esse cubiculum suum. Fugit familiaritates cum externis tanquam rem viris religiosis inutilem. Litteras à Consanguineis missas à se cum fastidio rejecerat. Exactissimè suis majoribus auscultabat, etiam mentem turbante phrenesi. Decimâ Novembris correptus apoplexiâ P. Sebastianus Machiadus Serpensis, excolendis virtutibus impensè studuerat. Meruit fieri certior de genere mortis suæ, quod amico aperuit, adjecitque duplici de causa sibi id genus mortis esse charum, quòd crebrò adiret Confessarii pedes, & quod sociis diuturno morbo non afferret molestiam.

Moritur P. Antonius Ferreira.

Moritur P. Sebastianus Machiadus.

Moritur P. Balthasar de Ponte. 16. Ex Madeirensi Collegio die 9. Novembris in Domum æternitatis festinavit P. Balthasar de Ponte, Coadjutor spiritualis, natus Arronchii diœcesis Portalegrensis. Annos triginta vixit in ea domo vel Ministri, vel Procuratoris mu-

munio functus, omnibus exemplo. Non sinebat vel minimos defectus in religiosa paupertate subrepere. Etiam fessum & attenuatum corpus castigavit flagello, & aspero cilicio, quo reperêre cinctum, cùm vi morbi perculsum intulerunt lecto. DEum enixe rogaverat, citò de vita rapi; vix perstitit horis sexdecim vivus post mali impetum.

17. Festinatior contigit in Angrensi Collegio mors Gasparis Monteiri Coadjutoris Lousamensis. Undecimâ Novembris surgens manè ante socios, invisit, ùt solebat, Eucharistiam ex abside templi: tum flagellavit corpus: finitâ horâ matutinæ orationis adiit septum, illic subitaneæ mortis insultu decessit, repertus flexis genibus inclinatus in faciem. Ejus erga omnes charitas, & nota vitæ sanctimonia non reliquêre tristitiæ locum ob mortem repentinam.

Moritur Gaspar Monteirus.

18. Hoc anno gubernacula Provinciæ capessivit P. Petrus Novasius, consanguineus P. Simonis Rodericii, vir æquè religiosus, ac doctus. Tradiderat Eboræ Theologiam præcellentis Magistri nomine. At regnum gubernare desiit pridie calendas Apriles Serenissimus Rex Philippus Hispaniæ tertius ejus nominis, Lusitaniæ secundus, ætatis anno tertio & quadragesimo. Vixit, & obiit religiosissimè; successorem nactus Philippum IV.

Novus Provincialis. *Moritur Rex Philippus III.*

Annus 1622. Soc. 83.

1.

DUm in Domo Professa Conventus Provinciæ haberetur, Procuratore electo P. Antonio Abreo Ulyssiponensi Præposito, 14. Aprilis adest nuncius de re expectatissima, & Societati nostræ gloriosissima, SS. Ignatium, & Franciscum Xaverium 12. Martii donatos esse apotheosi solennissimâ per summum Pontificem Gregorium XV. Ex eis, qui in promovendo tanti momenti negotio navam impenderunt operam, inter præcipuos unus fuit P. Nonius Mascarenius Lusitanus Assistens. Ob nobilitatem, virtutem, ac prudentiam, magnæ erat authoritatis in Romana Curia, & coram Pontifice, ejúsque nepote Cardinali Ludovisio. Pretiosissimam suppellectilem, quâ in hac solemnitate Pontifex usus, dono misit Bononiæ urbis templo maximo, ubi egerat Archiepiscopum: sibi unicè reservavit aureum calicem, quem dederat in honorem S. Xaverii Lusitana Societas, qui postea ab Eminentissimo Ludovisio nostræ domui Professæ Romanæ donatus fuit, ibique servatur.

Conventus Provinciæ. *Apotheosis SS. Ignatii, & Xaverii.*

2. Quatuor sacrâ fecêre per universam Societatem sacerdotes, coronas totidem recitârunt alii socii pro Pontifice: pro Cardinali Ludovisio duo tantùm sacra, duásq; Virginis coronas. Faustissimum hoc nuncium nostros æquè ac exteros mirùm delectabat; & quamvis ejus vulgandi causâ plausus nonnulli excitati sint; celebritatis tamen solennior pompa ad mensem Julium est dilata. Quid in Provincia actum, refertur in libro ea de re typis vulgato.

3. Non silenda pietas unius incolæ domus Professæ. Jussit è ligno fieri nonnulla Xaverii simulacra, auróque oblini. Primum curavit locandum in templo præcipuo Villæfrancæ de Xira, alterum Alenquerii, tertium Turribus antiquis, quartum in templo monialium Chelensium prope Ulyssiponem. In his locis erectæ in honorem Divi Sodalitates. Extemplò cœpit divus Xaverius clientes suos cumulare beneficiis. Adeò nunquam sine fœnore colitur.

Devotio in S. Xaverium.

4. Ad Indiæ gentes cursum direxerunt quaterni sacerdotes. Petrus Morejonius, & Hieronymus Lobus, qui proximo anno reversi fuerant ex eodem itinere. Hieronymus Paiva Lusitanus, & Julianus Baldinotius Italus. Classem quinque navium regebat Comes Vidigueirensis novus Prorex; nam Alphonsus Noronius affectus tædio noluit iterare navigationem anno superiore infaustè susceptam. Ut erat Vidgueirensis vir in ea navigatione expertus, quòd jam gubernâsset Indiam, sic ursit profectionem, ut 18. Martii Classis sit egressa Tagum: usa ventis felicibus ad terræ Natalis, ùt vocant, maria; illic tempestatem perpessa. Fulmen è nubibus missum à summo malo prætoriæ plures gyros faci-

Profecti ad Indiam.

faciens, ad fotos descendit, ubi cursu ac recursu, ac multiplici gyro vagatum, leviter tantùm inustâ militis genâ, per fenestellam majoris tormenti prosiluit in mare. Visum per undarum superficiem colludens gyro instar equitantis, donec evanuit. Ad grates DEO persolvendas instituerunt supplicationem. Concionatus P. Lobus omnes admonuit, vitam corrigerent, posse redire DEI flagellum non vano sonitu, & terrore.

5. Res ipsa probavit. Non longè à portu Mossambiquiensi navigabant, cùm noctu conspiciunt accedere naves sex, tres Hollandicas, & totidem Anglicanas, quæ Lusitanam Classem præstolabantur. Die sequenti commissum prælium. Hostium conatus eò tendebant, ut tres Lusitanas fortissimas exuerent armamentis, ac redderent cursui faciendo inutiles. Quod illis haud difficile erat ob navium suarum celeritatem velociter accedentium ad tormenta displodenda, & recedentium ad vitandos ictus Lusitanarum. Hostilis prætoria dum propiùs Lusitanam accedit, ictu tormenti sic est percussa, ut paulò pòst vorata sit fluctibus.

6. Superveniente nocte prætoria Lusitana nudata rudentibus, & velamine, terræ illiditur. Subprætoria, & alia se parant ad sequentem diem. Hostis è conspectu abierat, nihil aliud propter accepta detrimenta cogitans, quàm navem hærentem vadis spoliare. Non favebat ventus. Dum pergunt ire ad portum, hæsêre inter cautes navigia duo, salvâ tantùm gente, & onere. Navibus aliis paratis, mense Octobri tenuit Prorex Cocinensem portum.

Profecti ad Brasiliam, Angolam, & Caput viride. 7. Ad Brasiliam transfretârunt quatuor sacerdotes Siculi, Antonius Bellaria, qui pœnitentes audiens Pernambuci ab Hollandis est occisus; Conradus Arricius, Antonius Fortius, & Franciscus Oliveira. In Angolam iêre duo sacerdotes Balthasar Ferreira, & Simon Aguiarius cum totidem Coadjutoribus Sebastiano Gonsalvio, & Emmanuele Rodericio. Ad Capitis viridis insulam missus Emmanuel Fernandius Coadjutor.

Obit P. Ludovicus Moralius. 8. Ex his tenebris in illam lucem excessit è Domo Professa Ulyssiponensi 14. Februarii P. Ludovicus Moralius Madeirensis, frater Sebastiani Moralii Episcopi Japonensis, & Antonii Moralii cæci, de quibus dictum suis locis. Docuit Philosophiam, & quæstiones de conscientia. Dotes in eo præclaræ ad conciones sacras. Obiit complures missiones. Sæpe Brigantinis Dynastis petentibus excurrit Villamvissosam, collegítque sui laboris non pœnitendos fructus. Comitabatur ad restim facinorosum, qui existimabat ab Inquisitoribus se retractum iri, si blasphema verba proferret: igitur in media turba effutire voces DEO, fidei, ac Sanctis ignominiosas. Hîc Moralius magno incensus ardore, in criminosum fortiter injectâ manu, *Tace*, inquit, *Monstrum informe ingens!* Territus miser insperato clamore, ac in se reversus detestatur scelera, & facti pœnitens laqueo collum inseruit. Moralius post morbum diuturnum patientissimè toleratum desiit vivere.

Obit P. Christoph. Gouvea. 9. Ibidem 13. Februarii P. Christophorus Gouvea Portuensis vitam sanctissimam cum morte invidenda permutavit octogenario major. Iniverat Societatem adhuc vivo S. Ignatio. Ejus parens Henricus Nunius S. Franciscum Borgiam excepit domi suæ, in qua factum initium Portuensi Collegio. Instruxit Eboræ & Conimbricæ tirones. Rexit Collegia Brigantinum, Ulyssiponense, Eborense, Domum Professam, Brasiliæ Provinciam, & Lusitanam, magnis utiq; Collegiorum incrementis; nam ædificia multùm promoverat. In magistratibus fuit idem omnibus, ornatus insigni charitate. In negotiis & rebus subditis sic nodos solvit, ut prudentiùs non fecisset re meditatâ, & consideratâ per otium. Moribus excellentissimis præditus anteibat subditis exemplo. Illius vita typis expressa circumfertur in opere de tironibus Eborensibus.

Obit P. Amator Rebellus. 10. In Ulyssiponensi Collegio 7. Maji corporis vincula relaxavit animus P. Amatoris Rebelli Mejanfriensis in Portuensi diœcesi. Olim legere, & formare characteres docuit Regem Sebastianum. Vir habitus antiqui candoris, sine fuco, sine dolo. Modestiam religiosam non semel antepoſuit vitæ. Nam cùm

pi-

pilum homo ignotus ipsi intentaret, stetit quietus, donec per juvenem sibi pariter non cognitum DEus periculum avertit. Aliud simile in ejus vita refero.

12. Eboræ 12. Julii suprema dies oppressit P. Antonium Vasconcellium Ulyssiponensem Nobilem. Parentes Bartholomæus Froyus, &. Soeira Vasconcellia, de qua memoratum anno 1611. maximis Societatem sibi obstrinxêre beneficiis. P. Antonius de suo auxit reditum domûs Probationis Ulyssiponensis. Rexit Residentias Farensem, & Portalegrensem, Portuense Collegium, & Eborense. Pulcherrimas in eo dotes pro sacro suggesto vidimus. Exornavit plurimùm Nationem Lusitanam, dum ederet in lucem Anacephalæoses Regum Lusitaniæ, eorúmque perfectas effigies, cum Regni descriptione. Postremis decem annis lecto affixus podagrâ ad vitandum otium duo volumina composuit de Angelo Custode, quæ sunt typis commissa. Obit P. Antonius Vasconcellius.

13. Jis, qui laboribus jam defuncti, subnecto operarios novos, qui ad laborandum in Societate recèns conscripti sunt. Duo & quadringinta censebantur: insigniores tres: Antonius Bandeira, natus Besteiri diœcesis Visensis, gradu Doctoris in Jure Civili laureatus, loco Professoris cathedram moderabatur. Andreas Fernandius Vianensis Transtaganus, Professor Theologiæ in Eborensi Academia, charissimus Principi Theodosio, Regibus Joanni IV. & Aloysiæ, quibus fuit à confessionibus. Ignatius Mascarenius filius matris Fernandi Martinii Mascarenii Inquisitoris Generalis. Ingressi.

14 Decimâ quartâ Octobris apertum est nobilissimum templum Collegii Portuensis: translata Venerabilis Eucharistia solemni pompâ. Minister Collegii P. Joannes Louseirus 16. Decembris mortuus primus fuit, qui novo in templo consepultus est. Anno 1627. ad idem templum portata Nostrorum ossa, quos humaverant in templo veteri. Aperitur templum Portuensis Collegii.

Annus 1623. Soc. 84.

1.

NOvo Collegio, seu potiùs nomine Collegii hoc anno crevit Provincia in Congo. Regnum est finitimum Angolæ Septentrionem versus. Capit initium paucis gradibus ab Æquatore in Austrum. Lusitanis compertum anno 1485. Romanam fidem amplexi Reges anno 1491. Rex dictus est Joannes, Regina Eleonora; quoniam hæc erant Lusitanis Regibus nomina. Primis Concionatoribus religiosis successêre sæculares presbyteri, litterarum rudes, & virtutis egeni homines. Propterea quidquid bonæ sementis in terram primi jecerant, per successores corruptum est. Accessit nationis conditio veneficiis, ac luxuriæ supra modum deditæ. Qui de religione doctiores reputabantur, memoriâ tenebant orationem Domini, salutationem Angelicam, & symbolum Apostolicum; recitabant officium divæ Virginis, quid tamen enunciarent, non assequebantur. Initium Collegii in Congo.

2. Exiguo fructu Nostri adiêre quondam illud regnum, ùt explicatum suis locis. Ex quo tamen Loandæ fixerunt sedem, studium semper fuit mansuræ domûs illic excitandæ, ut possent eam gentem excolere. Dum non erat reditus firmus, unde operarii possent ali, præsens annus fundationis occasionem obtulit.

3. Joannes Correa Sousa summus Angolæ Præfectus anno 1620. iniquum movit bellum Petro Regi Congensi. Cùm in belli Societatem Jagas invitâsset, viribus superior Congenses vicit, Jagisque humanæ carnis genti voracissimæ concessum vesci, & satiari carnibus Congensium; quod nulli ætati, aut sexui parcentes crudelissimè præstiterunt. Magni inde labores & timores orti cunctis, qui eo in regno negotiabantur, Lusitanis.

4. Rex Petrus censens eam vastitatem Congi natam ex corruptissima morum licentia, volente Deo ultore regni scelera permissis sceleribus punire, sibi persuasum habuit, solos homines Societatis posse Congensibus placare

Deum, ac Lusitanos. Igitur cùm in aciem suos eduxisset ad retundendos Lusitanos, qui post illud magnum prælium, in quo fudissent dynastas Bambensem, & Pembensem, hærebant regno: litteras dedit ad nostrum Rectorem Loandensem, ad se mitteret aliquos de Societate, ut in urbe regia erigerent stabilem domum. In eandem sententiam scripserunt Lusitani, qui in Regis erant exercitu.

5. Antequam Rex eas cogitationes concepisset, Deus mentem injecerat locupleti civi Gaspari Alvaro, ut Societatem ingrederetur, eique fundaret Collegium in Congo. Ad opus coronandum deerat solùm Regis voluntas. Cùm pervenerunt Regis litteræ, quin id Gaspar sciret, cœpit instanter petere ad Societatem admitti. Miratus est Rector utriusque voluntatem eodem tempore in rem eandem divinitus conspirâsse. Designavit extemplò PP. Matthæum Cardozum, & Michaëlem Alphonsum cum Antonio Sequeira Coadjutore ad ponendam fundationem.

Nostri pulsi ex Angola.

6. Rem in hunc modum dispositam turbavit Joannes Correa Sousa Lusitanæ ditionis summus Præfectus. Cùm non probâssent Nostri Congensis belli iniquitatem, irâ succensus in Collegium jussit P. Hieronymum Vogadum, Antonium Amaralium, & Matthæum Cardozum impositos teti pensili more regionis per mancipia comprehensos in navem portari, ac in Lusitaniam deferri. Eâdem iniquitate diligenter conquiri jusserat Gasparem Alvarum, ut securi subjiceret, quamvis sciret esse jam Societati conjunctum; cujus statuam latâ in eum sententiâ carnificis ferro supposuit.

7. Interim Eduardus Vasæus, & Gaspar Alvarus confugerant ad Pindam in ostio Zairi fluminis, ut nave conscensâ peterent Lusitaniam. Sed veniente Loandâ nave ambos acceptura, contigit, ut essent vocati à Domina Soniensi comite; triduo navis expectavit, cùm non accederent, vela solvit. Tum Rex Congensis eos invitavit in suam urbem, excepítque singularibus benevolentiæ signis. Cum ipsis de fundatione Collegii constitutum est.

8. Mense Octobri redierunt Loandam, quòd novus Præfectus pervenisset è Lusitania. Joannes Correa Sousa cunctis exosus, sine Regis imperio desertâ præfecturâ in Americam Castellanam navigârat, sed vectus Ulyssiponem obivit in carcetis squalore, quod illius scelera merebantur. Patres in Lusitaniam pulsi Protegem edocent hominis impietatem, & belli contra omne jus, fásq; insolentiam ab Christiano alienissimam. Porrò notum faciunt Regis Congensis animum in Lusitanos propensum. Harum rerum certior Philippus Rex benevolas scripsit litteras ad Congensem Regem, commendavítque novo Præfecto firmam cum Congensibus amicitiam.

Catechismus in lingua Congensi.

9. Illud commodi attulit profectio Patrum in Lusitaniam, quòd P. Cardozus typis mandârit libellum de Christiana doctrina, quem è Lusitana transtulerat in linguam Congensem. Augusto mense propinquârunt Loandæ nova operariorum subsidia, sacerdotes novem, Franciscus Getinus, Franciscus Suzana, Franciscus Baconius, Joannes Baptista Federicus, Itali; Antonius Machiadus, Franciscus Pereira, Dominicus Laurentius, Stephanus Rodericius, & Joannes Paiva, Lusitani. Tulêre patentes litteras ad P. Eduardum Vasæum, quibus præficiebatur Rector Collegio Loandensi.

Profecti ad Angolam.

Primi euntes ad fundandum Congi Collegium.

10. Ubi de Congo cum Gaspare Eduardus Loandam accessit, recentibus suppetiis animatus de nova fundatione cogitat. In Congum misit P. Michaëlem Alphonsum cum Antonio Sequeira, Coadjutore ad jacienda Collegii primordia. Excepti à Petro Rege, illiúsque dynastis maximæ benevolentiæ significationibus. Ipse designavit spatium ædificio. Verùm Ministri absentis Episcopi possessionem impedivêre, causantes Domini sui illud esse solum. Quamvis, rem indignam æstimans Rex, nollet à nobis locum deseri; precibus tamen nostris commotus situm alium elegit, ac donavit ad Societatis ministeria valde commodum. Extemplò cœptum ædificari tenue hospitium. Rex ipse sæpe aderat, ut suo conspectu urgeret operas. Simul explicabatur catechesis, confluente

fluente populo innumero. Rex necessaria præbuit ad victum, & ædificium. Hactenus de primordiis tenuissimi illius Collegii in urbe Salvatoris, quæ metropolis est, & Curia Regni Congensis. Infelicitas illius Cœli alienigenis pestiferi magnum exhibuit negotium Societati, dum non deseruimus stationem, ùt annis sequentibus exponetur.

11. Ad Indiam gloriosa cohors expedita est. Constabat tribus & viginti operariis Evangelicis, quindecim erant Lusitani, cæteri diversarum gentium. His adnumerabatur P. Petrus Cassiuyus Japonensis, quem sua patria intulit Cœlo Martyrem. Classem rexerat Antonius Tellius Menesius. In ea ferebantur Alphonsus Mendius Patriarcha Æthiopiæ, Didacus Secus Episcopus Niceæ, ambo fuerunt inaugurati in templo Domûs Professæ per Dominum Fernandum Martinium Mascarenium Episcopum Algarbiensem Inquisitorem Generalem: Joannes Rochia Ulyssiponensis, Hierapolitanus Episcopus; quòd facultas à Pontifice non pervenisset, Goæ sacratus, ibidémque mortuus est. Laboriosa contigit navigatio. Profecti ad Indiam cum Patriarcha Alphonso Mendio.

12. Quartâ die Julii ad æterna translatus est Didacus Secus Episcopus Niceæ, natus Covillanii diœcesis Guardiensis. Tradidit Conimbricæ Eloquentiam, Philosophiam, & Theologiam. Præterea exornavit animum egregiis virtutibus, quas refero in ejus vita. Alphonsus Patriarcha vitam exorsus est in oppido S. Alexii diœcesis Eborensis. Profitebatur Eboræ sacram scripturam; an sanctior, an doctior, dubium. Ejus labores pro fide rebus nostris addunt magnum splendorem, ùt fiet notum legentibus Alphonsi gloriosa facta, & vitam, quam in lucem edidi in opere de tironibus educatis Conimbricæ. Vigesimâ secundâ Septembris naves ingressæ Mossambiquii portum hyeme transactâ, Majo sequente appulerunt Goam.

13. Viginti quinque togam Societatis induêre. Inter eos ætatis anno trigesimo quarto Ruysius Mellus è primaria regni Nobilitate, rexerat in India Ceilamum. Quòd Latinas litteras ignoraret, volebat in Coadjutorem adoptari; sed aliud visum Patribus, spectatâ hominis prosapiâ. Apud nos didicit Latinitatem & scientias, emisítque solemnem 4. votorum professionem. Ludovicus Diasius Serpensis Coadjutor spiritualis, de quo refertur, annis postremis locutum fuisse cum Divo Josepho tanquam amicum cum amico, ipsúmque Divum in simulacro, quod est in sacello valetudinarii Eborensis Collegii, solitum voces ad Ludovicum exprimere. Ingressi.

14. Ad memoriam defunctorum converto calamum. In Domo Professa Ulyssiponensi 4. Februarii vinculis perituri corporis solutus est P. Simon Sousa Lousamensis in diœcesi Conimbricensi, parentibus ortus avitæ Nobilitatis. Ex tirocinio nostro dimissus, annos 20. duxit vitam extra Societatem, deditus scientiarum studiis. Erat in Collegio divi Petri, & jam octavo anno dabat operam Juri Pontificio, cùm rursus Societatem ingressus mense Julio anni 1602. Singulariter sui demissioni, ac zelo animarum dabat operam. Obivit missiones. In Domo Professa egit simul sacræ catechesis Magistrum, & Procuratorem miserorum, quos inter vincula continent carceres. Nocte, ac die ad morientes vocatus non tam ibat, quàm volabat promptissimus. Malignâ febre correptos in carcere audiendo creditur obiisse. Obit P. Simon Sousa.

15. Ibidem necessitati concessit Septembris vigesimâ Gonsalus Fernandius Coadjutor Avintii prope Portum natus. Annos quadraginta obivit munus Janitoris ostii secundi, ad quod eleemosynæ distribuuntur pauperibus; hominum importunitates sustinuit ne levis quidem impatientiæ signo edito. Decimâ octavâ die Decembris in eadem Domo naturæ pensum persolvit optimus senex P. Franciscus Araujus Ulyssiponensis, vivo S. Ignatio Societatem ingressus an. 1555. Eundem vidit, & coluit in altari. Tirones instruxit Eboræ & Ulyssipone. Fuit à confessionibus Theotonio Eborensi Archiepiscopo. Eminebat in illius dictis & factis antiqua bonitas, ac prudens sinceritas. Post hyperduliam cordi habuit divi Christi nutritii honorem. Secreti tenacissimum noverunt Obit Gonsalus Fernandius. Obit P. Franciscus Araujus.

omnes. Agens socium Provincialis nec de rebus jam vulgatis, quæ ad gubernium pertinebant, sermonem injecit, ne quis pronunciare posset, id se audivisse à socio Provincialis.

Obit P. Antonius Correa. 16. Collegium Ulyssiponense 13. Januarii non sine lacrymis morientem inspexit P. Antonium Corream Ulyssiponensem, Philosophiæ Magistrum. Benefactor Conimbricensis Collegii templum, & sacellum domesticum B. Virginis plurimis donis cumulavit. Idcirco ob accepta beneficia unum adhuc sacrum pro ipsius anima fecêre sacerdotes, & cæteri recitârunt corollam Marianam.

Obit P. Laurentius Fernandius. 17. Sots atra obtigit in Collegio Conimbricensi die octavâ Novembris P. Laurentio Fernandio Bracharensi, fratri Joannis Fernandii, qui in Brasilico itinere occubuit Martyr. Educavit tirones nostros Conimbricæ. Detractio ex ipsius ore non audita. De ipso memoratur, quòd nunquam tironi injunxerit pænam, quam prior non subiisset.

Obit P. Ruysius Paësius. 18. Portuense Collegium 11. Septembris terræ mandavit P. Ruysium Paësium, Procuratorem Residentiæ Passi de Sousa: paupertas, obedientia, & assiduitas in audiendis pœnitentibus fuerunt in eo summa.

Obit Martinus Fonseca. 19. Eboræ 4. Septembris transiit ad vitam non perituram Martinus Fonseca Coadjutor, octogenario major, natus Cambris diœcesis Lamecensis. Octo & quinquaginta annos docuit scholarum illius Collegii pueros alphabetarios incredibili patientiâ, & constantiâ. Cupiebat omnibus servire, sibi neminem.

Mors Ven. P. Joannis Alvari. 20. Decimâ Martii immitis mors humanis rebus exemit Ven. P. Joannem Alvarum, virum Provinciæ gravissimum, de quo toties Annales meminerunt. Vitæ curriculum inivit Paradæ infantium in diœcesi Mirandensi. Anno 1562. adscriptus Societati. Plurimos magistratus gessit summâ prudentiâ & integritate, Rectoris Portuensis, Provincialis, Assistentis, Domûs Professæ Præpositi, mox Visitatoris, iterum Provincialis. Reversus è Comitiis universi ordinis, ad quæ mittebatur cum jure suffragii, præpositus est Rector Eborensi Collegio & Academiæ. Subinde egit Sociorum juniorum Præfectum, in quo munere hæc scribo anno 1721. Dum Joannis non magis verbis, quàm exemplis promovet juniorum educationem., penè octogenarius ad superos evolavit. Eminentem ad gubernandum prudentiam solida virtus comitabatur. Honoribus & obsequiis erga Virginem sanctissimam magnopere studuit: Cui in Sanfinensi Residentia, quò redux ex urbe secesserat, loco nemoroso & à sociorum habitatione semoto intra tamen septum domesticum sacram ædiculam Lauretanam construxit.

21. Verùm non diu ei licuit hâc solitudine frui. Obedientiâ cogente ad ordinis rediit Magistratus, magnam in Romana Curia, cùm illic moraretur, nactus authoritatem. Plurimùm ejus concilio utebatur noster Cardinalis Toletus. Transeuntem per Galliam multis regiæ benevolentiæ signis condecoravit Rex Henricus IV. quòd illius apud Romanum Pontificem negotia multum promovisset: Dono ipsi dederat crystallinam Crucem, munus verè regium, habet inclusum lignum, quo mundi salus pependit. Servatur inter Reliquias Sanctorum, in templo nostro Conimbricæ. Vitam Joannis vulgavi in opere de domicilio tironum Ulyssipone.

Moritur Gaspar Alvarus. 22. In Angola Novembri mense diem obivit Gaspar Alvarus, qui, ut suprà memoratum, fugit Pindam cùm P. Eduardo Vasæo ad furores Præfecti declinandos. Per universam Societatem pro ipsius anima facta sunt tria sacra à singulis Sacerdotibus, ab aliis tres Virginis coronæ recitatæ,

An-

Annus 1624. Soc. 85.

1.

A Tristi defunctorum memoriâ, quâ annum superiorem clausi, labentem ordior. E cujus rebus præclarioribus reputanda est mors suavissima P. Hieronymi Diasii, patriâ Conimbricensis. Obiit ætatis anno septimo supra septuagesimum. Rexit Collegia Conimbricense, & Eborense, atque omnem Provinciam. Numeratus inter celebriores sui temporis concionatores: quod munus exercuit ad postremam senectutem, nec illo abstinuit inter ordinis magistratus. Nondum sacerdos tradidit Philosophiam. Quamvis præcelleret ingenio ad magisteria aptissimo, propter eminentes ad sacrum suggestum dotes huic potiùs à majoribus applicatus est. Sæpe cum ingenti plausu dixit ad populum in actu fidei, ùt vocant, cùm in theatro ferali leguntur, & condemnantur Judæorum impiæ stoliditates. Mors P. Hieronymi Diasii.

2. Paulò post absoluta Theologiæ studia P. Ludovicus Alvarus, de quo suis locis dictum, proposuit fidei Quæsitoribus Hieronymum ad obeundam concionem in actu fidei: sic venerando placuit tribunali, ut septies, dum vixit, fit concionatus in ea celebritate. Licèt semper incubuerit acquirendis & perficiendis virtutibus, id egit accuratiùs ab anno 1587. occasione lectæ vitæ Seraphicæ Virginis Theresiæ. Sic eâ lectione est incensus, ut secum decreverit virginem illam imitari, séque totum Deo suo tradere. Nec secus fecit. Quòd Institutum nostrum consistat in profectu proprio per orationem, examina conscientiæ, Missam, ac divini officii recitationem; & in profectu proximi per conciones, lectiones, confessiones, & explicationes catechesis; specialiter secum perpendit, quomodo in hujusmodi rebus se perficeret ad obtinendas, & excolendas virtutes juxta Societatis Institutum.

3. Circa orationem statuit, neutiquam deflectere à libello Exercitiorum S. P. Ignatii. Collegit ex oratione profundam humilitatem, ardentissimum Dei ac proximi amorem, in adversis invictam patientiam. E Christi plagis exsuxit tolerantiam cunctis doloribus corporeis majorem. Virginem Matrem tenerrimè dilexit. Impetravit à Patre nostro Generali, ut post litanias vespertinas diceretur in honorem B. Virginis hymnus *Ave Maris stella*.

4. Nullum ipsi dulcius levamentum, quàm fixam habere mentem rebus divinis comtemplandis. Ob acutum capitis dolorem, cùm nequiret mentis applicationem ad rem ullam sustinere sine molestia, horas alias atque alias insumebat cœlestia meditando. Dolor remittere videbatur profusis inter orandum lacrymis. Etiam in ætate postrema nudabat suis Superioribus conscientiam eo candore, quo solent tirones. Dei præsentiam reddidit sibi continuam. In itineribus incedebat instar hominis extatici: idcirco necessum erat, ut juxta ipsum iret famulus, ne in terram prolaberetur.

5. Hieronymi charitas maximè colluxit, cùm ipso Collegii nostri Rectore, pestilentia, ùt suo loco dictum, Conimbricam est depopulata: nihil, quod in tantis angustiis charitas posceret, ille omisit. Ajebat, eum esse Societatis nostræ optimum religiosum, qui se totum attemperaret Superiorum voluntati. In habendis concionibus explevit partes Evangelici præconis, non suo plausu, sed auditorum utilitate procuratâ. Dicenda considerabat maturè, ne ex verbis ipsius posset quis offendi. Erat in sacro suggesto gravissimus. Vituperabat illos concionatores, qui facetiis excitarent risum: hunc esse dedecus concionatoris solitus dicere. Retulit à se visitante Scalabitanum miraculum, conspectum Christum Dominum in pulpito levatâ manu sibi benedicentem, tanquam significaret, quàm sibi acceptæ forent ejus conciones.

6. His, aliisque virtutibus, quæ uberiùs scriptæ constant ex vulgata ipsius vita, se comparaverat ad agonem supremum, cujus à Deo certiorem factum indi-

indicârunt ejus verba. Admonitus ad peragendam concionem de S. Ignatio, ut obediret, illam concinnavit, dixitque in arbitrio suo non esse de suggesto pronunciare: id commodo sciendum tempore, ne solemnitas careret concione. Ita evenit, morbo supremo impendente ante festam S. Ignatii diem. Dum morbus perduravit, illud inter singularia notatum, quòd impedita lingua ad reliquos sermones unicè fuerit libera ad hymnos & psalmos recitandos. Elatus ad sepulturam à P. Antonio Mascarenio Visitatore, P. Emmanuele Fernandio, qui hoc anno cœperat fungi Provinciliatu, & Patribus gravioribus. Ejus ossa tanquam viri sanctimoniâ excellentis translata sunt ad sacellum domesticum divi Antonii. De vita cessit 12. Augusti.

Novus Provincialis.

Mors P. Hieronymi Alvari.

7. Eboræ vivorum è numero 20. Januarii fatalis necessitas expunxit P. Hieronymum Alvarum ibidem natum. Meditantem ingredi Societatem mille modis Dæmon vexaverat, ut à proposito deterreret. Post vota biennii Dæmon idem sub specie parentis vitâ defuncti Hieronymo apparuit, multis lacrymis eum rogans, desereret Societatem, & ferret opem sororibus orbis parente. Quæ vulpes sub ovina lateret pelle, ex ejusmodi suasione cognoscens, SSmo JESU nomine pronunciato larvam dispulit. Majus periculum à fæmina Hieronymo imminebat: hæc castissimum Religiosum provocavit ad turpia, horruit, atque sumptâ, quam res poscebat, severitate sic reprehendit amentem, ut ipsa facti pœnitens à lacrymis temperare non potuerit. In hujus virtutis honorem nec discipulus, nec Magister voluit unquam perlegere Ovidiana carmina tractantia rem amatoriam. Vitam nostri Ludovici Gonzagæ in Lusitanum transtulit idioma, dicavitque sociis Provinciæ, ut imitarentur. In frangendo subaspero genio plurimùm desudavit. Professus Eboræ sacras litteras, ac laureatus Doctor. Rexit Conimbricense Collegium. Diuturnus morbus acquisitas multùm auxit virtutes.

Moritur P. Cosmas Magalianus.

8. Conimbricæ mortis falce succisus est 9. Octobris octogenario major P. Cosmas Magalianus Bracharensis. Tradidit Rhetoricam, ac decennio quæstiones de conscientia. Deinde plurimis annis sacras litteras professus in Collegio Conimbricensi: in eas composuit, atque in lucem edidit nonnulla volumina. Non minùs litteris, quàm religiosis moribus excellebat.

Obeunt P. Joannes Quinfintanus & Didacus Moura.

9. Domûs Professæ numerum mors duobus imminuit. Aprilis decimâ tertiâ Patre Joanne Quinfintano Anglo. Navabat operam convertendis hæreticis, & juvandis Anglis Catholicis. Dicto majorum auscultans, nunquam se labori subtraxit. Quidquid injungebatur, peregit hilariter. Dum in carcere commodat aurem confitentibus, pernicioso morbo implicitis, malum contraxit. Ibidem 24. Maji demessus est Didacus Moura Coadjutor natus Estremotii. Maximâ charitate inserviit peste infectis. Ejus modestia erat omnibus admirationi. Juvabat domûs Procuratorem. Nostros, qui domui acquirebant eleemosynas, vocabat Patres ac fratres domûs divi Rochi; cæteros verò dicebat Patres & fratres habitantes in domo divi Rochi.

Franciscus Borgia beatificatur.

10. Urbanus VIII. Pontifex Maximus sextâ die Septembris inter *Beatos*, qui ab Ecclesia coluntur numeravit nostrum Franciscum Borgiam. Plurimâ significatione lætitiæ Provincia animum suum declaravit erga suavissimum parentem, qui toties apud nos habitârat, & Provinciam multis auxerat incrementis.

Missio maritima.

11. Missiones solitum cursum tenuêre. E præcipuis illa fuit, quâ de nostris aliqui regiam classem in Brasiliam conscenderunt, quæ expedita est ad recuperandam Bahiam Lusitanæ ditionis metropolim ab Hollandis occupatam. Missi P. Antonius Nunius, qui volventibus se annis fuit à confessionibus Aloysiæ Reginæ, & P. Antonius Sousa, hoste debellato, & urbe receptâ, in reditu sequente anno mortuus. P. Joannis tum in navigatione, tum in expugnatione sic virtus inclaruit, ut Sancti nomine ab omnibus compellaretur.

Mors Franciscæ Sequeiræ.

12. Mors hîc memoranda est piissimæ Dominæ Franciscæ Sequeiræ Ulyssiponensis, contigit 5. Maji, sepulta est in templo Domûs Professæ. Virginitatem coluit ad finem, augendis virtutibus unicè intenta. Penè habitabat in

nostro

nostro templo dedita vel sacris audiendis, vel fundendis precibus. Hæredes ex asse Domum nostram, & templi vestiarium instituit, quibus legavit supra octo millia cruciatorum.

13. Collegium Congense, cui factum anno superiore initium, varias vices experitur. Rex Petrus hujus nominis Secundus Fundator esse voluit. Idcirco principio hujus anni optimam villam (*Embole* vocant indigenæ) Collegio donavit eo onere, ut ejus in regno successores donationem ratam haberent. Nam apud eas gentes nullius momenti & vigoris sunt regiæ donationes, nisi successor illas denuo confirmet: jus omne accipientis extinguitur Regis morte. Res Collegii Congensis.

14. Cogitantem pingui reditu firmare Collegium, unde bona plurima spe conceperat, intercepit mors Aprilis 13. hujus anni, ætatis quadragesimo, nondum sexto mense post initia Collegii. Res ipsa poscit, ut Regis bene meriti, & sanctissimis moribus instructi, paulò ampliùs memoremus virtutes. Certè perspectis corruptissimæ nationis vitiis, penuriâ Magistrorum sanæ doctrinæ, videtur par miraculo, quòd vitam vixerit tam Christianam. Mors, & virtus Petri Regis Congi.

15. Petrus decimus quintus Rex Congi eis fuit præditus dotibus, quibus natura optimum format Principem. Vixit inter suos, ut vernat inter spinas rosa. Castitatis conjugalis observantissimus noluit in obsequiis Reginæ puellas, sed tantùm fœminas provectæ ætatis. Christi passionem, ac Virginem matrem colebat intimæ pietatis dulcedine; propterea jejunium sibi indixerat feriis sextis, & sabbathis: in his expiabat confessione animam, & cœlesti pane reficiebatur; in illis flagellabat corpus suum, vinóque abstinebat, quod apud eas gentes erat non vulgari admirationi; sunt enim suo Baccho deditissimæ. Ast feriis sextis Quadragesimæ ab omni hominum, etiam conjugis, & filiorum commercio semotus totum se mancipavit silentio, & Dominicæ Passioni meditandæ.

16. Quotidie intempestâ nocte paucis comitatus nudipes invisebat urbis templa. Horas B. Virginis, & alias orationes decurrerat singulis diebus; missæ sacrificium omisit nunquam; quo tempore sacerdos attollebat hostiam, relicto pulvino, locabat humi genua, ac maximâ veneratione cœlestem victimam adorabat. Largus in pauperes, etiam ægrotantes præsens consolabatur & verbo, & eleemosynis. Feriâ V. majoris hebdomadæ egenis duodecim lavabat pedes. Accumbens mensæ, Dynastis de more circumstantibus, nonnisi de fugiendis vitiis, atque virtutibus acquirendis loqui solitus. Id illi tam familiare, ut inter Dynastas, dum significare vellent Regem accubuisse mensæ, ortum sit proverbium, *Jam Concionator est in pulpito*.

17. Quos perditæ vitæ sciebat, non admisit in obsequia palatii. Verbum obscænum ignoravit. Frequentiores illius sermones erant de promovenda fide apud Reges finitimos. Cùm adhuc foret Dux Bambensis, presbyterum misit, qui aliquot populos Ethnicos tingeret sacro latice. In rebus agendis prudens & perhumanus, Patrem, non dominum præferebat. Virtutem Petri durissimis experimentis probavit DEus, antequam ad regium solium levaretur. Dynasta de potentioribus eum sæpe infamiâ notaverat apud Regem cumulando falsa testimonia. Bis pulsus in exilium, bis rebus omnibus spoliatus, semel in area Curiæ coram populo cunctis exutus vestibus maximâ personæ suæ ignominiâ.

18. Post toleratas ærumnas gravissimas divina eum providentia evexit in regni thronum, ut conservaret nationem funditus pereuntem. Biennio regnavit inter non parvos motus. Adde iniquissimum bellum Congo illatum à Joanne Correa Præfecto ditionis Lusitanæ; qui summâ opum vi procuraverat, ne Petrus regni solium conscenderet. Quod cùm impedire non posset, varios Dynastas Regis subditos, & ipsum regnum bello invasit. His calamitosis temporibus Lusitanos, qui erant in Congo, tanquam parens omnium protexit, Conganis frementibus. Maximè dolebat vexationes à Præfecto illatas Senatui Loandensi, Prætori Regis, ac Patribus Societatis, quòd illius jus defenderent.

19. Illud extitit admirabile, quòd omnes acerbi casus, & infortunia ipsi evenerint feriis sextis, res verò lætæ sabbathis, his Deiparæ, illis Passioni Dominicæ consecratis. Cùm pacatis rebus, esset fruiturus quiete, Deus optimus maximus, cujus assequi consilia mortalium non est, eum evocavit ad præmia & regna non peritura. Rite comparatus ad extremam luctam, solùm propter vomitus non accepto viatico de vivis excessit Aprilis decimâ tertiâ, quæ tunc incidit in sabbathum. Tanquam præsciret imminere sibi mortem, per totum verni jejunii decursum aliis atque aliis piissimis exercitiis animam excoluerat. Bonis omnibus est visum non meruisse perversam nationem tam sancto Rege diu frui.

Novus Rex Congi. 20. Suffragiis, uti moris est apud eas gentes, assumptus in solium Garcia Dux Bambensis, Regis Petri filius primogenitus ætatis anno vigesimo. Ut eligeretur, plurimùm omnes permoti sanctimoniâ parentis. Dum Patris sui usus consiliariis, viris prudentibus, ad votum gubernacula gessit. Insistens parentis sui vestigiis donatione confirmavit eandem villam; adjecit præterea quadraginta cofos Zimbi. Cofus mensura est, Zimbus conchilii genus, quod inter Congenses pecunia est; neque enim è metallis cudunt numos, ut nationes cultæ. Sed ea summa designata sub eadem conditione, si Rex successurus confirmaret. Valebant cofi cruciatos Lusitanæ monetæ quingentos supra duo millia, quibus Rex meditatus est alere decem è nostris.

Duo eunt ad Congum. 21. Extemplò scripsit ad Angolani Collegii Rectorem, aliquos mitteret duorum adjutores. Ivêre Franciscus Jatinus, & Joannes Paiva sacerdotes. Loandâ profecti die postremâ Julii, 5. Septembris intrârunt Regis curiam, perhumaniter ab eo excepti. Rogavit illico P. Jatinum, concionem haberet die nascentis Virginis. Cùm nullam Rex admitteret excusationem, parendum fuit.

22. Die Virginis Rege cum Dynastis præsente in templo maximo ad sermonem audiendum, quo tempore P. Jatinus accessit ad petendam benedictionem à sacerdote operante sacris, surrexêre de suis sedibus Canonici, cæterique clerici, vocibus alienis statu suo, & loco, clamantes templum esse suum, concionem impediverunt: dicebant nonnulli, se non excoluisse vineam, ut uvas colligerent Patres Societatis. Sic turbatis rebus, facessit inde cum suis Rex in palatium. Tantum scelus non tulit impunitum divina Nemesis: nam ipsimet sibi tortores fuerunt; mutuis enim incensi odiis, propter crimina alii ad exilium pulsi sunt, alii bonis exuti temporaneis, non pauci detrusi in carcerem. In his, aliisque rebus angustiis nullum solatium præter nostrorum patrocinia reperêre.

23. Brevi Patres Jatinus & Paiva decubuêre morbis gravissimis, ac valde diuturnis, maximè quòd nec essent alimenta, nec medicamina febribus extinguendis accommoda. Mense Octobri moriente Simone Mascarenio Episcopo, Rex ad Pontificem dedit litteras, quibus rogat, ut aliquis de Societate ad Congenses infulas promoveretur. Porrò commendavit quatuor Magnatibus curam ædificandi sacram ædem Collegii. Cùm fabricæ nihil molis operosæ illic habeant, primâ die Novembris factum est in ea primum sacrum. Dicata fuit S. Ignatio protoparenti, & prima fuit, quæ in regionibus transmarinis illi consecrata. Undecimâ Novembris magno concursu, Rege cum suis præsente, positus primus lapis ædificio Collegii, gerebat incisum JESU nomen, & Garciæ Regis, cujus expensis erat opus erigendum. Nostri, cùm liceret per valetudinem, in edocendo populo naviter desudabant.

Dicatur templum Congense S. Ignatio.

An-

Annus 1625. Soc. 86.

1.

MEnse Aprili in Domo Professa divi Rochi celebratus est Provinciæ Conventus, Præside P. Emmanuele Fernandio Provinciali. Electus Romam mittendus P. Franciscus Mendossa Rector Eborensis Collegii. Volenti annos insumere in absolvendis Commentariis eruditissimis in Libros Regum id imperium contigit molestissimum. *Congregatio Provincialis.*

2. Pro numero Apostolorum operarii se consecrârunt Indicis gentibus salvandis, unus Polonus, Lusitani undecim. Quos inter Franciscus Rodericius, & Joannes Pereira Martyres in Æthiopia. Revertente de Brasilia classe, quæ Hollandos ejecerat Bahiâ, in ea Septembri mense prope Fayalensem insulam mortuus est P. Antonius Sousa Amarantensis. Ut citiùs mergeretur, geminus globus tormenti majoris alligatus pedibus. Illud planè admirandum evenit, quòd corpus spatio triginta leucarum sit secutum classem capite super undas eminente, levatis in Cœlum manibus, tanquam à DEO peteret classi navigationem felicem. *Profecti ad Indiam. Moritur P. Ant. Sousa.*

3. Ex Domo Professorum elatus est postremâ anni die ætatis anno nonagesimo Joannes Fernandius Coadjutor Goveensis. Læto semper vultu obibat ministeria domestica etiam abjectissima. Sine mora Superiorum parebat imperio. Flagellis castigavit corpus usque ad ultimam senectutem. Nonnisi missus foras exivit. Postremis triginta annis vix sexies jussu Superiorum adiit villam, & Collegium. Indumentis novis uti noluit. Talaris tunica non alio, quàm fusco erat ex panno, quo in tirocinio utebatur. Admirandâ conscientiæ tranquillitate gaudebat. *Moritur Joan. Fernandius.*

4. Altera & vigesima dies Maji Collegio Ulyssiponensi eripuit P. Petrum Rium. Bracharæ & Eboræ egit scholarum Præfectum; nam humaniori litteraturâ apprimè excultus erat. Malagonensi marchioni conjugi Eduardi fratris Ducis Brigantini fuit à confessionibus: cum ipsa perrexit in Castellam: quâ mortuâ Lusitaniæ restituitur. Suboriens illi in naso polypus magnopere deformavit; neque ideo recessit à sella confessionum. Dicebat eam corpoream fœditatem sibi non esse pudori, quod peccatum non erat. Sic malum corrosit faciem, ut abripuerit vitam. *Moritur P. Petrus Rius.*

5. Inviolabili mortis legi satisfecit Eboræ 17. Martii Gaspar Freirius scholasticus, natus in agro montis majoris novi. Ejus mater fœmina notæ virtutis mirum in modum gavisa est, quòd Gaspar Societatem inîerit. Invidiosus dæmon, ut illam contristaret, sumptâ Gaspàris formâ se matri repentè sistit. Affecta incredibili mærore percontatur, cur dimisissent Patres? Cui fictus Gaspar: immeritum se pulsum de Societate. Mater satiatura dolorem tabellarium expedit cum litteris ad Rectorem querelarum plenis. Cùm nuncius aperuit Janitori nostro causam itineris, respondit: Gasparem esse in Collegio: vocatus loquitur nuncio. Hic domum revertens, scias, inquit matri, tuum Gasparem in Collegio degere. Cui illa: modò est egressus domum. Conquisitus nusquam comparuit. Post studiorum biennium cœpit laborare vomitu sanguinis, donec est penitus vi mali consumptus. *Moritur Gaspar Freirius.*

6. Præter alias missiones habitas à Patribus Eborensis Collegii, duo contenderunt Redondum, id petente Francisco Coutinio ejus oppidi Comite: domi suæ voluit esse Patres, ut eorum sanctâ fruerentur conversatione. Plurimùm omnes exemplo suo ad pietatem incitavit. Ipse aderat verberationi; ipse in explicationibus catechesis respondit, cùm alii, quid essent responsuri, nesciebant. Nihil Evangelicus operarius aggressus sive in conciliandis discordibus, sive in amovendis concubinis, quod non sit adeptus, juvante piissimo Comite. *Missiones.*

Patrocinium divi Xaverii.

7. Bracharæ divi Francisci Xaverii potens brachium expertus est aleator. Hic ludo plurimas horas impenderat, ne uno quidem jactu sibi proficuo. Pinguem crumenam exhaustam doluit. Opportunè venit in mentem eventus de aleatore memoratus in Xaverii vita. Igitur se voto obstringit in honorem S. Xaverii transigendi jejunio ejus pervigilium, die festo exponendi conscientiam, & accipiendi cœleste ferculum; porrò ampliùs se non lusurum promittit, si perditas pecunias recuperet. Promptam sensit divi opem: nullus inde jactus sine lucro fuit. Recepit suos nummos, stetitque promissis.

Conversiones perditorum.

8. Ex eo Collegio bini Pontem Limium nostris ministeriis excoluerunt. Inter alia non est prætereunda hominis perditi conversio. Dum se nocte domum recipit, videt pedissequum vestigiis insistentem suem. Territus occulto pavore intrat proximam B. Virginis ædiculam, implorat ejus præsidium ad corrigendos mores. Egredientis hæret vestigio importunus Sabellicus. Hic metu majore occupatus, JEsum ac Virginem inclamat. Tam sancta nomina non ferens animal immundum ex oculis evanuit, ipse detestatus est scelera sua, ad pedes sacerdotis nostri oriente sole procidit.

9. Affine est, quod accidit Palmelæ. Aderat nostro concionanti de filio prodigo ac perdito impurus adolescens. Quamvis conscientia remorderet, non attendit ejus aculeis. Nocte sequenti dum pergit in lupanar, porcum habet præeuntem. Licèt quidam horror invaderet, iter prosequitur: ante fores scorti porcus transversus stetit arcens ingressu adolescentem. Insolitâ re stupefactus, dum munit se signo Crucis, disparuit monstrum: ipse in se reversus ad pedes nostri Confessarii se provolvit, & maculatam animam eluit.

Res Collegii Congensis.

10. In Congo alia fuit hoc anno rei communis facies. Rex Garcia bonus initio, perversam secutus indolem, abactis prudentibus Consiliariis Genitoris sui, alios sibi valde similes elegit. Optimum quemque de suis, jure nullo spoliatum rebus omnibus, interfecerat. Nec sinebat eos ante mortem expiare per homologesim animas. Canonici pauci & ignorantes, mortuo, ùt est dictum anno proximo, Fratre Simone Mascarenio Episcopo, dissidiis ortis cuncta turbârunt, cumularúntque anathemata.

11. Hæ calamitates non parùm tetigêre nostros. Nam impedita sunt itinera Loandam, intercipiebantur litteræ. Populus frigescebat nimium in negotio salutis æternæ. Indignatus adversus Patres Barbarus, quòd presbyterum moribus probatis, demortui Regis, atque ipsiusmet Garciæ confessarium, quem impius pepulerat in exilium, nostri consolaturi inviserint, ejúsque innocentiam fuerint tutati. Dynastæ capitis damnato, petentíque ad se mitti unum è Confessariis nostris, ut purgaret animam, renuit assensum dare Barbarus. Cùm Patres in conspectum non admitteret, P. Jatinus Prorector ad ipsum scripsit improbans crudelitatem, quâ morituris interdicebat Confessorem. Nisi feritatem deponeret, non deesse regiones, ubi Societatis opera utiliùs locaretur. Responsio continebat verba in speciem mitiora factis.

12. Inter hos rerum turbines Loandâ pervenit sub finem Augusti P. Matthæus Cardozus Collegii primus Rector, qui redierat è Lusitania, comite accepto Mendio coadjutore. Cùm Rex non caperet ex illius adventu lætitiam, misit Rector, qui diceret, quando ei non placeret se in Congum accessisse, sine mora regressurum Loandam. Quòd impius timeret bellum à Præfecto Lusitano, pacatum simulans animum, in colloquia & salutationes admisit Rectorem. Evolutis paucis diebus, præbuit Collegio utilem, & amænam villam quinque, sexve leucis urbe distantem.

13. Rector considerans nationis inconstantiam, & cætera ejus habitationis incommoda, ac exiguum laboris fructum, injunxit Patribus, exararent in charta rationes, quæ facerent ad eam sedem vel conservandam, vel deserendam, ut proponeretur moderatori totius ordinis. Interim Rector opprimitur gravi morbo, medico, ac pharmacis deficientibus 28. Octobris succubuit necessitati. Plurimis annis laboraverat in Evangelica messe apud Angolanas gentes.

Moritur primus Rector Congensis Collegii.

tes. A Joanne Correa Præfecto pulsus in Lusitaniam typis mandârat libellum P. Ignatii Martinii de dialogis Christianæ doctrinæ versum in idioma Congense & Ambundanum maximo animarum lucro. Prorectorem nominavit P. Michaëlem Alphonsum.

14. Cùm gens ea plurimùm soleat moveri rebus novis, Patres excogitârunt aliqua artificia pia. P. Jatinus introduxit sextis Quadragesimæ feriis verberationem exhortatione prævia, personante dulci concentu, dum fiebat verberatio. Die festo S. P. Ignatii commisit scenæ dialogum perjucundum. P. Michaël Alphonsus divisit in turmas pueros, qui diebus singulis discurrebant per diversas urbis plateas cantantes Christiana mysteria. Quo factum est, ut sint extinctæ profanæ cantiones. Probavit Deus communi beneficio piam consuetudinem: Tigres, & pantheræ, quæ noctu ingredientes urbem lacerabant animantia domestica, & nonnunquam homines, ex quo cœpta hujusmodi pietas, non ampliùs urbem adortæ. Cùm ob aliquas rationes is cantus cessaret, rursus prædictæ feræ urbem infestârunt; propterea mos pius renovatus, urbs liberata ferinis insultibus. Piæ consuetudines.

15. P. Joannes Paiva aperuit Gymnasium Latinitatis pro filiis Lusitanorum, & pueris Congensibus speciem ingenii præbentibus. Additi dialogi Christianæ catecheseos, quos certis diebus per celebriora urbis compita discipuli declamabant, magno populi solatio. Hieronymus Mendius Coadjutor ludum alphabeti instituit: concurrêre non solùm pueri, sed etiam nonnulli viri nobiles studio perdiscendi Lusitanum idioma, quod simul cum elementis Mendius edocebat. Gymnasia.

Annus 1626. Soc. 87.

1.

SPlendidissimum non solùm hujus Provinciæ, sed etiam totius Societatis lumen extinctum est in obitu P. Francisci Mendossæ herois celsæ virtutis. Cuncta in eo fulsêre grandia. Nobilitas de primaria Regni, sanctitas, & sapientia, quales formant virum magnum. Natus Ulysipone. Ad ineundam Societatem se fugâ proripuit è domo fratris, ùt suo loco narratum. Gaudebat ingenio ad scientias, sive discendas, sive tradendas felicissimo, ac fœcundissimo. Ulyssipone & Conimbricæ professus Rhetoricam, Conimbricæ Philosophiam, sacras litteras in Eborensi Academia, ubi gradu Doctoris insignitus. Subinde rexit Conimbricense Collegium; quo munere expleto rediit ad cathedram divinæ scripturæ in eadem Eborensi Academia; tandem creatus Rector Eborensis Collegii & Academiæ. In superioris anni Comitiis electus Romam iturus Procurator. Redeuntem in Lusitaniam tertiâ Junii mors intercepit Lugduni Gallorum. Mors Ven. P. Francisci Mendossæ.

2. Quàm litteris politioribus instructus fuerit, testatur ejus Viridarium cultissimâ plenum eruditione. Quâ micuerit in divinis scripturis sapientiâ, argumento sunt volumina tria in aliquot capita libri primi Regum, quæ omnium sapientum manibus teruntur. Eadem, & conciones typis vulgatæ, quantus eminuerit in sacro suggesto, cunctis exhibent. Sed hæc quamvis grandia, minora sunt virtutibus, quibus excelluit.

3. Qui noverant à primis annis in Societate, testes sunt, à se in Francisco nec auditum, nec visum quidquam, quod levis culpæ argui posset. Ubicunque fuit, odorem virtutis reliquit, & opinionem sibi peperit. A. R. P. Mutius Generalis eum Romæ familiariter observans, dixit: *P. Mendossam admirabilem esse, quòd magnus erat Concionator, magnus scriptor, magnus Superior, & magnus Sanctus.*

4. Nemo fuit Evangelicæ humilitatis studiosior. Si verbum est injectum de ipsius nobilitate, pudore suffundebatur. Si in actionibus litterariis eum inter alios Doctores nominârunt, erubuit, inque terram oculos depressit. Ne-

 scie-

sciebat, quid esset caro & sanguis. Sorores suas moniales non invisit, nisi jussu Superiorum. Omnia commoda singularia refugit, etiam cùm ipsis egebat, ne esset exemplo sequiori non egentibus. Si gubernans Collegia morbum passus est, ibat protinus ad commune valetudinarium. Ad excipiendas confessiones in carceribus & nosocomiis erat primus. Obvium aliquando habens mendicum variolis prostratum, sedit humi ad ejus audiendam confessionem. Sæpe ne à reliquis in victu discederet, edebat escas, quas sibi noxias experiebatur. Nullum etiam Superior à sociis admisit obsequium. In victu & vestitu vilia quæque sibi delegit.

5. Quotiescunque novit aliquem ab ipso offensum se reputare, non tradidit se nocturnæ quieti, priusquàm illum conveniens rogaret veniam. Tametsi unicè cuperet vitam omnem insumere scribendo in sacra biblia, ab aliis tamen muniis sibi impositis humeros subtraxit nunquam, ne voluntatem suam anteponeret obedientiæ. Ajebat, in magisterio Professoris sacræ paginæ nihil sibi esse molestius, quàm lectores pro mensa corrigere, cùm ipse ab omnibus corrigi desideraret. Labores suos, licèt pretiosissimos, faciebat nihili. Typis mandavit permotus falso rumore, quòd in Gallia cuderentur.

6. In ferendis adversis semper invictum ostendit animum. Jejuniis & voluntariis castigationibus macerabat corpus, quanquam afflictâ valetudine. Rarò prodire è cubiculo animadversus, dictitans, homini scholastico esse exiguum tempus omne. Hinc & in itineribus, dum ad hospitium pervenisset, prima illius erat cura studium, ad quod in promptu ferebat necessaria. Plerumque usque ad noctem mediam libros pervolutavit.

7. Vultûs modestia spirabat humano quid majus. In sacro suggesto erat gravissimus, solitus dicere: *Tria loca non patiuntur levitatem, Altare, Pulpitum templi, & Tribunal confessionum.* Antequam subiret templi suggestum, consideratione dicendarum rerum priùs inflammabat sese, tum auditores incendebat. Virtus non est, in qua posteritati non reliquerit exemplum, ùt liquet ex ipsius vita, quam vulgavi in opere de domicilio tionum Conimbricæ.

8. P. Franciscus Freirius, qui cum eo Româ veniens, postremam totius anteactæ vitæ confessionem excepit, testis est, Mendossam non amisisse gratiam primigeniam in lustrali fonte acceptam. Nihil curæ, & sumptûs omisere nostri Patres Galli in ipsius procuranda salute. Ad ejus funus, utpote viri celeberrimi, factus est maximus & urbis, & Academiæ concursus. Cùm acerbissimus nuncius de morte Francisci pervenit in Collegia nostræ Provinciæ, sic omnes pervasit dolor, ut altâ nocte in cubiculis præsertim Eborensis Collegii quod regebat, auditi sint plorantium gemitus & suspiria tanquam in lamentabili, & communi jactura.

Moritur P. Christoph. Amaralius.

9. Conimbricæ 16. Augusti vitæ periodum conclusit P. Christophorus Amaralius, qui vivere mundo cœpit in Castella, cùm illic exularet genitor jussu Regis Philippi ob factiones Antonii Ludovici Infantis filii, quo tempore regnum affectavit. Tres & triginta annos in Societate vixerat singulari virtutis exemplo, plurimùm addictus colendæ magnæ Matri. Tradidit Philosophiam, Theologiam profitebatur magisterii anno jam tertio. Suis expensis in parentis sui sepulturam emit, dotavit, & exornavit sacellum S. P. Ignatii in templo nostro.

Collegium Conimbricense adit possessionem Ecclesiarum annexarum.

10. Post varias lites Collegium Conimbricense hoc anno adiit possessionem Ecclesiarum, quarum reditus ipsi annexuerat Pontifex anno 1620. Ad Collegium pertinebat earum jus præsentandi. P. Nonius Mascarenius Assistens plurimùm hoc in negotio desudavit, quo non parùm adjutum Collegium. Ecclesiæ dicuntur S. Andreas de Massinata Ceicæ diœcesis Conimbricensis, S. Felix Lafonii diœcesis Visensis, S. Thyrsus de Paramiis, S. Mamantius de Villarmajose, S. Eulalia Sanguedi in diœcesi Portuensi, S. Crux de Lumiariis, S. Crux de Alvarenga in Lamecensi diœcesi.

Incrementa in villis suburbanis.

11. Ædificium villæ suburbanæ Collegii Conimbricensis sitæ prope fluvium Mondam crescit subsidio duorum millium cruciatorum, dato à P. Aria Fer-

Ferreira nostræ Societatis. Et villa suburbana Eborensis Collegii, quam nuncupant Valboniam, habuit incrementa: eam cœperat muro circumdare P. Franciscus Mendossa, hoc anno perfectum est opus, magno villæ, & religiosæ observantiæ bono. Ex utroque Collegio non pauci sunt egressi ad faciendam in populis Evangelicam sementem. Pariter tertiæ Probationis Patrum missiones, & tironum peregrinationes Ulyssipone cursum solitum tenuêre. Tres & triginta hoc anno nomen dedêre Societati. Missiones. Ingressi.

12. Regni Congensis tenue Collegium diverso fluctu jactatum, Republicâ perturbatâ ob Regis tyrannidem, quam cùm ferrre non possent Moxicongi, sic Optimates vocantur, de Rege dignitate exuendo cogitârunt. Dum illi cuniculum parant, nostri inter sese conferebant ejus Collegii inutilitatem, ex his potissimùm capitibus: Quòd impedirentur itinera Loandam, cessante commercio nostrorum cum suis Superioribus, & Loandensi Collegio, unde mittebantur provisiones, & necessaria ad sacrum missæ faciendum, unicum solatium in tam infelici regione viventibus. Quòd possent illic subditi vivere immunes ab imperio Superiorum, maximè si Regi adhærerent. Res Collegii Congensis.

13. Quòd interciperentur litteræ, non esse liberum nostris res omnes referre Superioribus, ne socios exponerent infamiæ periculo. Quòd libertas non foret in obeundis nostris ministeriis, cùm Rex non permitteret adiri capitis damnatos, ut in spiritu juvarentur. Arceri domo nostrâ populum metu Regis. Quòd Rex ad colloquia vel ægrè, vel rarò nostros admitteret. Negari reditum Loandam, nisi fieret promissio revertendi Congum.

14. Negotium DEO plurimùm commendantes, harum rerum summa capita exarant in charta, procurant tradi Regi, certiorémque fieri, nisi salvis iis, quæ proponebant, non posse subsistere Societatem in ea regione; postulare se, responderet, quæ ipsi viderentur, ut conveniens rebus nostris capi possit consilium, & superiores edoceri. Intra sesquimensem nihil responsi datum. Post eam moram rescripsit mera verba speciosa. Igitur dederunt litteras Latinè scriptas ad Superiores, ne, si interciperentur, intelligi possent. His malis accreverunt variolæ genus pestilentiæ apud eas gentes, magnâ mortalium strage per omnes grassatæ, Rege incolumi, ut esset duplex Numinis flagellum.

15. Fessi omnes crudeli dominio Garciæ Regis ad se liberandos invitârunt Emmanuelem Jordanem Ducem Sundensem. Contracto is numeroso exercitu ducit copias ad metropolim Regni. Increbescente rumore subobscuro de hostili exercitu misit Rex nostrum Michaëlem Alphonsum, ut placaret Jordanem. Superveniente de vanitate rumoris nuncio, jussit regredi Patrem. Verùm paulò pòst sciens reipsa Jordanem adventare mittit P. Paivam, qui benignè à Jordane exceptus, noluit iter relinquere. Tria tum rogaverat: ne violarentur templa, ne funderetur sanguis, ne res Lusitanorum abriperentur. Promisit Jordanes adhibendam curam, ut ea observarentur; nec secus factum est.

16. Redeuntem Paivam, ac memorantem, quæ contigissent, Rex gravatè audivit. Unus è pessimis Consiliariis, adversus quem Jordanis veniebat inflammatior, Regi dixit, Patrem nihil aliud egisse, quàm cum Jordane constituisse modum rei gerendæ. In his angustiis, licèt tantùm sexcentos in armis Rex haberet, decrevit expectare hostem, & urbem tutari. Sed nocte se intendente armati illi, deserto Rege, sibi fugâ consuluerunt. Rex ipse cum Regina & paucis domesticis profugit in terras Comitis Soniensis patrui sui, sperans se ab eo restitutum iri. Verùm Soniensis, quem etiam Garcia offenderat, ad eum misit, ut in certis oppidis subsisteret, atque per internuncios secum de suis negotiis tractaret. Illic moratus Garcia trimestri; amisit conjugem & aviam parentis Petri matrem, in qua plurimùm confidebat propter ingentem fœminæ authoritatem inter Dynastas Congenses.

17. De fuga Regis certior factus Jordanis misit, qui comprehenderent, sed assequi non poterant. Sub finem Aprilis urbem ingrediens locavit in throno regio Ambrosium, Regis Alvari nepotem, jam quinquagenarium, ut tunc

vi-

videbatur, mentis maturæ, quamvis dies ipsa aliud ostendit. Protinus jussu Regis, & Moxi congorum P. Jatinus adiit Loandam, Præfectum Lusitanum edocuit, cur esset regno privatus Garcia. Licèt ægrè, suasit tamen Præfecto conanti Garciam restituere, à tali consilio abstineret, Regémque agnosceret Ambrosium. Sic rebus compositis, & itineribus expeditis, Jatinus revertit in Congum.

18. Garcia profundo oppressus mærore 23. Junii infelicem diem obiit. Feliciorem in Collegiolo Congensi 10. Martii Hieronymus Mendius Coadjutor: operam impenderat erudiendis in ea regione pueris. Sentiebamus viri jacturam in ea sociorum paucitate. Aucta S. P. Ignatii, & sociorum existimatio, dum Regis palatio & templo maximo conflagrante allatis à P. Michaële Alphonso S. Protoparentis reliquiis periculosum incendium extingueretur. Rex scripsit ad Philippum & Pontificem, rogans, mitti Episcopum de Societate.

Annus 1627. Soc. 88.

1.

Profecti ad Indiam. Martio mense sex iter instituerunt ad Indiæ gentes, quatuor Lusitani, unus Italus, Belga unus. Sub finem anni eodem vela solvente triplici nave regiâ, vecti sunt tres de Societate P. Emmanuel Barreirus Lusitanus, Mazagonia. PP. Raynaudus Gouvea, & Bartholomæus Rubothus, Catalauni. Mazagoniam in Africa excolebant Emmanuel Cordeirus, & Antonius Pereira, sacerdotes.

Tres SS. Martyres Japoniæ. 2. Die quintâ Septembris summus Pontifex Urbanus VIII. donavit apotheosi nostros Japoniæ Martyres Paulum Michium, Joannem Gotum, & Didacum Jacobum Guisayum. Anno sequente Provinciæ Collegia solemnem celebritatem ipsis apparavêre.

Mors Fernandi Napolii. 3. Conimbricæ diem 28. Januarii feralem habuit Fernandus Napolius scholasticus, natus Mandefreni diœcesis Visensis. Ejus præclaræ dotes ac virtutes magnâ spe socios compleverant. Animam nullo unquam graviore peccato commaculavit, quin tenui labeculâ affligebat sese. Ardenter exoptavit navigare in Indiam, & fecisset, nisi mors intercedisset cursum anno Societatis septimo.

Mors Sebastiani Fernandii. 4. Ibidem 17. Februarii octogenario majorem mors sibi vindicavit Sebastianum Fernandium ab obsequiis domesticis, Labundi ortum in diœcesi Portuensi. Plurimis per diem & noctem horis orabat in templo nixis genibus. Ter incredibili charitate serviit peste infectis. Nunquam ex ipso auditum verbum imperio Superiorum contrarium. Præcognovit tempus mortis suæ.

Mors Antonii Joannis. 5. Ejusdem Collegii vivorum numero expunctus est 26. Julii Antonius Joannes Coadjutor, natus Silvæcscuræ in diœcesi Visensi. Cùm ano 1610. pergeret Eboram ad Societatem ineundam, obvios habuit adolescentes, qui dissuadebant iter. Subinde adfuit alius adolescens, qui in proposito confirmârat, quem Antonius dicebat fuisse suum Custodem Angelum. In Angola, vel Brasilia, missus à Superiore in quandam silvam conspicit ad se venientem tigrem: nihil turbatus feram alloquitur: *Quid vis? huc sum missus ab obedientia.* Ad quam vocem bellua gressum vertit, séque condidit in silvæ latebras.

Obeunt P. Gonsalus Luisius, & Joannes Franciscus. 6. Domus Professa Ulyssiponensis doluit 12. Januarii solutum corpore P. Gonsalum Luisium, Ulyssiponensem, 4. votorum Professum, Concionatorem optimum. Non illius animum plausus extollebant. Humilitas, patientia, & paupertas cordi erant. In sublevandis miseris ejus plurimùm colluxit charitas. Die 14. Augusti socium nactus est Coadjutorem Joannem Franciscum Carrasqueirensem diœcesis Ulyssiponensis. Annis viginti collegit ostiatim eleemosynas, quibus alitur ea domus. Modestia, sui demissio, sancta & prudens simplicitas, serena frons, index animi virtutibus exornati, fecerant omnibus acceptum.

7. Au-

7. Augusti vigesimâ secundâ ibidem vitam posuit P. Leonardus Sà Vianensis Interamnensis. Procuratorem & ministrum egit in diversis Collegiis. Domum Professam Procurator & Præfectus templi locupletavit eleemosynis ad egregia opera conficienda acquisitis. Virginis matris, & Eucharistiæ cultui studebat curis impensissimis. Multus erat in tribunali confessionum. Humanitas, quâ corrigebat pœnitentes, omnes ad ejus pedes allexit. Moritur P. Leon. Sà.

8. Domûs hujus incolæ ardentissimè desudabant in exercendis nostris ministeriis. Conquisitis eleemosynis liberârunt carceribus quàm plurimos. Dominus Alphonsus Furtadus, cùm iniret Archiepiscopatum Ulyssiponensem, donavit ducenta & quinquaginta regalium æreorum millia, ut noster Procurator carcerum egentiores vinctos indueret. Provinciam universam hoc anno cœpit regere P. Antonius Abreus Ulyssiponensis. Ministeria Domûs Professæ. Novus Provincialis.

9. In Angola 27. Augusti inter mortales esse desivit P. Antonius Machiadus Villaregalensis in Transmontana provincia, frater Francisci Machiadi, qui pergens ad Æthiopiam adeptus est martyrium. Post studia Theologiæ petivit in Angolam mitti, consilio unicè cum Superioribus communicato. In Angola Lusitanos ad bellum comitatus prælio commisso divinitus ipse servatur; nam ad ejus pedes cadebant sagittæ, quin ferirent. Dominante contagio, miseris auxiliatus, in ejus laboribus animam perdidit ad charitatis aras. Mors P. Antonii Machiadi.

10. Suspiciosus & inconstans nationis genius in Collegio Congensi res modò tranquillas, modò turbidas reddit. Primis duobus mensibus in ministeriis obeundis omnia cesserunt ad votum. Initio Martii morbo correptus P. Michaël Alphonsus trium mensium spatio ægrotavit: ideo P. Joanni Paiva necessum fuit, ministeriis relictis, curam ægro impendere, cùm socius alius non superesset. Nam P. Jacinus cum Sequeira coadjutore adhuc morabatur Loandæ tractans Regis negotia, de quibus anno superiore relatum. Res Congensis Collegii.

11. Non tamen Paiva omisit verberationem publicam exhortatione præviâ. Cùm non esset ædes sacra tanto numero capiendo, fiebat verberatio in in area ante fores templi. Non erat res ullius incommodi apud eos Nigros, cùm solum tergum flagellarent, & ipsis moris sit à capite ad umbilicum nudos incedere, unicè velatos palliolo super cutem, quod ipsi dicunt *encuta*. Maximè mirabantur, cùm simulacrum *Ecce Homo* convolvebat ad populum cruentata terga: non visâ manu volvente simulacrum, arbitrati sunt artificium latere stupendum. Vocabat ea novitas apud illum nimis rudem populum non solùm urbanos, sed & oppidanos ex finitimis locis.

12. Non diu licuit esse quietæ pietati, malo dæmone indignante sua castra deseri. Quiritantur Regi, populum ac Dynastas congregari in templum nostrum, quædam accipi juramenta, quibus se obstringebant ad res illic transactas minimè vulgandas, tegi sub his perniciosa Regi consilia. Credulus Rex misit altâ nocte præconem, qui per urbem discurrens denunciaret: adessent omnes sequenti diluculo ad aream palatii. Ut somnum discuterent, priùs pulsabatur cymbalum, quod portabant comitantes præconem. Confertis omnibus in area post solis ortum, egressus unus è Magnatibus proclamavit. Regi notum ad S. Ignatii haberi juramenta, & consilia perniciosa; qui sciret, puniendum atrociter, nisi extemplò cuncta Regi proderet. Metu perculsi omnes repentè abstinuerunt ab adeundo Collegio. Tunc P. Alphonsus, quanquam valde imbecillis, cum P. Paiva Regem conveniunt, & de falso testimonio queruntur contra fidelitatem Societatis, cùm nullorum hominum fides probatior sit erga suos Reges; se ad Congum non venisse ullis tractos commodis, cùm regionem insalubetrimam experiantur. Ipsius negotia non alii, quàm Jatino credita. Rogare se, jubeat coràm adesse delatores, ut mendacii convincantur.

13. Perspiciens Rex, quàm inconsideratè fecisset, culpam omnem conjecit, tum in Ministrum, qui nesciret explicare voluntatem suam; tum in populum, qui sinistrè esset interpretatus. Igitur, duobus obsectantibus, voce præ-

conis notum fit populo, fuisse mendacia, quæ Regi dixissent: posse, qui vellent, adire domum & templum Societatis.

14. Paucis evolutis diebus, oritur non minor turbatio. Præfectus Loandæ voluit punire Sobam, sive Regulum Ethnicum, qui se dicebat subditum Regis Congensis. Id ægrè Rex ferens coram suis pronunciavit, eò tendere mentem Lusitani Præfecti, ut causas habeat ditioni suæ subigendi Regnum Congense. Usque adeò Moxicongi exarserant, ut armis sumptis more indicentium bellum variis cursibus atque recursibus ante fores Collegii, ac Lusitanorum domos prælulerint, jactis in Lusitanos injuriis & minis: mactarentur omnes, nisi metus esset a Præfecto Loandæ, apud quem Jatinus ad votum Congensis cuncta temperavit.

16. Cùm dialogus esset ad scenam paratus pro celebritate S. Ignatii, & Rex efflictim cuperet tempus adesse, suaserunt misero artificium latere ad ipsum deturbandum throno, & evehendum novum Regem. Correptus eo timore misit exploratores, atque insuper armatos, qui Collegium circumstarent; simul ipse venit stipatus militibus: spectavit oculis semper vigilantibus, ne quà cuniculus erumperet.

16. Acceptæ litteræ P. N. Generalis, quibus respondit ad objectas difficultates sedem in eo regno figendi. Animabat ad perseverantiam, animarum non deserendam conversionem propter obortas tempestates, quas semper excitaret malus dœmon: Curarent habere Regem propitium; se scripturum ad Regem Philippum, ut negotio faveret. Reipsâ pervenerunt litteræ Regis Philippi, & Præfecti rei Lusitanæ ad Congensem, quibus ille singulariter est recreatus. Complevit lætitiam P. Jatinus Loandâ cum socio Sequeira accedens. In significationem grati animi Rex dono misit Collegio pretium ducentorum & quinquaginta cruciatorum, auxitque reditum annuum dari solitum.

17. Cùm essent quatuor, & gauderent valetudine, discurrêre per pagos & vicos urbi vicinos. Ubi instructiones agerent radicem, commendabant curam edocendi catechesim, & repetendi alicui de Nigris. Sub anni finem duæ sodalitates erectæ. Joannes Paiva alteram instituit SS. Trinitati dicatam: in eam solùm admissi adolescentes nobiliores, qui duodecimum annum excederent ante contractum matrimonium. Alteram sacratam divo Ignatio condidit P. Jatinus: hujus Albo non alii adscripti, quàm Magnates vel conjugati, vel vidui. Omnium leges erant, Christianam doctrinam edocere rudes, & ignorantes, præsertim domesticos suos: semel in mense per homologesim expiare conscientiam, & pane sacro muniri, aliàque pietatis Christianæ obire exercitia. Plurimi momenti fuerunt hæc sodalitia ad animas excolendas, ùt tempus docuit.

Annus 1628. Soc. 89.

1.

Mors D. Fernandi Martini Mascarenii.

OCtava supra vigesimam Januarii dies jure potest à nobis recenseri inter nefastas, quâ rebus humanis ereptus est Illustrissimus Dominus Fernandus Martinus Mascarenius Inquisitor Generalis, heros dignus monumentis ære perennioribus. Natus monte majore novo diœcesis Eborensis. Studuit Eboræ Latinis litteris, Philosophiæ ac Theologiæ; Convictorum è numero fuerat in Collegio ab Cardinali Henrico instituto, & cum ipsius morte extincto. Migrans Conimbricam vixit in Collegio divi Pauli. Post aliquot annos factus est Academiæ Rector. Anno 1594. creatus Algarbiensis Episcopus.

2. In eo munere secutus exempla sanctorum Præsulum, effusissimus erat in pauperes. Semel roganti stipem pauperi largitus pallium suum; aliàs donavit corpori detractum thoracem laneum, cùm non haberet ad manum, quod tribueret. Non fuit pagus, quem non lustravit vigil antistes. Pestilentiâ Farum metropolim diœcesis depopulante, ab urbe non recessit, adiit ægrotos, & con-

consolabatur afflictos. Anglicanâ classe, quæ diripuerat Gades, imminente urbi Lacobrigæ, eò cum milite contracto festinavit Episcopus, urbémque defendit. Subinde fundavit nostrum Farense Collegium, ut in eo formarentur idonei Ministri Algarbiensibus paræciis servituri.

3. Promotus ad Inquisitoris Generalis dignitatem magnopere studuit fidei conservandæ integritati, puniendo acerbis suppliciis contumaces & perfidos. Vir fuit ab avaritia & ambitione alienissimus; non acceptavit Episcopatum Conimbricensem, non Ulyssiponensem Archiepiscopatum, quos illi Rex obtulerat. Societatem nostram semper ùt rem suam tutatus. In comitiis habitis Ulyssipone sub Rege Philippo III. cùm nonnulli declamâssent adversus Societatem, & ejus scholas, sic Fernandus est incensus, ac tam solidas pro rebus nostris cumulavit rationes, ut ampliùs mutire malevoli non auderent.

4. Habuit in Societate, ùt dictum, quatuor fratres. Frater etiam erat Hieronymus Præfectus Ormusiensis in sinu Persico, qui Societatem in India hæredem ex asse instituit. His pecuniis Goanæ Domûs Professæ templum, ubi est corpus S. Xaverii, ædificatum. Voluit Fernandus dare Societati munera in Tribunali S. Inquisitionis, sed dimotus ab ea mente per Antonium Mascarenium. Sepultus est in templo Domûs Professæ, ubi cernitur hodie lapis sepulchralis inciso lemmate. Ejus mors omnibus bonis ingentem attulit mærorem; reputabatur enim Lusitanæ Nobilitatis honor, ac delicium. Typis mandavit opus de libero arbitrio.

5. In Domo Professa celebratus est Provincialis conventus, Præside P. Antonio Abreo. Suffragati sunt, ut iret Romam Procurator, Patri Jacomio Monteiro Lousanensi, Præposito Domûs Villævissosanæ, qui in Italia diem obiit. Conventus Provinciæ.

6. Sodalitatis pœnitentiæ D. Ignatii in Collegio Ulyssiponensi fama crevit cum exemplis optimis. Ex ea quatuor & viginti sodales hoc anno se diversis tradidêre sacris familiis. Adibant sæpe nosocomium, vertebant pavimenta, sternebant ægrotantium lectos, eósque consolabantur. Sodalitas S. Ignatii.

7. Conscenderunt plurimi navem Indicam cum Episcopo Apollinare Almeida, successu parùm felici; nam postquam navis mensibus quatuor luctata est cum vento & mari contrariis, coacta fuit regredi Ulyssiponem. Tres de nostris amisimus sacerdotes: 14. Maji P. Michaëlem Minoyum natione Japonensem. Ad fidem conservandam fugit ex Japonia in Indiam, unde venit in Lusitaniam. A nostris Eboram missus, ubi post studia Philosophiæ creatus Artium Magister, Romam contendit ad invisendam Ecclesiæ Romanæ majestatem in fonte suo. Illic adscriptus Societati navavit operam Theologiæ. Regressus in Lusitaniam, dum navigat ad ferendas Japoniæ suppetias, attingit patriæ Cœlestis portum. P. Emmanuel Rodericus Eborensis, & P. Octavius Falconius Italus, ambo ardentissimis studiis expetiverant Japonensem missionem; hæc desideria muneravit Deus morte suavissimâ. Profecti ad Indiam, & mortui.

8. Octo Brasiliam petiêrunt, sacerdotes sex, duo Coadjutores, quorum unus Belga pictor. Ibat futurus Provincialis P. Antonius Mattius. Captâ ab Hollandis nave quatuor annos vixerunt sub eorum potestate. Ad Capitis viridis insulas sunt missi PP. Dionysius Lopius, Franciscus Ferreira, & Gonsalus Vasæus Coadjutor. Graves perpessi morbos. Novembri mense ex iis periit Lopius. Profecti ad Brasiliam, & Caput Viride.

9. Alphonsus Furtadus Mendossa Ulyssiponensis Archiepiscopus, & Regni Prorex, nocte Dominici Natalis, ne turbaretur habitantium quies, intravit solus domum tironum, sacrum mediæ noctis celebravit, distribuit tironibus angelicum panem, audivit eorum coram domino pia colloquia, magno pietatis sensu. Discessurus ad perseverantiam illos cohortatus adjecit, ut magìs confirmaret, testari se posse jurejurando, in Ecclesia Dei non micare fulgentiorem virtutibus & sanctitate Religionem. Impertivit multa præmiola, quibus inter explicandam catechesim donarent pueros. Pietas Lusitani Proregis, & in nos honor.

Obit P. Antonius Fernandius.

10. Placuit vitæ, mortisque arbitro 14. Maji Conimbricæ ex arena ad cœleste bravium evocare P. Antonium Fernandium in eadem urbe natum. Magnum ipsi ingenium, præclaræ ad sacrum suggestum dotes. Tradidit Rhetoricam Ulyssipone, & Eboræ; præterea Philosophiam. Eboræ & Conimbricæ professus sacras litteras Doctoris insignitus gradu. Postea studio salvandi animas permotus navigavit in Orientem. Domûs Professæ Goanæ egit Præpositum. Ob rem magni momenti (non inveni explicatam) in Europam regressus est. Postremos annos vixit Conimbricæ scribendo in sacra Biblia. Typis mandavit Commentaria de visionibus Testamenti veteris.

Obit Emmanuel Fernandius.

11. Ibidem 27. Septembris, octavo Societatis anno morte immaturâ præreptus est Emmanuel Fernandius scholasticus Nizensis. Pollebat ingenio singulari. Revertit ex itinere Indico, in quo præbuerat mirandum charitatis exemplum serviendo ægrotis. Existimatum illius morbum originem ex tanto labore traxisse. Nam Conimbricam missus, ut vires reficeret ad sequentis anni navigationem iterandam, morbo supremo decubuit: sensibus alienatis, unicè iterabat hoc verbum, *Japonia*. Quo patuit, quàm esset illius affixa cordi. Ajebat enim, imbecillium esse horrere tolerandos labores propter jam toleratos.

Obit P. Franciscus Martinius.

12. In Sanfinensi Residentia die 4. Novembris mortale corpus posuit sexagenario major P. Franciscus Martinius Coadjutor spiritualis. Modestia prorsus mirabilis indicabat animum ornatum virtutibus. Tempus superfluum à confessionibus audiendis, & piis exercitiis impendit librorum lectioni. Nihil æquè perosus, atque superbiæ vitium.

Obit Blasius Diasius.

13. Eboræ 20. Octobris vitam profudit Blasius Diasius Coadjutor Bracharensis. Diligenter per diem incumbebat officiis domesticis sibi injunctis; noctis bonam partem insumpsit orando coram Eucharistia. Cæteris affabilis, in seipsum asper & severus. Quotidie suos artus castigavit flagello, torsitque aliis piæ crudelitatis instrumentis.

Incrementa templi & Collegii Eborensis.

14. Templum Eborense ditatum est sacrâ supellectili; pegma, in quo feriâ V. hebdomadæ majoris exponitur Eucharistia, eis augetur operibus, ut per id temporis aliud non fuerit pari majestate. Emptæ duobus millibus & quingentis cruciatis telæ pretiosissimæ argento & auro intertextæ, quibus exornatur templum intra cancellos majores. Præterea sunt facta peripetasmata pro vestiendo templo cætero in majoribus solemnitatibus. Structa pro vestiario Collegii domus ampla, & super eam aula pro magna bibliotheca.

Benevolentia Ducis Brigantini.

15. Villævissosæ Theodosius Brigantinus Dux nostræ Domûs Fundator animum verè paternum singularibus signis exhibuit Societati. Frequens apud nos erat, quin observantiam religiosam perturbaret. Si tintinnabulum admonebat examinis, aut alterius obedientiæ, interrogans, quid esset? recessit, obediamus, inquit, ego etiam sum filius Societatis. Dum in triclinio nostro sumeret prandium, non sinebat sibi aliquid apponi diversum à ferculis sociorum. in gravem morbum incidens, testamenti executores instituit filium hæredem, suum Confessarium, & Præpositum domûs nostræ: verùm cùm Patres id nostris legibus adversari respondissent, abstinuit ab ea designatione, jussitque tradi Præposito testamentum. Tot preces in Cœlum fusæ pro Theodosio mortem arcuerunt.

Fervor Petri Lancastrii.

16. Petrus Lancastrius quartus filium Ducum Aveirensium hoc anno succensus flagrantissimis studiis animas salvandi, & in Japonia pro Christo fundendi sanguinem 10. Martii litteras dedit ad Adm. Rev. P. Generalem nostrum, quibus explicabat à sexennio urgeri se ejusmodi desideriis, unicè rem communicâsse cum nostro Emmanuele Fernandio condiscipulo suo, qui præsenti anno ad Indiam conscendebat navem: commendat summum secretum, è tirocinio, insciâ matre, nam pater obiverat, transferendum ad navem vela jam solventem. Se jam donare Societati Japonicæ quatuor Cruciatorum millia reditûs annui, præterea quidquid ex parentum hæreditate ad se pertineret. Quid Generalis respon-

responderit, non comperi: sed prudenter conjicitur oblationem factam non acceptâsse.

17. Præter alias missiones, quæ multæ fuerunt, una commemoranda venit extra Lusitaniam in urbe Tingitana, Lusitanorum colonia ad oram maris Atlantici. Fernandus Mascarenius urbis destinatus à Rege novus Præfectus noluit eò proficisci sine nostris sacerdotibus, qui sibi & præsidiariis forent auxilio in rebus animæ. Viro de nobis immortaliter merito non potuit non geri mos. Comitati sunt P. Antonius Ferreira, & P. Antonius Pessoa. Unà cum Præfecto Hispalim petiverunt itinere terrestri. Triremibus regiis transfretârunt in Africam. Tingitanum sinum tenuêre 18. Junii. Missio in Africa.

18. Penè quinquennio substiterant in ea coloniâ. Nihil per eos annos laboris omissum, quo urbs posset excoli. Etiam mortuo Latinitatis Magistro, cùm deesset, qui munus obiret, aperuerunt duo gymnasia. P. Pessoa docebat Rudimenta Latinitatis. P. Ferreira syntaxim, & expositiones librorum ejus linguæ: ponè in concionando indefessus; pollebat in id ministerium claris dotibus, & magnâ vi ad animos in peccatorum pœnitentiam molliendos. Sedatæ sunt innumeræ discordiæ, abactæ concubinæ, profanæ cantiones abrogatæ. Cautum, ne Christiani pueri adirent ædes Judæorum. Simul vetitum, ne Mauri mercatores intra urbem Mahumetanam exercerent cæremoniam.

19. Nam qui ad negotiandum venerant, ter, manè scilicet, meridie, & Sole cadente, lotis pedibus, manibus, & capite, altùm clamabant voce patriâ: *Non est DEus, nisi DEus Cœli, Mahumetus fuit ejus nuncius.* Ad nobilem fontem in medio fori id fiebat hactenus; sed amota est profana cæremonia ab oculis & auribus Christianorum. Alii abusus quàm plurimi sunt extincti. Nihil aggressus Ferreira, quod non fortiretur optatum exitum.

20. Congense Collegium cum utraque fortuna luctabatur. Duæ Sodalitates, de quibus anno superiore, ad opera pia succederunt omnes. Idem pietatis studium, quod viros corripuerat, stimulavit nobiliores fæminas. Igitur per viros, ac filios adeptæ, ut & pro ipsis conderetur sodalitium. Paruit earum votis P. Michaël Alphonsus. Dicata illarum Sodalitas B. Virgini de Populo, firmata legibus sexui congruis. In eam adscriptæ quæque matronæ sanguine illustriores; plurimæ Reginæ priorum Regum conjuges, quarum exemplis cæteræ permovebantur ad virtutem, & sanctos mores. Res Collegii Congensis.

21. Non defuerunt procellæ adversus Patres & sodalitia ortæ à Clericis. In vulgus sparsère, non esse opus in Congo hominibus Societatis. Quòd vitam degerent otiosam, erexisse illas sodalitates, ut ad se populum artificiis allicerent. Privari clericos suis emolumentis, quibus vitam alerent. Nostrorum mentem eò tendere, ut Magnatibus & populo sibi obstrictis, nihil nisi ad ipsorum arbitrium in regno moveretur. Vicarius Episcopi jactavit, ubi accessisset Episcopus è Lusitania, compagibus se, & clavis ostia Collegii confixurum. Regis Confessarius ipsum admonuit, caveret à Patribus; venisse in Congum, ut regnum subjicerent: his technis sodalitatum viam ad tantum scelus paulatim sternere.

22. Sodalibus nomina dabant hypocritarum, qui, postquàm enormia scelera detexissent apud Clericos, aperirent levia Patribus, ut fingerent virtutem. In eas suspiciones Rex compulsus his, aliisque Clericorum mendaciis, ut miserit, qui excubarent in omnia, quæ in sodalitiis aguntur. Hos inter motus subit urbem 8. Martii Emmanuel Jordanis Dux Sundiensis. Post salutatum Regem in vincula conjecit aliquot Magnates de sodalitio S. P. Ignatii, jussitque tractari crudelem in modum. Rumor vulgavit Regem scripsisse ad Sundiensem, veniret ocyùs, ut se morti eriperet, quam constituerant inferre 8. die Martii Sodales Ignatiani.

23. Nequaquam, ut metuebant Patres, refrixère in obeundis piis exercitiis sodales. Vincti egregiam ostenderunt patientiam. Providit in tot angustiis divina bonitas. Nam Jordanis accusatus, quòd Regnum affectaret, capitis

damnatus non habuit, qui liberarent à postremo supplicio, nisi Patres, quorum precibus illi vita concessa: sed relegatus ad Zairi fluminis insulam, illic omnium egenus vitam ærumnis plenam consumpsit. Soluti vinculis Dynastæ. Rege in aciem educente copias, non aliî Sodalibus fideliores, nec chariores fuerunt. Præter has animi molestias, Nostri corporis morbos gravissimos perpetiuntur. Ad instaurandas vires P. Michël Alphonsus cum Sequeira coadjutore ivit Loandam. P. Jatinus penè laborans anhelitu supremo, S. P. Ignatii ope invocatâ, mortem evasit.

Annus 1629. Soc. 90.

1.

Moritur Provincialis.

DEcimâ die Junii in Domo Professa S. Rochi orbatur Provincia moderatore suo P. Antonio Abreo Ulyssiponensi. In humaniori litteratura æquavit optimos sui temporis. Ter Conimbricæ dixit è suggesto coram Academicis de laudibus S. Elisabethæ Reginæ. Expulso de Societate Martino Soario Magistro Philosophiæ Conimbricæ suscepit Abreus idem magisterium, discipulum habuit Alexandrum filium Ducis Brigantini. Illic egit scripturæ sacræ Professorem. Cum plausu auditus è suggesto sacro. Rexit Collegia Ulyssiponense, Eborense, Conimbricense, Domum Professam, postremò universam Provinciam. Nec subditus, nec Superior consuluit suis commodis, nec admisit in victu, aut vestitu aliquid singulare. Charum DEO, & hominibus fecerunt mansuetudo, benignitas, & charitas. Nominavit Vicarium Provincialem Ven. P. Antonium Mascarenium.

Obeunt PP. Melchior Teixeira, & Emmanuel Secus.

2. Alii duo sacerdotes ibidem extremum efflârunt spiritum. Augusti die tertiâ P. Melchior Teixeira natus in insula S. Mariæ. Agebat Procuratorem Carcerum. Charitas & patientia, quales id munus poscit, in eo fulsêre. Reliquum tempus post exacta munia vel impendit audiendo pœnitentes, vel commentatione rerum divinarum. Gaudebat gradu Coadjutoris spiritualis. Vigesimâ primâ Octobris P. Emmanuel Secus quinquagenario major, sacris missionibus peragendis totus deditus: in id munus habuit singulares dotes. Comparabat se ad obeundam Septæ in Africa missionem, cùm mors hæc meditantem intercepit. Natus erat Covilanii.

Profecti ad Indiam.

3. Unus & quadraginta ad Indiam solverunt diversis navibus impositi. Prætoria vexit Michaëlem Noronium Proregem: eam conscendit noster Apollinaris Almeida Niceensis Episcopus, qui passus martyrium in Æthiopia. Ex dicto numero erant 24. Lusitani, cæteri diversarum nationum. Redibat in Japoniam Ven. P. Sebstianus Vieira glorioso martyrio subinde illustratus. Obiêre tres sacerdotes, Antonius Vivas, Didacus Vivas, & Scipio Consulinus. In morbis, qui vexârunt omnes, plurimùm nostrorum illuxit charitas, cumprimis Domini Episcopi; nec enim in auxilio miseris ferendo dissimilem se diligentissimis præstitit. Vigesima primâ Octobris tenuit prætoria Goanum portum.

Profecti in Angolam, & Caput viride.

4. Ad Angolam missi sacerdotes quatuor, Antonius Almeida, Petrus Tavarius, Lusitani; Lactantius Leonardus Italus, & Nicolaus Fanalius Belga: quibus additi duo Coadjutores Antonius Franciscus, ac Petrus Lopius. Ad Residentiam Capitis viridis concessit Visitator P. Sebastianus Araujus cum socio P. Antonio Vasæo.

Novus Provincialis. Obeunt tres tirones.

5. Demortuo Provinciali successit Ven. P. Didacus Monteirus. Morbis vexata domus tironum. Nonnulli de medio sublati. Octobris 14. Emmanuel Alvarus tiro sacerdos magnæ virtutis. Cùm offerretur ipsi si vellet, iter ad auram patriam, respondit, se vitam posthabere Societati. Ibidem 19. Decembris phthisi conficitur Franciscus Rodericius: interrogatus, si quid cuperet? Cupio, inquit, dissolvi, & esse cum Christo. Vigesimâ secundâ Julii rapuit præmatura mors Petrum Delgadum scholasticum Alvitensem, qui hoc anno se tradiderat Societati. A teneris vixit deditus studio virtutum, & singulari erga

B. Ma-

B. Matrem affectui. Existimatum ante mortem ab ipso conspectam Virginem, ab ea prædictam obitûs diem.

6. Conimbricæ de vivorum statione decessit penè octogenarius 27. Decembris P. Petrus Gonsalvius Coadjutor spiritualis. Solidæ virtutes optimum virum & juvenem, & senem condecorârunt. Plurimis annis procuravit bona Collegii summâ integritate. Illius pudicitia ab effronti muliere tentata est, sed repulit generosè lenocinium. Nullis minis absterreri potuit, quò minùs prosequeretur in litibus jus Collegii. Ob judicii maturum pondus sæpe factus est Collegii Consultor. Orationi impendebat longum tempus. Moritur P. Petrus Gonsalvius.

7. Nefas est præterire silentio remedium adhibitum presbytero perditissimo. Æstuabat desiderio puellæ speciosæ. Cùm nulla diligentia satis esset explendæ libidini, rogat veneficam, malis artibus sibi redderet obnoxiam puellam. Spopondit illa, si sacris operans partem sudarii sui tingat in sacrato calice, atque ad se ferat: eo sudario præsentissimum se veneficium temperaturam. Obsequitur hominum impurissimus, ad aram faciens extremâ sudarii parte tangit sacras vini species: ecce tibi! sudarium repentè apparet sanguineum: ab eo in linteum sacrum (Corporale vocamus) cecidêre quinque sanginis guttæ, tanquam renovarentur eo maleficio quinque Dominicæ plagæ. Sudarium, ut tegatur scelus, involvit in corporali. Finito sacro involucrum fert in suam domum horrore plenus: iterum, atque iterum lavat, sed non eluitur sanguis: in flammas mittit lintea, momento redacta in cineres. Sub hæc miser in se reversus perpendit non sine lacrymis patrati sceleris magnitudinem. Adit Conimbricense Collegium, aperit Confessario abominationes suas, à quo remedium accepit facti pœnitens, didicitque frænare deinceps libidinis impetus, quos non primere perire est. Scelus enorme.

8. Perutilis Collegii suburbanæ villæ prope mundam flumen contigit liberalitas Senatûs Conimbricensis. Via publica per mediam villam prope nostrum ædificium patebat usque ad vadum fluminis, ubi adhuc vocamus portum. Illac populus transibat. Non erat liberum villam omnem muro circumdare. Concessit Senatus, ut mutaretur via, quæ nunc porrigitur ante ostium villæ, potuitque cingi, ac defendi muro. Commodum villæ Conimbricensis.

9. Accrevit cultus SS. Ignatii & Xaverii in oppido *Linhares* diœcesis Conimbricensis. Jussit Parochus fieri Divorum simulacra, locata sunt in templo magnâ solemnitate. Misit Conimbricensis Rector aliquot eorum Sanctorum reliquias, quæ per oppidum circumlatæ solemnissimâ pompâ, servatæque in templo. Deinde cœperunt divi Indigetes eorum opem implorantibus patrocinari. Cultus SS. Ignatii, & Xaverii.

10. Eboræ vitam proflavit Bartholomæus Laurentius Coadjutor Transmontanus septuagenario major, Societatis anno quinquagesimo tertio. Plures annos Eborensi Academiæ fuit à secretis. Quotidie septem horas illi commercium cum DEO. Notissima erat illius charitas adversus ægrotos, & adjuvando cæteros socios coadjutores in officiis domesticis. Diebus, quibus nostri in villam ibant ad laxandum animum, ipse speciales corpori vexationes infligebat, dicens, illum diem esse vacationis animæ suæ. Festo Virginis in Cœlum assumptæ mori petiit, & impetravit. Vitam edidi inter tirones Ulyssiponenses. Moritur Bartholomæus Laurentius.

11. Unus è nostris Eborensibus urbem exhilaravit conversione. Judæi Legis Magistri. Hic tinctus baptismo, didicerat Judaicas cæremonias discurrens per synagogas Italas & Gallicas. In Lusitaniam eas docturus veniebat. Comprehensus ab Inquisitoribus, atque in vincula conjectus. Non semel nostri hominem allocuti, ut errores suos detestaretur, actum egerunt. Quamvis convictus rationum pondere, non exuebat insaniam. Igitur damnatur ad flammas vivus comburendus. Ajebat stultus venturum Moysem, ut suum discipulum eriperet morti. Rapitur ad supplicium transverso in ore ligno, ne blasphemias in Christum effutire posset. Alligatus jam erat super lignorum struem, ignis applicitus; populus in eum jacit lapides; ictus unus felicior decutit lignum ori transversum. Protinus exclamavit, Christianum se mori velle. Conversio Judæi.

Extinctis festinantissimè flammis, per confessionem expiat animam, execratur errores suos; mox fune gulam frangente subjectis ignibus crematur.

Conservatoris Eborensis Collegii meritum in Societatem. 12. Monumentum ære perennius meretur in rebus Eborensis Collegii nobilissimus Dominus Antonius Rodericius Silveira Canonicus Eborensis, Collegii nostri & Academiæ Conservator, vir in nostris immunitatibus conservandis ac tuendis contra Archiepiscopum Josephum Mellum constantissimus. Tum Archiepiscopus, tum Inquisitores enixissimè rogârunt, à nobis defendendis desisteret; noluit assentiri. Munus Deputati Inquisitionis reliquit potiùs, quàm nostri Conservatoris. Per summam injuriam ab Archiepiscopo detrusus in carcerem, ex eo profugit, recurritque ad Pontificem. Tunc Archiepiscopus in eum tulit sententiam de non faciendis suis Canonicatûs emolumentis: perculit anathemate, quòd per pascha non satisfecisset præcepto sacræ Communionis in templo maximo. Re plurimùm ultrò, citróque ventilatâ, Urbanus Pontifex anno 1631. declaravit enerves fuisse, ac nullius vigoris sententias omnes Archiepiscopi adversus Silveiram, jussitque restitui fructus Canonicatûs. Lis hæc inde traxit originem, quòd circitor Academiæ noctu pro suo munere post datum signum receptui per urbem discurrens exuerit armis sibi obvium circitorem Archiepiscopi. Orta deinde controversia, quinam Judex esset de crimine cogniturus, Vicarius Archiepiscopi, an Conservator Academiæ, cui jus favebat.

Emolumenta templorum. 13. Templi Madeirensis Collegii lapis primus multâ cæremoniâ jactus est ab urbis Episcopo, præsente summo totius insulæ Præfecto. Dissenserant hi duo. Rector Franciscus Cabralius ad villam suburbanam invitatos, humanitérque tractatos mutuâ conjunxit amicitiâ. In Collegio Michaëlensi erecta est Sodalitas S. P. Ignatio: primus author fuit insulæ Præfectus; tot enim laudes ac miracula pro concione audiverat de S. Patre, ut illius cultûs promovendi studio sit incensus.

Patrocinium S. Xaverii. 14. Indica navis non longè ab insula Tertia habuit obvias quinque fortissimas naves Hollandorum. Diebus non minùs duodeviginti inarsit navale certamen, acerrimè utrinque pugnatum. Cùm cerneret Hollandus ludi operam in lateribus navis Lusitanæ tundendis, nam ad duo millia globorum è majoribus tormentis illuc contorserat, malos frangere, vela rumpere moliebatur, atque omnibus spoliare armamentis, ut cursui fieret inutilis. Sacerdos noster omnes exhortatur ad implorandam opem divi thaumaturgi Xaverii. Parent monenti, sublatâ in navis medio Cruce de lignis feretri S. Xaverii, preces recitanrur, sacerdos Cruce benedicit propugnatoribus, & omni instrumento bellico. Ocyùs nomine Xaveriano invocato disploditur adversùs prætoriam hostilem à Lusitano tormentum ictu tam felice, ut sub clavo ad aquæ superficiem navem ruperit. Cùm triduo laborârent incassùm in exhaurienda sentina, & obturando hiatu, non dubitantes vorandam fluctibus recessêre, potuítque Lusitana se recipere in Angrensem sinum. Ubi solemni facto sacro, Deo ac Xaverio habitæ grates.

Res Collegii Congensis. 15. Congense Collegium non pauca hoc anno est perpessum. Etsi Rex Ambrosius noverat fidelitatem Sodalium Congregationum, & Nostrorum, sicque ostendebat se benevolum, ut P. Jatinum ægrotantem sæpe inviseret; Clerici tamen non cessabant mendaciis ejus in nos animum commovere. Regi persuaserant, missos Societatis homines ab Hispano Rege, ut post devinctos omnium animos possent Hispani facilè Congum in suam redigere potestatem; has esse illius antiquas artes ad proferendum imperium. Non poterat Rex ampliùs occultare conceptum adversus Patres odium. Inter pocula cum suis loquebatur de modis inferendi Patribus injurias. Adeuntes Regiam coram suis, & Lusitanis cumulavit probris. Cùm hæc in vulgus spargerentur, metu Regis abstinebant omnes à commercio nostro.

16. Cogitavit Barbarus de Sodalibus omnibus duarum Congregationum trucidandis eo tempore, quo conventuri essent ad exercitia pia sodalitii. Propereà Magnati sibi in paucis charo meutem suam aperuit, ne constitutâ die interesset. Verum ille plùs DEum, quàm tyrannum reverens declaravit Patribus, quid Rex moli-

moliretur. Sic omnes effugerunt perniciem. Per id tempus adversus Regem meditata conspiratio: primi ejus indices fuerunt Sodales Congregationum, qui recusabant esse participes tam noxii consilii. Quinquaginta de conjuratis subdidère cervices carnificis ferro: unicus de sodalibus inter eos periviт. Sed animus Regis sic erat imbutus Clericorum suasionibus, ut tot experimentis fidelitatem probantibus non adhiberet fidem.

17. Mense Septembri P. Eduardus Vasæus novus miseri Collegii Rector cum Sebastiano Gonsalvio Coadjutore pervenit in eam urbem. Si Patris adventum Rex gratum simulans jussit, ut rursum instaurarentur Sodalitatum exercitia. Paulò post acceptis de Loanda litteris contra Societatem scriptis denuo ejus animus Euripo mobilior avertitur. Illud eveniebat providentis DEI singulare argumentum, quòd, quanquam foveret Rex animos Patribus infensos, sæpe miserit munera, ceram pro templo, & pro sumptu Collegii pecuniam. Scripsit, per quietem sibi objectam fuisse personam ignotam, quæ monuerat, Patribus succurreret illis eleemosynis. Adjecit relictum suavem odorem in cubiculo, & se vehementer cupere, quæ illa fuerit persona, cognoscere. Inter hanc rerum varietatem ex lætis semper tristia expectantes ob nationis & Regis mobilitatem annum præsentem in eo Collegio transegimus.

Annus 1630. Soc. 91.

1.

INsula Michaëlensis obnoxia terræ motibus & incendiis secundâ die Septembris decimâ noctis hora Cœlo sereno metuendùm tota contremuit, continuatis terræ motibus usque ad horam secundam post noctis dimidium: in ea regione, quam Furnas dicunt, erupit ignis de visceribus montis, & instar præcipitis fluminis decurrit in mare, quæque obvia redigens in cineres. Præter infantes dicuntur igne consumpta hominum ducenta capita. Vastati nonnulli pagi. Mirandum fuit, quòd in uno ex his pagis templo dejecto, manserit illæsa sacra pyxis cum Eucharistia, & simulacrum pueri JESU. *Eruptio ignis in insula Michaëlensi.*

2. In urbe Ponta delgada, ubi est Collegium Societatis, ita horrore perculsi omnes, ut crederent solvi mundi machinam. Triduo dies ipsa tam obscura fuit, atque nox densa propter nubem opacam ex cinere ortam, quem in altum ventus extulerat. Quamvis decidens alibi sepelierit proceras arbores, in urbe solùm texit superficiem terræ. Nostri per eos dies nocte, diéque aures confitentibus commodârunt. Institutæ ad templa diversa supplicationes, ut placaretur Numen. Catini cinere pleni pro mensa positi, ut capiendum cibum præsens calamitas ejusmodi conspectu obortis lacrymis conspergeret.

3. Longo & periculoso itinere ad Indos excurrerunt septem supra viginti, unus Gallus, cæteri Lusitani, sacerdotes tredecim: præerat omnibus P. Antonius Rodericius Arrayolensis. Etsi hoc, & superiore anno tot operarios vineæ Indicæ concesserit Provincia Lusitana; tamen DEus Opt. Max. qui voluit eam tanquam nobile Indicarum Missionum Seminarium, vires suffecit, quibus par sit suis oneribus, & alienis. *Profecti ad Indiam.*

4. Ideo fors etiam Aprili mense tirones sunt restituti Collegiis Conimbricensi, & Eborensi. Regebat Provinciam Ven. P. Didacus Monteirus, quo nullus fuit in hac provincia ad tirones educandos præstantior. Pluribus annis Conimbricæ, pluribus Ulyssipone id egerat magisterium. Eum docuerat experientia, quàm parùm utile foret instruere simul tantum numerum, spectato more nostro, & geniis nationis Lusitanæ. Permoverunt solidæ rationes Patrem nostrum Mutium Generalem, ut assentiretur divisioni tironum; sed id futurum sexennio, ut caperetur experimentum, quænam educatio contingeret magis ex voto. Docuit semper dies ipsa nihil aliud convenire nostrorum tironum educationi. Quippe propter ultramarinas missiones & provincias, quas hæc nostra *Incipiunt Novitiatus Conimbricæ, & Eboræ.*

sustentat auxiliaribus copiis, eget majore numero tironum, quàm qui possit sub unico præceptore instrui.

Mors P. Benedicti Fernandii. 5. In Domo Professa Ulyssiponensi 7. Decembris piè decessit P. Benedictus Fernandius Borbensis, frater alterius ejusdem nominis, qui martyrio coronatus in Japonia. Vix alius fuit diligentior in obeundis nostris ministeriis. Laborabat instar integri Collegii. Quâlibet horâ inveniebatur promptus ad conciones habendas. Quid esset excusatio, nescivit. Pluribus annis egit in ea domo sacræ catechesis in locis publicis magisterium. Innumeri eum conveniebant explicaturi conscientias, permoti opinione conceptâ de illius scientia & virtutibus. Addictissimus fuit SS. Virginis obsequiis: id ejus testantur volumina typis impressa in Genesim, quæ sunt refertissima omni sacrâ eruditione. Ardenter cupiebat vitam finire die B. Virgini consecrato, voti compos effectus pridie Conceptionis.

Mors P. Balth. Alvari. 6. Conimbricæ 12. Februarii supremum respiravit P. Balthasar Alvarus natus Chavii in Transmontana provincia. Annis octo professus Philosophiam, duodecim Theologiam in Eborensi Academia, ubi Doctoris laureâ insignitus, & Cancellarii munus obivit. Sui demissionis studiosissimus, cùm præficeretur Rector Collegio Ulyssiponensi, rogavit instanter, & obtinuit, eo, & similibus liberari honoribus. Aptavit ad typographiam opera posthuma P. Francisci Suarii Granatensis. Illius est opus Expurgatorius Index librorum, qui jussu Fernandi Martinii Generalis Inquisitoris editus in lucem, & opusculum animæ separatæ adjunctum cursui Philosophico Conimbricensi.

Missio in Angola. 7. P. Petrus Tavarius in Angola egregiam impendit operam Nigris edocendis sacram catechesim in locis mediterraneis. Missus ad Bengum Septembri mense anni superioris, mancipia Collegii prædium excolentia reperit bene instructa rebus ad animæ salutem pertinentibus. Eò veniebant Ethnici nonnulli, ut mercede juvarent culturam: hos Tavarius convertit ad fidem. Inde progressus ad cætera prædia juxta flumen Bengum linguæ & sanctæ catechesis peritos secum duxerat: in area lata disponebat Nigros separatos à fœminis: Præeunte Nigro, cæteri more suo canentes repetebant Christianæ doctrinæ capita.

8. Ipse P. Tavarius elatis in altum manibus, digitis crepantibus, more tripudiantium turbam edocuit. Nam, ùt sunt Æthiopes hominum genus tristissimum, magnoperè ducuntur gestibus festivis. Non semel adiit vitæ pericula. Dum pagum (*Libatam* Nigri vocant) ingreditur, videt in area saltantes, aliâq; barbara cæremoniâ sacrificium idolo peragentes. Non tulit id Tavarii zelus, irruit in medium, rapit simulacrum, secúmque defert tanquam victoriæ trophæum, stupente multitudine, & nemine prohibente. Tum ex pago recedens obvios habuit Nigros quingentos, qui propiùs accedere non ausi lapides innumeros in eum conjecêre, nullo tamen jactu perculsum. Idolum, quod adolescentis speciem referebat, dono misit Patri Provinciali; sed perditâ nave in ostio Tagi, spolium quoquè interiit.

9. Est nigris genus mali ominis (*quigillam* vocant) firmissima quædam persuasio interituros se, si contra eam operentur. Campus uliginosus egebat fossâ ad emittendas aquas. Mancipiis viri divitis instillaverat malus dæmon, id ominis esse, in campo illo periturum, qui primus sarculo terram effoderet. Nullo metu, aut suasione moveri poterant ad opus aggrediendum. Memorat rem omnem vir ille Tavario, promittit opem. Vocatis Nigris edicit illud esse dæmonis artificium, qui velit sibi campum. Tali die sint rusticis instrumentis parati, se quoque sumpturum sarculum, ac manum adhibiturum operi primum, ut cernant se vanis imaginibus falli. Adsunt omnes statutâ die, præit Tavarius armatus suo sarculo; terram feriens exclamat: *Abeat immundus dæmon, abeat, relinquat nobis optimum campum;* his, aliisque verbis confirmati Nigri repetunt easdem voces, fossam excavant, quâ campus utilis redditus.

10. Plu-

10. Plurimos Lusitanos, qui solutissimam inter Nigros vitam ducebant, redegit in orbitam. Sustulit innumera veneficia, quibus illæ nationes sunt maximè obnoxiæ. Magnum sibi nomen comparaverat quidam æthiops magicis præstigiis, quibus patrabat res in speciem miras. Tavarius hunc comprehensurus ad se evocat duos Lusitanos, in quorum prædiis vitam degebat veneficus: pollicentur operam, eos comitatur Pater; cui persuadent, subsistat intra domum remotam à prædiis; fugiturum æthiopem, si nôsset ejus adventum. Pernoctantem, foribus repagulo firmatis, occulta manus fustuario delumbat. Manè inciderunt ejus venam; cùm non esset fascia, quâ necterent, usi sunt herbâ. Postea redière Lusitani fingentes itineris fatigationem: reipsâ timuerant malum à mago, nec ausi sunt in eum manus conjicere. Illi dæmon aperuerat Patris conatum, idcirco fustibus mulctati. Sed metuens magus capi profugit in regionem ducentis leucis dissitam, ubi neophytis nocere non poterat, quod illic non forent.

11. Meditabamur etiam expeditionem terrestri itinere ad Æthiopiam finitimam mari rubro. Creditum Romæ, posse viam aperiri, quâ sacerdotes nostri adirent Abassinos, quando portus maritimos Turcæ præsidiis occupaverant. Negotium commendatum Patribus Michaëli Alphonso, & Joanni Paivæ, viventibus in Congensi Collegio regionis Cœlo assuefactis. P. Eduardus Vasæus Congensis Rector rem temerariam, ùt erat, existimans, scripsit ad Generalem & Provincialem gravia rationum pondera, & difficultates insuperabiles, quæ priùs deberent maturè perpendi, ne vitæ periculis evidentibus missionarii exponerentur sine spe exitûs optati. Proposuit longinquitatem itinerum, totius enim Africæ erat vincenda latitudo. Eundum per nationes feras, & insociabiles, quæ nesciant humana commercia; prætereà vescantur humanis carnibus, & se mutuis bellis consumant. Quid? quòd adeò pestifera extraneis sint illius Africæ loca propter cœlum grave, ut nullus de nostris à littore hactenus excesserit vivus, aut certè morbo diuturno erat implicitus. Cumulat horum nomina. Rebus per otium consideratis, visum est desistere ab expeditione humano consilio, & viribus majore.

Via ex Angola ad Abassinos meditata.

12. Claudo hunc annum cum eo, qui vitam clausit Villævissosæ die 29. Novembris Theodosius Dux Brigantinus hujus nominis secundus, parens Joannis Regis, patriæ suæ assertoris invictissimi. Princeps fuit sanctissimis ornatus moribus, quem nec vixisse, nec mori pœniteret. Ut vitam in secessu, & cœlibatu traduceret, voluit repudiare Ducatum suum, & reditus, ac tradere fratri Eduardo, pensione sibi duntaxat reservatâ. Cùm Rex non consensisset, duxit conjugem Annam Velascam de primaria Hispaniæ nobilitate. Conjugii castitatem sic custodivit, ut æquaverit conjuges sanctissimos. Superbiam fastidiebat magnopere, omnibus benevolentissimus. Principis Christiani virtus non est, quam sibi domesticam non habuisset. Nostros homines ex animo dilexit. Ut haberet sibi propiores, domum Professam condidit Villævissosæ, Confessario nostro usus P. Emmanuele Alvaro, qui nonagenius obivit Eboræ anno 1655.

Mors Theodosii Ducis Brigantini.

Annus 1631. Soc. 92.

1.

Petrus Rochia, qui anno superiore Rectoratum Conimbricensem inierat, nominatus Indicarum missionum Visitator, eò concessit cum aliis divinæ culturæ operariis. Sed iniquis ventis & fluctibus cursum remorantibus, & impedientibus, navis cogitur Ulyssiponem proram convertere. Excensu facto, P. Rochia scripsit ad Patrem nostrum itineris successum votis contrarium; paratum se anno venturo navigationem iterare. Plurimùm laudavit Generalis Rochiæ animum cunctis altiorem periculis: non tamen sivit iter re-

Visitator profectus ad Indiam.

petere, sed denuo admovit gubernando Conimbricensi Collegio. In reditu æternitatis portum attigit Petrus Sousa Bracharensis nondum sacris initiatus.

Obeunt P. Emmanuel Feyus, & Georgius Sancius.

2. Nonagenario majorem 7. Maji senio confectum Domus Professa Ulyssiponensis immortalitati addidit P. Emmanuelem Feyum Bejensem. Venit ad Societatem ætatis anno sexagesimo quinto, sacerdos multæ virtutis, & authoritatis, ac singularis concionator. Non ille nobis accessit ad vitam transigendam laboribus immunem. Strenuè laboravit septem & viginti annis, quibus nobiscum vixerat. Primus, qui post conditam Eborensem Academiam, in ea laureatus Artium Magister. Vigesimâ nonâ Junii præmaturè abiit Georgius Sancius scholasticus, acutissimo præditus ingenio, propterea Condiscipuli novum vocabant Aristotelem. Cùm extenuato viribus offerrent Superiores votis religiosis libero domum paternam adire, ut commodiùs consuleret restituendæ valetudini; respondit, nolle se vitâ frui extra Societatem. E virtutibus tulit semper in oculis obedientiam.

Mors Emmanuelis Diasii, & P. Ignatii Simonii.

3. Ibidem 6. Octobris vivorum contubernio exivit Emmanuel Diasius Coadjutor exquisitæ charitatis. Dum enim vigilantissimè procurat sanitatem nostrorum, quos dejecerat in lectum febris perniciosa, eodem correptus malo discessit è vivis suæ charitatis præmio fruiturus. Cum emoriente anno vivere desiit P. Ignatius Simonius Procurator Domûs Probationis Ulyssiponensis. Dum prospicit culturæ prædii Vallis formosæ, quod olim trans Anam flumen donatum à PP. Mascarenüs illa Domus possedit, & postea parùm consideratè vendidit, morbo obrutus est, ut vix se in Collegium Eborense conferre potuerit, ubi piissimè vitâ defunctus. Neminem mortalium facto, aut verbo læsit. Cibi parcus, epulis obviis & vilioribus contentus.

Fundator Collegii Portalegrensis. Donationes factæ Noviciatui.

4. Solemnem professionem nuncupavit 6. Januarii P. Simon Almeida, qui sua bona pro dote Collegii Portalegrensis applicuit: hactenus carebat Fundatore: nomen, & Fundatoris suffragia Simoni concessit Societas. Idem suis expensis ornavit sacellum domesticum tironum Ulyssipone. P. Ruysius Mellus eidem Domui emphiteusim largitus est valentem quatuor cruciatorum millia.

Ingressi.

5. Militiæ nostræ additi, Emmanuel Fernandius Fermosiliensis, qui Regis Petri secundi egit Confessarium; Pantaleon Carvalius Portuensis, erat Collega Conimbricæ in Collegio divi Pauli; Fernandus Gueirosius Canavesiensis, qui migrans ad Indiam multa scripsit volumina, & vitam Ven. Petri Bastii Coadjutoris, obiit nominatus Æthiopiæ Patriarcha.

Mors P. Antonii Leitami.

6. Ex Collegio Angrensi 29. Junii ad capessenda meritorum præmia est evocatus P. Antonius Leitamus Amoreirensis in diœcesi Ulyssiponensi. Post absoluta Theologica studia missus Angram annis ampliùs viginti vitam ibi egit inculpatam. Tametsi addictissimus cubiculo, nunquam tamen otiosus. Neminem externorum invisebat, nec ab externis conveniebatur officii causâ. Foras prodiens consolabatur carcere detentos. Nec verbo, nec facto quemquam mortalium offendit. Per insulam sæpe discurrens sacras peregit missiones, singulari sanctimoniæ opinione. Præscivit tempus mortis suæ. Ad ejus tanquam venerandi hominis funus confluxêre innumeri. Auxit conceptam opinionem eventus mirabilis. Per eos dies furto cereos abstulerant à Sodalitate Annunciatæ Virginis; Sodales funeri & exequiis adstituri alios cereos conduxerunt; postea, ut solveretur pretium ceræ consumptæ examinatum pondus nihil tot horis imminutum fuit.

Res in Angola.

7. In Angolano Collegio strenua navata est opera Nigris erudiendis. Per id tempus duodecim, vel tredecim millia Nigrorum è Loanda transportabantur singulis annis ad Americam Lusitanam, & Castellanam. P. Franciscus Pacomius scripsit regionis linguâ brevem catechesim ad imbuendos fidei mysteriis Nigros. Maximè delectabantur audiendo Pacomio, quòd gentis idiomate uteretur. Idem sacerdos adiit Massanganum per quadragesimam; post excultum oppidum peregrinatus per vicos & pagos vicinos. In urbe Regis Dongani duo de nostris juvabant Neophytos. Hunc Regem evexerant in solium Lusi-

tani

tani. Rex defunctus, quem Dongenses Numinis instar colebant, aliquot reliquit sorores; seniori Ginga dictæ collatum est regnum. Fuerat nutrita Loandæ, & baptismo abluta. Vitam agebat cœlibem. Velut Amazonum Regina gubernavit exercitus, bellatrix ubique fæmina suis præibat augens cunctorum animos, & optimi Ducis partes explens. Cùm non curaret Lusitanis debitam fidem, imò præstaret asylum mancipiis ad eam confugientibus, magno Lusitanorum damno; ab Lusitanis regno exuta est.

8. Pro fine rerum ad hunc annum spectantium non videtur silentio prætereunda mors Hieronymi Gouveæ, fratris nostri Francisci Gouveæ; qui non parùm juvit suis eleemosynis Professam Domum, & præsertim sacrum vestiarium templi, in quo jacet consepultus hâc epigraphe in sepulchrali marmore exaratâ: *Sepultura D. Fratris Hieronymi de Gouvea, qui fuit Episcopus Septensis, & Fingitanus. Ubi etiam conduntur ossa matris illius, & sororis Agnetis de Gouvea. Obiit 11. Julii, anno 1631.* Obit D. Hieronymus Gouvea Episcopus.

Annus 1632. Soc. 94.

1.

SUb novo Provinciæ Capite P. Ludovico Lopo Ulyssiponensi, fratre Alvitensis Dynastæ, mense Januarii renunciato; navigationem Indicam capessivêre quinque, duo Lusitani, cæteri diversæ nationis. In Angolam pariter quinque expediti sunt, tres sacerdotes, duo nondum sacris initiati. P. Gonsalus Sousa ibat cum potestate Visitatoris. Novus Provincialis. Missiones ultramarinæ.

2. Trium hoc anno obitus memoratur. Primus 22. Julii in Domo Professâ P. Antonii Azevedi Ulyssiponensis, septuagenario majoris. Unus fuit è nobilioribus, qui capti sunt à Mauris post cladem Sebastiani Regis. Redditus patriæ studuit unicè virtuti. Quadragenarius dedit Societati nomen, in qua professus tria vota solemnia. Recensetur inter Benefactores domûs tironum, Domûs Professæ, & Collegii D. Antonii. De cubiculo nisi ad audiendos pœnitentes rarò prodibat, quibus plurimum tempus impendit. Deditissimus erat perlegendis libris tractantibus de rebus, quæ juvant, ac nutriunt spiritum. In schola patientiæ egregiè versatus acerbas ægritudines æquanimiter toleravit. Mors P. Antonii Azevedi.

3. Ex Collegio Eborensi sub exitum Julii die trigesimâ ad suam solemnitatem S. Fundator, Pater optimus, filium bonum in Cœlos evocavit Antonium de Cruce Ulyssiponensem scholasticum. Quinquennio tantùm inter nos vixit, sed omnigenâ virtute excultus, etiam priusquàm Societati conjungeretur. Quod illi ob vires debiles arduum erat impetratu. Sed vicit sanctâ importunitate, dixitque de eo palàm noster, cui nota erat adolescentis virtus, Antonium in Societatem adoptandum, ut esset sanctus. Præcellebat sui contemptu, & obedientiâ promptissimâ, ut etiam ab Rectore moriendi facultatem petierit. Moriens modò cum DEI parente, modò cum Crucifixo piissimè colloquebatur. Pedes jacentis in feretro sunt deosculati socii, venerantes Antonii egregiam sanctimoniam; quam notiorem facit ejus vita in opere de tironibus Ulyssipone educatis. Mors Antonii de Cruce.

4. Conimbricæ 9. Octobris vitæ laudabiliter actæ cursum laudabili pariter exitu consummavit P. Emmanuel Nogueira. Societatem amore singulari prosecutus est. Ardentissimè consuluit proximo in salutem afferendo per sacras missiones. Dum confitentem audit ægrotum perniciosâ correptum febri, hæsit illi pestis eadem, ac de vita sustulit. Mors P. Emmanuelis Nogueiræ.

Annus 1633. Soc. 94.

1.

Conventus Provinciæ. Profecti ad Indiam.

COactus Ulyssipone Provinciæ Conventus elegit Romam iturum Procuratorem P. Antonium Moralium, qui paulò antè fuerat declaratus Præpositus Domûs Professæ. Indiam sex petivêre, quorum Lusitani quatuor. Ex his obiêrunt in itinere Sebastianus Alvarus, & Thomas Silveira. P. Albertus Menchisquius natione Polonus donavit Societati prædium pingue, adjecitque: *Nihil jam, quod largiar DEO, restat, præter sanguinem.* Quæ vox celavit de martyrio vaticinium. Erat jam in Lusitania, cùm motum adversus Societatem litigium, ut eam exuerent Alberti donatione: Ideo jussus in Poloniam redire, ut suâ præsentiâ litem disflaret. Rebus ad votum compositis, in Lusitaniam revertens, ad Indiam, hinc in Japoniam navigat, ubi anno 1641. martyrii gloriam indeptus est.

Mors P. Emmanuelis Dinisii.

2. In Domo tironum Ulyssipone mortis falci succubuit P. Emmanuel Dinisius Coadjutor spiritualis, Domûs Procurator, ætatis anno quadragesimo, Societatis quinto. Antequàm adscriberetur Societati, mercaturam exercebat Ulyssipone, sui nequaquam oblitus, nam octavo quoque die sanctissima pœnitentiæ & Eucharistiæ mysteria frequentavit. Secum ipso sua bona dedit tironum domicilio. Orationi horis non paucis vacabat. Multo afflictationis genere subegit corpus. Sacris initiatus, facturus erat primum sacrum, cùm per os effusus sanguis vitam illi profudit.

Missiones.

3. Plurimi Evangelici præcones non pœnitendo sui laboris fructu populos excitârunt ad animas Deo jungendas. Joannes Mendius Tavora Portalegrensis antistes Diœcesim lustrans sibi associavit duos de nostris sacerdotibus. Antistes ipse suis exemplis præibat; nam dixit pro concione, ad ægros detulit viaticum, aliáque obivit ministeria, quibus oves suas ad virtutis amorem incitabat. Oppidum Trancosum in diœcesi Visensi excoluit per Quadragesimam P. Antonius Bandeira. In tribunali confessionum vix credi potest, quot horis continuatis assederit: sæpe factô sacrô, perstabat ad solis occasum, nullo præter divinum panem sumpto cibo. Noctu frequenter vocabatur ad juvandos moribundos. Accessit concionum labor. Adeò sunt eum omnes reveriti, ut nihil sit aggressus animabus salvandis utile, quod non perfecerit.

4. Visensem urbem PP. Ludovicus Autunius, & Joannes Vasconcellius nostris ministeriis incenderunt ad opera Christianæ virtutis. Canonici in factiones divisi cuncta mutuis Ecclesiæ fulminibus turbaverant: industriâ nostrorum sublatæ censuræ, atque concordiâ firmati animi. Hactenus sacellum non erat, in quo fieret sacrum ab incolis publici carceris audiendum. Persuaserunt Canonico viro pio, id opus construeret. Adhibuit rei tam diligentem manum, ut paschate sit in eo celebratum solemne sacrum. Dicabatur Virgini *de Psalmo.* Quantùm conjicio, indicatur Psalmus 50. *Miserere.*

5. P. Petrus Albuquertius Tondelam adiens præter alia memoratu digna, suasit oppidanis, ut sacellum ædificarent eo loco, quo finiebatur supplicatio de Passibus Domini, ne, quod sæpe contigerat, Domini simulacrum esset obnoxium cadenti pluviæ. P. Franciscus Mansus vocatus ad Conciones quadragesimales habendas monte majori veteri, ibi cum plausu ac fructu audiebatur.

Res Collegii Congensis.

6. Pauci, qui vitam ducebant in Collegio Congensi, nunquam sine fuêre. Successerat Ambrosio Regi Alvarus hujus nominis quartus, non excedens annum ætatis decimum tertium. Daniel Silva Dux Bambensis Regis patruus, dominandi libidine parat exercitum sub prætextu liberandi nepotem ab insidiis, quibus eum nonnulli Magnates meditabantur opprimere. Quo specioso titulo suam ambitionem occultans, cum exercitu duodecim millium ad urbem regiam

regiam accessit. Biduo factus est rerum omnium potens. Rex cum suis fugere ad terras, & patrocinia Soniensis Ducis.

7. P. Michaël Alphonsus exitium imminens aversurus Bambensem, ejúsq; optimates alloquitur, sed aërem verberat. Jámque ille exercitum quinquaginta millium educit in aciem, & prope flumen modicum sequenti die trajiciendum castra metatur. Regni magnates longè minorem opponunt, sed DEO confisi, & causæ æquitati in sylva vicina fluvio erigunt Crucem, coram ea sese flagellant, divinam implorant opem, ac patrocinium S. Ignatii, de cujus erant sodalitio. Fusis lacrymis & suspiriis, *Tu DEUS*, inquiunt, *nobis sis testis; tu Cœlum, quod nos tegis; tu terra, quæ nos alis; vos cruentata flagra, vos aræ, vos Cruces, vos silvæ, ac flumina, denique mortales omnes, & immortales sitis testes, nos contra Regem nostrum nec molitos fraudem, nec arma cepisse. Hinc urgemur mari, illinc Zairo flumine, à fronte hostes innumeri: unica nobis spes in DEO, ac dextris, & æquitate causæ.* Non fuisse vanas preces ipsa res ostendit.

8. Garcia Guipacus intrepidus adolescens cum parte copiarum trajicit flumen, ut ab aqua hostem arceret. Sonante classico concurritur. Bambensis sagittâ contortâ procidit. Labente Duce, præcipiti terrore salutem pedibus committunt omnes. Guipacus pede premens Bambensem in suo se sanguine volutantem interfecit. Una Magnatum cura fuit incolumitas, & salus Regis, quem cùm sui deseruissent, perfugerat cum mancipio in silvam. Ibi repertum accipiunt inter ulnas, manum debasiant, venerantur ùt Regem suum, ac magnos inter plausus in Regiam deducunt. Gloriosam victoriam tribuerunt post Deum sancto Ignatio, quem Patronum elegerant, quem configentes inclamaverant. Rex ipse, & Magnates ad Rectorem nostrum Loandensem scripsêre totius rei seriem, ut cum ipso communem participarent lætitiam. P. Franciscus Jatinus, consumptis in Angola duodecim annis, quasi totidem laboribus Herculis exantlatis, facultate ab Ordinis Præposito datâ migravit in Brasiliam, & ex ea in Paraguayum. P. Jatinus it in Paraguayum.

Annus 1634. Soc. 95.

1.

CONimbricæ 27. Maji Patre Didaco Monteiro orbatur Provincia. Vir ille fuit nullis æquandus laudibus, ùt testatur ipsius vita per multos scriptores, & per me typis vulgata. Natus in agro Eborensi paræcia Dominæ de Gratia. Dum Societatem ambit, refrigescens in sancto proposito, decessit in paternam domum. Illac fortè vir transibat Societatis habitu, qui eos cum Didaco sermones de Religiosa vita conseruit, ut recaluerit antiquum desiderium. Eboram reversus se tradidit Societati 6. Januarii anno 1577. Tirocinium continuavit Conimbricæ. Ibidem postea Rhetoricam professus, sequenti die tragædiam erat theatro commissurus, invitatis jam Civibus & Academiâ, cùm jusserunt Superiores, abstineret prorsus à celebritate. Moritur P. Didacus Monteirus.

2. Ægerrimè tulit tantam sibi, ùt multi censuerunt, illatam injuriam, bonique nominis diminutionem. Collectus in cubiculum frementem ac reluctantem naturam sic fregit, ut per os eruperit sanguis. Plures discipuli de Regni nobilissimis suaserunt, desereret Societatem; quid enim esset sperandum ex eo Ordine, qui sic contereret subditorum famam? Ad hæc reposuit, nihil sibi Societate charius; moderatores non culpandos; neque id facturos fuisse, nisi dictâsset prudentiæ lumen. Hinc Monteirus hausit rerum humanarum egregium contemptum. Peractis S. Patris exercitiis, secum statuit inire genus vitæ perfectionis. Non secus factum.

3. Commercium cum DEO erat illi assiduum. Ex hoc divino armamentario virtutes omnes deprompsit, quibus excoluerat animam. Ter obivit Conimbricæ tironum Præceptorem, semel Ulyssipone. Rexerat Bracharense Collegium, Domum Professam Ulysiponensem, totámque Provinciam summo

exemplo

exemplo & integritate. Cuncti ut virum DEO plenum intuebantur. Non fuit virtus religiosa, de qua non reliquerit posteris quàm plurima exempla veneratione digna.

4. Nascentem in præsepi Dominum suavissimè dilexit. Eucharistiam, & Matrem Virginem intimis obsequiis prosecutus est. Quotidie conscientiam apud Confessarium exponebat. In sermonibus de rebus divinis erat omnibus dulcissimus. Præscivit mortis suæ tempus. Non pauca prædixit, quæ probavit eventus. Ejus ossa loculo speciali recondita in sacello domestico S. Antonii. Scripsit, atque in lucem edidit librum piissimum, quem nominavit *Artem orandi*. Non pauci, qui Monteiri patrocinium implorârunt, facti sunt voti compotes.

Obit Franciscus Rodericius.

5. Franciscus Rodericius nonagenarius ibidem 15. Februarii è vivis abiit, ortus Sarsæ in Hispania. Ingressus Societatem, ut esset scholasticus; dimissus ob invaletudinem, voluit ad nos redire, & in gradu Coadjutoris temporalis vitam ducere. Semper usus tunicâ coloris fusci; nigrâ solum vestiebatur, cùm accederet ad sacrum panem accipiendum. Otiosum nemo conspexit. Adeò colebat paupertatem, ut volentes significare aliquem de nostris religiosæ paupertatis studiosissimum, dicerent: *Est in paupertate alter Franciscus Rodericius.*

Obit Barnabas Sousa.

6. Quintâ Maji in Ulyssiponensi Professorum Domo mortali vitâ solutus est Barnabas Sousa Coadjutor Cratensis penè sexagenarius. Antequam accederet Instituto nostro, vitam in agris ducebat innocentem oves pascendo; gaudebat lectione pii libelli sentiens innatam propensionem ad studium sanctimoniæ. Apud nos cocum egit annis triginta in Domo Professâ, quod munus exercuit ineffabili curâ & charitate.

Obit Laurentius Lombardus.

7. Tironum Domus 2. Novembris spoliatur insigni Benefactore suo, vel potiùs Confundatore Laurentio Lombardo, de quo dictum est, cùm animum adjecit Societati ineundæ. Usus consilio P. Fernandi Guerreiri sua bona donavit tironibus, erexit ædificium suis expensis, & optimis industriis opus promovit. P. Monteirus rogavit Patrem nostrum, Laurentio gratificaretur, concessâ professione solemni trium votorum, cùm simile exemplum repertum sit. Vixit apud nos Laurentius religiosissimè. Sepultus est in medio sacri apodyterii. Tegitur sepultura marmore litteris incisis.

Obit P. Emmanuel Eduardus.

8. Eboræ 14. Februarii Lethum oppetivit P. Emmanuel Eduardus, natus in pago de S. Mancio diœcesis & agri Eborensis. Tradidit Eboræ Philosophiam excellentis Magistri nomine. Quò minùs in alia conscenderet magisteria, valetudo afflicta præpedivit. In domesticis officiis peragendis tam frequens, ut, cùm multo tempore Janitorem egisset communis ostii, multi crediderint unicè destinatum obeundo huic muneri. Non sinebat ullum pauperem sine stipe de Collegii porta recedere. Sublimis à terra visus est inter fusas ad Cœlum preces. Cùm olim eum vellet Provinciæ moderator Romam mittere, ut illic navaret operam Philosophiæ, Collegii Rector obstitit, non permissurum se, inquiens, Collegium suum fraudari sanctissimis Eduardi exemplis.

Mors D. Francisci de Bragansa.

9. Meretur in his Annalibus specialem mentionem Dominus Franciscus de Bragansa, filius Fulgentii fratris Brigantini Ducis, magnis perfunctus honoribus ac sacerdotiis. Fuit enim Canonicus Eborensis, Deputatus mensæ de conscientia, Reformator Academiæ Conimbricensis, Deputatus supremi S. Inquisitionis tribunalis, Commissarius Cruciatæ, Senator Palatinus, Consiliarius ab statu pro Lusitano regno Matriti, electus Indiarum Patriarcha. Veniens Matrito in alterum mensem Conimbricæ morabatur. Adventûs conciones audivit semper in templo nostro considens inter populum. Vir erat modestissimus, ab omni alienus arrogantia, profusus in pauperes, unico famulo sequente prodibat in publicum.

10. Cùm in lectum decidisset, bona sua dispersit in opera pia. Constituit Societatem nostram, cui semper peculiariter faverat, suarum rerum hæredem,

dem, ut Eboræ conderet domicilium pro tironibus educandis, quibus promoveretur apud Indos fidei propagatio. Verùm solutis debitis, ac legatis, quæ superer ant, non suffecêre tanto operi condendo. Propterea mandata est executioni prior voluntas, quâ legabat sua bona Domui Professæ Ulyssiponensi. Cernitur ejus inscriptio sepulchralis ad januam vestiarii sacri, & parvum sacellum, quod illius sumptu consurrexit. Conimbricæ tumulatus in templo nostro veteri, quo loco sacerdos in ara principe ad gradus Missæ Sacrificium orditur. Legavit Conimbricensi Collegio regalium æreorum trecenta millia, insuper quadraginta millia pro præmiis inter catecheseos explanationem distribuendis. Domui Professæ Ulyssiponensi quadringenta millia impertivit. Fuerunt multò plura ejus pia legata. Morienti assedit noster Sebastianus Coutus, qui & in exequiis laudationem funebrem ei adornavit.

11. Ad Orientis regiones sex profecti sunt. P. Franciscus Ferreira Conimbricæ agebat tironum Magistrum. P. Antonius Mascarenius obivit in itinere. Quatuor, Gabriel Magalanius, Petrus Ferreira, Antonius Pereira, & Antonius Henriquius, sacris adhuc non erant initiati. Tironum nostrorum numero adjunguntur Joannes Gomius, & Emmanuel Pereira, subinde primarii Professores Theologiæ in Eborensi Academia. *Profecti ad Indiam. Ingressi.*

Annus 1635. Soc. 96.

1.

SUb anni principium luctu oppletur Provincia Capite suo amisso P. Ludovico Lobo. Eboræ 4. Januarii è vivis, imò ad vivos abiit ætatis anno quinto supra septuagesimum, Societatis quadragesimo septimo. Parentes habuit Alvitenses Barones de prima Regni nobilitate. Natus annos octo supra viginti dedit nomen Societati post ærumnas Africanas; nam comitatus fuerat Sebastianum Regem, perpessúsque duram servitutem. Apud nos Latinitati, Philosophiæ ac Theologiæ studuit. Excellentissimis clarebat exemplis, quæ memoro in opere de tironibus Eborensibus. Eleemosynâ, quam iniens Eboræ Societatem templo donavit, factum est amplissimum conopeum sericum, quod per majorem hebdomadam explicatur super regium pegma, in quo veneranda populo solet exponi Eucharistia. *Mors P. Ludovici Lobi Provincialis.*

2. Nihil minùs curavit, quàm splendidos natales suos. Sæpe domum comportabat humeris empta in foro. Grassantibus in Collegio morbis obtulit se, ut valetudinarii curam haberet; summâ & indefessâ charitate partes illius muneris explevit. Imitandum sibi proposuerat admirabilem Domini Martyrem Gonsalum Sylveiram. Plurimas obivit missiones. Annis multis Ulyssiponensis domûs Professorum incola Christianæ doctrinæ egit Magistrum in locis publicis copioso animarum proventu. Rexit Bracharense Collegium, deinde Villævissosæ Professam Domum, Collegium D. Antonii, Conimbricense, Eborense, denique totam Provinciam.

3. Præibat exemplo subditis in acquirendis virtutibus. Nunquam indulsit corpori suo; maceravit abstinentiis, vigiliis, flagris, ciliciis, & continuatis per omnem vitam laboribus. Lustrans secundò Eborense Collegium oppressus est morbo supremo. Ad illius funus aderat omnium ordinum maximus concursus. Ante obitum nominavit Vicarium Provincialem Ven. P. Antonium Mascarenium, qui nonâ die Junii tradidit Provinciæ gubernaculum Patri Petro Rochiæ. *Novus Provincialis.*

4. Biduo antè donatus est in Ulyssiponensi Collegio sexagenario major Melchior Gomius Villanovanus diœcesis Bracharensis. Insumebat orando plurimas horas in odeo templi post expleta sui muneris pensa. Vix avelli poterat è præsentia tabernaculi servantis Eucharistiam. Tum nostris, tum externis erat exemplo Melchioris virtus. *Mors Melchioris Gomii.*

Ven P. Marcellus Mastrillus cum pluribus it ad Indiam.

5. Tres supra triginta, Duce Venerabili Martyre P. Marcello Mastrillo, spiritualem Indis opem laturi abivêre, decem Lusitani, unus Bojus, reliqui Itali. Magnum Ignatii miraculum Xaverius, Xaverii Mastrillus: nam huic ægrotanti, aut morienti potiùs, ùt est orbi notissimum, apparuit Xaverius, sanitati integræ restituit, jussitque adire Japoniam martyrii laureolam indepturum. Nihil æquè Marcellus desiderabat, atque secum ferre depictam veram effigiem S. Xaverii, qualem habitu peregrinantis oculis suis inspexerat. Neapoli, Romæ, Matriti celeberrimos pictores fatigavit, explicando suam ideam, ut referrent in tabulam. Ubique frustra laboratum.

6. Conscensurum proximè navem P. Simon Alvarus Ulyssipone tironum Rector invitavit, ut tentaret, an Dominicus de Cunea socius Coadjutor in ea domo habitans posset assequi penicillo ipsius de Xaverio ideam. Morem Rectori gessit Marcellus, non tam spe motus, quàm ut responderet comitati Rectoris. Dominicus, ùt suo loco dictum, pictor egregius, & præcellentium virtutum, operi manum adhibet, Marcello cuncta Xaverii explicante lineamenta. Plurimùm desudavit, quin ideam transferret in tabulam. Opere desperato se Marcellus in lectum colligit, Dominico per noctem incumbente juxta ideam Marcelli exarandæ picturæ. Cúmque sibi videretur effigiem veram expressisse, defert ad Marcellum; hanc intuitus, lætitiâ vix sui compos: *Hic est*, exclamat, *hic est meus Sanctus: verissima est effigies.* Eam Marcellus tulit usque in Japoniam. Dominicus penicillo in alteram transscripsit tabulam, quæ ad hodiernam diem cernitur in domo tironum prope horologium clauso loculo marmoreo, & speculari defensa à temporis & pulveris injuria.

P. Balthasar Costa.

7. De Lusitanis unus fuit Ven. P. Balthasar Costa, qui primus in Madurensi regione professus Joguium vivendi morem: hunc subinde Nostri sunt imitati ad Ethnicos convertendos eventu prosperrimo. P. Balthasaris vitam vulgavi typis in opere de tironibus educatis Ulyssipone.

Novenna Xaveriana.

8. Per hos annos introducta novendialis devotio in honorem S. Francisci Xaverii ante duodecimam diem Martii, quâ à Gregorio XV. solemni ritu in Canonem Sanctorum relatus est. Sumpsit initium hujusmodi cultus Divi à miraculo recèns memorato de P. Marcello Mastrillo, qui ad augendam Patroni sui venerationem tales preces instituit, quæ primùm sunt habitæ in templo Domûs Professæ Ulyssiponensis, toto jam orbe celebres. Ad hujus precationis imitationem tot sunt per Lusitaniam, atque etiam, ùt intelligo, per Hispaniam, Italiam, Germaniam, aliásque regiones instituta novendialia, ut jure merito Xaverianum novendiale possit omnium dici origo, & caput.

Joannes Dux Brigantinus excipitur ab Academia Eborensi.

9. Eboræ magnis plausibus ab urbe & nostris excipitur Joannes Dux Brigantinus, postea Rex Lusitaniæ. Marchio Ferreirensis Brigantino in paucis charus Conjugem duxit Joannam Pimenteliam. Villavissosâ Dux venit Marchioni gratulaturus ortum primogeniti, eúmque de lustrali fonte suscepturus. Hic est ille, qui cùm hæc scribuntur, adhuc vivit titulo Ducis Cadavalensis condecoratus. Ut erat Joannes unica Lusitanorum spes & amor, totam urbem ejus præsentia recreavit, nostros cumprimis homines, quos specialiter dilexit. In templo maximo, illo audiente, pro concione dixit noster Gaspar Correa: postrema verba hæc fuêre: *Adhuc, Princeps, cernam in tuo capite coronam*, stetit paulùm suspensâ voce, protinus subjecit, *gloriæ, ad quam nos DEUS perducat.* Maximo plausu illa suspensio celebrabatur. Verùm delatus apud Philippum Regem, vocatur Matritum, ùt suo loco narrabitur.

10. Integrâ die in Collegio nostro lubuit Duci commorari. Templum ingrediens rejecit umbellam, ùt fecerat in templo maximo. Refugit semper heros prudentissimus, quidquid posset affectati Regni præbere significationem. Ad templi januam salutatus ab Academia, cujus parietes magnificè exornabantur. De templi absidibus applausêre octo figuræ referentes Brigantinos Duces, & ejus authorem Familiæ. Post sacrum auditum in aulam primariam Academiæ deductus interfuit panegyri dictæ à P. Francisco Freirio Academiæ Professore.

11. Cùm

11. Cùm prandium in triclinio nobiscum sumere dignaretur, de pulpito resonuerunt orationes penè omnibus Europæ linguis. Post meridiem tragœdia de S. Eustachio, quem specialiter colit Brigantina Domus, in atrio Academico producta est, authore P. Andrea Fernandio Vianensi Transtagano, quem postea Joannes in solium evectus sibi voluit Confessarium, & omnium consiliorum participem. Recessit Princeps in Villamvissosam singularibus Societatis nostræ in Brigantinam Domum amoris argumentis magnopere contentus.

Annus 1636. Soc. 97.

1.

Conventus Provinciæ. Collegium Michaëlense. Profecti ad Indiam. Heroicum exemplum.

IN coactis Ulyssipone Aprili mense Provinciæ Comitiis delectus est Procurator in urbem iturus P. Simon Alvarus tironum Rector. Cepit hoc anno Collegii nomen Residentia Michaëlensis. Primus ibi Rector Ven P. Ludovicus Lopius Vidigueirensis. Ad Indiam successu non optando tetenderunt sex: mense Junio Ulyssiponem reverti coëgit importunitas temporis, & maris constans pertinacia. Non silendum heroicum exemplum P. Joannis Freirii. Quinque socii nondum sacerdotes erant Indicæ missioni destinati, expectabantur aliquot sacerdotes Itali, qui necdum advenerant. In his angustiis, profectionis opportunitate jam urgente, Provincialis dat litteras ad P. Joannem Freirium, qui multis annis in Angola fuerat, proponit, quæ sit necessitas, ut saltem sacerdos unus præsit ituris sociis: fidere, ipsum Deo præstaturum id obsequii, se cogere pro potestate non audere. His litteris acceptis respondit Freirius, se paratum obtemperare. Nec secus fecit. Verùm revertente navi non opus ipso fuit anno sequenti.

Missiones.

2. Nonnulli sacerdotes excoluerunt singuli cum socio oppida plurima. P. Joannes Cabralius vocatus Santarium à Lupo Cunea ejusdem oppidi Domino, supplicationem piissimam de Passibus introduxit. Arganilii P. Paulus Madureira eandem supplicationem constabilivit. Ut opus foret perenne, sodalitatem instituit nomini JESU dicatam, cujus esset dictæ supplicationis cura & sumptus. Præter alia, quæ prætereo, matrem filio & nurui placavit. Uxorem ille duxerat invitâ matre. A multis annis nulla effecit industria, ut filium mater admitteret in conspectum. Fæminam dum convenit, & alloquitur P. Madureira, comperit saxo duriorem. Tantùm perstitit alias, atque alias cumulando rationes, ut inflexerit. Ocyùs per sacerdotem, qui P. Madureiram comitabatur, jussit evocari natum. E domo prodeuntem ad infimas scalas egrediens de interiori domo, ferocissimus porcus dentibus & rostro percellit in crure. Nec antè, nec postea id animal in ea domo, aut oppido conspectum. Dæmonem sub ea larva delituisse non dubitatum, indignantem, quòd eriperetur sibi præda, sedem antiquam deseruisse.

3. P. Matthæus Figueiredus excurrit per Bobadelam, & finitimos pagos, ac vicos. In pago sancta Olaya dicto, persuasione Patris locatum in æde sacra tabernaculum cum Eucharistia. Quòd eâ hactenus caruissent, plurimi dè vita cedebant viatico fraudati. Et modus quæsitus ad sustinendum sumptum flammæ perpetuæ. Esgueiram piis exercitiis & concionibus inflammavit per Quadragesimam P. Bartholomæus Pereira cum Ludovico Freirio non sacerdote. Ut in sacro suggesto excellens fuit P. Pereira, commovit ad se audiendum non solùm Esgueirenses, sed Aveirenses Dynastas. Persuasit sodalibus divi Andreæ, ut cæteris sodalitii sui legibus eam adderent, per quam donaretur puero certum stipendium, qui diebus singulis per compita sonante tintinnabulo commendaret populo fundendas preces pro animabus in igne piaculari detentis. Cùm Esgueira parùm ab Aveiro distet, sæpe Dux Juliana ad se jussit ire cum pueris, ut coràm explicaret Christiana mysteria.

Obiit Melchior Sequeira.

4. In Domo Professa Ulyssiponensi die 26. Januarii vivorum Albo exemptus atræ morti in prædam cessit septuagenario major Melchior Sequeira, natus Tondelæ in Visensi diœcesi. Nondum exierat tirocinio, cùm est missus in Domum Professam, ubi omnem vitam traduxit. Aliquot annis egit Subministrum, reliquis Janitorem tantâ virtutis opinione, ut Ulyssipone vocaverint Janitorem sanctum, alii ornamentum domûs. Nec inventus, qui adversùs ipsum posset conqueri: adeò sibi omnes urbanitate devinciebat. Attamen in observandis Superiorum jussis inflexibilis: nullus hominum respectus illis à Melchiore potuit anteponi. Cum externis alii, quàm de rebus divinis sermones, illi non erant. Exercitia pietatis peregit accuratissimè.

5. Annis triginta domûs limen non egressus est. Ter, quatérve per annum rogabat sibi diem concedi, quo liberatus à munere vestimenta corrosa & attrita reficeret manu suâ. Audiens referri facta, quibus summa Dei bonitas fuerat offensa, supra modum contristabatur, vehementer admirans, quòd esset sub Cœlo, qui Factorem suum contemneret. A Deo petierat de vivis abire, quin sociis afferret molestiam diuturno morbo: Subscripsit voto Deus. Mortis diem divinitus præscivit. Etenim post sacrum auditum, extra cubiculum semianimis in terram labitur. Ecclesiæ mysteriis rite procuratus animam pientissimè exhalat. Ut erat indutus & calceatus, locatur in feretro. Illius manus ac pedes & nostri, & externi deosculabantur tanquam viri Deo gratissimi. Cujus vitam edidi in opere de tironibus educatis Conimbricæ.

Obit P. Eduardus Valæus.

6. Eadem domus terræ commisit vitâ & laboribus defunctum 8. Novembris P. Eduardum Valæum Bejensem quinquagenario majorem. Ætatis anno vigesimo quarto tironibus nostris adscriptus est. Missus in Angolam, ab hæreticis captâ nave, durissima perpetitur. Omnibus spoliatum cum aliis viginti quinque conjecerunt in scapham, modico victu obtruso. Inter assidua pericula pervenerunt Loandam. Hi labores prælusêre innumeris in Angola pro Dei gloria subeundis. Missiones obivit quàm plurimas in Congo, Benguela, & aliis regionibus. Acutissimi morbi, quibus ob aëris inclementiam sæpe est attritus, non deterruerunt à novis adeundis periculis. Tercenties, & ampliùs, ejus venæ scissæ sunt ad purgandum sanguinem.

7. Semper Moderatores invenerunt ad quæque difficilia promptissimum, ab excusationibus alienum. Eduardi magna fuit authoritas tum apud Præfectos Lusitanos, tum apud Regulos Ambundenses, & Congi Regem. Sæpe discordias, & bella extinxit. In sella confessionum habuit singulare donum ad animas dirigendas, & arcendas à peccatis; propterea certatim ad ejus pedes innumeri confluebant. Post complures annos valetudinis reparandæ causâ dictantibus Medicis coactus in auram patriam regredi, Ulyssipone Domûs Professæ egit Procuratorem. Apud nostros, & externos venerationi fuit Eduardi virtus. Post mortem, præter picturam vilis pretii, apud eum repertum est nihil. Ex Angola aliud non retulit, nisi quod portaverat, hoc est, seipsum.

Obit P. Mathias Sà.

8. Bracharæ, ubi vitam accepit, ibi etiam posuit die 3. Octobris P. Mathias Sà. Rexit diversa Collegia magnâ prudentiâ, & virtutis exemplo. Omnes noverunt alienum ambitione, & studiosissimum affligendi corpus, innatásque frangendi propensiones. Aditus illi faciles, & verè paterni. Fulsit præclaris dotibus ad suggestum sacrum, quod singulari nostræ Societatis honore frequentârat. Vir humillimus non dedignabatur loqui de sui Parentis opificio. Egit Rectorem Conimbricensis Collegii.

Obeunt P. Antonius Ferreira, & P. Alvarus Camellus.

9. Scalabi occidit 30. Octobris P. Antonius Ferreira natus Penelæ diœcesis Conimbricensis. In urbe Tingitina, ut suo loco dictum, quinque, vel sex annis habuit fructuosissimam missionem, magnis plenam rebus pro DEI gloria, & civium bono confectis. Erat in peragendis concionibus æquè promptus, ac pius. Rexit Scalabitanum Collegium. In prædio Labrugensi tertiana correptus tam vehementi, ut Collegio redditum tertiò recurrens idem genus febris de vivis sustulerit. Plurimùm ille subditos, plurimùm eum subditi dilige-

diligebant. Eboræ 20. Decembris mortalitatem deposuit P. Alvarus Camellus Alegretensis Doctor Theologus, ac Professor illius Academiæ. Cum litteris conjunxit sinceritatem amabilem, fuci omnis, ac doli nescíam, DEO gratam, & hominibus. Cœlitus factus est certior diei, quo de terris erat migraturus.

10. Ob res turbatas nondum desierunt timores in Collegio Congensi. Rex Alvarus quartus, idoneam ad solium nactus ætatem, regni gubernaculum assumpsit. Sed non diu licebat ei Regi vivere; nam subitò collapsus in terram expiravit. Veneno interemptus putabatur. Successit illi frater nothus ejusdem nominis dictus Alvarus quintus. Gregorius vir quidam primarius, qui apud novum Regem cæteros gratiâ superabat, ab eo petiit, ut Danielem fratrem suum efficeret Bambensem Ducem, Alvaro Alphonso ab ea dignitate deturbato. Res Collegii Congensis.

11. Novit Alphonsus injuriam meditatam. Cùm sub specioso velo interimendus vocaretur in urbem regiam, unà cum Garcia Guipaco ejus fratre, decrevit armis se, ac suos tutari. Rex & Gregorius parato exercitu numeroso irruunt in Bambensem: hic suis copiis obvius Regi factus, debellat exercitum, occiso Rege, & aliis de primoribus. Prævios nuncios ad urbem, ac nostros mittit, qui se pacificum venire doceant. Nunquam se defecisse à Rege; sed compulsum defendere honorem suum, ac vitam. Se ne inimicis quidem nociturum.

12. Erat Alvarus Alphonsus unus è Sodalibus D. Ignatii, Christianus optimus, vir ætatis, & prudentiæ maturæ. Urbem ingressus in aream conjunxit omnes Ordines Regni, jussitque, ut ipsi Regem eligerent: Caverent à se in solium evehendo. Verùm non fuit, qui non suffragaretur Alvaro Alphonso. Sumpto nomine Alvari sexti, cœpit rempublicam administrare. Protinus ad nostrum Rectorem Loandensem dedit litteras officio plenas. Simul enixè rogavit, ne P. Michaëlem Alphonsum vocaret Loandam: si tale quid agitaret, contristandam nationem Congensem, cui Michaël instar parentis suavissimi colebatur.

13. Calendis Septembris de Loanda missus P. Jactantius Leonardus, acturus Collegii Congensis Rectorem, intravit urbem Salvatoris ejusdem mensis die decimâ tertiâ, intra tres, quatuórve dies morbo gravissimo corripitur. Sæpe illum invisit Rex, & Garcia Guipacus ejus frater, Dux Bambensis. Malo remedia superante, Octobris die quintâ vitam mansuram incepit. Romæ inivetat Societatem jam sacerdos quadragenario major, & vir notæ probitatis. Eum adhuc tironem ad Angolanam missionem invitavit Lusitanus Assistens; qui nihil ardentiùs cupiebat, quàm animas saluti asserere, libenter complexus est oblatam occasionem. Totum se conformabat ad voluntatem divinam: ideò inter navigandum nulla eum turbârunt pericula. Dicentibus subortâ tempestate, navem mergi, & omnes perire, respondebat pacatissimè: *Mergatur navis, pereamus, si DEus vult.* Si jocandi gratiâ arguebatur impietatis, ajebat: *Nihil est curandum, nisi ut fiat voluntas Dei.* Moritur P. Lactantius Leonardus.

14. Loandæ docuit Grammaticam, discipulos sanctissimis imbuebat moribus. Præter virtutem instillavit etiam politicam urbanitatem, & civiles cum aliis agendi modos. Sæpe in unum conjungens omnes scholasticos, instituebat utiles collationes de rebus ad animam pertinentibus. Justa, Rege, ac Magnatibus præsentibus, concelebrata, quanto apparatu apud eas gentes fieri potuerunt. P. Joannes Paiva jam redierat Loandam valetudinis instaurandæ causâ. In Collegio solus erat P. Michaël Alphonsus cum Sebastiano Gonsalvio Coadjutore.

15. In Angola Hollandus pirata contra Benguelam infestabat mare, commercio cum Loanda intercepto. Ad abigendum hostem Præfectus Loandensis aliquot armavit navigia. Postulat à Rectore nostro sacerdotem, qui militem comitaretur, animarêtque adversus hostem, & esset vulneratis subsidio. Navigium conscendit P. Franciscus Pacomius. Certatum strenuè. Cepimus myo- Res Angolensis Collegii.

paronem Hollandicum, Pacomio inter pericula Lusitanos animante. Pugnâ confectâ, Benguelensis Præfectus Pacomium rogat, vellet tum concionando, tum excipiendo confessiones, præstò esse præsidiariis. Paruit piissimis omnium votis. Hoc anno manus suprema Loandensis Collegii templo est imposita: totum opus lævigato constructum lapide præfefert spectandam pulchritudinem.

Templum Loandense.

Annus 1637. Soc. 98.

1.

Mors P. Georgii Cabralii.

NOnnulli præstantes viri hoc anno desiderati sunt. Tertiâ die Maji Algodrii, ubi natus fuerat, P. Georgius Cabralius. Venit ad Religionem nostram Conimbricæ anno 1587. instructus sub disciplina P. Vasci Pirii tironum Magistri excellentissimi. Cùm Georgius concepisset profundam tristitiam ob tironem quendam dimissum, metuens, ne quid simile contingeret sibi; Magister divinitus cognoscens turbatum animum, & mæroris causam, ad se vocat Georgium: Ne, inquit, fili mi turberis, vives, & morieris in Societate: eris Theologiæ Professor, & in ea Doctor.

2. Humaniores litteras, Rhetoricam, Philosophiam, ac Theologiam docuit Conimbricæ, postea migrans Eboram, eandem professus scientiam, ac laureatus Doctoris gradu rediit Conimbricam, ad moderandam primariam cathedram in Collegio nostro. Unus fuit è litteratissimis hujus Provinciæ. Ulyssipone plurimùm ab omnibus consultus, præsertim ab Inquisitionis tribunali. Egit confessarium Georgii Lancastrii & Julianæ Ducum Aveirensium. Natura ipsa eum formavit beneficum etiam immeritis. Erant illius mores incorrupti. Dionysius Mellus promotus ad insulas Visenses expetiit PP. Georgium Cabralium, & Andream Gomium, quos secum haberet in prima diœcesis lustratione.

3. A multis annis Algodrium Georgii patria factionibus & odiis inardebat. Episcopus illi negotium commendat has discordias extinguendi, quod confecit maximo popularium omnium bono & solatio. Ex immodico labore sanguinem cœpit evomere, cùm non inveniretur malo remedium, ad supremum agonem optimè dispositus in pace quievit. Grata patria solemnissimè ei parentavit, lapidémque sepulchralem statuit cum lemmate inciso.

Obit P. Nonius Mascarenius Assistens.

4. Gravius adhuc vulnus accepimus obeunte V. P. Nonio Mascarenio Assistente Romæ pro Lusitania. Patriam nactus est Montem majorem novum diœcesis Eborensis, heros primariæ Nobilitatis, de quo non semel injecta mentio. Consanguineus fuit P. Mascarenii Legati Lusitani, qui S. Franciscum Xaverium deduxit in Lusitaniam. Societatem ingressus, cùm studebat Grammaticæ primis elementis. Peregit nonnullas missiones in Algarbiis, vocatus ab Episcopo fratre suo. Rexit Domum Farensem à suo fratre fundatam, Collegium Ulyssiponense, Conimbricense, ac Domum Professam divi Rochi, Dux optimus exemplo magis, quàm imperio. Romæ pollebat gratiâ Pontificum, qui id temporis regnârunt, & purpuratorum Patrum, quâ ad res nostræ Societatis promovendas usus est. Laboravit plurimùm in acceleranda apotheosi SS. Patrum nostrorum Ignatii, & Francisci Xaverii. Virtutem & affabilitatem suavissimam Nonii cum nostri, tum externi mirùm dilexerunt. Erat enim Romæ instar communis parentis omnibus Lusitanis, illic sua negotia procurantibus. Fatale mortis imperium sub sua, an ad melioris vitæ jura transcripsit 17. Junii.

Obeunt P. Innocentius Albanus, & P. Emman. Gouvea.

5. In Domo Professa D. Rochi supremum effudit anhelitum P. Innocentius Albanus Italus Principis Mantuanæ Lusitaniam gubernantis Confessarius. De ipso hæc habet Codex defunctorum: *Venit ex Italia cum Principe, cui fuit à confessionibus usque ad mortem. Erat Coadjutor spiritualis jam octogenarius, plurimum alienus à commercio cum domesticis & externis. Tempus residuum*

à pa-

à palatii confessionibus in suo conterebat cubiculo. Vir sincerus, & studiosus demissionis propriæ. Semper communem domûs secutus ordinem, in quo cunctis erat exemplo. Mortuus est decimâ sextâ Februarii. Eboræ mense Julio inter homines agere desiit P. Emmanuel Gouvea Goveensis in diœcesi Conimbricensi. Philosophiam tradidit Bracharæ & Conimbricæ, quæstiones de conscientia Eboræ. Tandem postremis annis ibidem nostros docebat Græcam linguam. Omnes eum tanquam optimum religiosum suspexêre.

6. His funeribus adjungo obitum Nobilissimæ Dominæ Joannæ Vasconcelliæ, sororis nostri Antonii Vasconcellii scriptoris de Regibus Lusitaniæ. Hæreditarius illi fuit amor in nostram Societatem. Ejus enim Illustrissimi, ac dirissimi parentes Bartholomæus Froyus, & Soeira Vasconcellia nostros tanquam suos amârunt. Plurimis subsidiis juverunt Professam Domum, quæ neque arat, neque metit. Joanna post plures annos in Cœnobio de Sanctis, cujus erat monialis, transactos, ut Societatis frueretur doctrinâ, habitis legitimis facultatibus, relicto claustro, venit habitatum in ædibus Domui Professæ vicinis. *Moritur Joanna Vasconcellia, Societatis Benefactrix.*

7. Ne claustrum pertæsa recessisse diceretur, statuit domo non egredi, nisi ad templum nostrum, ubi tres plerumque horas pietati vacabat, neque pluvio, aut æstuoso tempore omisit unquam. Frequenter per homologesim detersis animæ labibus se recreabat pane cœlesti suscepto. Ne nostros quidem admisit ad sermones familiares, nec eam aliquis, nisi in urgentibus, allocutus est. Succurrebat Domui crebris eleemosynis. Quidquid in usum Domûs, & nostrorum de novo fiebat ex tela linea, cum pedissequis, & ancillis suis ipsa elaboravit, vetera sarsit. Annos viginti coluerat hujusmodi sanctissimæ vitæ genus. Ajebat, felicissimam se existimaturam, si nullus dies efflueret, quin adiret templum nostrum. Facta est voti compos. Nam octavâ & decimâ Septembris, feriâ VI. cùm & confessione purgata, & Eucharistiâ refecta manè fuisset, sub vesperum subito mortis insultu prostrata diei sequentis horâ nonâ spiritum DEO reddidit. Sepulta in sacello S. Spiritûs templi nostri, ubi jacebant condita patris illius ossa. Benefactricem agnoscit Tironum, & Professorum Domus.

8. Gravis Societati nostræ accidit seditio adversus Regem. Eboræ turbo sumpsit principium, qui ex aliis oppidis in alia convolando penè totam Lusitaniam abstraxit. Nihil ægriùs ferebat gens Lusitana, quàm dominium Regis externi. Præbuit ansam seditioni decretum Philippi Regis jubentis in album referri omnium Lusitanorum reditus, ut eorum semel tantùm exigeret quintam partem. Publicato Eboræ mandato Regis, sic plebs, ejúsque Tribunus Sesinandus Rodericius exarsit, ut factâ seditione Regius Prætor decreti promulgator ægrè mortem evaserit. Urbs se multis mensibus gubernavit, excusso Regis Catholici imperio. Multa illius seditionis causâ contigêre, quæ referre meum non est. *Seditio Eborensis.*

9. Extemplò Provinciæ nostræ Præpositus sub gravissimis injunxit pœnis, ne quis nostrarium directè, vel indirectè apud externos approbaret hujusmodi seditiones. Cùm P. Franciscus Freirius tertiâ Dominicâ Adventûs haberet in templo maximo concionem, sinistrè nonnulli sunt interpretati ejus verba, tanquam factum laudâsset. Ocyùs eum in carcerem detrudi jussit Provincialis. Scripsêre plurimi Nobiles ad Regem, quàm iniquè Freirius id pœnæ sustineret. Responsum Matrito, vinculis solveretur; quod & factum sine mora, non expectato Provincialis imperio.

10. Quamvis nostri homines, præcipuè P. Sebastianus Coutus, cujus apud Eborenses erat authoritas maxima, laborâssent plurimùm in sedando populo, qui mense Novembri Regi est obsecutus: tamen apud Regem delati sunt ceu motores seditionis Eborensis. Videlicet, Sebastianus Coutus, Alvarus Pirius, Didacus Areda, & Gaspar Correa. Mandavit Rex, irent Madritum, sibi opus esse illorum prudentiâ, litteris, & consilio ad Lusitaniæ motus temperandos. Quò hæc tenderent, subodorati tres, quæsitis ad vitandum iter prætextibus, se periculo subtraxerunt. Solus Gaspar concessit Madritum, licèt pur-

gâsset

gâsset crimina objecta, missus, velut in exilium, ad S. Felicis Residentiam; ubi, dum Lusitania non evexit in solium Joannem quartum, morabatur.

Profecti ad Indiam. 11. Indorum reductioni se accinxerunt quatuordecim, octo Lusitani, cæteri Hispani, & Itali. Plenum morbis & laboribus evenit iter. Occubuerunt morti Andreas Falconius, & Hiacynthus Rochia, sacerdotes; Joannes Turrianus, Paulus Mercurius, Emmanuel Silva, Joannes Godinius, & Emmanuel Leo, nondum initiati.

Patrocinium S. Ignatii. 12. Oppidum Linariense diœcesis Conimbricensis tutelam sancti Protoparentis Ignatii præsentissimam experitur. Didacus Rodericius, uti suo loco dictum, oppidi parochus S. Ignatio sacellum in templo suo condiderat, ibi servatis Divi reliquiis, & institutâ Sodalitate. Locusta nutrita in agris Idaniæ ab annis tribus regionis segetes absumpserat: hoc anno cœpit minari vastitatem Linario, & populis finitimis. Nam ejusmodi pestis nubes densissima quinque leucis in latum, in longum quatuor extenta solem ipsum obscurabat; ubi consedêre insecta, nihil superfuit, quod non corrosissent. Linarium ad poscendam opem è paræciis omnibus confluxerunt supplicantium agmina, Una vox omnium erat: *Sancte Ignati ora pro nobis.* Auditæ preces: nam nubes minacissima aliò transvolavit.

Patrocinium S. Xaverii. 13. Magni Patris beneficio patrocinium à magno ejus filio præstitum subnecto. Moymentæ in Lamecensi diœcesi Maria de Incarnatione divi Benedicti sanctimonialis morbis omnem medicinam respuentibus à plurimis annis laborans, demum hoc anno liberatur. Promittebant sanitatis spem Medici, si concederet ad salutares aquas. Id amanti religiosum claustrum non placebat. Noster Balthasar Saraiva, Mariæ frater, ad eam mittens impressam chartæ effigiem Xaverii admonet, tentet priùs Divi patrocinium. Paruit monenti. Deinde dies duodecim abundantissimè sudorem effudit, & integræ sanitati est restituta.

14. Rogavit prætereà Divum suum, de vivis abiret intra sex menses, si vitam esset ductura minùs gratam Deo. Preces auditæ: certior enim facta de die mortis, quamvis Medici, & moniales affirmanti aurem non præberent, vitam reliquit. Commendârat sororibus suis, quotannis celebrarent solemni pompâ diem festum S. Xaverii. Jussit elaborari simulacrum Divi, quod est in templo locatum. Propterea singulariter apud ejus cœnobii moniales, & oppidum sunt aucta in Patronum suum Xaverium obsequia.

Res in Congo. 15. Nondum periculis vacat Congense Collegium. Gregorius, de quo antecedenti memoratum anno, Rege devicto, & in prælio cadente, sibi fugâ consulens recessit ad Batensem regionem. Ut erat inquietus, populos incitat adversus Regem Alvarum sextum, & exercitu conflato, tendit in urbem, Regnique curiam. Nihil latebat Regem, & ipse comparatas copias educit in perduelles. Spe fretus P. Michaël Alphonsus se Gregorii, & aliorum animos inflexurum, ut Regi suo auscultarent, & sine sanguine transigeretur negotium, castra adit, facultatem rogat conveniendi Gregorium. Excipitur singularibus obsequiis. Declaranti causam respondet Gregorius, se, Comitésque suos non posse tutò Regem armatum coràm alloqui, vel invito Rege laniandos ab exercitu: debere Regem in urbem recipi, atque exercitum dimittere, tum se illius adituros conspectum.

16. Interim Rex metuens, ne Michaël ab hoste retineretur, voce præconis, sonante instrumento regio, quod Nigri appellant *Mucuncum*, jubet per castra publicari, donanda quinque mancipia, aliáque dona militi, qui Michaëlem servâsset incolumem. Post hæc adest cum responso Michaël. Rex indignum ratus sibi legem scribi; nec decorum sibi esse retrocedere: de more enim gentis, quocunque die recederet, miles solutâ disciplinâ, deserto Rege, dilabitur in solum patrium. Illud quoquè contigit in hostium castris, quod Gregorius eâdem cæremoniâ promiserit quinque mancipia, ac munera Conservatori P. Michaëlis Alphonsi. Adeò utrisque par cura fuit de salute viri sibi charissimi.

17. Cùm

17. Cùm nollent hostes arma ponere, Rex desperatâ concordiâ, passis vexillis, sonante classico, in hostem ducit exercitum. Tantus Gregorium, ejúsque copias terror occupat, ut nec sustinuerint primum impetum: unusquisque profugit, quò suus eum rapuit metus. Gregorius è fuga retractus persolvit scelerum pœnas; nam coram Rege flagellis cæsus, sectis pedibus, ac manibus, avulso capite, laceratus in frusta igni tosta, ac projecta voranda canibus. Contigerat ante prælium, ut veneficus Gregorio suaderet obtinendam victoriam, si milites ferrent è zonâ pendentia cervorum cornua veneficiis imbuta. Quo cognito, Rex Alvarus imperavit, nullus de suis ut prodiret in aciem, quin portaret è cinctu suspensam crucem.

18. P. Michaël, priusquàm acies confligerent, se in Collegium contulerat, auditâ Regis confessione, & eodem munito divinis epulis, crudeli morbo in lectum dejicitur. Alvarus lætissimus successu felice, urbem ingressus, adiit nostram domum, eò Canonici processêre, ut sub umbella deducerent in templum maximum, ac Regiam. Ut erat piissimus, jussit sub umbella deferri sanctissimæ Virginis simulacrum, quod habuerat secum in castris; ipse superpelliceo sumpto, inq; manum thuribulo progreditur ante simulacrum, & odorâ flammâ Magnam Matrem veneratur, gratiásque agit ob hostes debellatos.

19. Regnum Loangum à Congo separat Zairus flumen. Illius Rex postulavit ad se mitti viros de nostris; alios enim nolebat, qui populos erudirent fidei mysteriis. Penuria sacerdotum causa fuit, quò minùs Loangensi satisfieret. Rex Dongensis, cujus filius ab annis decem educabatur in Collegio nostro, pariter ad se de nostris mitti petiit sacerdotem. Regina Ginga, nata in Angolæ perniciem, magnopere desideravit mutuum cum nostro Collegio commercium. Ad conciliandos Patrum animos dono misit Regionis suæ munera, ebur, & mancipia. Rejecerunt Patres munera, cùm inutilia censerent ulla benevolentiæ signa à Regina dedita moribus corruptissimis, cujus essent epulæ delicatiores puerorum jecinora, & puellarum papillæ. *Res Angolæ.*

20. Mazagoniæ in Africa morabantur per hos annos Christophorus Azevedus, & Bartholomæus Teuteirus; hunc anno præsenti mors ex hominum contubernio proturbavit, incolarum non modico luctu propter religiosissima sanctitatis exempla, quibus se probaverat legitimum Societatis filium. *Duo in Mazagonia.*

Annus 1638. Soc. 99.

1.

QUinque Lusitani ex Europa ad Indos se recepère. Unius cursum Antonii Coëlii nondum sacris initiati mors intercidit. Ad Residentiam Capitis viridis missus est P. Joannes Gomius Minister Juniorum Conimbricæ. Ad Hyberniam ex Conimbricensi Collegio transiit P. Guilielmus Urleus. In Angolam septem vela solverunt unà cum Visitatore P. Gregorio Luisio, qui annis octo fuerat in insulis Assorum, & rexerat Angrense Collegium. Sub finem Maji sublatis anchoris in altum provecti. Ad oram Guineæ capti sunt ab Hollando myoparone, spe mitiùs tractati ab Hæreticis, cùm novus Præfectus, altero in pugna cæso, quodam pietatis sensu imbutus vir esset humanissimus. *Profecti ad missiones ultramarinas.*

2. Sesquitertio mense sub ejus fuerant potestate. Delati ad oram saltûs Leænæ, inde navigantes ad insulam D. Jacobi sunt à piratis expositi remoto in littore: à nostris illius Residentiæ habitatoribus humanissimè recreati. Cùm navis Indica unà cum Comite Linariensi, qui Proregem Indiæ egerat, & nostro Didaco Areda Linariensis Confessario, ad eam insulam appelleret; illam P. Gregorius Luisius cum tribus sociis conscendens revertit in Lusitaniam. Patres duo Ruysius Mellus, & Emmanuel Mendius, exemplo sanè generoso, regressu in patriam omisso, transeunt ad insulam à divo Thoma, & ex ea petiverunt Angolam.

golam. Antonius Ferreira Coadjutor novitius, cùm esset necessarius Residentiæ S. Jacobi Patribus, illic manens, brevì de vita excessit.

Missiones. 3. Ex pluribus oppidis sacrâ missione excultis copiosum proventum, quòd res communes sint, prætermitto. Monte majori veteri P. Franciscus Gomius exterminavit hypocrisim latè vagantem inter fæminas, quarum regebat spiritum presbyter aut simplex, aut malitiosus. Ut est sexus fæmineus ad obtinendam virtutis opinionem illusionibus, fictionibúsve obnoxius, mentiebantur aliquæ rapi se ad conspiciendum statum vitâ defunctorum; hos, ajebant, damnatos gehennæ; illos piacularibus flammis; tot istos indigere sacris, ut ignibus eriperentur; at sacra hæc non facienda ab altero, quàm à prædicto sacerdote. Extinctis hisce illusionibus, sacerdos Confessarii munere privatus est. Arganilii P. Emmanuel Fernandius introduxit piissimam supplicationem ad funerandum Dominum è cruce depositum. P. Franciscus Teixeira Buarcis, & pagis vicinis cunctos incendit ad colendos obsequiis specialibus nostros Protoparentes Ignatium & Xaverium, quorum picturæ & simulacra diversis in templis sunt locata. Persuasione ejusdem sacerdotis vir dives ac nobilis sumptibus suis excitavit in oppido Villaviridi sacellum S. Francisco Xaverio.

Mors P. Franc. Gouveæ. 4. Domus Professa 17. Novembris perennaturo ævo transcripsit P. Franciscum Gouveam Provinciæ senissimum. Numerabat ætatis annos ferè centum, Societatis octogesimum secundum, huic nomen dederat anno 1556. adhuc vivente S. Ignatio, post cujus apotheosim vixit annos sexdecim. Cùm pedes Ulyssipone Conimbricam ad tirocinium iter auspicaretur, ùt erat inassuetus, tumorem sensit, recurrénsque ad Deum inspicit virum, qui jumentum, quo vehatur, offert, & se viæ comitem. Ubi accessit ad urbis pomæria, & vir, & jumentum amplius non videbantur. Intellexit Franciscus Angelum Domini fuisse. Inde migravit Eboram. Studiis scientiarum decursis tradidit decennio in Eborensi Academia moralem doctrinam, fuitque è primis, qui eam Eboræ sunt professi. Tractatus, quem Anti-Navarrum dixerat, coëgit Doctorem illum celeberrimum opiniones quàm plurimas in libris suis corrigere. Rexit Eborense Collegium & Academiam, Domum Professam Ulyssiponensem, & totam Provinciam. Claruit omnium virtutum luminibus, ùt scribo in ejus vita luci publicæ data.

Obeunt P. Steph. Coutus, & P. Petrus Albuquerquius. 5. Eboræ 17. Septembris octogenario major horam ultimam explevit P. Stephanus Coutus Olivensanus. Annos octo docuit humaniores litteras & Rhetoricam, quatuor Philosophiam, duobus & viginti Theologiam in Eborensi Academia, ubi Theologico pallio donatus, & Cancellarium egit. Plurimùm delectabatur piorum librorum lectione, unde colligebat exempla singularia, de quibus plerumque sermones instituit. Ibidem 27. Aprilis morte deletus est P. Petrus Albuquerquius Guintelensis in diœcesi Visensi. Eminebat ingenio ad magisteria. Professus fuerat Philosophiam proximo quadriennio. Supremum dicturus vale suis discipulis locutus est in ea Pauli verba: *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Extemplò ut quietem sumeret post tam laboriosum magisterium, in suburbanam Collegii villam secedens, tam violento correptus morbo est, ut septimâ die vitæ curriculum absolverit. Interrogatus, an haberet aliquid, quod pungeret conscientiam? reposuit: nihil esse; solùm ex animo dolere, quòd vocatus in Societatem vitam non exegerit dignam tam sanctâ familiâ, ac sociis tam sanctis.

An-

Annus 1639. Soc. 100.

I.

HAbito Ulysipone præcipuorum Patrum Concilio præfuit P. Simon Alvarus, qui superiore anno susceperat Provinciam gubernandam. P. Nonius Cunea Rector Collegii Ulysiponensis Procurator electus Romam more nostro unoquoque triennio mittendus. Magnopere hoc anno res Ulysiponc turbatæ propter litigia Ministrorum Regis cum Pontificio Collectore. Negotium eò devenit, ut Collector fugienti similis discesserit è Lusitania prius Interdicti fulmine perculsa. Erat jam Pace-Augustâ, cùm eum per litteras obsecrârunt Patres Ulyssiponenses, ut ictum fulminis suspenderet pro obtinendis indulgentiis in templo Domûs Professæ Dominicâ quartâ Septembris. Non defuit obsecrantibus. Igitur die illâ viginti millibus personarum distributus panis Eucharisticus. Multæ à nostris in Cœlum preces fusæ, multa observata jejunia, quàm plurimæ voluntariæ macerationes susceptæ placando Numini, ut perniciosa animarum bono extingueretur dissidia. Extinxit annus sequens post felicem Joannis Regis proclamationem.

Conventus Provinciæ.

Conatus domus Professæ ad amoliendum interdictum.

2. Mitrâ Conimbricensi insignitus Illustrissimus D. Joannes Mendius Tavora excipitur à nostris scholis plausu digno Societate, & Præsule amicissimo. Audivit honori suo concinnatam elegantem panegyrim. In Gymnasiis singulis tum Magistri, tum discipuli suavissimis poëmatis consalutant. Prandium frugale in triclinio nostro sumpsit, interim de pulpito variis idiomatis orationes dictæ. Drama varium & gratum ab scholasticis scenæ commissum pomeridianis horis Præsulem recreavit. Ut ostenderet, quanti nos æstimaret, auxit scholas nostras duplici Professore scientiæ moralis. Ad Professores alendos, & locupletandas eorum bibliothecas donavit perpetuum reditum. Primi Professores fuêre PP. Paulus Gomius, & Emmanuel Magalanius.

Joan. Mendius Tavora Episcopus Conimbricensis à nostris excipitur.

Cathedra scientiæ moralis Conimbricæ.

3. Septem ad Orientem aggressi navigationem, contrariis ventis repellentibus Ulysiponem repetere necesse habent. Maji decimâ octavâ solverunt in Angolam cum Petro Cæsare Menesio quinque sacerdotes, & duo socii nondum initiati. Unus de sacerdotibus fuit Philippus Francus, qui & in eis regionibus, & in navigationibus iteratis maxima subivit pericula, ut infrà referemus. Brasiliam petiverunt P. Petrus Moura cum potestate Visitatoris, & socii duo P. Ludovicus Lopius, ac Michaël Gonsalvius Coadjutor.

Profecti ad missiones ultramarinas.

4. Ad plures hoc anno defunctos Stylum transfero. Domui Professæ Ulyssiponensi 24. Octobris avulsus est Hieronymus Silva raræ virtutis Coadjutor. Primam vidit lucem in paræcia S. Eulaliæ diœcesis Portuensis, non sine futuræ sanctitatis indicio; nam videbantur in ejus nati corpusculo tres cruces impressæ, fronti, scapulæ, & pectori. Quòd manum in pugnum clausam gestaret supra pectus, monachus ejus patruus noluit alio, quàm Hieronymi vocari nomine, divi Hieronymi pœnitentis asserens futurum imitatorem. Non delusum falsis imaginibus ipsa dies ostendit. Cognomen Silvæ illi est inditum propter B. Virginem de Silva dictam, quam in templo maximo summâ veneratione colunt Cives Portuenses.

Mors Hieronymi Silvæ.

5. Anno 1601. tirocinio adscripti virtus cœpit inclarescere. Janitorem ostii communis triginta, & ampliùs, annis egit Conimbricæ, in Collegio Portuensi, ac Domo Professâ, maximâ virtutum famâ. Conimbricæ intuitus est sublimem è solo Ven. P. Franciscum Soarium Granatensem. In urbe Portuensi delatus ab Angelo in locum disitum, ut hominem meditantem suspendio finire vitam, morti eriperet. Redux è villa Collegii sacram Eucharistiam suscepit de manu Angeli, dum studio se reficiendi epulo divino sacellum in loco deserto subiisset.

6. Mendici per urbem Portuensem discurrentes ostiatim ad stipem colligendam, singulos, quos rogârant, per nomen Hieronymi obsecrabant. In

Eucharistiæ conspectu perstabat horis plurimis genibus semper nixus. Noctis majorem partem in divinarum rerum contemplatione exegit. Cibo semel tantùm per diem, eóque vulgari ac moderato refectus. Sæpe cœlestia meditantem à sensibus alienatum invenêre. Cæteras virtutes in eo gradu, quo homini fas est, habere videbatur. Præscivit obitûs sui diem, quod ex dictis Hieronymi minimè dubiis apertè constitit. Vitam ejus plenissimam heroicis exemplis vulgavi in opere de tironibus educatis Conimbricæ.

Obit P. Gaspar Miranda. 7. Ex his mundi tenebris in lucem perpetuam excitus est 19. Maji in Eborensi Collegio P. Gaspar Miranda Alegretensis septuagenario major. Annis viginti professus moralem scientiam Eboræ nomine Magistri præclarissimi. Ad ejus laudem nihil dici potest illustrius, quàm quòd Franciscus Suarius Granatensis transscribi fecerit labores Gasparis, ut essent usui pro libris suis in lucem edendis. Ejusdem eloquentiæ Latinæ adversaria profuerunt nostro Vellesio ad locupletandos commentarios in Grammaticam Emmanuelis. Unico tantùm anno vixit extra Collegium Eborense. In tolerandis injuriis, aut dictis aculeatis invictam prætulit patientiam. Nemo conquerentem audivit, nemo corrodentem aliorum facta. Ejus cubiculum spirabat paupertatem. Magni factus ob virtutem & sapientiam ab Archiepiscopis Eborensibus. Acta ejus nequaquam vulgaria publicæ luci commisi in volumine de tironibus educatis Eboræ.

Obit P. Sebastianus Coutus. 8. In prædio Eborensis Collegii, quod vocant *Montes claros*, 21. Novembris vitæ suæ complevit annos P. Sebastianus Coutus, Olivensæ natus in Helviensi diœcesi. Fuit unus è sapientissimis hujus Provinciæ. Scientias Conimbricæ, & Eboræ professus, quæ & Academia supremos ei Doctoris honores apparavit. Magni habitus à Joanne Duce Brigantino. Sapientiam ornarunt dotes egregiæ ad sacrum suggestum. Accessit omnium virtutum singulare studium. Vix poterat pauperibus quidquam negare. Aliquando post eleemosynam datam de numis detractis ex alieno peculio, seu deposito, æs nihil est imminutum. Inter concionandum visus est probatissimæ virtutis fœminæ à SS. Ignatio & Xaverio stipari. Hujus anni æstivo tempore mensium duorum spatio discurrit per oppida & pagos sacram operosè faciendo missionem. Tenacissima inde quartana febris orta remedium omne eludebat. Divertit ad Collegii prædium experturus Cœli mutationem, sed malo ingravescente, ad Superos conscendit. Illius opus & labor est Logica Cursûs Conimbricensis apud Academias orbis Christiani celebris.

Obit P. Valerianus Frias. 9. Vigesima nonâ Maji Ulyssipone, ubi mundo datus, eidem valedixit P. Valerianus Frias. Societati presbyter assertus in Castellana provincia, aliquot jam sacerdotiis locuples. Patrem habuit primarium Regis architectum. Causâ valetudinis afflictæ migravit in Lusitaniam, ubi religiosissimè vixit nostris deditus ministeriis. Sæpe in vicos & pagos excurrit ad populum edocendum. Nocte, diéque promptissimus ibat ad comparandos eos, qui in confinibus æternitatis versabantur. Frequens invisebat Eucharistiam. Quoties prodivit ex cubiculo, nixis genibus venerabatur sacras imagines. Nec aliter, quàm de genu pensum Canonicum persolvit. Plurimùm jejuniis, cæterisque deditus corporis macerationibus. Propter humores noxios usus tabaco, re id temporis insolitâ. Ne serperet hujusmodi pulveris sumendi consuetudo, sub præcepto vetuit totius Ordinis Moderator apud Lusitanos socios usum tabaci. Confestim abstinuit Valerianus. Propterea cumulatis humoribus valetudinem infestantibus succubuit ultimæ necessitati. Cùm enim Medici originem mali comperissent, jam medicinæ non erat locus.

Obit P. Baptista Fragosus. 10. Septuagenario major deseruit mortales 3. Octobris P. Baptista Fragosus, vir consummatæ scientiæ in re morali. Ortus Alagoæ in Algarbiensi regno. Plurimis annis Eboræ, Ulyssipone & Bracharæ Theologiam moralem professus sapientissimi Magistri nomine, quod testantur ejus volumina in lucem edita. Magnæ sapientiæ haud minores virtutes accreverunt, laudis propriæ con-

contemptus, cum DEO familiaritas per exercitia pietatis, modestia, suique victoria.

11. Eborense Collegium 30. Novembris Rectorem suum luxit P. Antonium Moralium, natum Certami provinciæ Beirensis. Egerat Conimbricæ & Ulyssipone tirocinii Magistrum, Præpositum Domûs Professæ divi Rochi. Præivit subditis inculpatæ vitæ singularibus exemplis, sibi severus, cæteris æquus & affabilis. Ejus dicta præ se ferebant sanctum pondus. Ibidem sequitur ad æternitatem 28. Decembris sexagenario major P. Andreas Luisius Eborensis, Mansuetiores litteras, & Rhetoricam, in quibus eminuit, professus Conimbricæ, morales quæstiones Eboræ. Scripserat librum eruditione plenum, cui titulus: *Moyses Aulicus, Pastor, & Orator.* Mors Authoris impedivit, quò minus in lucem prodiret.

Obit P. Antonius Moralius.

Obit P. Andreas Luisius.

12. In Collegio Portuensi 12. Augusti melioris vitæ fecit initium P. Stephanus Castrius Ulysiponensis, vir pius. Librum vulgavit ad morientes inter extrema suspiria juvandos, quo frequenter utuntur in Lusitania sacerdotes, *Castrum bene moriendi* ex Authoris cognomine ipsi vocant. Conimbricæ numerus funerum completus est 8. Decembris obitu P. Emmanuelis Fagundii Vianensis Interamnensis septuagenarii. Rexit Madeirense, Portuense, Ulyssiponense, Eborense, & Conimbricense Collegia. Peculiariter coluit undecim millia Virginum: de ipsis fecit concionem primam, de ipsis postremam. Ad sacrum suggestum clarebat insigni talento. Munia acta satis indicant religiosarum virtutum apparatum. Patres tertiæ probationis instruxerat, cùm eum supremus morbus occupavit.

Obit P. Stephanus Castrius.

Obit P. Emmanuel Fagundius.

Annus 1640. Soc. 101.

1.

NOn fuit annus, ex quo Lusitani stabiliêrunt imperium Nationi suæ, quem sibi æquè felicem, ac lætum duxerint, atque quadragesimus supra millesimum sexcentesimum. Lusitani gentis suæ Regem optantes, externum invitissimi sustinebant. Cùm una esset Brigantina Domus, quæ præter agnationem regiæ familiæ, unde initium duxerat, per Infantem D. Catharinam propiora successionis jura post mortem Henrici Regis acceperit, in hanc Regni proceres oculos, mentémque advertêre. Igitur summo secreto, quod par prodigio fuit, conspirant è Nobilissimis quàm plurimi, Decembris die primâ Regiam armatis occupant, gubernantem Margaritam Ducem Mantuanam deponunt, lacerant Michaëlem Vasconcellium Ministrum à secretis, tam Castellanis addictum, quàm Lusitaniæ infensum, lætissimis acclamationibus in solium avitum evehunt Joannem Ducem Brigantinum.

Proclamatio Regis Joannis IV.

2. Is fuit in re maximi momenti animorum & nationis consensus non solùm intra Lusitaniam, sed in Africa, America, Asia, & insulis, ut pluribus visus sit opus DEI. Secundâ mensis die, quo tempore audiendæ Missæ sacrificio Joannes intererat, nuncius venit de Regno ipsi collato. Vulgata lætitia, omnis Villavissosa, Ducum curia personuit festivissimis clamoribus. Affluxêre omnes gratulari Regi, & Lusitaniæ immortalem felicitatem. Hos inter P. Joannes Nunius Domûs nostræ Præpositus, & cæteri socii Regiam osculati manum, singularem die tertio experiuntur novi Regis benevolentiam; nam Præpositum, cùm ante palatii januam transiret, ad se vocari jussit, cúmque ipso sermones miscuit familiares, plenos humanitate.

3. Anni primâ die templum nostrum Conimbricense aperitur, in quod pridie ab Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Joanne Mendio Episcopo Conimbricensi solemni pompâ, & maximo populi affluxu fuerat Eucharistia translata. Pontificali pompâ & cæremoniâ peregit sacrum primum idem antistes, qui, ùt erat Societatis amantissimus, & Concionator insignis, oratione gravissimâ solemnitatis auxit majestatem. Nobiscum eâdem die sumpsit prandium.

Apertio templi Conimbricensis.

Cœptæ, & dies octo continuatæ de pulpito cum prandii, tum cœnæ tempore conciones Lusitanæ, & orationes Latinæ. Templi lapis primus ab Alphonso Castelbranco die 7. Augusti positus fuerat anno 1598. Solum templi corpus usui esse cœpit; crux enim, & sacellum princeps, quæ alterius templi continent amplitudinem, paulatim constructa, ùt suo loco referetur. Totum templum est ex candido lapide marmoribus affini, nobile, & augustum, tanto dignum Collegio: quod tum regebat P. Antonius Sousa, plurimam supellectilem argenteam largitus ad templi usum, bis mille cruciatis æstimatam.

Missiones. 4. Episcopo rogante, totam diœcesim Conimbricensem pervagati sunt præcones Evangelici, quos misit Collegii Moderator. Naves quatuor cum Prorege Joanne Silva Telo comite de *Aveiras* moverunt ad Indiam; duas conscendêre nostri viginti quinque, tredecim ex his Lusitani. Consultum ægrotis indefessè. Ex immenso labore animas efflârunt P. Franciscus Deodatus Neapolitanus, & P. Dominicus Fonseca Barcellensis. De viginti, qui vehebantur in nave una, duobus solùm pepercerunt morbi, hi cum nostris, tùm trecentis externis attulerunt vitam, juvando remediis omni humanâ ope destitutos. P. Hieronymus Lobus, procuratis incassùm subsidiis Romæ, & Matriti, quibus Romana fides restitueretur Æthiopiæ, unde cum nostris fuerat expulsa, redibat in Indiam. Goam tenuêre 20. Novemb.

Profecti ad Indiam.

Obit Sebastianus Gouvea. 5. Visonium ùt vitæ, ita mortis limen 29. Septembris aperuit Sebastiano Gouveæ scholastico. Non excedebat ætatis annum octavum, cùm de rebus spiritualibus tam maturè solitus erat differere, ut Episcopus Theologum vocaret. Præ aliis familiis, quæ ipsum invitârunt, delegit nostram Conimbricæ. Mores illi, quales amat in adolescentibus suis Societas. Post biennium, quòd febri diuturnâ contabesceret, ad auram patriam cum adjutore laico missus, in domo parentis civis celeberrimi cunctis exemplo vixerat. Nihil ipso modestius, aut ferventius in sermonibus de re divina. Præcoce fato ibidem obiit provectæ sanctimoniæ adolescens. Monachi Cistercienses præter morem suum aderant funus & justa celebraturi. Accidit, cùm sacras vestes involverent, traderéntq; famulis portandas, locò pullarum, quæ in funeribus sunt usui, vestes darent alibi coloris, quibus induti persolverunt justa, ceu non deberent celebrari ullis tristitiæ signis exequiæ adolescentis, cujus vita & mores fuerunt candidissimi.

Obit P. Gaspar Fernandius. 6. Pace Juliâ, seu Bejæ 22. Junii lividæ mortis falci succubuit P. Gaspar Fernandius, ibidem ortus. Annis octo politiores litteras & Rhetoricam docuit. Eboræ sacra Biblia exposuit in Academia, Theologi Doctoris laureâ redimitus. Magnæ ad sacrum suggestum dotes sui temporis ex illustribus prædicatoribus unum fecêre, & gratissimum Ducibus Brigantinis. Utiles per oppida excursiones peregit. Invitatus à suis popularibus ad conciones habendas vitam apud eos deposuit sanctissimè. Liber ejus posthumus typis Eborensis Academiæ vulgatus est, in fronte præfert *Sceptrum Davidicum*. Conimbricæ 23. Octobris naturæ pensum solvit P. Didacus Leitamus, natus in oppido *Certam* Beirensis provinciæ. Docuit scientias cum laude primùm Eboræ, ubi Doctoris purpurâ condecoratus, deinde in Collegio Conimbricensi primariam Theologiæ cathedram moderabatur. Virum probatissimæ virtutis dicit Codex Defunctorum.

Obit P. Didacus Leitamus.

Annus 1641. Soc. 102.

1.

Favores Regis Lusitaniæ. Assertâ in libertatem Lusitaniâ, redditâq; legitimo, & naturali Regi coronâ, experta est Societas nostra pristinam illam paternam benevolentiam, & favores, quibus sub serenissimis Portugalliæ Regibus Joanne, Sebastiano, & Henrico potiebatur. Serenissimus namque neo-Rex Joannes IV. Majorum suorum vestigiis insistens, non solùm sibi, serenissimæ Reginæ, ac Principibus delegit Confessarios ex Societate, quibus se in spiritu regendos tradidêre;

didère; sed familiarissimè agebat cum nostris, eorúmque industriam, ac fidelitatem agnoscens, majoris ponderis negotia aut ipsis communicabat, aut tractanda committebat. Ab ipso missus in Catalauniam P. Ignatius Mascarenius; in Brasiliam P. Franciscus Villena; in insulas Flandricas P. Franciscus Cabralius, ad res magni momenti componendas, qui omnes egregiè functi sunt munere suo.

Missi nostri à Rege.

2. Proclamato in Brasilia Joanne Rege, Marchio Montalvanensis Brasiliæ Prorex Ferdinandum filium suum natu majorem tanquam lætum nuncium hujus promulgationis ad Regem misit: addidit illi comitem P. Antonium Vieiram Concionatorum omnium sui sæculi facilè principem. Filium non post multum temporis secutus est pater, cum P. Ignatio Estafortio Anglo Matheseos Professore, & fratre Gonsalo Vasæo, quos in Brasiliam secum vexerat: etenim fuit Societatis nostræ amantissimus, cui dedit unum è filiis suis nostrum Emmanuelem Mascarenium, de quo loco suo fiet illustris mentio.

Legatio ad Regem.

3. Ad finem anni noster Franciscus Mansus sacerdos, qui morabatur negotiorum causâ Matriti, nactus opportunitatem redeundi occultè in Lusitaniam, comprehensus a summo Præfecto Beirensis Provinciæ, ac Ulyssiponem missus, tanquam vir fidei suspectæ: nam Matriti numerabatur inter amicos Didaci Suarii Lusitani. Habitus est in custodia, dum fit accuratum examen. Tandem solutus est. Nihil fuerat repertum, præter amorem, quo vel per media pericula, & mortem ipsam rapimur ad quræendum natale solum, & vivendum sub Rege patrio.

Franciscus Mansus traditur in custodiam.

4. E Dynastis Lusitanis, qui in hac rerum vicissitudine sinistra inivère consilia lacerandi novi Regis, ac restituendi sceptro Castellano, fuerunt Marchio Villæ regalis, Dux Caminiæ ejus filius, Comes Armamari, Archiepiscopus Bracharensis, Augustinus Emmanuel, & alii nobilitate inferiores. Egregiam operam navârunt hujusmodi reis nostri sacerdotes, ut scelerum suorum pœnitentes decederent; nam omnes, præter Archiepiscopum, publicè subjecerunt cervicem ferro carnificis, edocturi suo supplicio mortales hujus nationis, quàm sancta debeat haberi fides in patriam, ac Regem. Singulis dati sacerdotes æquè pii, ac sapientes, qui eos ad ferale theatrum comitabantur, & suggerebant verba, quæ suprema lucta poscit.

Nostri juvant Dynastas infidelitatis causa occidendos.

5. Duæ naves expeditæ in Indiam, una minor, *pataxum* vocant; major altera B. Virgini à Restauratione sacrata. Nomen impositum, quòd prima post recuperatam Lusitaniam ad regiones Indiæ adornabat iter. Vehebantur sex nostræ Societatis sacerdotes, Antonius Rebellius, & Lucas Correa, Ulyssiponenses; Joannes Pedrosa Leiriensis, Ignatius Correa ab insula D. Michaëlis, Hiacynthus Ferandius, & Antonius Velascus, Itali. Rebellius, & Ignatius Correa mortui sunt in navigatione. Navis jam Goæ vicina ab Hollandis capta. Nostri redempti, singuli centum aureis.

Profecti in Indiam.

6. E Collegio Conimbricensi prodièrunt ad sacras peragendas excursiones plurimi concionatores. Bougam P. Emmanuel Marius, & Sebastianus Riberius. Buarcum Hieronymus Vogadus, & Petrus Figueiredus. In oppidum de S. Comba Franciscus Lopius, & Franciscus Regus. Per Beirensem provinciam discurrit P. Bartholomæus Pereira.

Excursiones sacræ Coll. Conimbricensi.

7. In templo Collegii P. Antonius Bandeira vir spiritûs Apostolici, habens conciones per quadragesimam non vulgarem in plurimis ex Academia fecit morum mutationem. Unus aliâ jam nocte venit in Collegium, postulans vocari P. Bandeiram, quem alloqui vehementer cuperet. Procumbens ad ejus pedes, velle se dixit sua peccata per confessionem deponere. Interrogatus, cur non expectaret auroram sequentem, repofuit: Jacentis in lecto perculit aures meas hæc vox: *Væ tibi misero, væ tibi!* Dum stupens hæreo, iteratur hoc adjecto: *Nonne vides super te DEI gladium acutum?* Tremens è lecto me proripio, ad tuos jaceo pedes; non abibo, nisi depositâ peccatorum sarcinâ. Audivit Confessarius patienter, ac dimisit lætum. Simili voce de veterno alter excita-

Fructus concionum P. Antonii Bandeiræ.

citatus evomuit hærentem animo pestem. Non pauci petivêre sacra cœnobia, ac vale postremum dixêre perituris rebus.

Collegium Angolæ amittitur.

8. Anno hoc maximam jacturam perpessa est Lusitania, amisso Angolæ regno, & Societas amisso Loandæ Collegio. Batavi calamitatibus Lusitaniæ gementis sub Rege non suo indies cum in India, tum in Brasilia potentiores, classe validâ Loandam Præfecti sedem invadunt, ac expugnant. Petrus Cæsar, qui Lusitanis præerat, in mediterranea cum milite, & incolis concesit. Eò & nostros compulit tempestas eadem. Ad Quilundam 28. Septembris naturæ debitum reddidit ærumnis pressus P. Dominicus Novasius. Factis cum Batavo induciis, permisit Lusitanos ad mitiora loca descendere, præter nostros homines: minimè eam conditionem acceptavit Petrus Cæsar, indignum ratus, tam fideles socios, quibus maximè egebant miseri, derelinqui obnoxios cœlo insalubri, & mortifero.

9. Captâ Loandâ, arx Mazangani tenebatur præcipuo Lusitanorum præsidio, hostibus ceu propugnaculum, & murus objecta. Eò nostri homines & Lusitani abiêre. Per id tempus erant in Collegio Congensi PP. Michaël Alphonsus, Dominicus Cardozus cum Antonio Martinio coadjutore. Congi Rex rebus nostris infensus mirùm lætabatur, depulsos Loandâ Lusitanos, eorúmque nomen, & potentiam apud eas gentes parvi haberi. Nostra infortunia putabant suam esse felicitatem.

10. Auditâ Batavorum victoriâ, quâ contra jus induciarum Lusitanos invaserant, ac debellârant ad ostia Bengi fluminis capto eorum summo Præfecto, vix dici potest, quantâ Rex barbarus lætitiâ inundârit, quas minas effuderit tum adversus Lusitanos, tum adversus nostros, qui in ejus urbe versabantur. Per momenta singula cædem expectabant. Mille modis eos vexaverat, tantùm pepercit vitæ. Ad Congregationem de propaganda fide scripsit, ad se mitterent Evangelicos præcones. Ivêre PP. Capuccini, quibus se totum dedidit, libentérque audiebat illos dicentes, Catalaunico bello finito, arma Regis Philippi, exercitúsque in Lusitaniam vertendos; uno die vincendam, ac in perpetuum debellandam. His, aliísque inanibus sermonibus miserrimus oblectabatur, fiebátque in dies ferocior. Euntem socium Coadjutorem in Loandam ad res Domui necessarias emendas (nam id permittebant Hollandi) jussit in itinere spoliari etiam indusio. Renuit deinceps dare pecunias, ùt solebat, quibus Nostri sustentarentur. Inter has ærumnas traxêre vitam, dum Loanda sub hoste fuit.

Moritur P. Simon Alvarus.

11. In Domo Professa Ulyssiponensi 21. Octobris cœlestibus incolis additus est P. Simon Alvarus, Guimaranensis diœcesis Bracharensis. Vir fuit ad litteras, & virtutem natus. Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracharensis sanctissimus eum sacro ungens chrismate, dum manu, ùt moris est, leniter verberat pueri genam, *En*, ait, *iste sanctus erit*. Res ipsa ostendit vocem illam non fuisse vanam; illustribus enim in Societate claruit virtutum exemplis, quæ typis excusa habentur. Tradidit scientias Eboræ, ibíque Doctoris Theologi purpurâ est decoratus. Eandem Theologiam docuit in nostro Conimbricensi Collegio. Rexit Ulyssipone domum tironum, ac Professam. Tandem universam Provinciam. Præibat subditis exemplo magìs quàm verbo.

Moritur P. Alvarus Pirius.

12. Ibidem urnæ sepulchrali illatus est P. Alvarus Pirius Ulyssiponensis ex illustriori Nobilitate Regni. Ejus parens Bernardinus Riberius Paciecus præclarus est in historiis tractantibus inclytas res gestas Lusitanorum. Vix primis Grammaticæ elementis imbutus ad nos venit. Nactus est in tirocinio Magistrum sæpe laudatum Vascum Pirium. Hic dum collationes habet cum suis tironibus de rebus ad spiritum dirigendum, jubet Alvaro tradi homilias divi Joannis Chrysostomi, & eam, quæ se primò offerret, explicare. Paruit cæco more Alvarus, legit, & homiliam totam, quin Latinitatem sciret, exposuit tam perspicuo, ac tam pulchro sensu, ut Magister rem inexpectatam tribuerit cæcæ tironis obedientiæ.

13. Insi-

13. Insignis fuit in erigendis de novo Congregationibus, sive Christianæ pietatis officinis. Ipsius zelo debentur Bracharensis, Conimbricensis, & Ulyssiponensis in templo Domûs Professæ illa, quæ vocatur ex nomine Virginis Doctrinæ, quâ nec ditior, nec splendidior ulla est in totâ Lusitaniâ. In catechesi tradenda tum in foro, tum in locis publicis tantus, & tam fervens eminuit, ut innumerus populus ad ipsum audiendum confluxerit, miris etiam perditorum hominum conversionibus subsecutis.

14. Eadem domus 12. Decembris obeuntem conspexit P. Didacum Aredam. Patriam nactus Arrayolum in diœcesi Eborensi. Vir prædirus insigni sapientiâ Theologiam docuit Conimbricæ. Erat instar oraculi Ulyssipone. Rex Philippus III. illi per litteras egit gratias, quòd negotium multis intricatum nodis, in quo vertebatur potestas coronæ Regiæ, firmis rationum subsidiis sic munierit, ut redditum sit inconcussum. Eximias dicendi dotes inaurabat virtus. *Moritur P. Didacus Areda.*

15. His adjiciendus P. Franciscus Pacomius Italus, qui plurimis annis strenuam operam in Angola nostris ministeriis impenderat; regressus in Lusitaniam brevi post appulsam navem, id est, 13. Decembris Ulyssipone portum æternitatis attigit. Non dissimili obitu Conimbricæ 23. Februarii raptus est P. Paulus Brittus. Apud Orientis Indos non parvo lucro exercuerat Apostolicum munus. Inde veniens ad procurandas Ulyssipone res Goanæ Provinciæ morbum contraxit. Ut convalesceret, secessit Conimbricam. Sed nulla medicamenta fregêre mali pertinaciam. *Moritur P. Franc. Pacomius.* *Moritur P. Paulus Brittus.*

Annus 1642. Soc. 103.

1. Habitus fuit Ulyssipone Provincialis Conventus ad eligendum in urbem mittendum Procuratorem. Regebat Provinciam P. Antonius de Sousa. Electus P. Mathias de Sousa Rector Scalabitanus. Erat ea duodetrigesima Congregatio Provincialis. *Congregatio Provincialis.*

2. Viris aliquot optimis fraudatur Provincia. Nonagenario major Ulyssipone 18. Januarii dies suos clausit P. Petrus Novasius. Contigit propinquo gradu consanguinitatis Ven. P. Simonem Rodericium. Natus est in diœcesi Visensi longè à patria Simonis. Eboræ moderatus primariam Theologiæ cathedram, & Doctoris insignibus ornatus. Profundæ fuit sapientiæ; sed pluris fecit virtutem. Egit primum Præpositum Domûs Villævissosæ. Dum regeret Collegium Eborense, dicebatur Pater pauperum: nescivit negare eleemosynam petenti propter Deum. Si ad manum aliud non erat, largiebatur vel sudarium, vel precatoriam corollam. Ad postremam senectutem non discessit à communi vivendi more. Pater omnibus æquus administravit Provinciam summâ virtute, integritate, & prudentiâ. *Mors P. Petri Novasii.*

3. In eadem Domo 24. Aprilis vitali aurâ frui desivit P. Bartholomæus Guerrerius Almodovarensis in agro Orichiensi. Fatigari non poterat in obeundis sacris missionibus. Septendecim ferè annos hujuscemodi ministerio dicavit magno animarum lucro, & Societatis decore. Charissimus fuit Principibus Brigantinis ob insignem virtutem, & antiqui moris humanitatem. Scriptis suis in lucem editis illustravit nostræ Societatis Martyres. P. Sebastianus Rodericius domo Brigantinus, multarum virtutum exemplar, de omnibus benè locutus, nemo de ipso malè. Sancta & prudens sinceritas amabilem Deo reddidit, & hominibus. De his tribus scripsi uberiùs, & typis vulgavi. *P. Bartholomæi Guerrerii.* *P. Sebastiani Rodericii.*

4. In Collegio D. Antonii Ulyssipone mors sustulit calendis Januarii P. Simonem Falonium, natum Galviæ in Islandia, Societati in Lusitania adjunctum. Propter virtutem, suprà quàm dici potest, singularem, vix fuit, qui non amaret. Assiduus in tribunali confitentium, multus erat in habendis ad mores corrigendos sermonibus. Docebat mathesim in nostris scholis. Cùm tempora po- *P. Simonis Falonii.*

scerent armari Regem, refici, ac muniri arces: Rex Falonio injunxit, curas intenderet renovandis propugnaculis, ac præsens dirigeret, quæ in rem forent. Dum hæc agit, egit & animam.

P. Petri Castillii. 5. Die commemorationis fidelium defunctorum in eodem Collegio iis accessit P. Simon Castillius. Erat ex Brasiliensi Provincia. Illic fuit ab Hollandis captus. Hujusmodi occasione post varios rerum casus, & duram captivitatem, ad Lusitaniam tandem appulsus, fessus annis, nam erat octogenarius, fractus laboribus, & plenus meritis, quod unicè optaverat, inter Socios moritur. Ibidem 12. Februarii ultimùm vixit P. Ignatius Estafortius, qui cum Marchione Montalvanensi ex Brasilia in Lusitaniam remeavit.

P. Ignatii Estafortii.

P. Joannis Lopii. 6. Mazangani, quò post expugnatam Loandam se nostri cum Lusitanis receperunt, 7. Februarii exuvias suas reliquit P. Joannes Lopius, domûs nostræ Prorector, tolerato quatuor mensium acuto morbo. Cui in munere successit P. Philippus Francus, de quo sæpe facienda mentio, quòd multùm juverit rem Lusitanam in arce Loandæ recuperanda.

Solvitur Residentia in insulis Capitis viridis. 7. Dictum abundè de Sociorum in insulis Capitis, ùt vocant, viridis statione, de soli insalubritate, de cumulatis nostrorum illic funeribus. His accessêre multa incommoda non toleranda Societati cum à Ministris regiis, tum ab incolis insulæ. Ministri non dabant reditum ad alendos missionarios destinatum; ideo eorum fuit cura in domum Professam converti Residentiam. Adjunxêre insolentes conditiones, cum quibus Societas nec Ulyssipone ipsâ sedem figeret. Demum eò progressi, ut nostros criminarentur apud tribunalia Regis, ne tanquam suspectis haberent fidem, si querelas suas scripsissent.

8. Volebant quidem nostros apud se retinere, ut ipsis esset præsidium adversus insolentiam Præfectorum; ut medicamentis è Lusitania ad nos curandos missis, eorum morbis succurreremus; minimè verò ut spiritualibus ipsorum infirmitatibus mederemur. Confessarios enim amabant sibi similes. Ecclesiastici pari, aut majore tædio ferebantur adversus nostros. Existimabant suam apud Insulanos minui authoritatem, quòd moribus nobis essent longè dissimiles. Hæc, aliàque coëgere P. Mutium totius Societatis moderatorem, post rem diu consideratam & agitatam, ad Residentiam dissolvendam. Illius res venditæ sunt, & pretium æquis divisum partibus in singula distributum Collegia.

Duo in Mazagonia. 9. Profecti ad Mazagoniam coloniam Lusitanorum in Africa Tingitana sacerdotes duo P. Franciscus Cabralius junior, ad alterius ejusdem nominis distinctionem, & P. Franciscus Eduardus. Illic sunt morati usque ad annum 1645. Initio profectionis id accidit ad mirandum omnibus. Erat in celoce puellulus, unum natus annum, nondum pronunciabat ulla verba; solutis velis, & sublatis anchoris clarâ is voce exclamavit: *Boa viagem*, id est, felix, ac faustum sit iter. Accepêre omnes multo cum plausu omen, cui respondit navigatio ad votum. Præter plurimos fructus collectos hi Patres mille piis artificiis martiales animos, nihil, quàm sacra bella contra Mauros cogitantes, sic in DEUM convertêre, in purgandas per confessionem conscientias, & alia pietatis opera, ut omnibus curis antepofuerint animorum munditiem, & virtutum studia.

Missionarii ad Brasiliam. 10. Quamvis hoc anno navis una petiverit Indiam, nulli de nostris eò transportati sunt. In Brasiliam contendit P. Franciscus Carnerius, qui postea nostrum egit Provincialem. Socios accepit Antonios duos, Carnerium, & Vasæum, novitios; posterior annis volventibus migravit ad excolendam vineam Maranonis. Adjunxit etiam quatuor scholasticos ibi Societati adscribendos.

Missio in Castelbranco. 11. Ad nobile oppidum Castelbrancum in diœcesi Guardiensi tempore magni jejunii ad habendam sacram missionem iverunt Conimbricâ P. Antonius Bandeira, & Petrus Amaralius nondum sacerdos. Erat morum facies miserrima: Nam omnis Nobilitas, quæ multa erat, & abundans divitiis, flagrabat mutuis & antiquis odiis. Audaciæ fecit animos Castellæ vicinitas: patrato enim scelere facilis patebat in aliud regnum transitus. Nobilitatem imitabatur vulgus. Rabies tanta omnes invaserat, ut tanto in oppido pauci reperirentur odiorum expers-

per-

pertes. Passim rixæ, & cædes. Regum Ministri impares erant frænandæ licentiæ.

12. Oppidum ingressi Verbi divini præcones, non despondêre animos, scientes, posse DEum è lapidibus suscitare filios Abrahæ. Instar miraculi fuit universus animorum motus, & conversio. Infinitùm sudârunt in extinguendis odiis eventu felici; nam conciliati sunt inter se, qui non solùm à parentibus, sed ab avis odia veluti per manus acceperant. Tum sacerdotes nonnulli, tum sæculares, è veterno turpitudinum emersêre, relictâ antiquâ cum fæminis perditissimis consuetudine. Abusus multi exterminati. Putabatur res Christo Domino indecora verbum illud in symbolo fidei, *Descendit ad Inferos.* Ridicula persuasio cum ejusmodi ignorantiis dissiptæ sunt legitimâ mysteriorum explanatione.

13. Omissis quàm plurimis magni momenti ad DEum conversionibus, sequens tacenda non est. Sacerdos musicus totum se ab annis viginti tradiderat impudicæ fæminæ, cujus maritum coëgerat in exilium. Sæpe conati sunt Episcopi hominem de sordium volutabro quà minis, quà pœnis extrahere. Verùm canebant surdo. Tandem onustus catenis, jumento impositus ad carcerem Guardiensis urbis deportatur: post ipsum vehebatur fæmina manicis, & compedibus ligata. Die mediâ per oppidum inter satellites profecti: nihil erubuit sacerdos, vultum præferebat hilarem, quasi id esset triumphus, non probrum. Ita jam frontem posuerat, ut, cùm volebant confabulantes affirmare rem deploratam, dicerent: id negotium tam sine remedio est, quàm insanabilis ille sacerdos.

14. Plures menses latuit in carcere. Nihil eum horror ergastuli fregit. Existimans tamen Episcopus emendatum jussit abire liberum. Interrogavit, an simul eadem suo scorto daretur libertas? cùm responsum fuisset, non concedit igitur, ait, nec ego relinquam carcerem. Itaque ad fastidium & ipse, & fæmina in vinculis fuêre. Tunc vel ob rem desperatam, vel respectu alio, qui sciri nequivit, ambo & in suam domum, & in consuetudinem turpissimam reversi.

15. P. Bandeira miserans hominis vicem, ut artificio caperet, insinuavit se in ejus amicitiam, occasione musicæ, in qua citra dubium eminebat. Laudavit sæpe dulcissimam hominis in canendo peritiam. Cùm frequenter easdem & coràm, & absens iteraret laudes, sic animum sacerdotis sibi devinxit, ut nullus in Bandeiræ laudibus magis assiduus. Aderat semper concionanti, videbatur profundens ubertim lacrymas. Voluit favorem Patris in negotio consanguinei satis arduo. Addixit Bandeira, & ex voto confecit. Tum ejus arreptâ manu; & mihi à te petendum, ait, quod tuâ & meâ magni interest; non defuturum spero. Promittit sacerdos. Bandeira verbis ab Spiritu sancto in rem datis homini ponit ante oculos corruptissimam vitam, DEI misericordiam tot annis expectantem: adesse tempus, & locum pœnitentiæ: nunc videndum, an sibi ex corde sit amicus, an verbo tenus. His & aliis saxeum pectus in ceram emollitum est: procidit ad Patris pedes, opem orat animæ suæ; se paratum ad, quæque juberet, exequendum. Non secus fecit. Dimittit à se meretriculam, per generalem confessionem expurgat animum, ac ex offendiculo publico fit publicum apud suos populares virtutis exemplum.

16. Ob tot res præclaras, quas per servum suum agebat DEus, cogitârunt de fundando Societatis Collegio. Finitâ quadragesimâ, cùm vellent eos morari ad quietem aliquam honestâ recreatione capiendam; respondit P. Bandeira: Societatis missionarios nec per horam cum honore in oppidis permanere, finitis suæ missionis laboribus: ad operandum se venisse, non ad quiescendum.

17. P. Antonius Alvarus cum Balthasare Sà nondum sacris initiato ad oppidum Goesium in diœcesi Conimbricensi perrexit habiturus conciones quadragesimales. Illic præter solitos tam sancti laboris proventus, instituit Congregationem ad juvandas animas in purgatorio, simúlque processionem dictam à Passibus Domini Crucem ferentis, quæ apud Lusitanos fit summa cum pietate. *Aliæ missiones ex Collegio Conimbricensi.*

Eandem Tourasii erexit P. Petrus de Silva. Anno verò 1597. Antonius Alvarus moverat incolas Goënses ad fundandum templum, ac domum, ùt vocant, misericordiæ; suis ipse manibus jecit primum lapidem. Alius de nostris illic condidit Sanctissimi JESU Nominis Sodalitatem.

P. Franc. Suarius Lusitanus addicitur carceri.

18. Quintâ Septembris turbavit socios res insperata, multisque plena periculis. Adeunt Professam Domum Petrus Fernandus Monterius, & Franciscus Mesquita, senatores gravissimi, Regisque nomine addicunt carceri in eadem domo P. Franciscum Suarium Lusitanum Illustrissima natum familia, sed per id tempus infelici. Fugerat in Castellam Joannes Suarius P. Francisci germanus; ad hunc dedit litteras Joannes: fictas alii putant ab aliquo tantæ familiæ inimico: veniunt hæ in manus Francisci Lucenæ, qui erat Regi à secretis: eas tradit militi ferendas ad P. Suarium, qui respondit, illas daret suo Superiori, sibi regulam esse non aperiendi litteras. Id miles exequi noluit, sed reversus nunciat Lucenæ P. Suarium litteras accepisse, & legisse, dictúmque suum munit jure jurando.

19. Erant ea tempora suspicionum plena, præsertim adversus consanguineos transfugarum Nobilium. Septem menses latuit in eis tenebris: capillus totus canescebat, cùm antea nullum esset indicium. Tandem post exactam inquisitionem pronunciatur innocens. Id multi existimârunt innocentiæ argumentum, quòd eodem tempore, quo liberatur Suarius vinculis, Lucena tanquam læsæ majestatis reus comprehensus, publicâ Judicum sententiâ securi collum subjecit. An ille finxerit litteras ad tentandam fidem P. Francisci, non ausim affirmare. Si finxit, tulit supplicium, quod Franciscus, si inventus foret nocens, fuerat subiturus.

Annus 1643. Soc. 104.

1.

Missionarii ad Maranoniam, & illorum exitus lamentabilis.

PAtuit Provinciæ anno præsenti de novo colendus ager in regionibus Maranoniæ. Has terras Brasiliæ conterminas occupaverant Galli anno 1608. ibi condiderunt urbem dictam à S. Ludovico. Anno 1615. à summo Præfecto Classis Hispanæ Alexandro Mora victi sunt, atque exuti urbe suâ, & arce. Galli quippe indigenarum auxilio, quo fidebant maximè, destituti, se, suáque tradidère Lusitanis.

2. Hinc habuit initium Missio Maranonensis. Ad ipsam fovendam mittebantur cultores animarum ex nostris Provinciæ Brasiliensis, pauci equidem pro tanta segete. P. Ludovicus Figueira, qui de Lusitania ad salvandas animas migraverat in Brasiliam; ex hac ad Maranoniam missus, ut vineæ illius præesset operariis, secum reputans pro tam vasto campo paucitatem, remeavit in Lusitaniam, cum ad protegendam indigenarum libertatem, tum ad invitandos operarios.

3. Post annos aliquot consumptos collegit selectissimorum egregiam manum, quindecim partim sacerdotes, partim non sacerdotes. Ulyssipone discesserant Aprilis die ultimâ. Duodecimâ Junii appulêrunt ad Maranoniam. Jactis anchoris, dum cogitant de statu regionis explorando; nam anno 1641. Hollandus vi occupârat urbem S. Ludovici; ad eos approperat Hollandorum scapha, recognovitque hostilem esse navem; & ipsi conspexêre sub hostis ditione regionem esse, de qua pulsus est à Lusitanis sub finem hujus anni.

4. Sublatis anchoris navigant ad Amazonum flumen, quod est maximum totius orbis; per ostium latitudine 70. leucarum mare ingreditur; incolæ vocant *Para*, id est, mare magnum: ibi Alexander Mora urbem condiderat. Illò accessêre 27. Junii. Est mare valde periculosum in ostio fluminis, plenum vadis, hæsit navis in arena: tamdiu verberata fuit æstu tumente, donec post varios successus lacerata est. De nostris solùm tres ad terram emerserunt. Alios aut voravit mare, aut incolæ unius insulæ, ad quam dicuntur in fragmento navis

vis ab æstu delati. Sospites evasêre Franciscus Pirius sacerdos, Antonius Carvalius, & Nicolaus Teixeira. Carvalius paulò post emoritur. Figueira superior invitatus à Petro Albuquertio, qui supremus in eis terris futurus erat Præfectus, ut in scapha secum exiret ad littus ad tot vectores rite saluti æternæ comparandos, noluit miseram turbam deserere. Hoc præcellenti charitatis actu cæteras virtutes splendidè coronavit. Hi fuêre primi, qui de nostris hominibus è Lusitania vela solverunt in Maranoniam: illos deinde, ùt suis locis memorabimus, quàm plurimi secuti sunt.

5. Ad Indiam naves duæ quindecim nostros deportârunt septem Lusitanos, octo Italos. In Angola, quamvis captâ Loandâ, aderant nostri Lusitanis. P. Philippus Francus, qui venerat Ulyssiponem, quæsitum rebus afflictis medelam, per Brasiliam eòdem reversus cum Salvatore Correa Præfecto fluminis Januarii. Secum deduxit Antonium Pirium, & Alphonsum Ortegam novitium, quem mense Februario mors sustulit. Ibidem mortui sunt P. Franciscus Villena, & Joannes Lopius Coadjutor. *Profecti in Indiam. Et Angolæ.*

6. Eboræ non desuerunt magnorum funera. Decimâ sextâ Januarii vitæ stadium confecit P. Antonius Sousa Provincialis, vir nobilitatis præclaræ, & singularium virtutum. Natus fuit Cadafasii in diœcesi Ulyssiponensi. Administravit præcipuos Magistratus summâ prudentiâ, & virtute non minori. Suprà quàm dici potest, favit missionibus ultramarinis; eas dicebat Societatis totius gloriam. De his cùm sermonem miscuisset, vix tenebat lacrymas. Præscivit obitûs sui diem. Ultimæ professioni vicinus ad se vocari jussit socios, his inter lacrymas tum eorum, tum suas postremos dedit amplexus. Petivit à Rectore sepulturam, tanquam eleemosynam pauperi, enixè rogans, ne justa ipsi fierent solemniùs more solito. Reliquit Vicarium Provincialem sanctum virum P. Antonium Mascarenium. *Mors P. Antonii Sousæ Provincialis.*

7. In eodem Collegio non minori sociorum mærore decessit P. Didacus Pereira Rector, domo Portuensis. Tradiderat multa cum laude Philosophiam Eboræ. Ulyssipone fuit è primis Theologiæ Magistris in nostro Collegio. Luxit in eo mira charitas erga captivos inter Mauros. Multus erat in pecuniis conquirendis, ut eriperentur miseræ servituti. Non admisit sibi destinari socium aliquem, qui decumbenti specialiter inserviret, quòd id communiter cum aliis in usu non sit. Decimâ octavâ Decembris contigit illius mors. *P. Didaci Pereira Rectoris.*

8. Idem mensis nobis rapuit P. Franciscum Veigam, natum Villævissosæ. Clarescebat ad scientias tradendas ingenio felici. In dicendo ad populum è sacro suggesto erat suavissimus; nam genius ipsi supra modum amabilis. Rexit in Academia divinarum litterarum cathedram magno cum plausu. Brevì erat insigniendus Doctoris gradu. Societatem cumprimis dilexit. Mater vidua, & sorores quinque virgines egestatem causantes conabantur eum à Societatis complexu dimovere: Restitit, ipsarum sustentationem commendans Deo, cui cura est de omnibus. Joannes Perius scholasticus junior maturus cœlo 20. Junii excessit, magnis editis religiosæ perfectionis exemplis. *P. Franc. Veiga.* *Joannis Perii.*

9. Ibidem mortuorum numero additus est 21. Aprilis Emmanuel Teixeira scholasticus, natus in oppido Santiago diœcesis Conimbricensis. Silentii tam amans fuit, ut socii vocarent Silentiarium. Orationi, corporis castigationi, obedientiæ, & cæteris virtutibus studebat assiduus. Mortem non horruit, sed tanquam justus expectavit hilari vultu. *Emmanuelis Teixeiræ.*

10. Ulyssipone in Domo Professorum duos Cœlo, ùt piè credimus, donavit DEus, P. Georgium Almeidam quatuor votorum Professum, qui nunquam sacrum suggestum concionaturus ascendit, quin se priùs flagris feriret. Et P. Joannem Moratum Coadjutorem spiritualem: hunc ad nos traxit visus fædi cadaveris, laboravitque indefessè usque ad mortem, quam 22. Septembris incurrit octogenario major. *P. Georgii Almeidæ.* *P. Joannis Morati.*

D. Antonii Castelbranci.

11. Ingens sui desiderium Conimbricæ reliquit P. Antonius Castelbrancus, domo Ulyssiponensis. Vixit semper suorum valde oblitus, quamvis essent multæ nobilitatis. Etiam in ultima senectute, cùm debilitatis causâ vix brachia movere posset, non omisit diebus singulis innocentes verberare artus. Nunquam in obediendo reluctantis animi vel minimam significationem dedit. Tantùm aberat à mortis timore, ut eam tanquam tardam provocaret. Dissolutus est septuagenario major 8. Januarii.

Conimbricæ transferuntur nostrorum ossa ex veteri ad novum templum.

12. Conimbricæ P. Nonius à Cunea Collegii Rector è templo veteri ad novum transtulit Nostrorum ossa. Pridie, quæ fuit 5. Novembris, ipse in sacello domestico de re exhortationem habebat ad socios: horis pomeridianis dictæ fuerunt à Nostris in templo vesperæ officii defunctorum. Quid rei foret, scientes PP. Franciscani, mane sequenti venerunt è suo monasterio prope mundam flumen ad templum nostrum, ac more solemni officium & sacrum concelebrârunt. Id magni factum à Nostris, quòd non invitati, sed sponte suâ hujusmodi pium præstiterint obsequium. Erant in capsis distincta suis titulis octo venerabilium Patrum ossa, sic ea jussit Nonius conservari, & annis sequentibus, cùm sacellum D. Antonio intra Collegium ædificaret, ibi specialibus sarcophagis in parietibus laterum adornatis horum octo exuvias deposuit. Cæterorum etiam illustrium virtute Patrum & fratrum ossa, quòd essent inter se commista, in duas condi foveas curavit.

Ingressi.

13. Religioni nostræ se hoc anno tradidêre primis vitæ sacræ principiis imbuendos nonnulli singulari commendatione dignissimi. Conimbricæ P. Franciscus Crucius, qui postea fuit primus Regis Joannis V. Confessarius. Ei debetur monasterium sanctimonialium in oppido *Lourissal* diœcesis Conimbricensis, ubi cunas nactus est P. Crucius. Emmanuel Sylvius ex oppido Ega ejusdem diœcesis: rexit totam Provinciam: in lucem dedit aliquot volumina de sacris concionibus succo plenissima.

14. Ulyssipone nostros auxit Emmanuel Gamerius scholasticus omnibus virtutibus exornatissimus. Eboræ Bartholomæus Eduardus natus in tractu Silvensi, vir eximiæ virtutis, & Collegii Portimanensis post fundatorem præcipuus conditor. Ibidem se dedit Societati Antamus Proensa inter operarios Malabarenses apud Indos præclarissimus.

Rex Joannes vadit Eboram.

15. Rex Joannes assertor patriæ, ut è loco proximo exercitui suo faceret animos, 22. Julii noctu Eboram est ingressus. Quòd belli curæ Regium distinebant animum, non admisit festivitates & plausus ab civibus paratos. Collegium tamen nostrum, ac festum S. P. Ignatii condecoraturus, die ipsi dicatâ venit in templum; ubi adventantem excepêre Universitatis, Regis Alphonsi, Henricii, & aliarum rerum figuræ auro & gemmis collucentes, & cultissimis versibus in pronunciando supra modum gratæ: quibus Serenissimus Rex mirificè se recreari significabat. Novembri mense se restituit Ulyssiponi.

Annus 1644. Soc. 105.

Missiones.

1.

ANno labente, quemadmodum & superiore, ex diversis Collegiis prodivêre non pauci ad fructus sacris missionibus colligendos. Avisium ex Eborensi itum est, ubi Nostrorum suasione 40. horarum solemnitas de novo instituta à Clericis ordinis militaris D. Benedicti in regio cœnobii sui templo. Visonium è Conimbricensi Collegio profecti sunt PP. Bartholomæus Pereira, & Joannes Sousa. Goesium P. Ignatius Fontoura, & Joannes Madeira nondum sacerdos. E Bracharensi Collegio duo sacerdotes habuerunt missionem Castrensem in exercitu, qui obiedit, ac cepit Salvaterram in Galæcia.

2. Brigantium vexavit genus morbi exitiale. Latus patuit campus sociorum charitati. Die, ac nocte accurrebant ad auxiliandum miseris cum in animæ, tum corporis necessitatibus. Tres menses, quos ea tenuit calamitas, alii

afsiti sunt ad ostium Collegii pauperes ducenti, & ampliùs. Porrò datum est mutuum agriculis triticum, ut haberent semen, quod terræ mandarent. Pares morbi Funchalensem urbem in insula Madera terroribus affecerunt; eluxit quoquè in nostris par charitas erga miseros.

3. In navi Macaum petente sex de nostris ivêre ad Sinas excolendos, P. Ludovicus Moura Lusitanus, cæteri diversarum gentium. Navis altera, quæ solvit Goam, portabat P. Alvarum Semedum Lusitanum, Franciscum Cinamium Italum, & Ignatium Lagotum Belgam.

Ad Sinas, & Indiam profectio.

4. Crevit hoc anno Provincia fundatione Elvensis Collegii. Conditores sunt Didacus Brittus, ac Domna Aldonsa illius conjux prima, uterque magnæ nobilitatis. Multas & molestas nobis lites Episcopi moverant, ut eriperentur Societati bona destinata fundando Collegio. Rex Joannes post proclamationem suam de toto negotio factus certior, nobis hoc anno tradi jussit prædictam hæreditatem. Consensit libentissimè Emmanuel à Cunea Elvensis Episcopus, Germanus nostri Nonii à Cunea, & ipse rebus nostris addictissimus. Id fuit è primis erga nos beneficiis tanti Regis, quod postea permulta alia sequebantur, ùt suis locis Annales referent.

Initium Collegii Elvensis.

5. Regebat Provinciam P. Antonius Mascarenius, qui præfecit novo Collegio Rectorem P. Michaëlem Tinocum, virum præclaræ sapientiæ, Doctorem Theologum, domo Elvensem, natum stirpe nobili. Hic 11. Februarii sequentis anni adivit novi Collegii possessionem, ejúsque posuit initia facto sacro in aula parva domorum ad id parata, & ornata. Post varias in eadem urbe sedes, tandem eam firmam & permansuram ad ædem D. Jacobo majori consecratam, Divúmque in tutelarem Patronum Collegii elegimus. Apertum Gymnasium ad tradendam scientiam moralem, primo Magistro P. Francisco Nunio. Verùm cùm rari forent auditores, Illustrissimo Episcopo visum est, utiliorem futuram Latinitatis classem: idcirco erigitur, moderante P. Georgio Rebellio, qui Rhetoricam in Eborensi Academia explicaverat.

6. Scalabitani Proceres usi adversus Societatem magnâ benevolentiâ, sponte suâ obtulerunt ad condendum Collegium, celeberrimum sancti Miraculi, ùt vocant, templum. Non admisimus, quòd ædificando Collegio spatium sit angustum.

Scalabi offertur templum ad condendum Collegium.

7. Conimbricæ die Virginis à Nivibus dicatum est pulcherrimum sacellum B. Virgini à S. Luca nuncupatæ. Ex duobus cubiculis sacellum fecit privatis eleemosynis P. Nonius à Cunea Collegii Rector. Locupletavit exquisitis reliquiis perbellè exornatis. Multâ sacrâ supellectili totam Virgineam domum reddidit non minùs divitem, quàm pulchram.

Dicatur Conimbricæ sacellum B. Virgini.

8. Inter res præclaras hujus anni recensendus est honor in Societatem collatus à serenissimo Rege, dum creavit Concionatorem regii facelli P. Antonium Vieiram, Societatis, & nationis nostræ grande lumen, & in sacro suggestu sui sæculi facilè principem. Tertiâ die solemnitatis antecineralis in supplicatione habita ad divi Rochi tulit Rex cum Regni proceribus hastilia umbellæ, sub qua Eucharistia deferebatur. Die sacrâ Protoparenti Ignatio templum Domûs Professæ invisit, domum ingressus, illis erga incolas usus benevolentiæ signis, quibus non decoraverant olim piissimi Reges Joannes III. Henricus, & Sebastianus. Quòd Rex erat Ulysipone, non obliviscebatur domûs Professæ Villavissosanæ. Præter alia subsidia, jussit illi donari pulcherrimum æs Campanum octingentis aureis æstimatum, spolium ex oppidis Castellanorum bello captis.

P. Antonius Vieira Concionator Regius. [illegible] Regis honores in [illegible] collati.

9. Ex domo tironum Ulysipone 11. Maji ad domum non manu factam transiit Dominicus à Cunea Coadjutor, in eadem natus urbe, pictor, ùt jam diximus, egregius. Verùm abreptus vitiosæ juventutis æstu, nihil magis cogitabat, quàm lucris, quæ multa erant, satiare insanas libidines. Illi erant curæ indumenta holoserica, & pretiosiora. Totum se mancipabat vanitati. Post annos complures incidit in morbos gravissimos, quibus eum DEus ad se evocavit.

Mors Dominici à Cunea Ad[illegible]

vit. Nam vehementi commissorum dolore tactus exposuit, ac deflevit errata ad pedes Confessarii in Domo Professa.

10. Hominem verè pœnitentem facti sic DEus deinceps roboravit, ut ex Saulo redditus sit Paulus. Orabat multùm, acerbis castigationibus macerabat corpus; patientissimè ferebat oblatas tolerandi occasiones. Aliquando secessit in vineam orandi causâ: sustulit in Cœlum oculos, cùm repentè advolat culicum agmen, insident importuni, faciem, frontem, genas, nasum, & aures cooperiunt, ac pungunt. Ut se vinceret, firmiter secum statuit eos non abigere, destinato orationi tempore stetit apertis oculis, ceu lapis foret, aut rupes.

11. Quamvis DEus ipsi se daret fruendum inter preces, tamen cùm secum reputâsset, quot mundus periculis abundet, illi remisit nuncium Societatis institutum complexus. Apud nos admirabili virtutum omnium exemplo colluxit. Commercium illi cum DEO & Sanctis continuum, ac familiare. Coram imagine B. Virginis à Gratia in templo domûs tironum factus est certus salutis suæ; quâ voce interiori ad cor sonante tantam concepit lætitiam, ut eam vix potuerit continere. In eo volumine, quod Imaginem virtutum in domicilio tironum Ulyssiponensium dicimus, vita Dominici amplius depicta est.

Moritur Antonius Mellius.

12. Collegium divi Antonii sepulchro intulit Antonium Mellium Coadjutorem. Vir jam grandævus, divitiis abundans, conculcatis caducis rebus ad Christi militiam profugit. Vix ab ingressu duo menses, & pauci dies effluxerant, cùm Januarii prima die ultimam vitæ habuit. Donatis pecuniis magna ex parte levatum est onus, quod Collegium olim contraxerat, ad succurrendum necessitatibus Ducis Averiensis.

Moritur P. Franciscus Freirius.

13. Septembris decimâ sextâ magnum luminare scholarum ejusdem Collegii extinguitur P. Franciscus Frerius natus Estremotii. Moderabatur cathedram moralis scientiæ. In utroque jure tam sapiens, ut eum admirarentur, quotquot doctissimorum nomine gloriabantur Ulyssipone. Totus deditus libris vix cubiculo prodibat. Rebus in adversis æquissimum servavit animum. Multùm ejus mortem doluerunt omnes boni propter viri præstantiam plurimis exornatam virtutibus. Extant non pauca monumenta Francisci in libris, quos typis mandavit. Ibidem 19. Junii ad plures abiit P. Franciscus Pirius Professus

Moritur P. Franciscus Pirius.

4. votorum ex Provincia Brasiliensi: raræ virtutis, & exempli virum dicunt Collegii manuscripta.

Annus 1645. Soc. 106.

1.

Obit P. Mutius, Conventus Provinciæ.

DEfuncto Romæ 9. Februarii P. Mutio Vitelleschio Societatis Generali Præposito, habita est mense Majo Ulyssipone Congregatio Professorum ad eligendos, qui cum suffragio adessent Romæ Conventui universi Ordinis. Electi fuerunt P. Nonius à Cunea Rector Conimbricensis, & Benedictus Sequeira. P. Antonius Mascarenius, qui præerat Provincialis, finitâ Congregatione se magistratu abdicavit, cùm ejus anni jam non essent tanto oneri ferendo. Successit P. Hieronymus Vogadus, qui Romam iturus, reliquit sui locò P. Franciscum Tavoram.

Novus Provincialis.

2. Comitia Generalia inchoata 21. Novembris. Januario sequentis anni die septimâ assumptus in Generalem Præpositum P. Vincentius Carrafa, & in Assistentem Lusitaniæ P. Nonius à Cunea, quod munus antè obiverat P. Joannes Mattius. In eo conventu emanavit illud decretum, quo habentur amplæ grates Venerabili Benedictinorum familiæ in Lusitania, quod reprobaverit, quæ in sua historia Benedictina typis mandârat Frater Leo à S. Thoma. Qui nimiùm credulus fabulam Constantini, aut alterius scriptoris sub ejus nomine in suam transcripsit historiam. Quæ cùm sit contra honorem S. Ignatii, & nitatur levissimis indiciis, omnibus prudentibus visa est ficta post tot annos (nam excusa anno 1641.) ad exponendum gentium irrisioni S. P. Ignatium, ejusque fami-

Habentur gratiæ PP. Benedictinis in Lusitania.

miliam. Hujuſmodi mendacia, quæ mole ruunt ſuâ, abundè confuto in Annalibus à me vulgari ſermone conſcriptis. Ad hanc fabulam firmandam non defuit, qui vitiaverit lectiones D. Ignatii, & ubi tenent: *emendicato pane, & aquâ victitans;* typis edi curaverit: *in monachatu pane, & aquâ victitans.* Quæ lectiones juſſu Inquiſitorum collectæ ſunt, & igni traditæ.

3. Ad Indiam ſex navibus undecim ſacerdotes noſtri peregrè iverunt, Petrus Zuzartius, Fulgentius Terreira, Franciſcus Valdius, & Bartholomæus Velius, Luſitani; Joannes Valatius Gallus; Sertorius Interverius, Fortunatus Seraphinus, Ignatius Arcamonius, Torquatus Pariſianus, Itali; Joannes Cheſpius, Germanus; Jacobus Pavus, Belga. Zuzartius poſtea rediens in Europam ad tranſigenda Societatis negotia, cæcus degebat Ulyſſipone. Profecti ad Indiam.

4. P. Bartholomæus Pereira in Oureno diœceſis Leyrienſis, & oppidis vicinis copioſos proventus collegit ex ſuis Apoſtolicis laboribus. Propter venerationem, quâ ſummi, infimique eum colebant, quidquid eſt meditatus vel in Dei gloriam, vel in proximorum utilitatem, ad felicem exitum perduxit. Miſſio.

5. Calendis Auguſti Antonius Pereira Coadjutor Eboræ ſecundò mortuus eſt; nam cùm habitaret in Collegio inſulæ S. Michaëlis, mortifero correptus morbo, jacuit in lecto diebus tribus ſine ſenſu ullo. Tenuiſſimi halitûs reciprocatio cauſa fuit, ne humaretur; præter hanc enim vitæ indicium non erat aliud. Corpus, & artus omnino frigebant. Effudit etiam, ùt ſolent morientes, poſtremam lacrymam. Poſtea ſibi redditus affirmavit ſe verè mortuum fuiſſe, & precibus perſonæ Deo gratæ revocatum ad vitam: tenuem halitum, ne ſepeliretur, factum miraculo, cum deeſſet corpori anima. Putruerant illi coſtæ, & tota caro longâ curatione eſt innovata. Plurima retulit à ſe extra corpus viſa, quæ doctrinâ non carent. Conſpecta animarum multitudo cadentium per ſingula momenta in æternos ignes, & alia non pauca, quæ in ejus vita commiſi typis. An id fuerit vis imaginationis, an reipsâ, ùt eſt teſtatus, contigerit, mihi in incerto eſt. Illud omnes viderunt, quòd Antonius ſuo profectui accuratiſſimè poſt eam rem ſtuduerit, & ſui corporis non pepercerit caſtigationi, quâ ſe laceráſſet, niſi piæ atrocitati potuiſſet metam obedientiam. Mors Antonii Pereiræ.

6. Sapientiſſimus vir Stephanus Fagundius Ulyſſipone in Domo Profeſſa die 13. Januarii ad alteram vitam tranſiit, natus in præclaro oppido Viana Interamnenſis provinciæ. Multa volumina de re morali typis vulgavit ad publicam utilitatem. Eam ſcientiam tradidit annis plurimis cum dignitate. Pluris tamen fecit virtutem, quàm litteras. Fulgebat in tanta ſapientia ſingularis & ſpectabilis ſubmiſſio. Mors P. Stephani Fagundii.

7. P. Gregorius Pintus Bracharenſis in Conimbricenſi Collegio ſacræ Theologiæ Profeſſor primarius 19. Octobris ſupremum edens anhelitum magnum de ſe apud ſocios reliquit deſiderium. In Codice defunctorum dicitur fuiſſe vir probatæ virtutis. Poſtremo in morbo frequenter pronunciabat Apoſtoli verba: *Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Mors P. Gregorii Pinti.

8. His meritò adjungatur Illuſtriſſimus Dominus Ludovicus Alvarus Tavora Leſſæ Balius ordinis Melitenſis. Obivit 23. Octobris. Fundator eſt noſtri Collegii Portuenſis; non quòd ipſe primus id Collegium erexerit; ſed erecti jam, & carentis Fundatore, in ſe Fundatoris rem, & nomen ſuſceperit, collatâ dote competenti. Vir fuit, ſanguine, armis, &, quod pluris æſtimandum, virtutibus præclariſſimis. Ejus oſſa condita ſunt tumulo marmoreo in templo noſtro. Moritur Fundator Collegii Portuenſis.

Annus 1646. Soc. 107.

I.

SEreniſſimus Rex Joannes IV. cùm natus eſſet, ac educatus Villævïſſoſæ ſub patrocinio Virginis abſque labe conceptæ, hanc tutelarem voluit Regni Patronam. Ad augendam tanti myſterii gloriam imperaverat Academiæ Juratur Virginis Conceptio Conimbricæ.

Conimbricensi, publico jurejurando testaretur, se defensuram Virginis ab originali labe immunitatem. Habito Academico Conventu, è triginta sex suffragatoribus, duo tantùm annuerunt Regi; cæteri moras injecêre, quòd essent contrariæ sententiæ. Id par miraculo contigit, quòd soluto Conventu, tanta vis imbrium, tam fæda tempestas, & tonitrua coorta sint, ut aliqui Professores absterriti, protinus juraverint, se Conceptionem immaculatam defensuros. Nec enim casu contigisse tam inopinatam tempestatem sibi poterant persuadere. Hæc evenêre anno 1644.

2. Impatiens tot morarum Rex piissimus jussit imperiosè hoc anno fieri ab Academia Conimbricensi prædictum jusjurandum; qui Professorum reluctarentur, privandos magisterio & cathedris in Academia. Nonnulli suam sententiam præhabentes cathedræ, valedicunt honoribus, & lucris Academicis. Rector & Academiæ Professores 28. Julii magno apparatu jurisjurandi solemnitatem concelebrârunt.

3. Scholæ nostræ, quæ sunt Academiæ pars, ad sequentem Decembrem honores Virgini præstandos reservant. Pridie festi Conceptionis aula scholarum pendentibus exornata poëmatis, habuit elegantissimam orationem noster Sebastianus Novasius. Sequenti die, ne ab templo PP. Franciscanorum avocarentur auditores, abstinuimus ab emittendo nostris in scholis jurejurando, quod postridie peractum solemni more in Ecclesia nostra. Addita est solemnitati concio de Conceptionis immunitate à nostro Antonio Leitio, huic mysterio suprà, quàm dici potest, intimis sensibus addictissimo. Regebat nostrum Collegium P. Petrus Moura Doctor Theologus.

Juratur Eboræ. 4. Eboræ non minori celebritate Virginis immunitas propugnata. Anno 1617. Rex Philippus Eborensem Academiam litteris suis exhortatus fuerat, ut à summo Pontifice peteret, declararetur Conceptionis illibatæ mysterium ad fidei articulos pertinere. Hujusmodi occasione instituta est supplicatio Academiæ 8. Decembris, quâ omnes Academici congregantur in Collegium dictum à Matre Dei, & inde longo ordine & agmine veniunt ad templum nostrum, ut missæ & concioni intersint. Præterea statutum fuit, ut qui gradu litterarum essent insigniendi, priùs jurarent se Virginis intaminatam Conceptionem defensuros.

5. Hanc consuetudinem Academia roboravit novo apparatu; nam aulæis templo circumvestito P. Joannes Mattius Doctor Theologus, Provinciæ Visitator, Bernardinus Sampayus Rector, & Academici omnes adsuêre. Nuncupato sacramento, quo se conceptionem immaculatam propugnaturos obstrinxerunt, Latino sermone habita est oratio. Vespertinis horis theatro venustum, & multis illustre figuris drama de Conceptione. Clausum fuit his duobus versibus juramenti formam complexis:

Promitto, voveo, ac juro promissa tueri,
Sic DEus, atque hæc sic me sancta volumina servent.

Triennium Innocentii X. 6. Initio Januarii Summus Pontifex Innocentius Bullam expedivit, quâ cogebat Societatis Præsides non excedere triennium in obeundis Magistratibus. Quæ lex erat contraria menti nostri S. Fundatoris in suis Constitutionibus. Annis labentibus paulatim est lenita, donec tandem abrogaretur ob multa incommoda Pontificibus nota.

Missiones. 7. E Conimbricensi Collegio P. Franciscus Calabrius, & Joannes Sotomajor nondum sacerdos, tempore magni jejunii processerunt ad excolendam nostris mysteriis Alpedriniam in diœcesi Guardiensi. Oppidum est, quod fecit notum celeberrimus Georgius à Costa Cardinalis, & alter Georgius à Costa Bracharensis Archiepiscopus, & Martinus à Costa Archiepiscopus Ulysiponensis, omnes & fratres, & in eo nati oppido. Hi de Societate fuêre primi, qui ministeria nostra illic exercuerunt. Mirâ audiebantur aviditate. Sodalitati Misericordiæ persuaserant, ut stipendium daretur homini, qui singulis diebus per totum annum in oppidi compitis animas defunctorum commendaret.

8. Mos erat Dominicis diebus ostiatim corrogare munera, sive stipem concionanti tribuendam. Cùm nostri audissent voces petentium, scivisséntque, quid rei foret; vetuerunt deinceps fieri, quod nostras leges dedeceret: quæ jam erant collata, in pauperes dispergebantur. Illic vigebat ludendi cacoëthes. Pueris commendatum, quotquot possent, pagellarum fasciculos raperent è ludentium manibus. Viginti, aut plures fasciculos abstulêre. Jussit Pater, inter explicatam in foro catechesim, multa in ludum, & lusores declamans, apparerent infames fasciculi, ac mandarentur flammæ. Dicto citiùs pueri ligna congerere, succendere, & prædam omnem injicere flammis, magno circumstantium plausu, & irrisione lusorum, quos subinde vitii sui pudebat.

9. Almeidæ Joannes Sousa, & Antonius Coutus; alii Visonii, Buarci, & Lusanæ pari lucro per Quadragesimam insudârunt. Ex Eborensi Collegio sunt sparsi duodecim per Transtaganam regionem, qui populos docerent fidei mysteria, & ad peccata dolenda exhortarentur.

10. Conimbricensium numerum imminuit 27. Decembris P. Simeon Caldeira octogenario major. Vitam orsus est Nizæ in Portalegrensi diœcesi. Tam longâ annorum serie nunquam discessit à communi vivendi methodo. Maximi fecit religiosam paupertatem. Illius gazæ fuerunt instrumenta voluntariæ castigationis, aut ectypon alicujus Sancti. Ad aram faciens suavissimis inundabat lacrymis. Ecclesiæ Matris jejunia servavit semper exactissimè, etiam in senectute annis & morbis attrita. Plures horas diebus singulis orando consumebat. Prope mortem inunctus jam oleo sacro, quas potuit, DEO gratias habuit, quòd in Societate moreretur. Moritur P. Simeon Caldeira.

Annus 1647. Soc. 108.

1.

Peculiaribus benevolentiæ signis nostra Societas à Serenissimis Regibus est exornata. Aloysia Regina, defuncto Didaco Leiria Capuccino, ejus Confessario, nostrum Joannem Nunium tironum Rectorem in suum, ac Theodosii Principis Confessarium assumpsit. Explebat ille sui muneris partes ad Regis, & Reginæ votum; tametsi summâ animi repugnantiâ susceperit id oneris, aut honoris, cùm vir humillimus nihil minùs cogitaret, quàm aulicos splendores. Beneficia regia, & honores in Societatem collati.

2. Infante Alphonso ægrotante, Regina filii salutem commendavit S. Francisco Borgiæ, Consanguineo suo, promisitque, si voti compos fieret, Infantem anno toto talari Societatis usurum tunicâ, & pileo. Valetudine recuperatâ, votum explevit. Ne solus sic incederet vestitus, nobilissimæ fœminæ filiolos suos ejusmodi habitu induerunt: unde Regia videbatur tironum nostrorum domicilium.

3. Cùm Joannes Rex, & Princeps Theodosius adirent templum domicilii Novitiorum; Rector de more obtulit osculum ligni Crucis: extendebat Sacellanus major linteum ad abstergendum priùs crystallum attingendum labiis osculantium. Id moris erat ad vitandam suspicionem veneni. Tum Rex ad Sacellanum: nihil hujusmodi abstersione hic opus est; non enim Societatis homines, qui procurant omnium salutem, Regi suo parabunt venena. Deinde fidenter ipse, & Princeps osculum fixêre sacro ligno.

4. Idem Rex hoc anno misit in Galliam, deinde in Bataviam concionatorem suum P. Antonium Vieiram, ut illic negotia à Rege commendata tractaret. Romæ P. Nonius à Cunea diligenter curabat ejusdem Regis negotia.

5. Suum erga nos amorem palàm fecit Rex Serenissimus, dato nobis hoc anno suo palatio Scalabitano, ut in eo fieret nostrum Collegium. Id Regum Castellanorum temporibus sæpe, at frustra tentavimus. Non defuerunt rumpendi obices, quos omnes devicit regia liberalitas. Propter hoc tam insigne beneficium universæ Societatis sacerdotes ter litârunt ad aram; non sa- Datur Societati palatium Scalabitanum.

cerdotes ter recitârunt precatoriam coronam. Insuper Collegium dicatum B. Virgini à Conceptione, Regni, & Regis Patronæ. Neque solùm nostros homines in Lusitania Regis munificentia complexa est: jussit restitui Goano Collegio in India reditus suos, quibus illud cujusdam Proregis infensissimus rebus nostris animus fraudaverat.

Reditus Goani Collegii restituuntur.

Aula sancta.

6. Exhortationes Confessarii sic instituerunt Reginæ familiam, ut Regia asceterii faciem induerit. Signatæ sunt quædam stationes passuum Domini suam Crucem in Calvariæ montem bajulantis, quas Regina cum Principibus, ac Gynæceo suo mirâ pietate consalutabant. Reperio in manuscriptis, unde huc transfero, nonnunquam Nobilissima corpora flagello castigari consuevisse. Tantum fervorem suis verbis accenderat Joannes Confessarius. Multæ fœminæ de primaria Nobilitate annis sequentibus permotæ his exhortationibus valedixerunt mundi pompæ, séque in cœnobiis severiori vitæ generi tradidêre. Quæ bona se debuisse Joannis consilio, ac virtuti disertis verbis testabantur.

Pileus Coadjutorum.

7. Hoc anno Coadjutoribus in nostra Provincia prohibetur pileus rotundus, qui in usu erat nostris sacerdotibus & scholasticis, quod Clericos à cæteris discriminet; solúmque permittitur iis, qui vota jam nuncupârant; interdicitur verò de novo Societatem ingressuris. Id jam fuerat impetratum decretis VII. Congregationis Generalis, sed hactenus non erat executioni mandatum. Igitur per decretum vigesimum primum VIII. Congregationis injuncta est executio.

Eboræ dicatur Virginis Conceptioni sacellum.

8. In Eborensi Collegio intra domesticos parietes consecratur immaculatæ Virginis Conceptioni pulcherrimum sacellum, in quo veneramur divinam Eucharistiam. Augendæ solemnitatis gratiâ habitæ sunt orationes, & appensa poëmata. Sunt & instituta litteraria certamina tum prosâ, tum ligatâ oratione, præmiis animos incitantibus. Facta est dedicatio Decembris octavâ die. Rectorem agebat Collegii P. Franciscus Cabralius senior. Id sacellum nostro tempore & locupletatum, & exornatum supellectile pretiosâ, & Reliquiis Sanctorum argento inclusis à P. Emmanuele Correa Angolano, qui in Eborensi Academia Rhetoricam, Philosophiam, scientias morales, & Theologiam tradiderat. Egit postea Rectorem Conimbricensem, Provincialem, & assistentem Romæ: de quo suo loco dicetur. Solemnitas æquali plausu quotannis octavâ Decembris instauratur.

Profecti ad Indiam, & Angolam.

9. Quindecim præcones Evangelici de nostris Indiam petiverunt: quatuordecim Lusitani: unus ex iis erat Gaspar Alphonsus natus Anserii diœcesis Conimbricensis, qui postea effectus est Meliaporensis Episcopus. In Angolam P. Philippus Francus, & Antonius Coutus 7. Novembris vela solverunt: hi sequente anno unà cum Salvatore Correa Præfecto regiæ classis ad Angolanas appulsi sunt regiones.

Missiones.

10. Excurrerunt in Provincia Beirensi per diversa oppida Apostolico more P. Franciscus Cabralius junior cum uno de nostris scholasticis. Cum alio P. Ludovicus Alvarus, ille, qui labentibus annis rexit provinciam. Turribus novis in diœcesi Ulyssiponensi PP. Emmanuel Costa, & Joannes Rochia substitêre per Quadragesimam. P. Costa dominatus omnium cordibus, vix fuit aliquid difficultatis, quod non vinceret in ponendis odiis, rebúsque aliis in obsequium DEI agendis.

11. Judæus, ut est genus hominum infidum, & semper timendum, unam ex paræciis oppidi curaverat annis non minùs triginta. Hic à sacræ fidei Inquisitoribus comprehensus, apud illud tribunal fatetur se nunquam administrâsse Sacramenta intentione debitâ. Illaqueaverat hominis confessio, & factum penè omnes oppidi indigenas; cùm esset iterandum baptisma, & homologeses. Hi tot, ac tam difficiles nodi multâ prudentiâ, ac patienti diligentiâ fuerunt soluti magna cum animarum pace & bono.

Moritur P. Emmanuel Veiga.

12. Domus Professa Ulyssiponensis misit ad æternitatem 15. Januarii P. Emmanuelem Veigam, domo Villavissosanum in Eborensi diœcesi. Eminuit in eo profunda demissio; propterea omnibus velis, ac remis fugit gubernandi splen-

splendidum munus. Cùm Rector Collegii Portuensis nominaretur, in eam tristitiam incidit, ut levandus fuerit, ne mærore animi vitam perderet. Erga egentes viduas, & cæteros pauperes arsit flagranti charitate, multisque solatio fuit corrogatâ à locupletibus stipe. Ejusmodi auxiliis præstò fuit Domui Professæ. Magnopere laudandus, quòd nostrorum hominum virtutes & facta in ultramarinis missionibus laborantium ab oblivione vindicaverit; partim enim mandavit typis, partim manuscriptis, quæ mihi sæpe fuerunt subsidio.

13. Collegium D. Antonii Gabrielem Ramum Granatensem, Coadjutorem pharmacopolam, virum multæ prudentiæ & charitatis præsertim adversus infirmos. Obedientiæ cultor exactus, orationi deditus, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento devotus. Obiit 15. Novembris. Quartâ verò Decembris idem Collegium Rectorem suum amisit P. Franciscum Amaralium nobili loco ex parentibus locupletibus natum. Rei paternæ hæres ex asse fuit. Idcirco ipse, & alius ejus frater erga Collegium Conimbricense munifici fuerunt. Benefactori nostro per universam Societatem ad aram semel fecerunt sacerdotes, bis in Assistentia Lusitana. Societatem toto corde dilexit. *Gabriel Ramus.* *P. Franciscus Amaralius.*

14. Conimbricæ 4. Junii Dominicum Fernandium Coadjutorem septuagenario majorem. Omnes illius venerati sunt obedientiam, cui cæco modo obsequebatur. Injunctam aliquando sat acrem pœnitentiam, cùm Superior non determinâsset, quot eam vicibus esset facturus; nam patebat ex re semel peragendam, annis quinque cæcus obediens executus est, donec animadverteretur, ac dein supersedere jussus acquiescebat. *Dominicus Fernandius.*

15. Matritum 29. Octobris P. Antonium Colassum Vidigueirensem in diœcesi Eborensi. Animo generoso servivit pestilentiâ infectis Eboræ. Deinde pluribus annis egit Matriti Lusitanæ Provinciæ Procuratorem. In negotiis tractandis eam prudentiam, dexteritatem, & virtutem præsetulit, ut jure sit numerandus inter pientissimos Religiosos, & optimos sanctæ paupertatis procuratores. Insignem Benefactorem, & bene meritum de hac Provincia vocabat scheda, quæ lecta est in Collegiis ad facienda pro ipso solita sacra, & preces. Temporum deprehensus angustiis, in qua desiderabat, non potuit mori patria, nec inde in Lusitaniam facilis erat transitus. *P. Antonius Colassus.*

16. Extra Lusitaniam P. Emmanuel Mendesius adjutor spiritualis Portalegrensis ad Cœlos contendit Mazagoniæ in Africa, ultimâ die Octobris acuto morbo victus. Ibi erat cum P. Antonio Macedo, qui paucos post annnos in Sueciam missus cum Legato Lusitano initium dedit conversioni Reginæ Christianæ. Emmanuelis, de quo est sermo, mores erant sanctissimi. Ex corde loqui videbatur, cùm vel rudimenta fidei explanaret, vel ad virtutem cohortaretur, & unicè velle circumstantium utilitatem. Cùm ægrotarent simul octingenti milites, & ampliùs, nacta est amborum charitas ingens theatrum. Eò ventum est penuriæ excubiarum, ut Antonius noctu per mænia discurreret excubiarum supplens vices. Emmanuel jussu Præfecti navigavit Ulyssiponem ad comparanda militi infirmo subsidia; vix enim erat trahendæ vitæ cibus communis. Regressus è Lusitania duabus navibus onustis omni ciborum genere ægrotos, ac sanos recreavit. Ipse intra paucos dies morbo implicitus lecto affigitur. Testatus est Antonius, se hominem non vidisse, qui tam læto vultu mortem exciperet, aut se tantâ curâ extremam ad luctam comparaverit. Omnes ore pleno vocabant sanctum. Inter populi lacrymas ac singultus terræ mandabatur. *P. Emmanuel Mendesius.*

Annus 1648. Soc. 109.

I.

Catalogus hoc anno defunctorum est sequens. Primâ Septembris die P. Antonius Mascarenius, vir præclarissimus, ortus domo Illustrissimâ Mascareniorum, qui Societatem nostram Lusitaniæ invexerunt. Patriam habuit Montem majorem novum, ubi quondam hauserat primam lucem S. Joannes *Obit P. Antonius Mascarenius.*

nes à DEO. Purificatæ Virginis die anno 1578. nostræ se familiæ dicavit Eboræ ætatis anno decimo quinto. Vix Grammaticæ didicerat prima rudimenta. Apud nos tum Latinitati studuit, tum scientiis necessariis ad gradum Professorum.

2. Post absoluta litterarum studia, continuavit religionis magistratus per omne, quamvis longum, vivendi tempus. Ante nuncupatam solemnem professionem gubernavit Eboræ tirones; dein Ulysipone. Tum fuit Rector Collegii Conimbricensis, Provincialis, Assistens P. Claudii. Restitutus Lusitaniæ rexit domum Professam Ulysiponensem: iterum Provincialis, mox Provinciæ Visitator, rursus Conimbricensis Rector. Bis deinde Vice-Præpositus Ulysipone, quater Vice-Provincialis nominatus. Tandem creatus Provincialis, cùm jam vires labori non essent, post administrationem brevem onus deposuit in alterius humeros.

3. Hæc retuli, non quòd putem maxima; sed quoniam indicant, quantus vir fuerit, qui sine justa querela tot obîerat magistratus. Vitæ fuit innocentissimæ; neque dubium, quam gratiam accepit in baptismate, conservâsse ad postremum anhelitum. Prudentia in rebus agendis erat omnibus admirationi. Facies modestissima, & sermo perhumanus nihil præter Deum spirabant.

4. Exactissimus virtutum omnium cultor etiam postremis annis nihil, quamvis minutum, in exercendis virtutibus omittebat. Levatus omni magistratu, si linteolo, si indigeret acu, aut chartæ folio, tironis adinstar accedebat Ministrum, vel Rectorem, petens facultatem ad eam rem in officinis quærendam. Constituta per nostras leges orationis, examinis, aliorúmque spiritualium tempora firmiter explebat, omni posthabito negotio. In longis itineribus, tanquam si domi esset, eadem observârat.

5. Iter faciens vel Româ in Lusitaniam diebus singulis operabatur missæ sacrificio. Stipem corroganti negavit nunquam. Supra modum exosus est detractionem. Nullus tam pravus fuit, qui vindictæ appetentem animum in eo latere suspicaretur. Vir talis, tantúsque, Dilectus Deo, & hominibus, morti vicinus immodicè cœpit pavere, considerando rationem dandam supremo Judici. Percontanti, cur se affligeret? cùm tam bene paratus esset ad æternitatis iter; respondit: mi Pater, tot annis fui Superior, angit animum meum cogitare, an dissimulaverim, aut indulserim plus justo. Imò, adjecit sacerdos, Vestra Reverentia severè se habuit, restrinxit semper. Cui Mascarenius: me modò non affligat, quòd restrinxerim, sed si indulsi. Quo verbo satis ostendit, quàm timendum sit regentibus judicium, quod iis fiet durissimum, ùt habent sacræ paginæ. Illius mors quidem plena suavitàtis, omnibus, qui hominem noverant, non tam sibi dolenda, quam illi invidenda videri potuit; licèt timuerit: plerumque enim timent magis, quibus minus est, cur timeant.

Alphonsus de Valle. 6. Alphonsus de Valle Coadjutor Conimbricæ 6. Martii, natus in diœcœsi Bracharensi parentibus egenis: vitam alendi causâ petiit Ulysiponem, artem tonsoriam ibidem doctus, credebat per eam facilem patere aditum in sacram familiam Capuccinorum. Per id tempus, quo sub Magistro discipulum agit, contigêre multa evidenter ostendentia ipsum DEO curæ fuisse. Tentatus ab impudica muliere, Josepho similis, pallium reliquit in ejus manu, & se fugâ subtraxit periculo. In Tago naufragans Angelum Custodem sub pueri specie auxilio habuit. Religiosos tondebat gratis. De victu suo dabat pauperibus. Novam induerat vestem, cùm videt Irum seminudum ad portam Domûs prætereuntem, advocat, suâq; veste illum contegit. Ad nos venit excultus virtutibus, eas multis incrementis aucturus.

7. In tirocinio necessum fuit modum figere Alphonsi fervori, postquam à Magistro compertum, quòd sæpe crudelem in morem, ùt in sæculo assueverat, tergum flagris cruentâsset. Scholasticos nostros suspiciebat tanquam dominos suos, solitus dicere, illos esse viros nobiles, se de plebis fæce; se religionem iniviffe, ut ipsis serviret: propterea coram illis nec sedere, nec audebat caput cooperire. Non semel evenit, ut comitans aliquos de nostris ad mona-

chorum

chorum cœnobia interrogaretur, cujus facultatis cathedram occupet? nam ex persona, & prudenti sermone ejusmodi aliquid conjecère. Subridens, quid, ait, mei Patres dicitis? Sum laicus in mea religione, & rusticus, servio in culina, & in aliis Domûs officiis.

8. Quàm generosè seipsum vicerit, sequens docet eventus. Scholasticus sæcularis vix sumptam Eucharistiam evomuit. Citò currens Alphonsus vomitum catino exceperat. Dubitatum, an ibi esset panis cœlestis. Adhuc jejunus erat Alphonsus; igitur motus Numinis reverentiâ, ingreditur sacellum divi Antonii, tunc vicinum sacro vestiario, fusâ in Cœlum oratione, intrepidè labris admovet catinum, ac vomitum totum absorbet. Multis ille virtutum documentis insignitus, jure merito ab omnibus, qui noverunt, vir sanctus, ac perfectissimus Religiosus audivit.

9. Ulyssipone in Domo Professa 7. Decembris P. Joannes Mattius, Ulyssiponensis, vir doctissimus. Scientias cum splendore docuit qua Conimbricæ, quà Eboræ, ubi primariam Theologiæ cathedram illustrabat, illustratus & ipse Doctoris gradu. Post alios ordinis magistratus multâ prudentiâ gestos, moriente Nonio Mascarenio anno 1637. qui Romæ Assistens erat, ad id munus evocatur. Mortuo P. Mutio redivit in Lusitaniam Provinciæ hujus Visitator. Prominebat in eo singularis demissio, ardens obediendi desiderium, imperandi nullum. Aliorum molestiis, plùs quàm suis, affligebatur. Familiare fovit, & multum cum Deo commercium. Scrupuli sic vexârunt, ut martyrii vices agerent. Olim jussu Regis à secretis fuit Francisco Castrio Inquisitori Generali, cùm lustraret Lusitanæ Inquisitionis tribunalia. P. Joannes Mattius.

10. In Collegio divi Antonii Coadjutor eximiæ charitatis Antonius Pintus. Dum assistit continuus sacerdoti nostro perniciosâ laboranti febre, hæsit pestilens malum, ac vitâ fraudavit 13. Octobris. Ibidem 25. Maji phthisi contabuit P. Petrus Ferreira, Ulyssiponensis: venerat ex India cum Aveirensi comite. Laborum tolerantia in eo singularis. Antonius Pintus. P. Petrus Ferreira.

11. Morbi exitiales Conimbricam urbem implicuerant. Interdiu, noctúque non pepercerunt nostri laboribus in succurrendo ægris, & morientibus. Pauperibus largâ subvenit eleemosynâ Collegium. Medicamenta duntaxat è nostro pharmacopolio sunt æstimata aureis non minùs septingentis. Morbus pestilens Conimbricæ.

12. Duo sacerdotes Olivensæ tanto studio incubuerunt juvandis militibus, & populo, ut omnes flagitaverint à Rege, aleret ea in arce duos de Societate, dum ibidem non ædificaretur Collegium. Per id tempus noctu Castellanus summo silentio ingreditur arcem. Quando oppidani, & præsidiarii senserunt, jam erat in arcis visceribus. Ubi ad arma est conclamatum, tanto furore Lusitani adversus hostem irruêre, ut ipse sit coactus retrò cedere, ac deserere magni momenti arcem penè captam. Joannes Menesius Præfectus inter accendos hostes duodecim accepit vulnera: hic Ulyssiponem proficiscens in nostro Eborensi Collegio exceptus hospitio: Academia multis versibus ejus militarem virtutem ad Cœlum evexit. Missio Olivensis. Joannes Menesius Eboræ à nostris excipitur.

13. Villævissosæ D. Francisci Xaverii sodalitas est instituta. Hoc, vel sequenti anno in Portu Medicorum sub patrocinio divorum Cosmæ, & Damiani, ac scholasticorum sub Conceptione B. Virginis erectæ sunt Congregationes in templo nostro. E Collegio Bracharensi excurrerunt per Interamnensem provinciam quatuor sacerdotes verbi divini præcones. Decimâ tertiâ Maji renunciatus est Provinciæ Præpositus P. Petrus Rochia. Sodalitates erectæ. Missio. Novus Provincialis.

14. Assumptæ in cœlum Virginis die Lusitani pulso Batavo Loandam in Angola receperunt. Salvatorem Corream Classis Præfectum comitati sunt PP. Philippus Francus, & Antonius Coutus, qui nauticis operis cum in mari, tum in terra utilissimi fuerunt. Urbe captâ cœperunt incolere nostrum Collegium, cujus ædificii facies erat miserrima, multa diruta, cuncta sordibus spurca. P. Philippus eas curas applicuit in reficiendo, & mundando Collegio, ut paucis mensibus sit antiquæ formæ restitutum. Loanda recipitur.

15. Gar-

15. Garcia Guipacus Rex Congi Lusitanis & nostris infensissimus, captæ Loandæ nuntio, & mutatis rebus, timere cœpit meritas pœnas. Præfectus enim, Rege Dongano fidissimo Lusitanis vocato cum suis, bellum indixit Congensi regno. Ne bellum vastaret ejus ditionis populos, sine mora alium, atque alium Legatum ad Præfectum misit, pacem orans. Enixissimè rogavit P. Dominicum Cardozum, onus sumeret adeundi, ac placandi Præfectum. Sciebat enim Societatis homines non curare illatas injurias. Concessa est pax ea sub conditione, ut insula urbi proxima inposterum foret ditionis Regum Lusitaniæ : redderet Lusitanis mancipia, quæ in ipsius regnum etiam eo invitante transfugerant.

16. Missas litteras à Rege Joanne IV. ad Congi Regem tulit jussu Præfecti P. Antonius Coutus, magno apparatu à Rege exceptus; se reputavit felicem, quòd tanto honore ab Joanne afficeretur. P. Antonius substitit in eo Collegiolo, ubi duo incolæ numerabantur.

Annus 1649. Soc. 110.

1.

Visitator, & alii in Angolæ itinere capiuntur à piratis.

Recepto Angolano Collegio, misit Provincialis novos incolas, quatuor sacerdotes, Visitatorem & Rectorem Emmanuelem Marium, Franciscum Cabralium, Petrum Coëlium, & Vincentium Paivam ; tres coadjutores, Mathiam Sousam, Emmanuelem Fernandium, & Antonium Ferreiram. Conscensâ nave prætoriâ de sacramento vocatâ, sublatis anchoris in altum provecti sunt 17. Junii, aliis navibus concomitantibus, quæ paulatim aliò direxêre proram.

2. Multa fuerunt, quæ ab initio vectorum animis ingessêre occultum metum alicujus infortunii. Dux navis vecors, tenax sententiæ suæ, quocunque res caderent. Gubernator, qui jam Indiam adiverat, tanquam vellet emendare pristinos ejus navigationis moderatores, à communi via deflexit. Ut iter sit faustius, solent ejus viæ gnari ad trigesimum gradum post æquatorem versus Promontorium bonæ spei cursum intendere : deinde versis proris descendunt ad gradum octavum, ubi est Angola. Non acquiescens Gubernator salubri consilio, superato æquatore, quin prædictos ad gradus accederet, in Angolam dirigit proram.

3. Haud multò pòst inducit navem in torrentem Zairi fluminis, qui violentus magnâ aquarum mole subit mare, intra quod per triginta leucas dulces conservat aquas, nec ejus torrens superatur, nisi acres venti compleant vela. Multus hic navigantibus labor fuit : passim jactæ anchoræ, sublatæ passim. Tandem post multos dies vicêre moras ab flumine injectas.

4. Vigesimâ secundâ Octobris conspecti sunt duo myoparones Batavi. Nihil motus est iners Præfectus. Navis vehebat centum & septuaginta homines : abundabat armis, & nitrato pulvere. Batavus appropinquans displodit omnia tormenta; tria duntaxat è triginta Lusitanus Præfectus. Batavus navem impetit, ac sine multo certamine expugnat cum alia pari magnitudine illius socia. Stupuit pirata, vix credens fecisse, quæ fecerat.

5. Verùm DEus justus Judex punire voluit impios : nam ibant naves onustæ criminosis ex carcere ad remos detractis. Eos ad pœnitentiam exhortari, erat surdis canere; adeò in suis vitiis obduruerant. Illud animos Patrum perculit, quòd Crucifixi simulacrum è collo nostri Emmanuelis Ferreiræ pendulum, revulsum cruce in foros concidit. Casum reputans, in cruce reposuit firmatum clavis, sed denuo delabitur, omen secuti postea infortunii.

Occiditur P. Vincentius Paiva.

6. Multa strages facta primo impetu per navis foros. Cùm res esset mitior, & P. Vincentius de Paiva è Præfecti conclavi, quò se receperat, exiret, hæreticus nostro indutum habitu videns transfixit pilo. Deinde cadentem alius calce projecit ad tormenti carrum; ibi vir pissimus, & à sociis vocatus Martyr, animam effla-

efflavit. Illud contigit admirandum, quòd Vincentii cadaver in undas conjectum, sit visum flexis genibus, & manibus in Cœlum levatis instar precantis DEUM super undas ferri. Urbs Portus illi patria: præter alias virtutes humilitate conspicuus.

7. Quæ sint capti in navibus perpessi, quæ jam expositi, & quanto labore nostri Loandam pervenerint, longiorem postulat narrationem, quæ mei instituti non est. Illud non tacendum, quòd in itinere multos mortales sacro fonte abluerint, quorum bono prælusère tot labores.

8. Defuncto Romæ nonâ die Junii P. Generali Vicentio Carrafa heroë virtutis raræ, habitus Provinciæ Conventus Ulyssipone in Domo Professa. Præfuit P. Petrus Rochia Provincialis, quem Romam ire Rex vetuit, quòd noluisset nominare, ùt Rex petiit, pro Transtaganis Collegiis Visitatorem. Electi sunt ad suffragandum in comitiis universæ Societatis Ludovicus Brandanus Doctor Theologus, Franciscus Tavora, & Bernardinus Sampayus. Hæc fuit nona Congregatio Generalis indicta à P. Florentio Montmorancio Vicario Generali. Celebrata est mense Decembri, cùm nondum Romæ essent PP. Lusitani. Idcirco distulerunt electionem Assistentis Lusitaniæ in eorum adventum. Renunciatus est Generalis P. Franciscus Picolominius Provinciæ Romanæ: Ludovicus Brandanus Lusitaniæ Assistens. Comitia post mortem P. Generalis Carrafæ.

9. Eodem mense Decembri Eborensis Academia apparatu prorsus regali persolvit justa Infanti Eduardo Regis fratri, qui proximo Septembri post arctam custodiam in arce Mediolanensi toleratam inter catenas obivit. Factum solemne sacrum à Rectore nostro, qui totam regit Academiam. Habita funebris oratio ab Professore sacræ scripturæ. Inanis tumulus in altum sublatus, & parietes templi poëmatis omnis generis ornati. Quæ omnia Regi, & Principi Theodosio oblata sunt à quodam de nostris misso. Uterque gratias habuit Academiæ. Eboræ Eduardi Infantis exequiæ.

10. Ex Congensi Collegiolo ad perennaturæ vitæ regionem evocatus est P. Michaël Alphonsus, natus Arrayoli in diœcesi Eborensi. Multis annis strenuè laboravit in ea Congi missione. Ibi inter innumeras rerum varietates æquo semper animo, habitus velut communis omnium parens. Decimâ octavâ Aprilis solutus corpore tam quietè, ut potiùs dormiens, quàm mortuus appareret: vultus primùm fuit rubicundus, dein persimilis alabastritæ. Mores illi innocentes, antiqua bonitas. Moritur P. Michael Alphonsus.

11. Ebora ad Patres nostros transmisit 7. Octobris P. Gasparem Pirium Brigantinum. Fuit è melioribus sui temporis concionatoribus. Postremis annis caligante visu frequentes habebat exhortationes ad sanctimoniales. Rogabat etiam Superiores, darent aliquem socium, qui sibi legeret conciones jam aliàs dictas, ut refricans memoriam posset cæteros in pulpito juvare, & populum ad virtutes incendere. P. Gaspar Pirius.

12. Alterum P. Gasparem Macedo Alcobassensem, ad moderandas scientiarum cathedras, & ad sacras conciones peragendas inter præcipuos suæ ætatis nomen promeruit. Amabat plurimùm labores pro DEI gloria. Missionem habens Cetobricæ, erexit sodalitatem S. Francisci Xaverii, in cujus Albo primus ipse conscriptus est. Id contigit, antequam Societas illic conderet Collegium. Omnes Academici doluerunt tanti Doctoris immaturam mortem. P. Gaspar Macedo.

13. Hos duos bini alii in eodem Collegio consequuntur. P. Didacus Luisius 15. Martii. In Eborensi Academia tradiderat Theologiam ac nactus fuerat Doctoris insignia. Ortus Alpalami diœcesis Portalegrensis. Vir magnâ sapientiâ, & incorruptis moribus. Joannes Rex nominaverat Episcopum Japonensem. Antonius Gonsalvius 25. Decembris, quâ die Deus in terris ortus, de vivis abiit. Ibidem non paucis annis docuerat scientias morales. Ultimâ ætate amisit usum mentis. Id notatum est, quòd nec in eo statu verbum pronunciârit minùs decorum. Ajebant omnes, non posse non placere DEO hominem, qui vel amens nihil fecerit, aut dixerit absonum suæ professioni. P. Didacus Luisius.

P. Joannes Sousa. **P. Didacus Lopius.** **P. Andr. Gomesius.**

14. Domus Professa Ulyssiponensis tres sacerdotes utiles & magnæ authoritatis misit ad quietem perpetuam. Secundâ Augusti P. Joannes Sousa præcessit, frater Balii Lessensis, Portuensis Collegii Coadjutoris. Cum nobilitate primaria conjunxit profundam demissionem, quæ basis est cæterarum virtutum. Decimâ Augusti secutus P. Doctor Didacus Lopius Bringalensis. Tradidit Eboræ Theologiam non vulgari nomine, egit Cancellarium ejusdem Academiæ. Typis excudit Harmoniam divinæ Scripturæ. Tertius Andreas Gomesius Conimbricensis 14. Octobris eximius Concionator.

P. Antonius Lemius.

15. Conimbricæ Cœlo dedimus P. Antonium Lemium Portuensem. Piè nutritus est sub disciplina avunculi sacerdotis, qui vix extra suum conspectum evagari admittebat. Studens Latinitati ostendit felix, & acre ingenium. Audivit, scholasticos, qui vellent esse Religiosi, intra anni periodum voti fieri compotes, si recitent horas B. Virginis. Sine mora illas cœpit recitare. Nec defuit Virgo clienti suo. Nondum annus abiverat, cùm admissus ad Societatem. Religiosa vita illi erat suavissima. Biennio finito Ulyssipone studiorum causâ migravit Conimbricam. Mirè afficiebatur B. Aloysio, cujus legendo vitam curabat in suos transferre mores, quidquid in Gonzagæ virtutibus suspexit. Cùm intuerentur externi ad scholas euntem, dicebant invicem: solum videre hunc Patrem generat intuentium animis virtutis amorem. Factus sacerdos diebus festis excurrebat per pagos urbi vicinos sacram explicando catechesim, dein sedens audiebat confitentes. Si quis invitaret ad prandium, non comparuit, sed noctu domi nostræ cœnabat. Malum nullo remedio extinguendum hausit ab ægroto in carcere, posuítque pro fratre animam 9. Augusti, relictâ apud socios singulari virtutis Aloysianæ opinione.

P. Andr. Fernandius nominatur Confessarius Principis Theodosii, & Episcopus Japonensis.

16. Mortuo, ùt paulò antè memoravi, P. Didaco Luisio designato Japonensi Episcopo, ad eandem infulam nominavit Rex nostrum Andream Fernandium, Theologiæ Professorem in Eborensi Academia, virum omnibus magnis rebus agendis parem. Concessit Ulyssiponem acturus Serenissimo Regi gratias, & explicaturus, quo voto impediretur, quò minùs eam acceptaret dignitatem. Mirùm Regi placuit virtus, gravitas, & maturæ mentis prudentia, quam Rex vir profundi judicii reperit in Andrea. Tùm subridens, inquit, *noli turbari, tua Japonia erit in Lusitania.* Vix explicari potest, quantum Princeps Theodosius sit gavisus Andreæ conspectu. Credidit majorem famâ, quæ de illius dotibus volitabat. Confessarium Principis eum Rex elegit, ac postea suum. Nec, dum vixit, alterius magis est usus consilio, quàm P. Andreæ. Natus fuerat Vianæ in diœcesi Eborensi.

Initium valetudinarii Eborensis. **Sodalitates erectæ.** **Datur aquæ vena.**

17. Crevit Eborensis Collegii ædificium incepto valetudinario P. Franciscus Cabralius Collegii Rector 13. Junii divo Antonio dicatâ jecit primum lapidem: erat quadratum marmor, his verbis incisis: *Ecce, quem amas, infirmatur.* In Elvensis Collegii templo institutæ sodalitates, annunciatæ Virginis pro scholasticis; & S. Francisci Xaverii: hujus author fuit Antonius Mellius Castrius plurimis beneficiis à Divo affectus. Eidem Collegio concessêre cives aquæ venam derivatam ex publico urbis aquæductu. Donationem munivit suis litteris Rex erga id Collegium benevolentissimus.

Profecti ad Indiam. **Ad Mazagoniam.**

18. Tres sacerdotes suppetias tulêre Indis. Inter eos Antonius Franciscus Cardimius, qui venerat Procurator, quanquam ætate, & affecto corpore gravatus, accedente insuper facultate, ut in Lusitania ad finem vitæ subsisteret, noluit, ne suo exemplo alios ab eo itinere retardaret. Comites habuit Antonium Franciscum, & Joannem Cardozum. Naufragium passi sunt; at sospites ad littus non longè à Mosambiquio emersêre. In Mazagoniam Antonius Mellius, & Emmanuel Riberius sacerdotes ad milites in spiritu juvandos navigârunt.

Missio Ceæ.

19. Ceam oppidum in diœcesi Conimbricensi excoluit sacris sermonibus P. Josephus Figueiredus cum alio de nostris. Inter alia pietatis incitamenta unum fuit omnibus acceptissimum, videlicet Conceptionis immaculatæ

B. V.

B. V. juramentum: id ab omnibus magnâ factum solemnitate, præviâ missâ, & concione. Adfuerunt oppidanæ cohortes, quæ repetitis sclopetorum displosionibus auxêre communem lætitiam. Addita supplicatio multis Divorum ferculis permista. Etiam agitatum est de condenda Sodalitate Conceptionis.

Annus 1650. Soc. III.

1.

SUperiore anno vulgari cœperat in Algarbiis pestilentiæ contagium, hoc anno continuavit numerosâ strage editâ. Vis major incubuit Urbi Farensi, ubi Societas habet Collegium. Octo erant incolæ, quinque sacerdotes, & tres rei temporalis adjutores. Post incensam lue Taviram, & quo tempore ardebant Lagus, & Sylvia, flamma corripuit Farum, & latè omnia terrore complevit. Prælusêre tanto malo non dubia signa Justitiæ divinæ scelerum ultricis. Fuit, qui noctu sibi oblatum dixerit Christum sub rubicunda umbella circumferri per urbis compita manentem sanguine, ceu feriretur flagris; qui comitabantur, ibant nudatis ensibus in altum levatis, populus sequebatur veste pullâ indutus; plures viris erant fœminæ: quarum postea periit major numerus. Sonuit altâ nocte per plateas tintinnabulum domûs dictæ â Misericordia, quo denuntiari solent defunctorum obitus. Tribuerunt aliqui pestis originem ceto miræ magnitudinis, qui mari ejectus putruit, donec æstus iterum in mare resorberet. Pestis in Algarbiis.

2. Verùm his in incerto relictis, ubi cumulatis funeribus vagari licentiùs incepit lues, devoverunt se nostri salvandis corporibus, & animis. Ne simul perirent, aliqui sunt missi in villam, inde ituri miseris auxilio, quocunque vocarentur. In Collegio substitêre P. Emmanuel Fernandius, qui postea fuit à confessionibus Regi Petro secundo; Andreas Moura Vice-Rector, & coadjutores aliqui. Illi remedium & solamen urbis, sive die, sive nocte, quacunque horâ pulsatum ostii tintinnabulum ad vocandum Confessarium, præstò erant. Domos fidenter intrabant, nullo mortis genere deterriti. Par fuit prodigio peste non infici. Solus P. Fernandius contactus est brachio: sine mora signavit novies signo S. Crucis horridum tumorem, recitatâ toties Angelicâ salutatione, in honorem novem mensium, quibus Virgo Deipara Christum gessit in utero. Hoc uno remedio tumor evanuit. Eodem usi plures ab Emmanuele edocti sine aliis medicamentis mirabiliter sanantur.

3. Etsi Collegium tenui est reditu, pro viribus suis non pepercit sumptui ad succurrendum egenis, unum illis refugium. Parochi metu pestis oves suas deseruerunt. Unus quispiam se jactitabat duorum duntaxat confessiones excepisse; vocatus ad alios ire recusavit: hic in pœnam tam vecordis jactantiæ, malo perculsus, sine confessione obiit. Chirurgus natione Gallus Calvinista, adolescens, si hæresim excludas, honestis moribus, egenis favens, peste infectis assiduus, lethaliter malo correptus, decubuit moriturus. Accurrit P. Fernandius, & instillat monita salubria: si hæresim abominetur, ipsi patere salutis viam. Convictâ solidis rationibus mente detestatur errores suos, amplectitur orthodoxam religionem: nec multò pòst magno suo, & omnium solatio è vivis discessit.

4. Antonius Vasæus Coadjutor Patris socius chirurgum amplectitur. Existimatum est, ex eo contactu ipsi perniciosam hæsisse tabem: nam cœperunt illa, quibus explicatur, eminere signa, oculi sanguinei, dolor acutus in inguine, dorsum noxio fluxu gravatissimum, torpor brachiorum. Ne Collegium inficeret, in semotam domum vehitur; ibi vincente malo remedia animam ad mortem sanctissimè comparatam placidissimè effudit 16. Januarii. Hâc unicâ de nostris victimâ iram Numinis placavimus. Omitto referre parta per nostros pro DEI gloria, & animarum bono plurima. Una vox omnium erat, se morituros instar animantium brutorum, nisi fuissent Societatis homines. Bene precabantur Fernando Moritur peste Antonius Vasæus.

nando Mascarenio Episcopo, quòd eos suæ urbis incolas, ædificato Collegio, fecisset.

Conversio Reginæ Christinæ. 5. Inter res illustres, quæ eâ tempestate animos & sermones hominum in se converterunt, fuit Christinæ Suecorum Reginæ ad salvificam fidem reductio. Lux prima illi affulserat ex familiari sermone P. Antonii Macedi Conimbricensis. Redditus patriæ è Mazagonia, ubi strenuam, ùt suprà retulimus, operam Lusitanis adjuvandis impendit, designatus est Confessarius Josephi Pinti Pereiræ Legati Regis ad Sueciæ Reginam. Elegit comitem Joannem Andradam sacerdotem. Vela solverunt 24. Junii è Cetobrica, 30. Julii Holmiæ appulerunt. Erat Antonius à secretis Legato, ut sub hac persona tutiùs lateret, orthodoxis esset auxilio, & haberet faciles aditus in aulam. Utrumque feliciter obtinuit. Vix dici potest, quàm charus fuerit Reginæ, vir præclarus & eloquens in sermone Latio citra affectationem; eminebat in vultu, quæ fuit illi innata, gravis & amabilis modestia; vultus ingenuus, præse ferens innocentis animæ candorem.

6. Singularitas hominis observantiorem circa ipsum fecit Reginam. Venit in mentem, forétne Jesuita? Apud eas nationes magna erat de Jesuitis existimatio, ipsos virtute & sapientiâ cæteris præstare; ad quæque grandia cunctis aptiores. Tandem inquirendo, percontando, observando, id, quod erat, cognovit. Hinc statis horis, quibus ad prandium secedebant aulici, in privatos sermones admittebat Antonium. Paulatim suspicati hæretici Jesuitam latere sub sæculari veste, illum oderant; Lusitani quanquam occultarent, quid hominis foret; invidebant ei gratiam Reginæ. Multi de vera fide, & Ecclesia, quam Regina adhuc absconditam ex falsa suorum doctrina opinabatur, illi fuerunt cum Antonio sermones. Eadem secum conferendo, ùt erat mentis egregiæ, comperit, in quibus viveret erroribus.

7. Quoniam, conclusis negotiis, instabat Antonii reditus in Lusitaniam; nec eum morari poterat: Augusti duodecimâ sequentis anni cor suum aperuit Regina non sine suavibus lacrymis, quas & Antonius affudit, sibi mentem esse desertâ patriâ, ejúsque erroribus, vitam regno extorrem degere. Rem esse secreti summi, quoniam imminebat tempus suæ profectionis; nec integro silentio, posset ipse in Suecia manere; vellе, Romam pergeret, declararet Societatis Generali animum suum; rogare, ad se mitteret, quàm dissimulanter posset, duos viros Societatis notæ sapientiæ sub mercatorum habitu, quibus magistris amoveret dubia, & totum negotium ad exitus optatos perduceret.

8. Antonio datur abundè viaticum: nihil super his, aut itinere suo communicavit cum socio, aut Legato; sed occultè, illis nihil scientibus, Hamburgum navigat, inde magnis itineribus festinat Romam; quò evitatis aliquot periculis advenit 28. Octobris. Rei gravitate in consilium adductâ P. Goswinus Nickel Vicarius Generalis; nam paulò antè naturæ concesserat Generalis, nominat in id egregium opus perficiendum Paulum Casaum in Collegio Romano Mathesis Professorem, & Franciscum Malinium Taurini Theologiæ Magistrum. Ambo instructionibus Antonii Venetias profecti, mutatâ veste, hyberno tempore Sueciam adivêre. Ubi ad votum Orbis Christiani tantam Reginam orthodoxorum albo adscripserunt. P. Antonius Romæ subsistens obedientiæ jussu plurimis annis egit in Vaticano templo Pœnitentiarium. Illius virtutes circumferuntur typis vulgatæ.

Missio ad Indiam. 9. Ad Orientis regiones transfretârunt septem sacerdotes Lusitani. Omnibus præerat Nonius Guaresma, qui venit ex India. Reliquorum nomina sunt, Emmanuel Coëllius, Dominicus Regus, Emmanuel Barretus, Dominicus Lima, Emmanuel Carvalius, & Balthasar Sà. Hic postremus, præclaris ortus natalibus, hæres patrimonii pinguissimi, omnibus conculcatis, se dedit Societati: deinde fervore incredibili crebris epistolis Superiores fatigavit, ut sibi concederent Indiam petendi facultatem: post multas preces voti effectus compos, in ipso itinere piissimè migravit ad portum felicitatis æternæ.

Moritur P. Balthasar Sà.

10. Vi-

10. Vigesimâ quintâ Junii ad P. Petrum Rochiam Provincialem litteras dedit Præpositus Generalis, in quibus ad verbum referebat decretum Comitiorum Generalium Patrum Carmelitarum excalceatorum nostræ Societati valde honorificum. Nam fuerat scriptor tam adversus Societati, ut in lucem ediderit vitam S. Therefiæ truncatam, relictis locis, quibus diva nostram Societatem, & ejus filios plurimùm commendat. Hujusmodi scriptoris factum detestata venerabilis illa Congregatio, declarat, quantùm improbet; & vetat à suis hominibus legi tam invidiosæ manûs characteres, divis, & hominibus tam injuriosos. Monet suos Societatis moderator, gratiam referant PP. Carmelitis ob singularem amoris significationem. Decretum Carmelitarum excalceatorum Societati honorificum.

11. Ad missiones ultramarinas fovendas, authore nostro P. Andrea Fernandio, Theodosii Principis Confessario, voluit Rex creari de novo tribunal, cujus essent curæ, missiones promovere: hujus Præsidem, dum vixit, egit idem Andreas Regi in paucis charissimus, cui se totum in negotio conscientiæ regendum dedit. Volui huic anno inserere, quod fixum non reperi. Creatum tribunal pro missionibus ultramarinis.

12. Conimbricæ 18. Novembris terminum vitæ posuit P. Bartholomæus Pereira, natus Monsami diœcesis Bracharensis, in obeundis sacris excursionibus indefessus, Scripturæ sacræ Professor Conimbricæ sapientissimus. Opus egregium in Tobiam jam bibliopolæ tradiderat imprimendum, sed vel ejus malitiâ, vel negligentiâ disparuit. Typis mandavit versu heroico martyrium nostri Francisci Paciecі; quod opus in eo genere tam expolitum est, ut inter excellentes Poëtas jure merito ejus author habeatur. Mors P. Bartholomæi Pereiræ.

13. Præmaturus obitus Emmanuelis Sarzedæ Theologi nondum sacerdotis evenit Eboræ: ortum habuit Casteldevidii in diœcesi Portalegrensi parentibus nobilibus juxtà, ac opulentis: unicus ille hæres cum parentum, tum amitæ prædivitis, contempsit res ac spes omnes, & se conjunxit Societati. Jam à teneris eum ferebat innata propensio ad virtutem: nam etiam vestem suam dabat egenis. Multus erat in volutandis, ac meditandis asceticis libris. Semel facturo totius vitæ homologesim & accedenti ad confessionum tribunal obstitit specie ferox malus dæmon, inde conatus arcere, sed vanos impetus risit Emmanuel; dictóque citiùs turpis larva ex oculis evanuit. Apud nos erat cæteris religiosæ sanctimoniæ vivum exemplar. Illius patientiam exercuit alius adolescens, statûs sui tam oblitus, ut eum tandem Societas à se expulerit. Hic verbis scurrilibus, mordacibúsque jocis datâ occasione non cessat arrodere Emmanuelis invictam modestiam: tolerabat patientissimè, nonnunquam significans gestu tantùm dolorem animi; non quòd intus turbaretur, sed quo videret, an posset frænare petulantiam Deo injuriam. Dum feriatis diebus laxatur animus in villa suburbana, Præfectus Juniorum dat Emmanueli servienti ad mensam ferculum singulare, ut apponat suo inter socios amicissimo: eò intentis omnium oculis, ferculum donat illi juveni adversus ipsum supra modum importuno; tanquam neminem pluris haberet. Supremùm decumbens vultu lætissimo præstolatur mortem. Mors Emmanuelis Sarzedæ.

14. Ægrotabat vicinus Emmanueli in eodem valetudinario P. Franciscus Gama, quem lancinârunt dolores acerrimi. Hic per quendam, Emmanuelem rogat, ut, cùm fruetur Dei conspectu, sibi impetret quàmprimùm solvi corpore. Recepit Emmanuel facturum. Auditâ responsione, extemplò P. Franciscus postulat sacrum viaticum, & extremam unctionem. Non videbatur urgens necessitas; sed tam constanter institit, ut ei fuerit mos gerendus. Illud mirabile contigit, quòd, Emmanuele 10. Septembris obeunte, Franciscus præter expectatiouem sequenti die spiritum exhalaverit. Mors P. Francisci Gamæ.

Annus 1651. Soc. 112.

1.

Indicuntur comitia generalia.

MOrtuo 17. Junii Societatis nostræ Præposito Generali Francisco Piccolominio, indicuntur universæ Societatis comitia ad creandum novum Generalem. De his dicemus anno sequenti, & cur non habita sit Congregatio Provincialis. P. Petrus Rochia Provinciæ Præpositus 13. Maji absolverat triennium: cùm decretum Innocentii de non excedendo triennio in magistratibus, vetaret continuare, nominavit Vicarium Provincialem P. Hieronymum Vogadum. Per id tempus erat Visitator Collegiorum Transtaganæ Provinciæ P. Doctor Petrus Moura, designatus à Provinciali ex imperio P. N. Generalis, qui jusserat Visitatorem esse non subjectum Provinciali, at sub nomine diverso pari frui potestate circa prædicta Collegia. Id factum, ut gereretur mos Regi duas in suo Regno volenti Provincias. Cœpit regere 8. Februarii hujus anni.

Provincialis absolvit magistratum.

P. Petrus Moura Visitator.

Aperitur primò templum Angrense.

2. Angrensis Collegii templum novum 17. Junii magnâ solemnitate aperitur, dicatum S. P. Ignatio: cujus P. Antonius Moralius, cum esset Rector Collegii, 26. Martii anno 1638. posuerat primum lapidem. Opus est amplum, & valde puchrum. Vix credetur tam paucis annis absolutum expensis Collegii tantum templum. Sed præter aliorum industrias plurimùm valuit diligens in id cura P. Petri Barrozi Collegii tunc Rectoris.

Scalabi migratur ad Regis palatium.

3. Non minori pompâ sextâ die Maji Scalabi migratum à nostris ab domicilio prope ædiculam divi Sebastiani ad novum Collegium in palatio, quod Rex donaverat Societati. Habita est processio ornatissimis Divorum ferculis & mille jucunda varietatibus. Circumtulit divinam Eucharistiam Petrus Rochia Provincialis. Pro concione dixit celebratissimus Antonius Vieira. Regebat Collegium Franciscus Mansius. Consecraverunt intemeratæ Virginis Conceptioni. Ædificium nostris attemperatum usibus adhuc præfefert majestatem prorsus regiam.

Princeps Theodosius it Helviam.

4. Postremâ Octobris Princeps Theodosius consilio parùm maturo conscensâ noctu scaphâ trajecit Tagum, & maximis itineribus, Rege inscio, festinavit Helviam sedem armorum in Regni confinio. Magnos & juveniles animos urebat studium militaris gloriæ; putabat indignum suis annis torpere sub umbra Regiæ, & se totum emancipare studiis mitioribus, cùm tempus arma unicè postularet. Ea novitas aulam & Regem turbabat. Variis hominum sermonibus ansa præbetur. Cognitâ perfectione, die sequenti misit Rex nostrum Andream Fernandium Principis Confessarium, & alios dynastas, qui abeuntem sequerentur. Illic est moratus usque ad vigesimam Decembris. Quâ sit usus affabilitate erga nostros, dici vix potest. Eos diligebat tanquam rem suam. Collegium rexerat Emmanuel Luisius Doctor Theologus. Cùm incidisset festa S. Xaverii dies, sciretque Princeps Sodalitatem Divi coalescere ex viris militaribus, voluit scribi talis sodalitii Præses perpetuus. Erexit in nostro Collegio mathesis cathedram, datâ magistri sustentatione: is primus fuit P. Audœnus Belga: auditores habuit, quotquot erant belli duces, inter alios Andream Albuquertium equiratûs summum Præfectum id temporis formidandum hostibus. Tenuit ille cathedram annis aliquot. Pervigilio Nascentis Domini Princeps Ulysiponem jussu Regis adventavit, à quo acceptus vultu tam gravi, & verbis paternis in adeò severam formatis reprehensionem, ut existimatio fuerit hinc duxisse originem lentam tabem, randémque mortem Theodosii.

Moritur Emmanuel Gamerius.

5. Qui haud diu nobiscum degebat, multa explevit tempora Emmanuel Gamerius, ortus Chamuscæ diœcesis Ulysiponensis in provincia Transtagana. A teneris, ùt ajunt, unguiculis cœpit inhiare virtutum studio. Ludos, & ætatis

tis primæ crepundia instar viri maturi declinabat. Nondum attigerat annum decimum, & jam jejunio transigebat sabbatha, quadragesimam, & cæteras dies, quibus fideles ex præcepto jejunant. Cùm cilicio careret, rubo hærente carni cruentabat innocentes artus.

6. Nostræ insertus Societati sibi proposuit imitandum B. Stanislaum. Post biennium dum humanis litteris, & Philosophiæ dat operam, vixit in statu Juniorum integro sexennio: propter morum exempla cunctis spectabilia id flagitanti Majores libenter concesserunt. Absolutis studio destinatis horis, vacabat frequenter divinis commentationibus, & piorum librorum lectioni. Qui intuebantur orantem, sensêre inflammari corda. Summis obsequiis colebat DEUM panis specie velatum, ac ejus Matrem sanctissimam.

7. Ille author est in Lusitana Provinciæ piæ consuetudinis quâ lectores mensæ stantes pedibus, ac aperto capite quot mensibus recitant epistolam S. P. Ignatii de obedientia scriptam ad socios Lusitanos; cùm antè legerent sedentes. Sed Emmanuelis exemplum eam vim habuit, ut cæteri in tota Provincia sint amplexi, hodiéque teneant. Adeò modestus, ut in Gymnasio nescitum fuerit, cujus coloris haberet oculos. Nunquam ullam Instituti legum transgredi notatus.

8. Ardebat zelo saluti asserendi animas: ideo frequens erat in obeundis peregrinationibus, ut catechesim rudibus explicaret. Indicam missionem ardenter petiit, & tandem adeptus est. Hos conatus intercepit mors, cùm docebat Ulyssipone Grammatices prima rudimenta. Quo die Beatissima virgo trimula in templo est præsentata, felicem sui clientis animam Cœlo invexit, donúmque obtulit Regum Regi.

Annus 1652. Soc. 113.

1.

PRincipio hujus anni instituta sunt Romæ comitia ad eligendum novum Præpositum Generalem. Decimâ sextâ Januarii fuit electus in Moderatorem universæ Societatis Alexander Gottifredus Romanus, præclaris natalibus, at præclarioribus ornatus virtutibus. Hunc Societati solùm ostendit Deus, neque ultrà esse sivit; nam post unum supra quinquagesimum ab electione, hoc est, 12. Martii morbo absumptus est. Cùm nondum esset soluta Congregatio, in demortui locum sufficitur Goswinus Nickel Assistens Germaniæ. Id factum Martii 17. Data Generali potestas eligendi Assistentem Lusitanum: elegit P. Franciscum Tavoram absentem. Lusitani Patres non interfuère his comitiis; quòd Collegia Cistagana à Vice-Provinciali, Transtagana à Visitatore, neutro ab altero dependente, gubernarentur. Vetuit nempe Rex, iratus, quòd sibi non obsequeretur Societas in duabus, quas volebat, constituendis provinciis. Electio duorum Generalium.

2. Vitæ mortalis cursum absolvit 5. Octobris in Domo Professa Ulyssiponensi P. Hieronymus Vogadus Vice-Provincialis pro cistaganis Collegiis. Nominavit successorem Franciscum Tavoram. Hieronymus lucem primam viderat Alconchelii in diœcesi Pacis Augustæ trans Anam flumen. Venit in Societatem Conimbricæ. Annis quatuor & viginti excoluerat Æthiopes in Angola. Quòd Præfecto Lusitano viro multis inquinato sceleribus non indulgeret, ejúsque non probaret facta legi divinæ contraria, unà cum aliis de Societate comprehensus, navique impositus per summam injuriam mittitur in Lusitaniam. Deletis criminationibus iniqui Præfecti, ut consuleret honori Societatis, reversus est in Angolam. Moritur P. Hier. Vogadus Vice-Provincialis.

3. Insignem ejus charitatem Deus conspicuam reddidit auctis in horreo frugibus; quamvis enim abundantissimè impertiretur egenis, frumenti cumulus nihil est imminutus. Castigator sui acerrimus non sinebat diem elabi, quo se flagello non conscriberet. Humilitatem ùt oculorum pupillam tuitus. Quilibet

bet Superiorum nutus illi erat instar urgentis imperii. In ipsius vita fusè per me typis commendata egregias virtutes, & perfectæ sanctitatis exempla refero.

Moritur P. Franciscus Cabralius.

4. In eadem Domo 7. Octobris vitam laboriosam tranquillâ commutavit P. Franciscus Cabralius senior, natus Algodrii diœcesis Visensis. Ab ineunte ætate ad annos postremos naviter studuit religiosis virtutibus. Docens Latinitatem Bracharæ, sumptâ nocte mediâ natalis Domini Eucharistiâ, continuavit orando nixis genibus ad meridiem usque, hoc est, horis duodecim non interruptis. Rapiebatur ardentissimo zelo animas ad DEum convertendi. Plurimas obivit missiones sacras. Villævissosâ cum ad vicinos exiisset pagos, sæpe bis eâdem die verba faciens ad populum, revertebatur domum jejunus quadragesimali tempore; nullisque rationibus dimoveri potuit ab rigidissima in seipsum severitate.

5. Extra Confessionem non est visus loqui cum alterius sexûs persona. Non detraxit mortalium ulli, nec ostendit impatientis animi signum. Cùm regeret Eborense Collegium, vetuit negari stipem egeno petenti. Huic charitati tributa est eo Rectore prædiorum fæcunditas. Addictissimus sacrosanctæ Virgini, intra domesticos parietes instituit à nostris celebrari illius Conceptionem plausu litterario carminum, & orationum, qui mos amodò viget. Aderat semper lectioni spirituali, & audiendis meditationum punctis in sacello. In nostris ministeriis videbatur laborum helluo nunquam satiatus. Morti vicinus pendentem è cruce Dominum hisce alloquitur: *Tu Domine, scis, me nunquam egisse rem ullam, nisi quam intelligerem ex tuo majori honore & gloria.*

Moritur P. Paulinus Riberius.

6. Quartam Aprilis supremam habuit Conimbricæ in villa suburbana P. Paulinus Riberius, Theologiæ Professor, vir ingenii præclarissimi, & ad scientias capessendas nati. Societatem intimis dilexit medullis; dicere solitus, eam à se non deserandam, quamvis in dies singulos conculcaretur pedibus, ac sub fannis traheretur per Collegii ambitus. Aderant in villa socii animi laxandi gratiâ, cùm ipse vinculis corporis relaxaretur, mærore magno perculsi omnes.

P. Antonius Vieira it in Maranoniam.

7. Novembri vela solvit in Maranoniam P. Antonius Vieira, quem id temporis è sacro suggestu hianti ore, ac incredibili plausu audiebant Reges, Nobilitas, & populus. Multa hominem ad sacrificium id DEO offerendum impulêre. Votum, quo se primis in Societate annis obstrinxerat, incumbendi unicè salvandis Brasilis, dies, noctésque urebat animum, quamvis eo jam Majores liberâssent. Erant alia negotia non parùm intricata, quibus se immiscuerat, vel immiscere credebatur, quæ illum reddebant ingratum sentientibus contrària: ùt erat litigium Collegii D. Antonnii cum Provincia Brasiliensi, cui apud Regem plurimùm adversus templum Collegii P. Vieira favebat. Majoris erat momenti Provinciæ divisio, quam illum urgere coram Rege multis fuit persuasum, ob idq; sentiebant aliqui pellendum de Societate, tanquam ejus turbaret pacem.

8. His etiam rumoribus, falsis, an reapse veris, quod ego in incerto relinquo, se liberaturus statuit complere votum antiquum. Impetratâ summâ contentione Regis, & Principis facultate, navem conscendit cum aliis duodecim quà sacerdotibus, quà coadjutoribus, omnibus Lusitanis. Sed protinus inhibuit Rex navis profectionem. Expositus in littus, Regem & Principem conveniens, rursus instat. Navis interim, eo, & aliis duobus sacerdotibus relictis, in altum provehitur. Non ideo refrixit, sed conatu majore rem urget, tandémque expugnat Regem, qui multis, amplisque eum muniens privilegiis Brasilorum concernentibus libertatem consensit, ut cum duobus in alia navi abiret. Quæ, & quanta illic suo digna spiritu confecerit, non est mei instituti referre. Infrà suo loco de P. Antonii reditu, & causis mihi scribendum erit.

Indici Missionarii.

9. Quatuor naves cum Obidensi Comite Prorege ad Indiam sunt profectæ. De nostra Societate ivêre quatuordecim, Lusitani decem, Itali quatuor, distributi in tres naves. Diverso successu omnes intrârunt portum Goanum. Multi fuêre morbi, & sociis ampla seges exercendæ charitatis. Obivit in nave prætoria 30. Augusti P. Joannes Mesquita, qui strenuam operam in adjuvandis infir-

infirmis navaverat. In alia navi, ubi majorem stragem edidêre morbi, vitâ defunctus est P. Ignatius Marinus.

10. In Brasiliam, unde venerat Romam Procurator, rediit P. Franciscus Gonsalvus. Septem socios scholasticos secum vexit. Ipse P. Franciscus post absolutum in ea Provincia munus Provincialis migravit in Maranoniam, ubi multos annos curas & sudores intendit excolendis, & augendis Neophytis. Brasilici Missionarii.

11. Crevit hoc anno Provincia novo Collegio apud insulam Fayalensem unam ex Assorum insulis, sive tertiis. Septem habet leucas in longitudinem. Ejus princeps oppidum Horta dicitur. Anno 1635. noster Ludovicus Lopius est missus Rector insulæ S. Michaëlis; cùm navis eum non posset in littus exponere, & à fæda procella raperetur in scopulos, quos formicas vocant, placuit tum Patri, tum navis Præfecto, Fayalensem insulam petere, & ventis parere. Quod ego divino magis, quàm humano factum reor consilio. Ut erat homo ornatissimus virtutibus, & animarum zelo fervens Lopius, in terram egressus, nihil potius habuit, quàm concionibus, catechesis explanationibus, & pœnitentibus audiendis Insulanos ad Christianas virtutes incitare. Initium Collegii Fayalensis.

12. Suspiciebatur ab omnibus tanquam vir justus, & sanctus. Franciscus Dutra Quaerius cùm conjuge sua Elisabetha Sylveira, & nobilitate, & divitiis apud eas gentes præclari benevolentiâ speciali Ludovicum sunt prosecuti. Cùm domûs suæ non haberent hæredem, apud se, non cum Patre, de nostris eò vocandis, & Collegio condendo, agitârunt. Anno 1640. similis tempestas illò rapuit nostrum Damianum Carvalium; huic mentem suam aperuerunt. Tandem anno 1648. P. Ludovicus Lopius cum potestate Visitatoris lustravit Insulana Collegia, & appulsus ad insulam Fayalensem, tabulis ritè confectis acceptavit fundandum Hortæ Collegium S. Xaverio dicatum.

13. Jam naturæ concesserat Elisabetha, quæ reliquit suum conjugem ex asse hæredem, sed gravatum onere fundationis. Dum vixit, non adivit Societas possessionem. Post annos aliquot, eo vitâ functo, PP. Emmanuel Alvarus, & Dominicus Lousadus ex Angrensi Collegio Hortam navigantes nomine Societatis admissi sunt in possessionem totius hæreditatis. Id executioni mandatum anno 1649. Non defuêre difficultates; his demum superatis, jussu Vice-Provincialis Hieronymi Vogadi, Ludovicus Brittus Visitator Collegiorum Insularum 15. Octobris anni 1652. appulsus est Fayalensi insulæ cum PP. Petro Barrozo Laurentio Rebello, Dominico Lousado, & coadjutoribus Emmanuele Gonsalva, Antonio Alvaro, & Andrea Mota.

14. Communi omnium applausu sunt excepti; cymbalis festivè sonantibus, atque arcis Regiæ displosis tormentis. Ejusdem mensis 21. quæ sacra est undecim millibus Virginum, Visitator solitâ cæremoniâ jecit primum lapidem templi futuri. Relictis in novo Collegio Laurentio Rebello Superiore, Dominico Lousado, & Coadjutoribus Antonio Alvaro, ac Andrea Mota, Visitator cum aliis remeavit Angram. Calendis Novembris P. Superior in templo misericordiæ pro concione declaravit ædem sacram novi Collegii aperiendam 2. Decembris, & horis pomeridianis ejusdem diei signo dato faciendum initium Gymnasio sermonis Latini. Utrumque factum omnium singulari acclamatione. P. Superior moralis scientiæ magisterium sibi sumpsit obeundum, donec è Regno veniret illius facultatis magister. Domus Fundatoris habitationi sunt accommodatæ, & aula capacior in ædem sacram est composita. Provincialis Franciscanus pro ea, quâ nos illa Religio prosequitur, benevolentia, jusserat, ut aperto Societatis Gymnasio, sui absque mora Gymnasium, quod antea docebant, Latinæ Linguæ clauderent. Annis sequentibus nobilis Dominus Joannes Alvrius Medeirus presbyter locuples Fundatorem se obtulit templi Collegii Fayalensis, voluitque B. Virgini de Gaudiis consecratum.

15. Dominus Philippus Mascarenius Indiæ Prorex, unde redibat in Lusitaniam, cogente temporis, & maris adversi iniquitate Loandam in Angola appulerat, atque ibi in Collegio nostro morbo postremo implicitus è vivis excessit. D. Philippus Mascarenius Indiæ Prorex moritur in nostro Collegio Angolano

Olim fuerat nostræ Societati valde infensus, eámque Goæ multùm vexârat. Cùm esset D. Xaverio ex animo addictus, per quietem illi se Divus obtulit verso tergore. Cui Mascarenius: cùm tibi, mi Dive, sim tam obsequiosus, quare ad me non vertis faciem? Respondit Xaverius: mutare in vitum alium, tunc ego ad te faciem meam convertam. His dictis evanuit imago, & Mascarenius somno excitus, deposito rebus nostris adverso animo, Societatem deinceps vehementer dilexit, ac se voto obstrinxit eam ineundi, ubi redditus esset Lusitaniæ. Id testatus est noster Ambrosius Pereira Mascarenii Confessarius, qui eâdem in nave cum ipso revertebatur.

Annus 1653. Soc. 114.

I.

Moritur Princeps Theodosius.

ANnum ingredimur atro notandum calculo, quòd Lusitano Regno, ac Societati universæ mors immatura die 15. Maji decoxerit Principem Theodosium. Communem calamitatem jure nostra Societas suam propriam dicat, necesse est; nos enim, ùt fratres suos, amavit. Ortus Villævissosæ 8. Februarii anni 1634. parentibus Joanne, & Aloysia Ducibus Brigantinis, postea Regibus. Ubi ætas indolem explicuit, nihil potuit optari felicius; nam virtus Angelica, ingenium ad capessendas Principis Christiani disciplinas erat omnibus admirationi. Vix ullus per Europam Princeps celebrabatur æquo plausu, De nullo ejus ætatis major spes concipiebatur. Linguam Latinam, ac Mathematicas scientias apprimè calluit.

2. Sed quod mirabilius erat in juvene Principe, & tantæ monarchiæ hærede, nunquam indulsit blandis voluptatibus. Nactus magistros sui spiritûs Joannem Nunium, & postea Andream Fernandium, viros nostræ Societatis præclaros, eos in virtute fecit progressus, ut dici possit raptum esse, ne malitia mutaret ejus intellectum. Frequens erat in exponenda conscientia, & anima sacro pane roboranda. Ejus facta & verba modestiam, prudentiámque præferebant. Nostros homines æstimavit ceu veros & fideles amicos, in quibus reperiebat ad omnem honestatem incitamenta. Ludus illi in villa idem, qui solet esse nostris scholasticis. Dies ipsi felicior, si à pluribus de Societate viseretur. Solitus dicere: *Neminem sibi placere, cui displiceret Societas. Tria hominum genera esse Societati adversa, nimirum invidiosos, multùm vitiosos, & stultos.* Ajebat, se debere nostrorum conversationi, quos ad virtutem assequendam sentiebat stimulos.

3. Eò pervenit amor erga nostram Societatem, ut eam ingrediendi vehemens sit expertus desiderium. Patri Joanni Nunio matris, & suo confessario hanc mentem explicans interrogavit, quonam modo posset fieri voti compos. Multùm sudavit Joannes in avertenda tam intempestiva cogitatione, Princépsque illius monitis obtemperans ab incepto destitit. Propterea usurpabat sermonibus; se nemini plus invidere, quàm iis, quibus ad ineundam Societatem nullus obex, nullum foret impedimentum.

4. Superioris anni Februario, quo die celebrabantur ejus natalia, magnam vim sanguinis evomuit, ac deinceps semper habuit pejus. Inter alios Medicos ad procurandam Principis sanitatem vocatos adfuit noster Antonius Ferrazius Eborensis Collegii pharmacopola, qui longis experimentis sic didicit apta morbis admovere medicamenta, ut nihil cederet insignioribus etiam Medicis. Hic Principi assedit continuus. Veris tempore, fluente jam præsenti anno, Regibus secedentibus ad villam Alcantaræ, placuit Medicis, ut & Princeps eò secederet. Descensurus palatii scalas, cùm non admitteret sellam gestatoriam, & se offerrent, quibus incumberet, plurimi ephebi, vitandæ invidiæ gratiâ, si hos potiùs, quàm illos elegisset, vocat duos de Societate, qui præsentes erant, & subridens ait: *Vos ad descendendum me vestris juvabitis brachiis, & vestris precibus ad subeundum in Cælos.* Deinde versus ad circumstantes, quibus,

bus; ait, *humeris possum inniti securiùs, quàm eorum, qui, cùm sint genuina proles magni Atlantis Ignatii, unà cum parente suo suis humeris sustentant Christianum orbem.*

5. Exceptus in villa proxima domibus regiis, nihil remittente lentâ tabe, mirum est, in quanta arserit desideria moriendi, ut citiùs divino frueretur conspectu. Desperatâ demum salute, accedens lecto confessarius, cadentibus ubertìm lacrymis, certiorem fecit mortis vicinæ. Hæc audiens hilari vultu brachiis extentis confessarium amplectitur, habet gratias pro nuntio tam jucundo, pronuntians Davidis verba: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Postea injecto sermone de vita, *Nec*, ait, *mori timeo, nec amo vivere; fiat in me voluntas DEI.* Morti proximus contremuit toto corpore, & lecto, inclamans: *non consentio, non consentio.* Arguebatur injectam illi à communi hoste tentationem. Paulò pòst alterâ manu tenens Crucifixum, alterâ accensum cereum: *Eja*, inquit, *venit hora, eamus amici.* His dictis efflavit animam. Dubitatum inter præsentes, ad quosnam ea verba dirigeret, an ad circumstantes, an ad SS. Angelos innocentem animam expectantes. Tumulatus est in templo S. Hieronymi ad ripam Tagi, habitu, ùt petierat, divi Francisci, pompâ, quæ decebat tantum Principem. Georgius Cardozus in suo Hagiologio Lusitano de Theodosio tanquam de viro prædito omnium virtutum ornamentis facit egregiam mentionem. Illius vitam grandi volumine typis impressit noster Emmanuel Luisius Doctor Theologus.

6. Conimbricæ 20. Maji statutos vitæ annos explevit Paulus Rodericius Doctor Theologus. Natus in Castello Lanhoso diœcesis Bracharensis. Et Conimbricæ, & Eboræ exposuit sacras litteras. Vulgavit volumen de gloria utriusque Joannis. Scripsit in Evangelia, sed morte præoccupatus typis non edidit. Moribus vixit inculpatis. *Mors P. Pauli Rodericii.*

7. Ibidem 7. Augusti videri desiit Petrus Tinocus scholasticus adolescens virtutis jam provectæ, natus Figueiredi in Bracharensi diœcesi. Novem menses lecto inter dolores vixit affixus. Ex nimia ad studium applicatione fluxus humoris in mentum descendit è capite tam copiosus, ut scalpello scindi viam humori necessum fuerit. Verùm cùm tantus hiatus non esset emittendæ tabis inundationi, decidit in brachium lævum, quod totum tumuit, & torpuit. Multas lacerationes, ac cæsuras tulit animo patientissimo, sibique persuasum habuit, æternæ suæ saluti æquè congruere, atque afflictationes, quibus cruciabatur. In eo magna conscientiæ puritas, & obediendi studium eminebant. *Petri Tinoci;*

8. Septuagenario major P. Petrus Rochia 13. Octobris in Domo Professa Ulysiponensi è vinculis corporis evolavit. Natalem sortitus lucem in oppido Villa de conde diœcesis Bracharensis. Docuit Eboræ, & Conimbricæ Theologiam. Præter alios Magistratus bis egit Provincialem. Indiæ Visitator nominatus, ac ventis contrariis denuo Ulysiponem repulsus, abruptum Conimbricæ Rectoratum continuare jubetur. In his magistratibus præbuit se justum ac mitem, &, cùm res poscebat, fortem. *P. Petri Rochiæ.*

9. Ad Indiam redivit P. Franciscus Barretus, qui inde venerat Romam Procurator Provinciæ Cocincinensis. Rex eum designavit Cranganorensem Archiepiscopum. Comites habuit Antonium Machiadum, & Ludovicum Sylvium, utrumque regali sacerdotio insignem. *Missiones Indici.*

10. Secundos progressus recenset Collegium Fayalense. Erecta Sodalitas S. Francisci Xaverii, & triduo Saturnali instituta solemnitas 40. horarum. Advexit navis Anglica 50. Æthiopes captos ab hæreticis in saltu Leænæ, nullus ex eis baptismate erat ablutus. Angrense Capitulum, in cujus diœcesi Fayalensis insula, commendat nostris, curam susciperent eos probè instruendi, & sacro fonte lavandi; quod seduli præstitêre, coactis dominis, ut festis diebus eos mitterent ad doctrinam Christianam audiendam. E regno accesserunt sacerdotes duo, Antonius Capralius ad Latinas litteras edocendas, & Antonius Nu- *Collegii Fayalensis progressus.*

nius ad procurandas res domesticas. P. Dominicus Lousadus cum Andrea Mota Coadjutore totâ insulâ vagus populos ad pœnitentiam excitavit.

Provinciæ divisio.

11. Hoc tandem anno Lusitana Provincia in duas dividitur. Jam in Conventu Provinciæ vocato anno *1606.* quæsitum fuerat, an deberet peti talis divisio, nimirum in Cistaganam, & Transtaganam, dato Ulyssiponensi D. Antonii Collegio Transtaganæ; cæteris domiciliis Ulyssiponensibus Cistaganæ. Judicatum est hujusmodi postulationem esse intempestivam. Postquam Joanni IV. restitutum est Lusitanum solium, pluribus, & ipsi Regi visa est ea divisio ex regni majestate.

12. Multa nostros homines ad id meditandum impellebant. Amplitudo Provinciæ valde incommoda Provincialibus plerumque ætate provectioribus; negotiorum expeditio difficilis in tanta locorum distantia. Ajebant, hoc modo augendum Collegiorum numerum, & sociorum, è quibus possent cohortes numerosiores ad Indias, Americam, & cæteras hujus regni Provincias ultramarinas singulis annis ire ad Ethnicos convertendos. Posse Visitatores, posse Provinciales mitti ex una ad aliam, qui cùm functi munere redituri essent ad suam, rem communem sine acceptione personarum citra dubium erant administraturi. Sic studia partium, commune malum etiam in sacris familiis, si, quod avertat DEus, apud hos, vel illos cervices erigerent, frænari possent, & nullo negotio extingui. Deinde Societatis morem esse à S. P. Ignatio deductum, novas Provincias instituere, cum alicujus adeò crevisset corpus, ut administratio sit reddita multùm difficilis. Adjiciebatur esse ex majestate nationis, in qua S. Parens erexit provinciam primam totius Societatis, ad Generalia comitia mittere plures, quàm tres suffragatores.

13. Qui adhærebant opinioni contrariæ, clamabant: id esse scindi tunicam Christi: concordiâ augeri rerum vim, divisionibus minui. Certè Antonius Mascarenius, in quo erant omnia summa, consultus per P. N. Generalem respondit; tempus tali separationi non esse opportunum propter multa Collegia tenuia; cùm justos haberent reditus, tunc fore, ut sine præsentibus incommodis id effici posset. His, aliisque rationum momentis res ultrò, citróque ventilabatur. Iratus Rex quibusdam è gravioribus, quòd sibi resisterent, eos arcuit Ulyssipone, Bracharam, Conimbricam, Portum.

14. Etsi, ut gereretur mos Regi, Collegia Transtagana, ùt dictum est suprà, jam gubernabantur à Visitatore non subjecto Provinciali; tamen videns Rex negotium lentiùs, quàm vellet, procedere, acriùs institit. Hieronymo Vogado vitâ functo successit in administratione Provinciæ Franciscus Tavora. Jusserat Rex, ut nostri, qui Romæ erant, omnes reverterent in Lusitaniam, se nolle ipsos obsequi Generali, qui sibi non obsequeretur. Cùm non parerent aliqui, dedit ad Tavoram acerbas litteras Januario hujus anni, quibus vetabat commercium cum Generali, & mitti pecunias ad alendos, qui manserant Romæ. Ad has litteras Tavora humillimè, & modestissimè respondit: nec se posse abstinere à tali commercio, nec subditis interdicere sine lethalis peccati reatu; proinde dignaretur pro sua erga hanc minimam Societatem benevolentia, eam in tales angustias non conjicere.

15. Præpositus Generalis considerans, quantâ raperetur Societas procellâ, misit Visitatorem Joannem Brisacierum natione Gallum, illustrem sanguine, Confessarium Ducis Aurelianensis, Regi à confessionibus, Rectorem Parisiensis Collegii, cum potestate, quando aliud nequiret, dividendi Provinciam. Ulyssiponem appulsus 25. Julii unà cum Joanne Pomeurolo ejus socio. Antequam de navi exiret, missus à Rege Petrus Fernandius Monterius cum nostro Andrea Fernandio, intellecturi, quæ ferret mandata à suo Generali Præposito, ut Rex videret, an illum deberet admittere. Cognitis, quæ in re forent, admisit Rex ad privatum colloquium. Diffidens Lusitanis Visitator, elegit interpretem Fratrem Ordinis Franciscani.

16. Cùm

16. Cùm Regem invenisset obfirmatum in sententia divisionis; rogavit, antequam fieret, sibi liceret Provinciam lustrare. Cùm non obtineret, Ulyssiponem accivit Franciscum Tavoram Vice-Provincialem, & Petrum Mouram Visitatorem; lectis sui muneris patentibus litteris, in hunc modum divisit. Cistagana Collegia Conimbricense, Portuense, Bracharense, Brigantinum, Scalabitanum, & Insulana Angrense, Michaëlense, ac Fayalense Provinciam constituerent, quæ retineret nomen Lusitanæ Provinciæ, vel diceretur Beirensis, aut Conimbricensis, cujus esset caput Conimbricense Collegium: sumeret initium à linea imaginaria deducta à Tago prope Scalabim usque ad templum Nazarethanæ Virginis, quod mari imminet. Collegia intra tales limites ædificata, & ædificanda pertinerent ad Lusitanam Provinciam.

17. Ab dicta linea ad ostium Tagi Transtaganam regionem, & Algarbia terminos fore alterius Provinciæ, cui addita sunt Collegia Funchalense in Madera insula, & Angolanum. Placuit Regi vocari Transtaganam Provinciam, tum ob nobilitatem regionis, tum quòd in ea natales suos Rex habuisset, & sedem fixam Brigantina Domus. Quanquam Visitator concesserat vocari posse Ulyssiponensem, Eborensem, aut Transtaganam. Nullo tamen modo à Generali permissum, ut Ulyssiponenses domus dividerentur, aliis alii Provinciæ attributis. Lusitaniæ præfecit Franciscum Tavoram, Transtaganæ Petrum Mouram, dum Præpositus Generalis in rem non provideret. Facta est divisio vigesima octava Septembris.

18. Duraverat hæc separatio solùm usque ad annum 1665. Interea temporis rexêre Lusitanam Franciscus Tavora, Antonius Barradius, Balthasar Tellius, Michaël Tinocus, & Ludovicus Lopius. Transtaganam, cui Professa Domus Ulyssiponensis caput erat, Petrus Moura, Benedictus Sequeira, Michaël Tinocus, Franciscus Mansus, Franciscus Tavora, & Antonius Barradius. Brisacierius lustratis Collegiis, sequenti anno in Galliam remeavit. Electus præsertim, quòd ea natio cum nostra coleret amicitiam.

19. Imperavit postea Generalis, ut solita suffragia in utraque Provincia fierent pro defunctis, qui ante divisionem erant Societatem ingressi, haberéntq; id beneficium spectato rerum statu, cùm Societati sunt adscripti. Illud in negotio aleæ plenissimo multis displicuit, quòd non transigeretur arbitrio Præpositi Generalis, & Societatis, quam penes est discernere, quando oporteat ad majorem DEI gloriam, & Societatis incrementum novas instituere provincias, antepositâ communi utilitate hujus, vel illius libidini. Anno 1707. Adm. Rev. P. Michaël Angelus Tamburinus Præpositus Generalis de dividenda hac Provincia illius Patres consuluit, permotus, quòd in aliis Provinciis peterentur divisiones, & Societati conveniret libramentum suffragiorum ad universæ Societatis comitia sanctiùs, & justiùs temperanda. Postea hujusmodi curâ supersedit.

Annus 1654. Soc. 115.

I.

Memorandus duorum est in Societatem ingressus, Illustrissimorum adolescentum Francisci Vasconcellii, & Joannis Carvalii. Accidit Ulyssipone 31. Martii. Ambo erant de primaria Regni nobilitate. Franciscus unicus hæres paternæ domûs, à multis annis repulsam passus, tandem evicit obices à Societate objectos; & Visitator Gallus admitti jussit, invitis, & insciis parentibus. Multa inde nata litigia, tum parentibus, tum consanguineis utriusque ferociter urgentibus, ut sibi restituerentur. Mille modis adorti eorum constantes animos. Sed tamen traditi sunt adolescentes suorum potestati, ac depositi in cœnobio monachorum, ut accuratè discuteretur spiritus, quo se dederant Societati. Post varias machinas incassùm fabricatas, ipsis persistentibus animo semper inconcusso, nobis denique restituti vixerunt magno omnium exemplo.

Ineunt Societatem Franciscus Vasconcellius, & Joan Carvalius.

Præfecti ad Indiam.

2. Indorum salutis procurandæ causâ Goam concessêre sacerdotes quatuor, Antonius de Sanctis, Emmanuel Temudus, & Thomas Vasæus, Lusitani, & Sebastianus Bernius Italus. Thomas annis labentibus egit Provincialem Japoniæ.

Extinguitur Eboræ noviciatus.

3. Anni hujus mense Majo cessavit Eboræ tironum educatio, novitiis omnibus jussu Præpositi Generalis in Ulyssiponensem domum migrantibus, quòd vellet sub eodem instrui tecto Transtaganæ Provinciæ tirones. Infrà dicendum, quàm brevì sit iterum habitatum Eborense tironum domicilium.

Sodalitas S. Ignatii Conimbricæ.

4. Conimbricæ instituta est Sodalitas S. Ignatii conversi, ac pœnitentis. Id pium opus initium habuit 21. Octobris, authore Ven. viro Alphonso Castillio tertii curriculi Philosophici Magistro. Sacellum in atrio scholarum obeundis sanctæ Sodalitatis exercitiis est destinatum. Illuc multa Nobilitas ex Academicis confluebat.

Moritur Provincialis Carmelitarum in nostro Collegio Angrensi.

5. Appulit Angrensem ad portum Navis Indica: in ea vehebatur Frater Nicolaus Alemanus Provincialis Carmelitarum excalceatorum lethali morbo implicitus. Nostri in lectica portaverunt ad Collegium, nullique parcentes sumptui, Societatis erga suos infirmos charitate, ægroto consuluerunt. Nihil proficientibus remediis, & Medicorum industriâ, humatus est in nostro templo, & justa tanquam Societatis defuncto à nostris fuerunt celebrata. Æthiopem ejus comitem nomine Donatum, abundanti commeatu dato, misimus in Lusitaniam.

Fructus Collegii Angrensis.

6. Ex eodem Collegio discurrêre per totam insulam duo de nostris populum excitantes ad peccatorum dolorem & confessionem. Sic à nostris introductus est mos & fervor recitandi Virginis corollam, ut singulis diebus in Angræ templis à populo caneretur. Ex urbe manavit sancta consuetudo in totam insulam. Sodalitas mancipiorum Virginis de novo instituta: insigne, quo distinguebatur, catena fuit circumvoluta brachio. Institutum jubebat festis Virgini sacratis exonerare commissis animam, & refici pane cœlesti; ad horologii sonitum recitare Angelicam salutationem; domo non egredi nisi à Virgine petitâ veniâ. E sæcularibus ad monialium asceteria transiit hujusmodi pium servitium.

Missio per Picum.

7. P. Dominicus Lousadus, verbi divini præco, cum Antonio Alvaro Coadjutore peregrinatus est per Picum insulam duabus leucis à Fayalensi dissitam. Homologeses de vita universa supra tercentum audivit. Morbi causâ ab incepto destitit. Hoc anno defuncti sunt Hortæ Franciscus Viegas Vicarius Prayæ; moriens legavit nostro Collegio optimam vineam: & Dominicus Pereira Sarmentus vir nobilis; reliquit eidem Collegio villam glebæ pinguis: ambo Societati nostræ addictissimi.

Mortui Benefactores.

Mors Emmanuelis Henriquii.

8. Secundâ Septembis in vico Virginis à Lapa transivit à rebus caducis ad immortales Emmanuel Henriquius temporalis adjutor. Ortus Nogueiræ de Cravo in diœcesi Conimbricensi. Studens Latinis litteris, fortè rixatus cum alio suæ ætatis scholastico, inter puerilem calorem sic illum pugione in ventre percutit, ut triduo animam evomuerit. Timens comprehendi, concessit Hispal in Bætica: illic, quò genius vocabat, indulget arti pictoriæ. Multùm profecit in re ad animam pertinente, cùm se tradidisset regendum nostro Alphonso Rodericio, quem orbis penè totus novit è libris asceticis editis, semper cum lucro, & admiratione lectis, ac legendis.

9. Dum artem exercet in claustro Benedictino, altiora meditans, rogavit Præsulem, se cooptaret in divi Benedicti familiam. Facturum promiserat, si testificationes ad ingressum necessarias extrahi curaret in solo patrio. Regressus eâ de causâ Conimbricam, ne pateret, sub obtentu pingendi latuit in nostro Collegio. Assuetus Didaci Monterii virtutibus apud nos laudatissimi commercio, adjecit animum Societati. Obstabat unicè illud homicidium. Certior factus Præpositus Generalis, re in deliberationem adductâ, declaravit cædem illam ratione ætatis, ob quam leges civiles hujusmodi casus homicidii non

damnant,

damnant, carere circumstantiis, quæ crimen apud nos reddunt impedimentum non dispensandum.

10. Rupto hujusmodi obice, Societati adjunctus Conimbricæ 7. Novembris anno 1618. Claruit omnibus inde virtutibus. Charitatis sic amans fuit, ut Hispali, cùm adhuc in sæculo degeret, noctu ad fæminas lacte abundantes ferret inter brachia prolem cujusdam matris pauperrimæ. Religiosa paupertas illi erat cordi. Vestitus tot videbatur resectus centonibus, quos assuebat manu suâ, ut in femoralibus laneis sint numerati quinquaginta centones supra centum. Similis erat thorax laneus, & alia indumenta.

11. Diebus singulis antelucano tempore duas horas consumebat orationi deditus. Huic sancto exercitio diutiùs indulsit diebus festis; addebat præterea tres missas, eas summâ veneratione audire solitus. Bis quotidie corpus flagellaverat, nocte mediâ, & ante solis ortum. Tum jejuniis, tum aliis corporis macerationibus perpetuum sibi bellum intulit. Monitus, consuleret valetudini, reponebat, parum jacturæ fieri morte suâ. Præscivit diem, ad quem sic se comparabat, ut avidè expectaret. Missus ad eremitorium Virginis à Lapa, Conimbricensi Collegio obnoxium, morbo supremo occupatur. Illud admirandum contigit triduo ante mortem, quòd in ea parte, quâ adolescentem olim transfixerat, acutissimum dolorem senserit: interim se totum cum Deo conformans voce lamentabili ajebat: *Hominem occidi ventre feriens, qui triduo luctatus est cædis acerbitate, ideo justo Dei judicio affligar altero triduo: sic Deo placet, ejus fiat voluntas.*

12. Paulò ante mortem, quòd nox erat, dixit circumstantibus: *Recedite ad capiendam quietem; nam & ego volo quiescere.* His dictis componens os, manus, & corpus totum, decussando brachia, & pedes extendendo, caput inclinavit ad venerandum saxum, sub quo Virgo colitur, ac summâ corporis, & animi pace emisit spiritum. Tumulatus fuit in templo pagi Guintelæ; nam ædes Virginis tota est fundata rupe vivâ.

13. Vigesimâ octavâ Novembris iter æternitatis ingressus est Bracharæ P. Emmanuel Mascarenius, ortus Ulyssipone parentibus Illustrissimis, at infelicissimis, Marchionibus Montalvanensibus. Cùm duo eorum filii, deserto novo Rege, secuti sint partes Castellani Regis, & ad ipsum confugissent, parentes suos, ac totam familiam miserandùm funestârunt, obruerúntque calamitatibus, quarum pars magna Patri Emmanueli obvenit. Bis ille, semel in Castella, iterum in Lusitania, jussu Regum manciparus carceri, tulit æquissimo animo hujusmodi adversitates, quibus majorem reddidit innocentia. P. Emmanuelis Mascarenii.

14. Ingenio ad scientias egregio præstantiores virtutes sociabat; cumprimis profundissimam humilitatem in tam illustri prosapia. Post acceptos sacros ordines Officium B. Virginis, & coronam quotidie recitavit. Non alius vultus in adversa, atque in secunda fortuna videbatur. Amico in ærumnis consolanti respondit: *pati, mori, & silere.* Venientem ex odeo templi horis vespertinis subita vis mali adorta, unicè pepercit menti, & voci. Expositâ conscientiâ apud Confessarium, antequam reficeretur sacro viatico coram omnibus protestatus est per mortis horam, in qua erat, & rationem actutùm dandam supremo Judici, se nec levem causam præbuisse ad sustinendum bis carcerem. Ubi sacro inunctus oleo, pacatè efflavit animam. Post Emmanuelis mortem prælo subditum est Parisiis volumen de Sacramentis ab eo concinnatum.

15. Læta Natalis Domini festa funebri mærore obturbata sunt 27. Decembris Eboræ moriente Patre Petro Moura Doctore Theologo. Vitæ curriculum inivit Alpalami in diœcesi Portalegrensi. Egit Visitatorem Brasiliæ, Rectorem Eborensem, & Conimbricensem, Visitatorem, & Vice provincialem Transtaganæ Provinciæ. Tum magisteria, tum prædictos magistratus egregiè explevit, sapiens æquè, ac religiosus. P. Petri Mouræ.

16. Conimbricæ, ubi fuerat natus, obivit 29. Novembris P. Antonius Diasius, Coadjutor spiritualis, septuagenario major. Annis tribus & triginta vi- P. Antonii Diasii.

xit in Collegio insularum à Capite viridi, Octodecim annis ibi pueros docuit Grammaticam. Indefessus assidebat audiendis pœnitentibus. Frequenter in locis publicis tum pueros, tum rudes imbuit sacrâ catechesi. Multos morbos, adversitates plurimas tulit in ea infelici regione: semper invictus tot ærumnis, donec extincto domicilio redivit in Lusitaniam.

P. Joannis Andradæ.

17. P. Joannes Andrada 27. Maji Scalabi piè discedit. Comes ierat in Sueciam P. Antonii Macedi, cùm Regina appulit animum ad veræ fidei mysteria. Micuit in eo obedientia prompta. Tertianâ laborabat, cùm ex uno ad aliud missus Collegium, non indicatâ Superioribus febri, se ad iter capessendum accinxit. In Domo Professa Ulyssipone abit Hieronymus Diasius Coadjutor, natus Villævissosæ, in id totus intentus, quod jubebant majores. Ibidem Sebastianus Sà, domo Portuensis, Coadjutor, insigni præditus charitate. In Domo tironum 29. Januarii P. Bernardinus Sampayus Vianensis, plenos lacrymis, ac desideriis reliquit suos tirones, quos pluribus annis instruxerat. Tam innocens moribus fuit, ut, qui totius vitæ prope mortem audivit errata, affirmaverit: nunquam lethali crimine maculâsse animam.

Hieronymi Diasii. Sebastiani Sà. P. Bernardini Sampayi.

Annus 1655. Soc. 116.

1.

Conventus Provinciales.

CONgregatio triennalis habita in utraque Provincia: in Lusitana electus Procurator P. Joannes Cabralius; in Transtagana Michaël Tinocus. In hac relata sunt ingentia Regis beneficia erga Societatem proponenda Generali Præposito, ut statueret sacra dicenda, ac preces ab Societate universa pro Benefactore tam insigni. Tria indicta sacra à singulis facienda sacerdotibus, & tres precatoriæ coronæ recitandæ à non sacerdotibus. Per id tempus adhuc erat Ulyssipone Antonius Vieira, & urgebat abitum suum, quem Rex impediebat; sed multis motus Vieiræ rationibus, Patribus Congregatis decidendum per secreta suffragia commisit, an concedi, an negari debeat profectio.

P. Vieira expeditur ad Maranoniam.

2. Ingressus ad Patres in sacello congregatos P. Vieira suâ illâ dominante eloquentiâ proposuit magni momenti rationes ad moras omnes rumpendas. Illo de conventu egresso, nonnulli de gravioribus viris genibus nixi lacrymis ubertim cadentibus flagitaverunt se mitti locò Vieiræ; non privandam Lusitaniam tanto homine. Ad hæc Benedictus Sequeira Provincialis: Regis mentem non esse, alium mitterent locò Vieiræ, sed ut per occulta suffragia, quid optimum sit factu, decernatur. Itur ad suffragia: major pars censuit, esse Dei majorem gloriam anteponere tot animarum salutem splendori Societatis in urbe Regia, & Lusitania: quòd se privarent commodis ex tali viro Societati venturis, Deum Opt. Max. rebus nostris affuturum manu largiore, & uberiore gratiâ.

Profecti ad Indiam.

3. Ad Indiam navigârunt quinque supra viginti de nostris, duodecim Lusitani, decem Galli, tres Itali. Omnium Superior P. Antonius Frerius, domo Portimanensis, annis non minùs triginta egerat Ulyssipone Indiæ Procuratorem. Anchoras jecerunt in portu Goano 21. Augusti. Naves quatuor, in mutuo semper conspectu, aliæ ab aliis nunquam erant separatæ. De nostris ne unus quidem desideratus. Vix aliquando fuit navigatio felicior.

Profecti ad Brasiliam.

4. Ad Brasiliam misimus novem operarios Evangelicos: unus erat Italus, cæteri Lusitani. Omnibus præerat P. Joannes Paiva, vir notæ sanctimoniæ, qui plurimis annis indefessè laboravit in Angola apud Conganos, & alias nationes. Vixit, ac obiit in Brasilia virtutis opinione non vulgari.

Missio Tranceosi.

5. Tranceosi, atque in vicinis oppidis P. Emmanuel Fernandius cum Emmanuele Cabralio habuit missionem, quâ populos erexit ad pœnitentiam, abusus Christianis indignos extinxit quàm plurimos, mirùm auxit obsequia erga Dei genitricem, & mille modis, quos esset longum referre, fovit omnium pietatem.

6. Pro-

6. Provincia Cetobricensi Collegio accrescit, Fundatore Andrea Vellio Fretio Equite militiæ Christi, & ejus conjuge Philippa Paredia natione Castellana. Cùm proles domi non esset, nec spes ejus habendæ, constituerunt sua bona Societati nostræ largiri ad ponendum Cetobricæ Collegium in honorem D. Francisci Xaverii. Præluserat antiquum oppidi nobilissimi studium, cùm apud eos vigeat persuasio illic fuisse S. Xaverium. Id certum, vix in Lusitania esse gentem magis addictam obsequiis Divi in Patronum electi, quàm Cetobricensem. Quámque charum sibi oppidum sit, præclaris miraculis ipse Divus contestatur.

Initium Collegii Cetobricensis.

7. Hoc anno die Conceptionis illibatæ Virginis factum Bracharæ initium Sodalitati S. Ignatii pœnitentis. Idem sodalitium Eboræ institutum. Sub anni finem P. Laurentius Rebellus levatus onere gubernandi Collegium Fayalense transiit ad insulam à D. Georgio dictam; ibi & ægro P. Emmanueli de Lima ex Maranonia venienti adstitit, & multâ Insulanorum utilitate egit operarium Evangelicum. Ab annis triginta non viderant in ea regione Societatis hominem. P. Antonius Nunius transfretavit ad Picum insulam, ut assisteret vineärum putationi: ob maris sævitiam integro mense non patuit Hortam reditus. Supra quingentos homines morabatur maris inclementia. Igitur Antonius, dum non favet remeandi opportunitas, exhortatur omnes ad vitia putanda, & procurandam animæ salutem, audit confitentes magno cum suo, tum eorum solatio.

Sodalitas S. Ignatii. Missio in insula divi Georgii. Antonius Nunius in Pico.

8. Primitias DEO in Fayalensi Collegio consecravimus, vitâ functo Hortæ 21. Maji Andrea Mota Coadjutore, nato Arrifanæ de Sousa. Laurentius Rebellus illius obitum scribens, collaudat singulariter mores innocentes, paupertatis amorem, voluntarias corporis macerationes, quarum illi sæpe modum posuit Superior. Magna apud sæculares opinio de ipsius virtutibus increverat. Post mortem avidè flagitârunt aliquid de rebus ab eo usitatis, ut haberent reliquias. Funus celebratum est totius oppidi concursu.

Moritur Andreas Mota.

9. In urbe Portuensi vivendi legibus satisfecit calendis Octobris P. Simon Aguiarius, coadjutor spiritualis, septuagenario major, natus Pinelii in diœcesi Visensi. Annos quatuordecim in Angola navavit strenuam operam salvandis Æthiopibus. In regno Dongi, ubi crudele bellum in dies magis sæviebat inter Lusitanos, ac Reginam Gingam, multùm sudavit, ut placaret infensos animos. Erat illius charitas insignis; religiosæ paupertatis cultor & amator nihil minoris habuit, quàm res caducas.

P. Simon Aguiarius.

10. Eboræ 2. Januarii ex hac vita mortali abiit Antonius Ferrazius Coadjutor pharmacopola, domo Portuensis, ab experientia medicus insignis. Idcirco continuus assedit Theodosio Principi ægrotanti, & morienti. Claruit multis virtutibus, cumprimis humilitate, quâ suo gradu contentus, respuit sacris initiari, ùt concedebant majores. Non solùm nostris ejus charitas, sed etiam externis multùm probata, & perspecta fuit. Ibidem 20. Januarii Fratrem sequitur P. Emmanuel Alvarus Alterchamensis, Professus 4. votorum, ob eximias virtutes dignus, quem Theodosius hujus nominis secundus Dux Brigantinus elegerit Confessarium.

Antonius Ferrazius. P. Emmanuel Alvarus.

Annus 1656. Soc. 117.

1.

ANnum ordior Lusitanæ nationi feralem, & infaustum. Sextâ die Novembris imperio suo Mors subjecit Joannem Regem quartum hujus nominis, patriæ patrem, & assertorem invictissimum. Animus illi fuit omnium rerum grandium capax, dignus profectò, quem DEus elegerit ad restituendum pristinæ gloriæ, libertati, ac majestati Lusitanum nomen, & gentem. Quàm se benevolum, ac munificum exhibuerit minimæ huic Societati, ex dictis abunde liquet. Addam beneficia illa, & dona relata à triennali Congregatione anno superiore habita.

Moritur Rex Joannes IV. Ejus in Societatem beneficia.

2. Restituit, donavítque absolutè de novo, & in perpetuum confirmavit quatuor supra viginti millia cruciatorum annui reditûs, quos Indiæ Protex abstulerat Provinciis Goanæ, & Coccinensi, ac inter milites distribuerat, causando, à nobis acquisitos contra Regni leges. Hanc sententiam Proregis jam confirmârunt Senatores Ulyssiponenses judicio decretorio, ultra quod litibus prosequendis locus non est. Tum Rex Societatis amantissimus, *Ego*, inquit, *hâc vice dispenso in Regni legibus, omnia reddantur Goanæ, & Coccinensi Provinciis; habeant pacificè sua bona, quando sine his ali non possunt & vineæ Domini, & meæ tam fideles operarii.*

3. Japonensi, sive Macaënsi Provinciæ largitus est cruciatorum duo millia perpetua in singulos annos. Quamvis enim antiqui Reges eam summam illi Provinciæ impertiverant; jure, vel injuriâ, jam censebatur extincta. Eidem Provinciæ restituit, confirmavítque donationem villæ Carcavelii factam à nostro Didaco Brandano, quam id temporis penè eripuerant Societati Ministri Regum Catholicorum.

4. Vice-Provinciæ Sinensi cruciatos mille & quingentos dedit perpetuos quotannis. Jussit præberi Angolano Collegio duo aureorum millia decennio. Nostris ad Indiam navigantibus viginti quinque Cruciatos imperavit tribui supra centum, qui ex antiqua Regum liberalitate conferebantur in viaticum pro singulis operariis eò proficiscentibus. Nostris in Angolam euntibus ad naulum, & viaticum sustinendum erogari præcepit cruciatos centum pro singulis capitibus; quod nullus Regum ad id tempus donaverat. Migrantibus ad Maranoniam, & Brasiliam suppeditavit septem supra octoginta cruciatos ad singulorum viaticum. Maranonis domibus dedit, in singulos annos septuaginta quinq; supra octingentos cruciatos

5. Ipsius expensis ædificatum Gymnasium in Elvensi Collegio; ad victum, & vestitum Magistri docturi Matehesim destinavit quot annis ducentos cruciatos. Largitus est partem sui Regii palatii Scalabitani ad nostrum fundandum Collegium: aliam partem, in qua Rex volebat sibi paratam domum servari, post ejus mortem ab Regina impetravimus aliquot cruciatorum millibus in belli expensam collatis. Destinavit cruciatos quingentos supra mille annis singulis ad constructionem templi nostri Villavissosani.

6. Brigantino Collegio prædium tribuit, quod annis singulis reddebat cruciatos quadraginta. Hactenus Collegi ex actis Congregationis. Quibus addi potest Elvensis Collegii fundatio; jussit enim expediri illius dotem, ac nobis tradi. Nostros homines fecit maximi, ùt Joannem Nunium Reginæ, & Principis Confessarium, qui Regi morienti dixit postrema salutis verba; Andream Fernandium, cui animam suam regendam credidit, eundémque admisit ad secretoria monarchiæ concilia. Ex his scient nostri homines, cum Joanne in solium evecto suscitatum in Regibus Lusitaniæ amorem illum, ac munificentiam, quâ Joannes III. Sebastianus, & Henricus hanc, non dico nostram, sed suam Societatem tanquam suavissimi Parentes recèns natam sunt complexi. Pro Joanne defuncto quater ad aram fecit unusquisque sacerdos totius nostræ Societatis, & non sacerdotes percurrerunt toties precatoriam Virginis coronam.

Mors P. Joannis Nunii.

7. Huic tanto communi vulneri adjungo domesticum non parvi apud nos momenti. Id fuit obitus P. Joannis Nunii Reginæ Confessarii. Contigit in Domo Professa Ulyssiponensi festo sanctorum Innocentûm. Ortus est Meanii diœcesis Conimbricensis. Inivit societatem Conimbricæ 27. Junii anno 1609. In longo vitæ decursu semper idem, sibique in sanctissimis moribus persimilis, erat omnibus cum nostris, tum sæcularibus cunctarum virtutum spectatissimum exemplar.

8. Rexit Domum Professam Villævissosæ, & tirones Ulyssipone, inde assumptus a Serenissima Lusitaniæ Regina Confessarius. Sui muneris partes abundè explevit. Novus honor non mutavit, sed fecit notiores illius virtutes, quibus nihil erat in Regia spectabilius. Nunquam induci potuit, ut aliquo genere vehiculi uteretur. Sive in æstate sol terras ureret, sive hyeme luto & pluviâ

viâ forderent viæ urbis, femper ad Regiam ivit, & inde redivit pedes. Sic & pergebat ad tantæ urbis distantiora loca.

9. Multùm, fed incassùm adnixa est Regina, ut currum, aut lecticam admitteret, jam imperio, jam artificiis usa. Querelam aliquando miscebat de peristromatis calceorum luto maculatis: mi Pater, ait, de te apud me queruntur hæc mea stragula, quòd à tuis fordescant calceis; unde venias curru, aut lecticâ necesse est. Hìc ille fubridens, fapienter, inquiebat, tam justæ querelæ. Sequenti die tulit fecum calceos mundos; ingressus palatium eos induit, fordentes è via dat fervandos famulo. Postea re cognitâ, & fancto hominis artificio, Regina fe ab Joannis humilitate victam fatebatur.

10. Reginam, & nobiles fæminas de ipsius aulico comitatu miro incendit virtutem fequendi amore, & studiis. Plurimæ de primis stemmatis fe receperunt ad parthenonum strictiorem disciplinam. Fratri fuo postulanti, ut apud Reginam ipsius adesset negotiis agendis, repofuit, fe Confessarium esse, non actorem caufarum. Nec unquam ullius confanguinei curavit promotionem. Solùm ufus Reginæ gratiâ ad fuccurrendum egenis, præcipuè Nobilibus, & honesto loco natis, quos ab ostiis circumcurfandis verecundus pudor prohibet.

11. Cùm Regina laxandi animi gratiâ extra urbem degeret, Joannes fui muneris ergò eam comitatus, per id tempus vicinos adibat pagos, & populos edocebat falutis viam, ac divina mysteria. Ipfamet Regina fuis, fuique Gynecæi manibus elaboravit præmiola tribuenda pueris ad interrogationes de catechesi refponfuris. Si votorum ordinis observantiam, reliquásque virtutes memoro, nulla est, in qua non eminuerit.

12. Ibat manè auditurus confessionem Reginæ, cùm in angulo quodam vidit pauperculum humi jacentem, ac gementem; accessit, invenitque illic pernoctâsse morbo correptum. Pallium expandit fuper terra, imponit pauperem, tegitque focii pallio, uterque apprehendens oras pallii, fustentatum manibus portant ad nofocomium per mediam urbem.

13. Conceperant omnes fingularem de Joannis virtutibus opinionem. Ideo factus ad ejus exequias concurfus maximus: feretrum gerebant Regni Magnates. Ejus fepultura ab anno mortis usque ad annum 1719. clausa fuit, nec audebant aperire venerationis causâ. Multi putabant cadaver esse incorruptum. Dicto anno nonnulli Religiofi nocte mediâ, habitâ majorum facultate, excavato folo reperêre nuda tantùm ossa, quæ locata funt in pariete facelli valetudinarii domûs ad latus Evangelii, addito marmore cum epigraphe. Vita Joannis magnis rebus plena circumfertur typis per me vulgata.

14. Cæteri hoc anno defuncti funt. In Collegio Portuensi 2. Novembris P. Nicolaus Nogentius Hybernus ex nobilissima familia. A teneris eum fibi elegit Deus. Audivit fratrem fuum natu majorem differentem de fæditate peccati mortiferi; fic ad ea verba puer horruit, atque adeò est detestatus, ut totâ vitâ graviter Deum non offenderit. E patria migravit Antuerpiam, ibi Latinis litteris, & Philofophiæ impendit operam, artium Magister creatus. Romæ ad tirocinium recipitur. Interrogatus à Patre nostro Generali, ubinam placeret facræ Theologiæ studere? Refpondit, in ea Provincia, in qua Societatis homines populus vocat Apostolos. Igitur in Lufitaniam missus eam Eboræ didicit fcientiam. Postea ad fuos populares in vera fide confervandos restituitur patriæ. P. Nicolai Nogentii.

15. Dublini fuo Evangelici præconis muneri nocte, diéque infudans, ab hæreticis deprehenfus addicitur horrido carceri, quatuor annos eas perpessus ærumnas. Sæpe illius puritas tentata ab fpurcis fæminis in idem conjectis ergastulum, quarum infanos conatus instar immotæ rupis à fe depulit. Tandem liberatus adjuvit fuos indigenas annis quadraginta, fummos inter labores, & pericula. Factâ totâ infula poteftatis Anglicæ, ac juffis nostris in fuas redire provincias, Nongentius navigavit in Lufitaniam, & in urbe Portuenfi confedit. Multos eò venientes ex Anglia commercii causâ reduxit ad veram fidem. Erat

omnibus magnæ venerationi illius virtus. Eo mortuo plurimi popoſcerunt de rebus, quibus uſus fuerat, ut tanquam ſanctas apud ſe retinerent.

Franciſci Pereiræ. 16. Auguſti 20. Franciſcus Pereira ſcholaſticus, domo Angrenſis, biennio tranſacto Ulyſſipone, Conimbricam miſſus ad litterarum ſtudia, animæ ſuæ profectui cumprimis incubuit. Ajebat, velle potiùs mori, quàm minimo nutui voluntatis Superiorum reſiſtere. Virginem matrem intimis colebat obſequiis. Magnas de ipſius ingenio ſpes conceptas morbus diuturnus, & mors ſecuta interturbavit.

P. Cornelii Patritii. 17. In Domo Profeſſa Ulyſſiponenſi 28. Februarii P. Cornelius Patritius, ſexagenario major, Hybernus natione. Patrio ſolo deſerto, Hiſpali dedit operam Philoſophiæ & Theologiæ in Seminario ſuæ nationis ſubdito Societatis adminiſtrationi. Inde proficiſcens Ulyſſiponem illic nomen dedit Societati. Poſtea tradidit moralem ſcientiam Angræ, & in inſula S. Michaëlis; ibi erat anno 1630. magno omnibus ſolatio, cùm terræ motu creberrimè conquaſſata inſula eſt. Redditus Luſitaniæ docuit Eboræ eandem moralem Theologiam. Poſtremùm vixit Ulyſſipone.

P. Antonii Amaralii. 18. In eadem domo 24. Martii ætate ſeptuagenarius P. Antonius Amaralius, ortus Aſſentarii diœceſis Conimbricenſis. Multa toleravit in Angola: nam Præfectus, cui Societatis inimici perſuaſerunt, eum à noſtris in concionibus lacerari, Amaralium, & alios juſſit egredi Loandâ. Cùm reſpondiſſent non parituros, niſi majoribus ſuis; homo animi præcipitis raptos per mancipia, & navi impoſitos miſit in Luſitaniam. Erat Antonius audiendis pœnitentibus aſſiduus, ſæpe alienis brachiis deliquiorum causâ è tribunali confeſſionum portatus ad cubiculum; tandem vi apoplexiæ proſtratus.

Antonii Joannis. 19. Conimbricæ 26. Auguſti Antonius Joannes Coadjutor multæ virtutis octogenario major. Mundo editus in oppido Figueiro diœceſis Conimbricenſis. Longo vitæ decurſu non diſcrepuit à viro nihil ſtudioſiùs quærente, quàm religioſam perfectionem. Sanctæ obedientiæ vel apices obſervavit. Interrogatus modum, quo vir religioſus poſſet attingere verticem Evangelicæ perfectionis, reddidit: ſibi eum religioſum videri eminentioris virtutis, qui nec Collegium, nec cubiculum, nec officium eligeret, ſed ſe totum gubernandum permitteret obedientiæ.

20. Præ humilitate, quâ ſibi vileſcebat, exiſtimavit quolibet die de complexu Societatis ſe abigendum. Si quis de noſtris hoſpes intrabat Collegium, ipſe ſuis humeris manticam, vel caniſtrum imponens tulit in ejus cubiculum. Laborem expetivit avidè. Cùm ſenex in poſtrema ætate miſſus eſſet in villam ſuburbanam, omni munere liber, nihil minùs ibi curavit, quàm quietem. Rogabat villicum, aliquid agendum ſibi deſignaret: ſi reſpondebat, non eſſe, quid faceret; diſcurrit per villam, modò domum importans corbem plenum pomis deciduis, modò lignorum faſcem humeris ſuſceptum. Familiare ipſi cum Deo intervenit commercium: id malus dæmon impatienter ferens è laqueari profudit in ejus caput aquæ lagenam. Corporis caſtigatio, à cibis abſtinentia, tolerantia in adverſis, charitas erga omnes, & quidquid veneramur in viris Deo plenis, micuit in Antonio.

Profecti ad Indiam. 21. Novem ad Indos curſum direxerunt: hos inter Antonius Saldania ſacerdos, domo Portalegrenſis è primaria Regni nobilitate, filius ſororis Roderici à Cunea antiſtitis Ulyſſiponenſis. Convictor fuerat Conimbricæ in uno è Collegiis primæ nobilitatis, poſtea militiam ſecutus, ſed eam, & omnem mundi conculcans vanitatem, ſe addixit Societati, deinde conſecravit ſalvandis gentibus Orientis. Fulſit in eo ſingularis humilitas, & ſtudium vileſcendi.

P. Emmanuel Fernandius apud Inſulanos. 22. Emmanuel Fernandius, ille, qui in peſte Algarbienſi totus fuerat charitas, ad Inſulas miſſus noſtrorum Viſitator, & ſuum munus, & Evangelici præconis partes per eas regiones præclarè ſuſtinuit. In concionando, & audiendo confitentes rantus fuit, ut appareret, vix hominem poſſe tot laboribus eſſe parem. Ubique habitus tanquam novus Apoſtolus. Ad expiandas animas

agmi-

agminatim confluebant summi, infimíque. Amicitiæ, & restitutiones factæ, litésque compositæ videntur numerum excedere. Etiam moniales cupiêrunt frui Patris doctrinâ. Apud eas, clauso ostio templi, habuit exhortationes adeò efficaces, ut antiquam vestium vanitatem, & si quid exquisiti erat ad formam & pulchritudinem augendam & conciliandam, abjecerint. Plurimæ orationi, quæ mente fit, exinde impenderunt operam, cultum animæ, non corporis, unicè curantes.

23. E Collegio Conimbricensi sacræ expeditiones institutæ sunt Arganilii, Cerolici, Pinhelii, Goësii, Buarci, Visonii, Guardiæ, & Alpedriniæ. Ubiq; copiosus è labore fructus. Gnardiæ tanta est facta morum mutatio, tantúsque fervor tenuit Capitulum sede vacante, ut agitaverit de condendo Societati Collegio. Dabat Gymnasia, quæ moderantur sæculares Magistri, unà cum reditu, & cogitabat de applicandis novo Collegio aliquot Ecclesiarum reditibus. Res ulteriùs processisset, nisi Guardiensis Episcopus electus dissentiendo disturbâsset.

Missiones.

24. Alpedriniæ substitêre tres de nostris invitati ad ponendam mansuram sedem in eo oppido. Illic fuerunt aliquot annos: sed randem ope dæmonis, & ipsius ministrorum inde per summam injuriam sumus depulsi. Per idem tempus urbs Miranda, & oppidum Ribeira grandis in insula S. Michaëlis poscebant fundationes, quæ caruerunt effectu. Primâ die Decembris patuit rursus, jubente Præposito Generali, educandis tironibus Eborense domicilium.

Residentia Alpedriniæ. Aliquot fundationes petuntur. Eborense tirocinium restituitur.

25. Conimbricæ absoluta est illa pergula ostio communi vicinior, & alia, quam in Collegio dicunt viam Latinam, quòd per eam ad atrium scholarum ascendatur. In atrio eidem januæ vicino ædificati arcus instar sacellorum ad confessiones audiendas, quæ ad usque nostros dies usui non fuêre. Initium quoquè factum templo Collegii Michaëlensis: Cives id Collegium agnoscit fundatores; pro ea, quâ Societatem prosequuntur benevolentiâ, liberaliter plurimi de suo ad novi templi ædificium contulerunt, alius pecunias, alius alia. Unus aliquis carrum, boves, & famulum, dum opus duraret, aluit suis expensis, ac dedit viginti quinque cruciatos in singulos annos.

Ædificii incrementa Conimbricæ. Initium templi Collegii Michaëlensis.

26. Cetobricæ migratum est ab hospitio in domum emptam prope murum oppidi, ubi erat construendum Collegium. Octavâ Maji posuit P. Didacus Areda primum lapidem templo ad tempus erigendo. Non magno sumptu id factum, quòd oppidi murus suppleverit alterum templi parietem. Clerici ordinis S. Jacobi, ad quos pertinent decimæ fructuum, timentes has minutum iri, meditati sunt opus, & templi apertionem impedire; jámque potestatem impetraverant. Sed P. Didacus eam adhibuit diligentiam, ut 24. Decembris orto sole, Clericis omnia ignorantibus, ibi primum fecerit sacrum, posita in sacro tabernaculo Eucharistia, & pulsata festivo tinnitu campana, in signum aditæ possessionis. Sic paratus Clericorum difflabatur cuniculus.

Cetobricæ migratus in habitationem fixam.

Annus 1657. Soc. 118.

1.

AD Indiam explicuerunt vela naves quatuor. De nostris eas conscendêre triginta septem in tres majores divisi. Ibat Indiæ novus Prorex Antonius Tellius Menesius Comes de villa pouca. Prætoria vexit septendecim, quibus præerat P. Martinus Martini, qui Romam venerat è Sina Procurator, natus Tridenti. In alia nave dicta à S. Laurentio ferebantur quatuordecim, Superiore Antonio Veloso, qui à Coccinensi Provincia missus fuerat Procurator. In tertia portabantur cæteri; eis erat Præfectus Hiacynthus de Magistris, qui redîerat in Europam acturus negotia nostri Francisci Garciæ Archiepiscopi Angamalensis.

Profecti ad Indiam.

2. Admodùm laboriosa ea navigatio fuit: morbi multi; ægris omnibus auxilio nostri homines. Prorex obivit diem 8. Augusti, tot, ac tam sanctis optimi Christiani exemplis, ut apparuerit non Princeps sæcularis, sed religiosus vitæ

inculpatæ. De nostris septem periêre, 19. Maji P. Gregorius Parisius Neapolitanus, vir insigni charitate: 12. Julii P. Antonius Velosus Lusitanus, vir spiritûs Apostolici: 13. Augusti P. Alphonsus Arias Lusitanus: 16. Julii Franciscus Carvalius: 22. Augusti P. Antonius Oliveira; prope mortis horam dixit sibi esse maximo solatio, quòd in Societate, quòd in itinere Indico animam efflaret: 15. Augusti P. Petrus Araujus: 25. mensis ejusdem P. Franciscus Alvarus, præter unum omnes Lusitani. In toto numero erant Lusitani octodecim, cæteri diversarum gentium. Hos inter vir ille planè magnus Fernandus Verbiestius, in Sinensi Imperio præclarissimus, natione Belga, unus ex heroibus, per quos apud Sinas obtenta est libertas veram fidem amplectendi indigenis, & mysteria nostra prædicandi.

Missiones in Insulis.

3. P. Emmanuel Fernandius, quem dixi Visitatorem missum ad Insulana Collegia, appulit ad insulam Fayalensem, ejus Collegii futurus Rector. Post salutationes Nobilium incubuit habendæ missioni. Casu oblata est opportunitas. Cùm transîsset prope sacram ædem B. Virginis à bono itinere dictæ, unde in mare jucundus prospectus, videt populum multum eâ liberiore aurâ frui; mox editum locum conscendit, ac incipit catechesis explicationem, atque paulatim succenso spiritu doctrinæ Christianæ expositio desivit in concionem. Tantus animorum motus sequebatur, ut novem continuatis diebus idem fecerit in diversis oppidi locis.

4. Videns tam uberem sui laboris fructum, post novendiales explicationes, denuntiavit per alios novem dies in templo oppidi maximo se concionaturum. Vix dici potest, quæ morum mutatio inde sit orta. Fervore magno concursum est ad eluendam animam per confessionem. Postea duobus mensibus cum alio sacerdote pervagatus est totam insulam, quam vocant Picum; illic tantis missio peracta emolumentis, ut ambo supra quatuor millia pœnitentium audierint. Duo de nostris discurrerunt per insulam Michaëlensem omnes ad peccatorum dolorem concitando. Angræ erecta est Sodalitas pœnitentiæ S. P. Ignatii; cui adscripti multi Canonici, Curiones, & viri nobiliores.

Angræ Sodalitas S. Ignatii.

Missio Mirandæ.

5. Miranda civitas exculta est à P. Sebastiano Riberio, & Antonio Almeida scholastico. Discordiæ à multis annis urbem lacerantes felici exitu compositæ. Quanquam in eo negotio cum potestate regia missus Prætor multùm laboraverit, actum egit. Canonici, aliiq; viri prudentes monuêre Patrem, ipsum perditurum operam, negotium esse desperatum. Verùm ille non suâ industriâ, sed DEO nixus, respondit, se minimè destiturum; si nequiret adipisci exitum optatum, non ideo privandum merito suo. Et verò adfuit DEUS. Omnes discordes, in foro conjuncti, datis manibus, & complexu coiêrunt in amicitiam. Militibus scorta avulsa.

Typographia Eboræ erigitur.

6. Eboræ initium sumpsit Academiæ nostræ Typographia. P. Michaël Tinocus profectus Romam Procurator impetrârat facultatem ejus erigendæ à P. Generali Goswino anno 1655. ad hanc confessionem permoto, quòd tunc nulla esset Eboræ typographia externorum, ùt ante fuerat; cujus defectus afferebat rebus Academicis incommoda maxima. Ad illam ordinandam missus è è Flandria Georgius Serazim Coadjutor Typographus. Idem postea conatus Ulyssiponem transferre ad faciendum majus lucrum pro Collegio Ebotensi. Obstitit Academia, cùm P. N. Generalis non concessisset pro quæstu, sed pro commodis Academiæ, quæ nulla essent, si illa Ulyssiponem transportaretur.

Moritur Cetobricensis Collegii Fundator.

7. Cetobricæ Dominus Andreas Velius Freitius nostri Collegii Fundator 11. Augusti è vivis discessit. Eques erat militaris Ordinis Christi, ac multæ pietatis. Illius ossa condita sunt tumulo marmoreo in templo nostro ad latus Evangelii constructo. Paulò antè illius conjux Domina Philippa Paredia syderatione perculsa, cæteros vitæ annos lecto affixa transegit.

Moritur Joannes Alvarus.

8. Nostri hoc anno mortale corpus posuerunt. Ulyssipone in Collegio D. Antonii 28. Julii Joannes Alvarus scholasticus mathesis studiosus, natus Portimani in Algarbiis. Eboræ nomen dedit Societati, post studia Philosophiæ missus

missus Ulyssiponem ad perdiscendam mathesim, brevi cœpit tentari febriculâ, quæ eum lentè depascebatur.. P. Nonius à Cunea vir inter nostros gravissimus, hujus adolescentis admiratus vivendi tenorem, ejus mortem sanctissimam, & innocentes mores reliquit scriptos.

9. In Domo Professa Ulyssiponensi 3. Junii P. Paulus Gomesius octogenario major, natus Pensalvi in diœcesi Bracharensi. Navigans Angram captus à piratis multa toleravit, spoliatus etiam indusio. Postea docuit Rhetoricam Conimbricæ. Eminuit in Theologia morali, quam tradidit Bracharæ, Conimbricæ, & Ulyssipone. Affabilitas, innata bonitas, & virtus fecerant omnibus charum. P. Paulus Gomesius.

10. Eboræ 4. Julii P. Emmanuel Lima Ulyssiponensis, tiro noster 1. Junii anno 1623. Profectus ad Indiam anno 1630. Post aliquot annos itinere terrestri venit Romam, Confessarium agens cujusdam Cardinalis. Inde redux ad Lusitaniam, navigavit in Maranoniam. Ex ea regione iterum petens Lusitaniam, substitit in Angrensi Collegio. Quòd tunc Provincia foret in duas divisa, obtinuit vivere in Lusitana, ad quam Angra pertinebat. Verùm Cœlo regionis valetudini obnoxio: coactus navigare Ulyssiponem. Hic morbo, quo premabatur, ex Medicis cognito insanabili, rogavit Eboram mitti, solatio sibi fore putans vitam finire in eo Collegio, quo fuisset educatus. Cùm seminecem 21. Junii accepissemus, mense expleto vivere desiit. Magna eum exornaverant merita, orta ex tot laboriosis navigationibus, & itineribus pro DEI gloria, & animarum bono susceptis. Semel crudelissima ab hæreticis perpessus, vix mortem effugit. P. Emmanuel Lima.

11. Conimbricæ 15. Novembris Antonius Pinerius sacerdos phthisi correptus. Magnum illi pro sacro suggesto inerat talentum. Singularis prudentia, virtus, & genius mitissimus reddidêre omnibus acceptissimum. Voto se obstrinxerat DEum non offendendi lethali culpâ. Ibidem 27. Januarii Michaël Martinius scholasticus, longo morbo probatus est. Ad sanandas strumas in Galliam missus, ut à Rege Christianissimo manu contingeretur, salvus in Lusitaniam rediit, sed alio malo lentæ tabis consumptus. Fulgebat moribus Angelicis, singulari ingenio, & dicendi talento. P. Antonius Pinerius. Michaël Martinius.

12. Bracharæ 7. Octobris P. Petrus Soarius. Quotidie conscientiam apud Confessionale explicabat. Si verbum illi exciderat, unde suspicaretur posse aliquem offendi, illico sincerè sibi condonari rogavit. In Provincia Interamnensi oraculi instar habitus in dubiis, & quæstionibus rei moralis, nam hâc facultate excellebat, quam compluribus annis tradidit. Elucebat in ejus vita bonitas antiqua. P. Petrus Soarius.

Annus 1658. Soc. 119.

1.

VItâ functo Joanne Rege ex ipsius postrema voluntate communis rerum administratio commendata fuerat Aloysiæ Reginæ in minori Alphonsi Regis ætate. Conceperat qualemcunque spem recuperandi Lusitaniam Philippus IV. Verùm tantos spiritus reperit in Aloysia, ut Lusitanis non defuisse Joannem Regem facilè appareret. Nam Regina non contenta tutari sua, validissimo exercitu jussit obsideri Pacem-Augustam, urbem munitissimam ad Anam flumen. Regni administratio.

2. Temporis injuriâ, morbo pestilentiæ non absimili per exercitum Lusitanum vagato, coguntur obsidionem solvere. Miles divisus per urbes & oppida, ut medella fessis & morbidis adhiberetur: magna pars Eboræ in scholasticorum nosocomio curata est. Nostri homines pro charitate, quâ solent rebus in angustiis subvenire miseris, operæ pretium duxerunt, curam eorum assumere. Ibant in orbem servituri decumbentibus; ministeria omnia, etiam viliora, quæ tempus poscebat, obivêre. Cùm morbi ejus essent generis, qui vulgantur, & Lues Eboræ, & nostrorum charitas.

cum-

cumprimis adhærent contingentibus ægrotos, ac servientibus, multi de nostris eodem contacti malo, Collegium funeribus compleverunt, dum ex aliis in alios migrat lues.

Moritur P. Ambrosius Rodericius.

3. E plurimis, quos victimas odoris pretiosi fecit charitas, meretur primas P. Ambrosius Rodericius, id temporis Academiæ à secretis, cujus sub cura est scholasticorum nosocomium. Ortus in oppido ab Reginæ balneis dicto. Ingressus Societatem futurus Coadjutor spiritualis, vir ex animo humilitatis cultor. Frequens illi cum DEO commercium. Quotidie flagello corpus acerbè feriebat. Arsit charitate, quam magno omnium exemplo notam fecit in dicto nosocomio. Contagione infectus, & rite ad agonem ultimum instructus, 21. Octobris sanctissimè moritur.

Franciscus Almada.

4. Parem nactus felicitatem Franciscus Almada scholasticus, domo Ulyssiponensis, adolescens, etiam antequam ad nos veniret, sanctis ornatus moribus. Quòd illi hilaris esset genius, & nativus lepor in suadendo fastidiosis, ut cibos caperent, sibi comitem Ambrosius elegerat. Obibat tum subministri munus in tirocinio. Culpâ lethiferâ Deum nunquam offendit. Perculsus lue, & postremis animæ subsidiis roboratus inter dulcissima cum Christo colloquia innocentem animam posuit trigesimâ die Octobris.

Didacus Gomesius.

5. Non dissimili charitate raptus est Didacus Gomesius coadjutor, Averiensis Ante initam Societatem custodem agebat in telonio regio Ulyssipone: cùm ille, qui præerat, vellet contra fas, júsque pecunias surripere, ut suum delictum occuleret, suasit Didaco, jurejurando firmaret mendacium; horruit ille annuere: postea secum meditans, quanto in periculo versaretur, nuntium mundi rebus mittens nostrum Institutum complectitur. Biennio probationis expleto propter eximiam charitatem præfecerunt valetudinario Eborensis Collegii, pleno nostris infirmis, in quos se diffuderat militum contagium. Nulli parcens labori, nocte, diéque intentum operi lues implicat, & mors absumit 20. Novembris.

Emmanuel Gomesius.

6. Didacum secutus est 19. Decembris Emmanuel Gomesius, & ipse Coadjutor, Redondensis. Agens ovium pastorem eâ vivebat morum innocentiâ, ut Parochus, qui eum Abelis instar habebat, cùm singulis octo diebus videret sanctissima sacramenta frequentantem, diceret: *Fili, tu bonus es, ut sis Apostolus.* Placuit verbum, & petitam Societatem ingressus est Eboræ. Duobus Religiosis perniciosâ febre laborantibus custos & curator est datus. Inexplicabili charitate utrique præstò fuit. Hæsit illi tabes. Illico generali confessione purgatus laborem fecit confessario, ut absolutionis materiam reperiret. Talis, ac tanta morum innocentia castissimam ornabat animam. Urebatur summis videndi Deum desideriis.

P. Andreas Noronia.

7. Prædictis funeribus mors non contenta in Eborensi Collegio alia commiscuit. Novembris 13. P. Andreas Noronia, vir primæ nobilitatis, natus Villævissosæ, parentibus invitis Societatis nostræ tiro, promittebat felice ingenio uberes fructus venturo tempore. At has spes reddidit inutiles syderatio post biennium. Vixit annis quadraginta plenus doloribus ac morbis. Necessariis his afflictationibus addidit voluntarias cum quotidiana flagellatione. Etsi sinistrum ipsi brachium erat penè inutile, non abstinuit à serviendo mensæ accumbentibus, detecto semper capite. A communi aliorum more non recessit, nec obsequium aliquod sibi præstandum admisit. Apoplexiâ correptus emoritur post triduum.

P. Leonardus Fuseirus.

8. Ibidem 18. Januarii P. Leonardus Fuseirus septuagenarius, ortus Mourami. Natus annos quatuor & quadraginta, relictâ, quam procurabat, Abbatiâ pingui, addixit se nostræ Societati. Fuit assiduus in audiendis confessionibus, & multæ charitatis erga vinctos in carceribus. Virginem matrem venerabatur singularibus obsequiis. In postrema senectute visu caligans baculo innixus adibat tribunal confessionum, & tempore prandii triclinium, sedebat ibi audiens lectorem mensæ.

9. De-

9. Decimâ quintâ Decembris P. Josephus Soarius Theologus, natus Cetobricæ. Illius opus est Codex Syntaxeos, quo pueri utuntur in scholis. Mense Aprili P. Dominicus Almeida Vianensis: florentissimo pollebat ingenio ad scientias tradendas, & talento spectabili ad habendas sacras conciones. Has dotes inaurabat Angelica modestia, & mores suavissimi. P. Josephus Soarius. P. Dominicus Almeida.

10. Angelicus adolescens Bernardus Mellus domo Ulyssiponensis è patria terrestri ad cœlestem transivit 24. Octobris natus annos quatuor & viginti. Ab infantia nihil habuit potiùs, quàm virtutem, & virtutis opera. Nihil in eo puerile præter corpusculum. Ante deceonium cœpit sabbatha in obsequium B. Virginis jejunio transigere. Singulis diebus sacro missæ intererat: octavo quoque die adibat pedes Confessarii, ac pane cœlesti recreabatur. Meditante Thesaurario majore Sedis Ulyssiponensis successorem io dignitate Bernardum constituere, sub crucis vexillo scribitur Bernardus. Apud nos cum in tirocinio, tum annis sequentibus sedulam dat virtutibus operam. Ex obsequiis B. Virgini impensis reliqui eum vocabant mellifluum Bernardum. Bernardus Mellus.

11. Singulis mensibus integram diem destinavit transigendam unicè in legendis libris asceticis, ac divinis commentationibus: ea fuit quarta mensis Dominica, quòd illâ die Eboræ, ubi studebat, Eucharistia in templo nostro exponeretur. Verberibus, & aliis macerationibus suo corpori continuum indixit bellum, fregitque animi minùs ordinatos impetus. Cupiebat ab omnibus contemni, & conculcari: idcirco vilescendi occasiones avidè conquisiverat. Missus Ulyssipooem ad docendam in septimo Gymnasio Latinitatem, primâ Octobris horis matutinis cœpit magisterium, & finivit, nam vespertinis horis ejusdem diei febri, qui morbus ei supremus, prosternitur. Audito mortis ouncio mirùm lætatus pacatissimè expiravit.

12. Villævissosæ Domus Professa sua etiam recenset funera. Nonâ Septembris Didacum Pereiram Domûs Præpositum. Singularis benevolentia teddiderat nostris, & externis gratissimum. Diligentissimè promovit ædificium, reliquit habitationis capax; ideo ad illud migratum anno sequente. Eâdem die Emmanuelem Pirium Coadjutorem à charitate laudatum, quam Helviæ primùm, dein Villævissosæ exercuit erga milites contagio decumbentes: in nosocomio habuit curæ supra mille ex hujusmodi infectis. Indè malum contraxit, & morte auspicatissimâ in obsequio pestiferorum extinctus est. P. Didacus Pereira. Emmanuel Pirius.

13. Exercitus Castellæ post solutam Pacis-Augustæ obsidionem, Helviam Lusitanam urbem munitissimam circumstetit, eam omni apparatu bellico expugnaturus. Intus grassabantur pestilentes morbi, magnâ Collegio nostro charitatem exercendi datâ materiâ. Duo in ea urbe posuerunt animas, P. Georgius Rebellius Ulyssiponensis 23. Octobris; Novembris 30. P. Josephus Figueiredus Collegii Rector, ortus Turribus novis. Uterque clarus fuit in perferendis molestiis. P. Georgius Rebellius, P. Josephus Figueiredus.

14. Bracharæ Martius mensis attrivit Joannem Henricium Coadjutorem: demissionis, & abjectionis propriæ singulariter studiosus ajebat se vile esse mancipium, & esse omnium servum inutilem. Noonulli externi credentes esse magnæ authoritatis Patrem quà talem sunt allocuti. Sic honoranti Joannes; Mi Domine, ne te fallat species externa; non enim aurum est, quidquid lucet; sum ego laicus, & meorum Patrum, ac Fratrum abjectum, & sordidum mancipium. Podagrâ, aliisque morbis, quæ tulit animo æquissimo, senectutem traduxit afflictam. Joannes Henricius.

15. Conimbricæ decimam quintam Augusti obitûs sui faustam habuit Didacus Alvarus Coadjutor. Annos 40. socium egit Procuratoris summâ integritate, nec minore proventu Collegii. Tot annos rem domesticam administrans, &, ùt poscit munus, cum tot persooarum varietate conversatus, neminem facto, aut levi dicto offendit. Quin omnes eum ùt virum justum suspiciebant. Exactus fuit in peragendis sanctis exercitationibus, quæ promovent spiritum, & incrementa virtutum. Didacus Alvarus.

Sodalitates institutæ.

16. Tot funeribus relictis, quibus hic annus abundè cumulavit Provinciam, ad alia digrediamur. Multæ Sodalitates diversis in Collegiis erectæ, Scalabi S. Ignatii pœnitentis, Conimbricæ S. Francisci Xaverii. Professor medicinæ in Academia ægrotaverat; exhausta sunt incassùm remedia; jam de vita conclamatum: cùm se voto obstrinxit instituendi sodalitium S. Xaverio, sine mora cessavit urgens malum, & ipse convalescens manum admovit implendo voto: occurrerant aliquæ difficultates, sed illis tandem superatis, sodalitium constabilitum est in templo nostro. Simile positum fuit in templo Portuensis Collegii, & Michaëlensis; illic Pontadelgada insulæ metropolis D. Xaverium sibi specialem sumpsit Patronum; quod firmatum Regis decreto. Dantur Sancto, velut à clientibus, vectigal annis singulis cruciati viginti.

S. Xaverius Patronus Pontadelgadæ.

Simulacra plurima S. Xaverio locantur.

17. Regno toto propagata divi Thaumaturgi obsequia: nam diversis templis & oppidis locantur in altaribus simulacra Divi supra sexaginta. Nonnulla in templis maximis urbium Episcopalium, ùt Conimbricæ, Visonii, & Guardiæ. Civitas Angrensis dicavit Sancto effigiem, quæ suspicitur in ara majore templi nostri. Bracharæ moniales magnâ solemnitate Divo consecrârunt simulacrum in Parthenonis sui templo. Quàm gratum illud obsequium DEO foret, miraculo significatum; nam cereorum copiosus numerus, qui arserant durante festo, nihil sui ponderis amisit.

Obsequia B. Virginis Conimbricæ.

18. Conimbricæ unus de nostris induxit populum, ut in omnibus urbis parœciis, dominicis, ac festis diebus caneret alterius vocibus tertiam partem de Rosario Virginis. In fine Noster referebat insigne magnæ Matris miraculum. Idem fiebat singulis sabbathis apud sacellum D. Xaverii in templo nostro. Aliud quidpiam non minùs laudabile introductum, demandante Balthasare Tellio Provinciali, ut martyrologium Romanum pervigilio nascentis Domini legeretur ante cænulam nocturnam in triclinio, stantibus omnibus, & audientibus. Quod postea probavit P. Hieronymus Claramontius Venetus Provinciarum Visitator, & sanxit deinceps eam consuetudinem servandam ab utriusque Provinciæ Collegiis.

Martyrologium Conimbricæ.

Profecti ad Indiam.

19. Indis submissi sunt sex sacerdotes, Emmanuel Ferreira, Emmanuel Perreira, Gonsalus Costa, Lusitani; Petrus Paulus Aragonius Italus, Leonelus Aynsconius Belga, & Christophorus Tornius Gallus. Conventus Provinciæ Lusitanæ, præside Balthasare Tellio, Conimbricæ celebratus elegit Procuratorem Ludovicum Brittum; Transtaganæ Eboræ, Provinciali Michaële Tinoco, Ludovicum Lopium.

Conventus Provinciæ.

Annus 1659. Soc. 120.

1.

Franciscus Suarius, Lusitanus, & alii duo moriuntur.

CAsu funesto præsentis anni res scribendas aggredior. Decimâ nonâ Januarii subitum rapuit incendium P. Franciscum Suarium Lusitanum, ac duos ipsius comites, neque paucos de externis. Helvia obsidebatur fortissimis Castellanorum legionibus. Imminebat universæ nationi grandis pavor, si tanta arx, & frangendis hostibus objectum propugnaculum caperetur. Igitur Lusitanus, quidquid virium superetat de strage contagii, in unum colligit ad liberandam obsidione urbem. Ne munita oppida, unde ad formandum exercitum vocatus miles, sine præsidiis relinquerentur, necessum fuit armare scholasticos nostræ Eborensis Academiæ, cui Franciscus Suarius Rector præerat.

2. Reginæ gubernantis imperio succenturiantur scholastici præsidio futuri Jerumeniæ. Plurimi dissuadebant Suario itineris susceptionem: at vir prudens secum meditans, in quas ipsum suspiciosum tempus conjecturum fuisset angustias, suæ fidelitatis in patriam esse censuit, omnibus se casibus, & periculis objicere, ne suam innocentiam detrahentium linguis exponeret. Igitur proficiscitur cum suis scholasticis, & sibi à Regina destinatam arcem tenet præsidio. Ante profectionem apertè denuntiavit se non reversurum Eboram. Tam nota

erat

erat ipsius virtus, ut multis sit persuasum, ipsi divinitus cognitum, mortem instare.

3. Profligatis ad Helviam Castellanis 14. Januarii, illò vadit Franciscus, victoribus gratulaturus, & redeundi Eboram petiturus facultatem. Peractis hujusmodi salutationibus, & officiis, revertitur Jerumeniam, & se cum sociis ad reditum comparat, facto priùs missæ sacrificio. Erant in domo Præfecti consolantes infirmum, cui præbitum fuerat cœleste viaticum. Dum pio incumbunt operi, dolia nitrati pulveris in inferiore domo condita flammam concipiunt; unde id acciderit, ignoratum est. Momento conflagrant, quotquot in ea domo sunt inventi. Erant hi Franciscus Suarius, Didacus Alsaya Professor Theologiæ, & Franciscus Cardozus sacerdos Theologus, ac externorum ad centum capita. Hoc infortunium non parùm funestavit communem de parta victoria lætitiam.

4. P. Franciscus Suarius Lusitanus, domo, an virtute illustrior, aut certè utrâq; Illustrissimus; nihil in eo humile. Cùm biennium probationis obiret, defuncto majore fratre, ad eum devolvitur majoratus: Tum illi ad tantæ domûs successionem continuandam oblatum è Societate egredi: horruit sanctus adolescens, cessit jure suo, ac natu minori fratri omnes divitias parentum fruendas dedit, plurimúmque gavisus est occasione spernendi, & conculcandi, quæ mundus avidè quærit. Hic frater præcipiti consilio usus Castellanas partes sequitur: quod Francisco nostro bis carcere stetit; compertâ tamen innocentiâ liberalitati restitutus est.

5. Primarium illi ad tradendas scientias ingenium; eas Conimbricæ, & Eboræ professus plausu maximo, ubi & Doctoris Theologi lauream indeptus est. Extant illius sapientiæ aliqua monumenta Cursus Philosophicus, & tractatus de Pœnitentia typis excusi. Sed hæc velut corticem, virtutes medullam habuit, quæ circumferuntur à me scriptæ, ac in lucem datæ, cum in libro, cui titulus, Imago virtutis in Novitiatu Ulyssipone; tum in anno glorioso Societatis JESU in Lusitania Viennæ Austriæ edito.

6. P. Didacus Alsaya natus Casteldevedii domo opulentâ, & hæres paternarum opum, spretis omnibus, Societatem amplectitur. Præstantissimus fuit litteris, & virtutibus. Eboræ professus Theologicam facultatem, ac Doctoris gradu donatus est. Suavis ejus affabilitas omnium illaqueabat corda. Ad firmandos vacillantes in vocatione singularis illi modus, plurimósque, dissipatâ mentis nebulâ, conservavit. Odemiræ introduxit processionem passuum Domini. Illud occultum habuit vaticinium de genere mortis suæ, quòd sibi mens immota sederet, periturum se incendio. P. Franciscus Cardozus non minùs incendio, quàm flagravit charitate. Divinabat illi cor se inde non reversurum: idcirco ante profectionem expiavit animam confessione totius anteactæ vitæ. Valedicens sociis, *jam*, inquit, *nos in hoc mundo non videbimus*. P. Didacus Alsaya. P. Franc. Cardozus.

7. Et hic annus abundavit funeribus. Alphonsus Castillius Eboræ tironum Magister 25. Aprilis mortem cum vita commutavit. Magna de ipsius virtutibus apud omnes erat opinio. Natus apud Gemaicam in diœcesi Cubensi Americæ Hispaniensis, Societati adscriptus Ulyssipone, docuit Conimbricæ Philosophiam, sacras missiones obivit plurimas. Non mater ulla erga filiolos suos tenerior, & amantior, quàm ille fuit adversus tirones suos. Præibat verbo & exemplo. P. Alphonsus Castillius.

8. Orationem matutinam habuit semper flexis genibus prope altare ante oculos tironum. Cùm per id tempus morbis arderet Collegium Eborense, admirabili erga omnes usus est charitate. Assidebat frequens morituris, & periclitantibus: ille cibos è culina ad eos ferre, suis manibus in os ingerere. Magis aderat illis, quos ab aliis minùs invisi observabat. Pauperem ægrum in urbe offenderat humi jacentem; Comiti, quòd debilis esset viribus, suum tradit pallium, & cum adolescente sæculari, qui præsto fuit, infirmum defert ad no-

focomium, ibi generali auditâ ejus confessione reliquit commendatum, & solatio plenum. Alias virtutes religiosas fusè vulgavi.

Joannes Carvalius. 9. Ibidem vitam præmaturè deseruit 22. Martii Joannes Carvalius scholasticus Ulyssiponensis primariæ nobilitatis. Magnæ spes accisæ sunt; nam felix ingenium, singularis prudentia, virtus minimè vulgaris, sancta humilitas cum tam præclaro stemmate magnum aliquid, & honorificentissimum Societati in eo juvene promittebant. Ejusdem mensis die 29. doluit idem Collegium sibi ereptum Alphonsum Freirium sacerdotem Theologum Montalvanensem. Plurimùm incubuerat juvandis militibus peste infectis; inde Alphonso gloriosæ mortis origo. Additus est 12. Aprilis Antonius Martinius Coadjutor. Apud nos se habuit instar abjectissimi mancipii, annis sexdecim Lameirensem Residentiam excoluit, aderat agriculturæ, & operis, omnium laborum particeps.

P. Alphonsus Freirius.

Antonius Martinius.

Emmanuel Martinius. 10. Septembris ultima vitæ etiam fuit suprema Emmanueli Martinio scholastico Theologo. Antequam Societati accederet, existimabatur adolescens sanctus. Vitabat æqualium commercia, & inanes confabulationes deditus piorum librorum lectioni, orationi, & concionibus audiendis. Adoptatus in Societatem, sedulus fuit in augendis virtutibus; multus in affligando corpore, in serviendo ægrotis, & aliis sanctis exercitationibus peragendis. Non visus ullam instituti nostri violare regulam, observabat earum apices.

P. Emmanuel Diasius. 11. In Funchalensi Collegio nodis corporeis exemptus est P. Emmanuel Diasius Coadjutor spiritualis. Familiare illi cum Deo commercium. In conversando cum fœminis nemo circumspectior. Quamvis nobiliores urbis apud eum expiarent conscientias, nunquam adduci potuit ad ullam domi suæ invisendam, licèt vehementer optarent. Tantam de ipsius virtute conceperant omnes existimationem, ut post mortem de rebus, quas in usu habuit, peterent reliquias.

P. Franc. Machiadus. 12. Estremotii vitam naturæ reddidit 29. Januarii Franciscus Machiadus, natus Villæpoucæ diœcesis Bracharensis. Agebat confessarium Comitis Cantanedii. Eminuit in litteris Latinis, sacra, & profana eloquentia. Mausoleum Joannis IV. Regis, & ejusdem vitæ compendium typis commisit. Villavissosam pervectum ipsius cadaver, ibique in templo nostro sepultum. Debetur illius curæ *Viridarium* nostri Francisci Mendossæ concinnatum à Machiado ex dispersis ipsius laboribus. Simul aptavit typographiæ tertium ejusdem authoris volumen in libros Regum.

P. Gonsalus Pintus. 13. Conimbricense Collegium 7. Februarii mærore infecit mors P. Gonsali Pinti. Natus est in monasterio Ferreiræ diœcesis Portuensis. Animo ægrorum mirus consolator fuit, obviâ comitate usus omnibus gratâ. Magnopere favit humaniorum litterarum studiosis. Mazagoniæ in Africa dans operam nostris ministeriis, suasit Præfecto, ut redimeret Crucifixum à Mauris captum, qui magnâ, & communi lætitia locatus in templo fori, singulari deinde cultus est veneratione.

Antonius Costa. 14. Brigantii desideratus est Antonius Costa Coadjutor, & œconomus Collegii. Vel socios scholasticos adeò coluit, ut coram illis caput nunquam texerit. Persecutus est artus suos tanquam infensos hostes, quà flagellis, quà ciliciis domabat. Nescivit, quid esset iners otium, id tanquam vitæ religiosæ tineam edacem, & malum pestilens exosus. In studio S. paupertatis æquavit ejus virtutis amantiores. Hactenus de defunctis.

Profecti ad Maranoniam. 15. Sacerdotes sex, & duo non sacerdotes in Maranoniam auxilio missi sunt Patri Antonio Vieiræ, qui id temporis in ea regione Solis instar abigebat ignorantiæ tenebras, & in Christi ovile multa hominum millia, integrásque cogebat nationes. Cetobricæ crevit S. Xaverii cultus, instituto in ejus honorem sodalitio, cœptâque novennâ ante duodecimam diem Martii, ùt moris est in Lusitania, frequentissimo ad hujusmodi preces concursu.

Sodalitas S. Xaverii, & novenna Cetobricæ.

Angli plures Eboræ à nostris convertuntur. 16. Eboræ laboratum egregiè in reducendis ad veram fidem militibus Anglis, qui in urbe vel æstivas, vel hybernas stationes occupabant, aut in Academiæ nosocomio curabantur. Duo è nostris callebant Anglicum idioma, qui oppor-

opportunè inviserant populares suos, & in eorum familiaritatem se insinuârant; misto sermone de vera fide ducentos converterunt; quorum nonnulli postquam Ecclesiæ Romanæ reconciliati sunt, piissimè mortalitatem exuêre.

17. Tercentum Anglis ad arces Castellæ vicinas missis iverunt Comites duo illi sacerdotes, cum ad conservandos in fide recens conversos, tum ad alios, si possent, in viam bonam reducendos. Nec vana fuit ejusmodi cura. Fortè duo milites inter se altercantur de præstantia Cromwelis Anglici tyranni, ac Regis Caroli. Dum alius alium prædicat præstantiorem, fit mutua provocatio, ut in singulari certamine victoria ferat sententiam, ac discernat gladius litem. Concurritur: qui defendebat tyranni partes, ictu percussus lethali collabitur in terram. Præstò sunt sacerdotes nostri, suadent morituro fidem orthodoxam, quam & ille complexus est. Cùm audiret victor æmulum suum obiisse Catholicæ fidei imbutum sacris, noluit eidem in tam præclaro facto cedere, sed & ipse Romanæ Ecclesiæ accessit.

18. Alii non pauci horum sacerdotum operâ discusserunt errorum suorum tenebras. Id erat in reductis ad fidem mirandum, quòd à suis malè habiti non dimoverentur à proposito. Triginta hæretici Anglicani ex acie morbidi redeuntes in nosocomio Academiæ sunt recepti: ex his unus duntaxat non deseruit sectam. Aliorum plurimi, qui non videbantur tam præsenti periculo laborare, paulò post suam cum Ecclesia reconciliationem, & homologesim factam animas efflârunt.

19. Quidam, cui morbus diuturnior, præclara dedit patientiæ exempla. Vix dici potest, quantùm sibi omnium, qui serviebant infirmis, animos allexerit. Modestus vultus DEum spirabat. Confirmavit hanc opinionem eventus mirabilis. Quòd oleum lychnis alendis nocturnis fæculentum esset, ante finitam noctem lumina solebant extingui omnia, præter illud, quod erat prope lectum hujus adolescentis. Res apparebat par miraculo; nam ubi primùm Anglus est mortuus, non ultrà lychnus ille viventem tenuit flammam per noctem totam, sed extinguebatur, ùt cæteri.

20. Atrox dissensio armaverat sacris fulminibus Capitulum Bracharense adversus Portuense. Causam non reperi declaratam. Utrobique magna illustrissimarum urbium perturbatio. Censuræ, & interdicta summos, infimósq; implicabant. Id temporis Balthasar Tellius Lusitanæ Provinciæ moderator Bracharâ adventavit Portum. Rogaverunt Senatores Regis Provincialem, accuratam navaret operam hujusmodi discordiis extinguendis. Quanquam res visa laboris immensi, & inutilis, DEO fidens, modò adeundo Bracharenses, modò Portuenses alloquendo, jam deplorato negotio, jam bonâ exitûs optati spe conceptâ, tandem dissidium amicâ pace feliciter composuit. Communis lætitia indicata fuit æris campani festivo sono. *Balthasar Tellius componit discordes.*

21. Non tacendum DEI patrocinium, quo præsentissimo periculo ternos liberavit tirones. Etenim, ùt moris est, è Conimbricensi Collegio peregrinatum exîerant. Dum saltum ingrediuntur, fit illius obvius ferocissimus taurus: territi conspectu, qui cæteris præerat, ex humero subtractum pallium ambabus sustentans extentum manibus decernit conjicere in irruentis cornua, & oculos, ut fugæ sit locus, dum se taurus extricat obice. Verùm perpendens, quanti eventus esset periculi, abjecto pallio in terram, & invocato DEI protegentis auxilio, sistit ante immanem feram cornu tirones petentem, &, quantâ potest, voce inclamat: Ferox bestia, in nomine Domini tibi impero, ut gradum sistas. Sine mora stetit taurus attonito similis; sive insolitus clamor terruerit, sive occulta vis invocati Dei, quod magis credo, inhibuerit ferocientem. Certè rustici, qui tauri sciebant furorem, & audiêrunt tirones rem explicantes, miraculo tribuerunt. *Terni tirones liberantur præsenti periculo.*

22. Trigesimâ Julii, S. Protoparentis pervigilio, Villævissosæ migramus in novum ædificium, quod nunc occupamus. Instituta supplicatio solemnis è sacello regio Brigantini palatii. Sacelli Decanus tulit sub umbella Eucharisticum *Villævissosæ migramus in novum ædificium.*

Numen ad nostrum templum. Vespertinis horis diei sequentis militares ludi, & Equitum artificiosi cursus auxêre communem populi plausum, & lætitiam.

Annus 1660. Soc. 121.

1.

Moritur Andreas Fernandius Reginæ Confessarius.

MAgnum res nostræ columen amiserunt in obitu Andreæ Fernandii Reginæ gubernantis Confessarii, cujus illa sic est usa firmis, prudentibus, ac sanctis Consiliis, ut nihil momenti sit molita, quin priùs Andream consuluisset. Erat in lucem editus Vianæ; parentes illi, non aliâ re, quàm pietate conspicui. Inerat Andreæ ingenium ad capessendas scientias aptissimum. Missus ad litterarum studia in Eborensem Academiam, ibi se dedicavit Societati, ac biennio Ulyssipone absoluto, navavit operam politioribus disciplinis Conimbricæ. Postea eas litteras, & altiores scientias Eboræ tradidit.

2. Cum pro Didaco Luisio à Joanne Rege nominatus fuisset Episcopus Japoniæ, donec vixit, non alio, quàm Episcopi Japonensis nomine vocatus, & notus erat. Ut fuit Joannes vir excelsæ mentis, reperit in Andrea hominem omnium rerum capacissimum, & factum ad quæque grandia. Idcirco tum Joannes, tum ejus filius Theodosius Andream intimâ dignati sunt amicitiâ; uterq; illi tradidit animam suam regendam, & Regina post Confessarii sui mortem non alium voluit, quàm Andream. Non ille tantâ apud Reges gratiâ extra se egressus est, nullius rei magis memor, quàm sui. Cùm Rex eum conaretur creare Inquisitorem Generalem, horruit, & copiosas effundens lacrymas enixè rogavit, hanc mentem deponeret, se vilibus ortum parentibus, non debere adeo illustrem prostitui dignitatem.

3. Vix dici potest, quantùm illius apud Reges gratiæ inviderint plurimi Magnates, ægrè ferentes, omnibus anteponi. Multa moliti sunt, ut eum de sublimi gradu darent præcipitem. Id se facturos crediderunt, mortuo Rege. Dicebant hominem esse mortalium infaustissimum, sub quo Confessario esset mortuus Rex optimus, & Princeps optimus. Ad hæc Regina: cur me non arguunt ejus criminis, cur non medicos, cubicularios, & cæteros palatii ministros intimos, sub quibus iidem obiêrunt diem suum? nugæ sunt hæc in livoris officina fabricatæ.

4. Igitur ejus operam semper adhibuit in administratione reipublicæ, nec fuit, qui apud ipsam majori polleret gratiâ. Ob itationes ad palatium, & alias urbis regiones, quæ vitari non poterant, unicè usus duobus mulis, honesto tantùm ephippio paratis, abacto quocunque ornamento vel faciente, vel indicante authoritatem. Consanguineos ad meliorem, quâ nati fuerant, evehere fortunam, nunquam cogitavit. Aliquando unus è primariis aulicis suasit, ut eorum aliquem vocaret ad obeundum in Regia certum, quod vacabat, munus Ad hæc ille: Mihi nullus est Consanguineus, qui cum decore & honore Regum in palatio versari, aut apparere possit. Omitto cætera virtutum exempla, quæ prolixè aliàs vulgavi. Octobris 27. vitam reliquit in Ulyssiponensi Seminario, sepultus in domûs Professæ templo.

P. Antonius Amaralius.

5. Conimbricæ 26. Septembris ad finem mortalitatis accessit P. Antonius Amaralius, ortus Curvaceiræ in Visensi diœcesi. Vel ante Societatis ingressum nihil magis præ oculis habuit, quàm virtutem. Non audebant æquales, ipso præsente, verba, vel sermones inserere vitiosos. Apud nos qualis, quámq; perfectus vir fuerit, paucis explicari nequit. Commercium cum Deo, paupertatis amor, obedientiæ studium, zelus animarum, castigationes corporis, cuncta in eo grandia, & spectabilia.

Barnabas Serranus.

6. Februario mense Bracharæ mandatus tumulo est Barnabas Serranus scholasticus, moribus ornatus innocuis. Morbo correptus postremo totum se commisit moderandum arbitrio sibi assidentium. Suadentibus, ut peteret Cœli mutationem, reposuit, se victimam esse sanctæ obedientiæ. Vi morbi delirans

rans

rans de rebus ad Deum pertinentibus loquebatur. Natus erat Valverdii diœcesis Visensis.

7. Conimbricæ 9. Aprilis præcoci morte defecit Ludovicus Machiadus novitius scholasticus Villæflorii genitus in diœcesi Bracharensi. Orationem comitabantur ubertim cadentes lacrymæ; ne copia, & assiduitas noceret oculis, imperatum, ut eas temperaret: respondit, suæ id potestatis non esse. Flagellum solitus madefacere, ut acerbiùs feriret. Flos ille virtutum, quem Societas in suis cupit tironibus, in ejus moribus redoluit. Ludovicus Machiadus.

8. Mense Augusto terræ commissus Alpedriniæ, ubi per id tempus spe fundandi Collegii de nostris aliquot habitabant, P. Balthasar Saraiva Garajalensis in diœcesi Lamecensi. Quamvis tradiderit Philosophiam cum plausu, vis naturæ eum ad sacrum suggestum invitabat; & ornârunt hominem dotes in id munus singulares. Vix erit alius addictior augendæ S. Xaverii gloriæ. Illius industriâ diversis in oppidis & templis sexaginta simulacra Xaverii locata. Nec sui clientis immemor Xaverius in mortis discrimine donavit insperatâ sanitate. Religiosis virtutibus plures antevertit. P. Balthasar Saraiva.

9. Mirandæ 30. Septembris vitâ cecidit Franciscus Nogueira sacerdos, domo Conimbricensis, vir charitatis eximiæ. Cùm Brigantium arderet febribus perniciosis, multus ille fuit in succurrendo miseris. Dum pergit Mirandam concionaturus, implicitus morbo supremo desivit vivere, Ad eum juvandum accurrit Brigantio Petrus Ozorius sacerdos, Bracharensis, Collegii Minister, pari charitate conspicuus, sed eodem morbi genere absumptus. Ambo Brigantii magna de se reliquerunt desideria. P. Franc. Nogueira. P. Petrus Ozorius.

10. In Ulyssiponensi Domo Professa 3. Junii posuit finem mortali vitæ P. Gregorius Luisius, ortus Alpakami diœcesis Portalegrensis. Missus Visitator in Angolam à piratis captus multa tulit. Redditus Lusitaniæ obivit sacras missiones, vixitque annis pluribus in insulis Assorum. Postremo vitæ tempore diris podagræ doloribus cruciatus hæsit lecto annis tribus, ita pedum contractis, & stupentibus nervis, ut per se ex uno latere in aliud volvi nequiret. In tanta corporis afflictatione mirabilis erat illius tolerantia. Dum potuit, alienis brachiis portabatur ad confessionum tribunal. Affixus lecto, in eodem excipiebat nostrorum confessiones. P. Gregorius Luisius.

11. Eboræ 24. Aprilis extremum vitæ diem morte confecit P. Didacus Cardimus, germanus nostri Joannis Cardimi, natus Vianæ. Bis aggressus navigationem in regiones ultramarinas ad animas salvandas, bis vela retrorsum dare coactus ventis contrariis. Tertiò conabatur idem iter facere, sed majorum aliud jusserat imperium. Fulsit in eo singularis charitas adversus comprehensos carceribus, quorum plures annos curam gessit Ulyssipone. Quoties occurrebat de fratre suo Joanne recordatio, vix poterat continere lacrymas, ingemiscens, quòd illi tam dissimilis esset virtutum apparatu. P. Didacus Cardimus.

12. Contigit Ulyssipone in domo Professorum suavis obitus Alphonsi Rodericii Coadjutoris die postrema Septembris. Supra viginti annos collegit ostiatim eleemosynas, quibus aluntur in ea domo Religiosi. Inerat illi quædam nativa oris gravitas, & authoritas venerabilis, quàm profunda demissio exornârat. Idcirco plurimi fiebat ab omnibus. Ampliùs annis quinquaginta apud nos vixit sine querela, & supra modum profectûs animæ suæ studiosus. Alphonsus Rodericius.

13. Die sextâ Januarii vitâ concessit Bracharæ P. Augustinus Lima. Regaledii hausit primùm auram. In Societate habuit gradum Coadjutoris ad res spirituales. Ministrum egit in diversis domiciliis. In taxando delinquentibus pœnas adeò prudens illi modus, ut vel castigati adversus ipsum grati fuerint; nam cor & viscera nulli sinistro patebant affectui. Illius sanctissima exempla versabantur in oculis, & in ore omnium. Bis quotidie cruentabat flagris corpus. Annos triginta quinque nescivit ejus corpus, quid esset lectus & culcitra. Nonnunquam applicato capite ad lavacri epistomium sinebat frigidam hyemali tempore in costas ac dorsum decidere. Denique visus est sui juratus hostis. P. Augustinus Lima.

Sic

Sic se attenuavit, ut præter ossa & cutem nihil restare appareret. Annos quindecim iisdem calceis multùm sartis est usus. Plura virtutum ejus exempla typis impressa leguntur.

Secundum Fari Gymnasium.

14. Ad vivorum jam labores pro Dei gloria & proximi salute exantlatos calamum converto. In Farensi Algarbiorum Collegio hoc, vel aliquo ex proximis anno, abundante scholasticorum numero, nec eam uno Gymnasio capiente, ludus legendi, & scribendi, quem moderabamur, versus est in secundum Latinitatis Gymnasium. Illud non omittendum, quod evenit Paulo Mendesio Collegii Farensis Rectori. Prædii in agro urbis, Ludus dicitur, domus erat Lemuribus infestissima: habitatores pallebant continuatis terroribus: adeunt Rectorem, opem, & remedia quæsitum. Promittit se iturum, & abacturum inquietos hospites sacris exorcismis. Venit Sanctorum armatus reliquiis, exhortatur incolas ad confessionem, & aliis, quæ in rem faciebant, obitis, recipitur dormiturus in cubiculum, quod præprimis Lemures infestabant. Vix clauserat oculos, cùm sentit manum guttur stringentem. Edito magno gemitu, experrectus socius videt Pauli faciem vulnere & sanguine fœdatam: præterea perfricuit malus dæmon jacentis crura immaniter, ut tantùm non excoriaverit: non ausus eas corporis partes attingere, quas muniverant reliquiæ. Sub auroram auditis hospitum confessionibus, & iteratis exorcismis, regreditur in Collegium Paulus. Sequenti nocte, non explicatu facile, quos strepitus Alastor, quas excitârit in domo procellas; è suis videbatur convelli fundamentis, omnia sus, dèque ferri. Nimirum ii fuère postremi conatus abituri dæmonis; nunquam enim deinceps turbavit locum.

Lemures abiguntur.

Fundatur Collegium Portimani.

15. Portimani apud Algarbia novo Collegio Lusitana Societas aucta est. Oppidum quondam illustre propter maris commercia, situm non longè à mari ad sinum navibus excipiendis tutissimum, per quem suas merces in alias nationes exonerabat urbs Sylvensis, cujus nostris diebus præter ruinas amplæ urbis indicia supersunt humiles domus egeno populo habitatæ. Par infortunium Portimanum minuit paulatim; variæ ibi naves, & hæ minores; nam alias non patitur sinûs ostium arenis vitiatum. Ager est pulcher, ac lætus, aura salubris. Degebat ibi Didacus Gonsalvius vir nobilis, & locuples, qui profectus ad Indiam Orientis cum Petro Sylvio Prorege, magnas acquisivit opes, quibus salvis restitutus est patriæ. Mortuis filiis hæredem voluit S. Franciscum Xaverium. Die 21. Octobris positus est templi primus lapis magno populi concursu, & cæremoniis ad id præscriptis.

Extinguitur tertiò Novitiatus Eboræ.

16. Tertiò migrârunt præsenti anno in domum Ulyssiponensem tirones ex Eborensi Collegio, imperante eodem P. Nickelio, cui visum fuit, unam satis esse domum erudiendis tironibus pertinentibus ad omnem Provinciam Transtaganam, nec sine necessitate permittenda separata domicilia. Ad Indos solvêre Ludovicus Vasæus sacerdos, & Antonius Fernandius, Lusitani; P. Alexander Philippucius Maceratensis Italus, quem miraculo notissimum reddiderat S. Xaverius. Iverunt ad Maranoniam Petrus Ludovicus Gonsalvius Italus, Gaspar Urischius, & Joannes Philippus Belgæ, cum Balthasare à Campis Coadjutore etiam Belga.

Profecti ad Indiam, & Maranoniam.

Hieronymus Claremontius Visitator.

17. Anni præsentis Januario advenit Ulyssiponem P. Hieronymus Claremontius, qui Venetæ Provinciæ egerat Provincialem, missus à P. N. Generali, ad visitandas duas Lusitaniæ Provincias. Nam Patres Lusitaniæ Provinciæ suas ob rationes, quas non reperi explicatas, rogaverant Præpositum Generalem, externum aliquem Visitatorem ad res suæ Provinciæ temperandas mittere dignaretur. Post duas lustratas Provincias Claremontius reversus in Italiam est Februario sequentis anni. Nec multùm probata hujusmodi visitatio per alienigenam; cùm enim ignoraret Lusitanos modos & mores, multa peregit sincerè, quæ cùm in ipsius patria essent vulgaria, & consueta, hìc instar monstri habebantur.

Res in Angola.

18. In Angolâ non desuère adversitates. Nonnulli rebus nostris infensi per epistolam significârunt Regi, nos in Angola necessarios non esse; Capucci-

nos

nos Patres ibidem explere posse nostrorum hominum vices. Difflata est hæc machina ab Societatis amicis, datis ad Regem litteris veritati faventibus. In templo nostro conditum est sodalitium à naufragantibus nuncupatum. Illius institutum eò collimat, ut succurratur miseris, qui sua naufragio amisêre bona. Fœminæ è nobilioribus, patrocinio spectabilis Deiparæ, & animi quies, & corporis sanitas rediit. Abluti sacro fonte plurimi Æthiopes, quorum illico quidam felicem animam emiserunt. Sodalitium pro naufragantibus. Deiparæ patrocinium.

19. Dynasta Cassangæ, cujus imperium continet decem alios regulos, sovas ipsi vocant, & in eis regionibus robore & armis nemini inferior, veram fidem amplexus est. Duos è suis Magnatibus, Macotas dicunt, misit ad nostrum Collegium, enixè rogans, irent ad se Patres, velle sacro fonte lavari. Mense Augusto Antonius Verasius sacerdos, & Antonius Ferreira Coadjutor eò moverunt. In itinere multa Pater in pagis contrivit idola, & veneficiorum instrumenta, quibus gens est supra modum dedita. Plurimos infantes salutari mundavit lavacro, qui invidendâ felicitate haud multò pôst sanctas efflârunt animas. Tandem perventum ad Cassangæ ditionem, ipse cum suis venit obviam, deditque lætitiæ significationem. Edoctus per otium Christiana mysteria in Christo per baptisma regeneratur unà cum aliquibus Magnatum. Coluit deinceps cum nostris amicitiam, quamvis nonnulli Lusitani Societatis nomini valde infensi eum nobis inimicum reddere conarentur. Auditâ Dynastæ hujus conversione, multi reguli Patrem invitârunt, ut ipsos simili felicitate impertiret. Dum ex aliis ad alios migrat, etiam ex vita inter eas gentes demigrat. Conversio Dynastæ Cassangæ.

20. Inter piissimos, multóque sibi jucundissimos labores implicatur morbo; propterea necessum fuit valetudinis recuperandæ causâ redire in Collegium. Medicis momenti levis est visa ægritudo. Sed illico patuit, quæ eos falleret opinio: nam conclamatâ sanitate, 4. Octobris vitâ defungitur. P. Ludovicus Frerius Bracharensis, singularibus ad sacrum suggestum donis conspicuus petiverat in Angolam mitti: cùm è Loanda ad Congense perrexisset Collegium, paucis post adventum diebus mortiferâ incensus febri magno omnium dolore occubuit. Loandæ pariter extinctus est Emmanuel Vasæus Rector Collegii: plurimos annos impenderat in sacris expeditionibus ultramarinis non pœnitendo animarum bono. Angolani Collegii statu per Majores cognito, illac anno sequente navigat P. Emmanuel Faria, qui docuerat eloquentiam Conimbricæ, ex Rhetore futurus Rector. Perquàm deditus suo cubiculo, & libris volutandis plùs, quàm illa sinit regio, non diu superfuit; nam gravi morbo correptus & ipse vitam profudit. Moritur P. Antonius Verasius. P. Ludovicus Frerius. P. Emmanuel Vasæus. P. Emmanuel Faria.

Annus 1661. Soc. 122.

I.

HOc anno Comitia Generalia Romæ celebrata, in quibus R. P. Joannes Paulus Oliva Genuensis 7. Junii Vicarius Generalis constituitur universum ordinem gubernaturus pro Goswino Nickelio, quem ætas, & morbi reddiderant communi administrationi inhabilem, cum jure post ejus mortem eidem succedendi. Lusitani PP. non interfuêre Comitiis: nec inveni causas, cur Romam non accesserint: forsan non erat navis, quæ illos transveheret. Nullâ factâ spe adventûs ipsorum, visum Congregationi non differre Lusitani Assistentis electionem, nec tamen eam voluit permittere Vicario Generali. Petitis informationibus à quatuor Patribus Lusitanis, qui Romæ erant, ac servatis cautionibus in re necessariis electus est P. Gaspar Gouvea. Habitæ fuerant Provinciarum Congregationes. Lusitana Conimbricæ suos coëgit. Electi sunt cum Balthasare Tellio Provinciali Joannes Lopius, & Antonius Silva. Transtagana rem egit in Domo Professâ Ulyssiponensi, Provincialem Franciscum Mansum erant comitaturi Nonius à Cunea, & Ignatius Mascarenius. Finem impo- Congregatio Generalis. Congregationes Provinciales.

fuit Assistentis muneri Franciscus Tavora, quem ad id vocaverat P. N. Goswinus.

Profecti ad Indiam. 2. Terni sacerdotes ad orientis nationes transiverunt, Franciscus Pimentelius, Didacus de Valle, & Didacus Sotomajor, omnes Lusitani. Apud Tunquinenses clarissimus fuit Pintemelius, patria illi Arganilius in diœcesi Conimbricensi; ejus sepulchrum invisitur à Neophytis, oleo sanandis morbis, & multis claret prodigiis.

Missiones. 3. Sacræ missiones per Regnum plures institutæ. Unus Eborensis sacerdos sesquianno discurrit per arces, & oppida munita in confiniis Regni ad juvandos alienigenas milites, eorúmque audiendas confessiones. Neque Comes Escombergius heterodoxus milites suos Catholicos privari voluit sacramentorum subsidiis; magni faciebat nostros homines. Capitis erat condemnatus miles Catholicus natione Gallus. Quamvis Pater apud Duces vitam illius fuerit deprecatus, non obtinuit. Concessa tamen aliqua mora, sumptis equis cursoribus, quantâ potuit, festinatione, ad Reginam properavit, adeptúsque est misero vitam. Monialium sic excoluit cœnobium exhortationibus suis, ut valedixerint confabulationibus ad crates, non solùm cum aliis, sed etiam cum sæcularibus consanguineis. Ex eodem Collegio alii processerunt in oppida diversa; Avisium, Ouriquium, Monsarasium, Almondovar.um, & Grandolam. In hoc postremo introducta consuetudo cantandi alternè singulis diebus in templo prope noctem tertiam Rosarii partem. Locatum in templo præcipuo S. Xaverii simulacrum, ac in obsequium Divi Sodalitas est erecta.

Moritur P. Francisc.us Pinerius. 4. Conimbricæ 29. Julii Cœlicolis, ùt piè credimus, adscriptus est Franciscus Pinerius, vir exquisitæ sapientiæ. Lucis usuram nactus Goveæ in diœcesi Conimbricensi. Scientias tradidit in Eborensi Academia multo plausu: ibidem est insignitus Doctoris Theologi gradu. Extant de tanto viro nonnulla monumenta Juris peritis valde utilia, ùt opus de Testamentis, ac de Emphiteusi. In Academiæ Eborensis tuendis immunitatibus adversus aliquorum potentiam acerrimus fuit. Suspiciebatur ab omnibus Conimbricensis Academiæ Professoribus tanquam vir sapientissimus, quem in rebus arduis crebrò consulebant. Porrò micabat in eo solidioris observantiæ integritas.

P. Antonius Vieira expellitur è Maranonia. 5. Hoc anno per summam injuriam P. Antonius Vieira ejectus de Maranonia per Lusitanos, quorum in sceleribus non connivebat, nec fas erat. Arserunt incolæ aviditate semper apud eos insatiabili asserendi in servitutem regionis indigenas. Obstabant divinæ, ac humanæ leges, obstabant nostri sanctarum legum unici defensores. Factâ conspiratione, initio Maji, diabolico furore invasit populus urbis S. Ludovici Collegium, rupit septi parietem, fregit portas, ac domum expilavit. Addicuntur carceri septem de nostris, immanissimis quibusque ad custodiam additis. Vix sinebant ipsis præberi trahendæ vitæ necessaria.

6. Coëgerunt postea navem conscendere, quæ in portu erat. Nemini licebat eos alloqui. Dum hæc, aliáque Patres in Collegio urbis S. Ludovici sufferunt invictâ patientiâ; non minori odio irrumpit populus in Collegium Paræ ad ostium fluminis Amazonum; cingit arctâ obsidione, vix permittit inferri cibos, sæpe è vehentium manibus eos arripit, ac devorat. Aliquot conjuratorum cohortes in scaphis, Canoas ipsi vocant, per flumen subeuntes aggrediuntur pagos, ubi nostri excolebant indigenas, nostros vinculis constringunt; omnes tandem suis è regionibus expellunt.

7. Non defuit tot sceleribus puniendis, etsi non pro merito, ultor Deus. Præcipui de conjuratis vel flammis, vel undis rapti miserandum in modum interierunt. Anno integro pluvia non fuit; aruère flumina, quæ nunquam defecerant, nec ulli mortales crediderant siccari posse. His malis accessit morbus pestilens, qui infinitam edidit stragem. Ut aliquod hujusmodi scelerum cumulis velum obtenderent, causabantur nostros secum agitare de Maranonia tradenda Hollandis; quæ calumnia mole ruebat suâ. P. Antonius Vieira ad Lusita-

sitaniam tandem appulsus cum aliis, sextâ Januarii sequentis anni dixit è sacro suggesto illam concionem, quæ est postrema quarti voluminis; in ea suâ illâ dominanti eloquentiâ hujusmodi rei tragicam seriem ob oculos auditorum proponit. De cæteris Vieiræ factis, ac laboribus, & totius orbis plausibus, scribendum relinquo Brasiliensi Provinciæ, cujus est filius. Aliquid tamen de illo non tacebo, si meum poposcerit institutum, ùt postulabit anno 1697, cùm de vivis migravit.

Annus 1662. Soc. 123.

1.

Celebratis hoc anno nuptiis Caroli Anglicani Regis cum Catharina filia Regum Lusitanorum, ipsa mense Aprili in Angliam vela fecit. Voluit Regina mater, ut secum veheret à confessionibus futurum nostrum Antonium Fernandium Doctorem Theologum, litteris & virtutibus emminentem. Is elegit sibi comitem Joannem Fernandium notæ virtutis religiosum. Aloysia Regina, quæ ad initium præsentis anni rem communem summâ prudentiâ, & masculâ virtute administraverat, coacta est, hujusmodi curam deponere, & tradere Alphonso filio, Lusitanorum Regum hujus nominis sexto; quem ob ineptitudinem exuerunt postea throno Lusitani. *Nostri cum Regina in Angliam.* *Aloysia deponit regni administrationem.*

2. Familiæ nostræ, magnum ejusdem decus adjungitur 17. Decembris Joannes Brittus Ulyssiponensis, martyrio apud Madurenses illustrior, quàm inter Lusitanos natalium splendore. Salvator Brittus Pereira, & Beatrix Pereira sanguine inclyti hunc heroëm genuêre. Salvator obiit summus Præfectus regionis à flumine Januarii in Brasilia. Vita Joannis plena rebus magnis in Imagine virtutis Ulyssiponensis tirocinii per me in lucem est edita. Nihil pluris fecit, quàm sacrum Evangelici præconis ministerium. In Pudecherensi Gallorum arce præsens erat, cùm unus è nostris Patribus Gallis, similis dicenti rem magnam, quinquies, ajebat, superavi Caput bonæ spei. Ad hæc subridens Joannes, ùt erat urbanissimus, *Optimum verbum, & laus, pro navis gubernatore, sed non pro operario Evangelico.* Accepêre dictum cum lætitia circumstantes nostri, & repetunt in præsentem diem. Id hoc loco volui scribere, quia judicârunt contineri pro Evangelicis operariis documentum, ipsos numeraturos non itationes ad Europam, sed annos in missionibus consumptos. *Ingreditur Societatem Joannes Brittus.*

3. Sanjoanensis comes rogavit, ad se mitterentur magni jejunii tempore PP. Sebastianus Novasius, & Emmanuel Pintus, ut milites sacris nostris ministeriis imbuerent, quod illi naviter præstitêre. Per insulam Maderam alii duo sacerdotes peregrinationem susceperant: inveterata odia extincta, & ingens confitentium numerus auditus est. *Missiones.*

4. Prima velut semina jacta sunt Bejensis Collegii. Duo nostri mystæ illic per Quadragesimam habuêre sacram missionem tanto plausu urbis, & utilitate, ut Alexander Sousa urbis Præfectus, cives summi, infimique, & omnes Clerici in unum coujuncti corpus scripturam exararent, quâ Societati donabant ædem sacram divi Sesinandi nati in eadem urbe. Unus Clericorum contradicere moliebatur, multis beneficiis Eboræ à nostris affectus. Visâ hominis impudentiâ, & ingrato animo, sic adversus eum fremuêre, ut vix ab illo abstinuerint manus. Petitam facultatem concessit libenter Petrus Infans his amplissimis verbis: *Societatis hominibus non solum in urbe, sed in cordibus dandus locus.* Non ultrà hujusmodi processit negotium. Nec nostri fixerunt illic sedem, nisi anno 1670. *Origo Bejensis Collegii.*

5. Conimbricæ sumpsit initium supplicatio Academica in obsequium S. Francisci Xaverii. Regebat Academiam Emmanuel Noronius titulo Reformatoris. Hic pro ea, quâ Divum colebat, veneratione, vocatis Professoribus, & aliis, quibus jus suffragii, proposuit, æquissimum videri, flagitare à Rege Serenissimo, ut Academicorum pium agmen pervigilio, ac die festo S. Xaverii ad *Supplicatio Academica Conimbricæ in honorem S. Xaverii.*

nostrum templum solemnitati affuturum procedat. Placuit omnibus. Postularum à Rege, qui libentisimè annuit poscentibus, expedito regio diplomate 27. Junii. Fit talis supplicatio multo splendore, & majestate, Doctoribus & Magistris venientibus cum suarum facultatum ornamentis.

Moritur Fundatrix Residentiæ Pernensis. 6. Naturam satietate vivendi explevit octogenaria major in oppido Pernes nobilissima Domina Anna Silva Fundatrix illius Pernensis Residentiæ pertinentis ad Collegium Scalabitanum. Quondam illac peregrinantem viderat P. Ignatium Martinium, qui patrem Annæ graviter valetudine laborantem invisit, ipsúmque ex eo morbo non obiturum affirmavit, ùt contigit. Porrò, volventibus se annis, inter somnos illi se obtulit species viri de Societate manu ducentis puerum pulcherrimum. Somno excusso, mansit affixa menti species per quietem sibi visa, & Societatem JEsu, quam rebatur significari, plurimùm inde dilexit. Eam constituit hæredem ex asse, ut fundaretur Collegium pro duodecim sociis alendis in oppido Pernes: quòd si reditus non essent tot sustentandis, & nequiret erigi Collegium, esset hæres horum bonorum Collegium Scalabitanum. Illic duo de nostris habitant, quorum unus docet Latinitatem.

Nostri defuncti, P. Franc. Vasconcellius. 7. Annus iste octonos ad laborum præmia evocavit. Die 17. Maji P. Franciscum Vasconcellium Ulyssiponensem de primaria Regni nobilitate, filium unicum suorum parentum, & ex asse hæredem; cui & nonnulli consanguinei prolibus orbi hæreditatem destinaverant. Has tot, ac tam arduas difficultates egregiè vicit, ut humile Christi sagum in nostra militiá indueret. Cùm mater hanc prolem suam pareret, laborabat præsenti periculo: ecce tibi, pulsat ostium vir habitu Eremitico vestitus, stipémque mendicat: cognitâ domûs turbatione, & causâ, dat famulo crucem ligneam, ut heræ applicet: hujusmodi attactu, amoto obice, filium enixa est. Rediit famulus Eremicolam donaturus stipe, sed abierat, nec illius reperta indicia. Angelum fuisse creditum est.

8. Franciscus, ubi ætas processit, spes de se magnas edidit. Cereus genius non admittebat nisi virtutum imagines. Secedens in cellulam domûs, ibi tempus terebat volutando, ac legendo sanctos libros. Magistrum habuit unum è nostris sacerdotibus Domûs Professæ; illuc ibat, & æquales alii, quos ille sacerdos tum litteris, tum probis moribus instruxerat. Cùm sciret nostros bis quotidie conscientiam excutere, eos imitabatur. Ad mensam accumbens pransurus, aut cænaturus, imperabat uni è famulis, legeret interim Sanctorum vitas, ùt fit in tricliniis Religiosorum.

9. Fuit unus ex ephebis pii Principis Theodosii, quem mirùm recreabat nostri Francisci conversatio, & vita Principis vitæ persimilis. Cœpit Franciscus incendi desideriis ineundi Societatem. Res videbatur par somnio. Verùm tot annis institit innumeras devorans repulsas, ut tandem admissus sit, quâ parentum indignatione, quâ vi, & quibus artibus filium conati sint abstrahere à Societatis complexu, jam suprà delibavit calamus.

10. Liber Franciscus hujusmodi laqueis, studiosissimè in virtutes augendas incubuit. Nihil ipso humilius: nemo magis assiduus tractandis cum Deo per orationem commerciis. Cæteris tironibus suspiciebatur ùt raræ sanctitatis exemplum. Absoluto primo Novitiatûs anno, Eboram missus ad continuanda Philosophica studia; quibus finitis Ulyssiponem rediit docturus Latinas litteras; quod magisterium obibat, cùm supremus eum morbus lenta febris invasit. Postulante matre missus est in vicum suburbanum, ut ibi ejus valetudini maternâ curâ consuleret. Illic indies pejùs habuit, ac tandem sanctè obivit. Vitam Francisci fusè scriptam typis dedi.

P. Joannes Gomesius. 11. Conimbricæ 17. Septembris P. Joannem Gomesium. Pluribus annis laboravit indefessè apud insulas Capitis viridis, sive Hesperidum. Egit postea Præpositum domûs Professorum Villævissosæ, & Ministrum Conimbricensis Collegii. In suburbanam villam ierat cum sociis rusticatum, cum dimidio corporis syderatione læso torpuit illi brachium, & femur dextrum, nec ampliùs usui fuerunt. Moriens reliquit tironibus linteum, sive sudarium, in quo visitur

patiens

patiens Dominus, ùt solet è sacro suggesto ostendi populo, sic eis gratificaturus quòd sibi multâ charitate servîerint.

12. In Domo Professâ Ulyssiponensi 26. Septembris P. Ludovicum Rodericium, Ulyssiponensem, Doctorem Theologum, & Professorem olim in Eborensi Academia, ac Romæ librorum censorem. Rexit Bracharense, ac D. Antonii Collegium. Emicuit in eo ardens charitas erga ægrotos, à quorum latere vix discedebat. Vita & mores virtutem effigiârunt. Ibidem 21. Novembris P. Antonium Monterium, domo Eborensem, singulari ad sacras conciones talento. Acerbissimè cruciabat flagellis corpus suum. Fugit sæcularium familiaritates; at cum Deo illi frequens commercium. P. Franciscum Valentem 23. Novembris. Eboræ docuit Theologiam, Romæ egit librorum Censorem. Typis mandavit Concordiam Juris Canonici, Civilis, & Theologiæ. Volumen aliud ad prælum concinnaverat de rebus Societatis, sed mors edi vetuit. Homo fuit antiquæ sinceritatis, sine doli umbra: exactissimus in obeundis exercitationibus, quæ spiritum nutriunt. P. Ludovicus Rodericius. P. Antonius Monterius. P. Franciscus Valens.

13. In eadem domo 15. Septembris P. Antonium Leitium, Ulyssiponensem, septuagenario majorem. Eum exornavit peculiaris cum in divinis, tum humanis litteris eruditio, & mores sanctissimi. Plerumque de lecto surgebat horis duabus ante solis ortum, ut præmissis orationibus foret expeditus ad pœnitentes audiendos. Fuit intemeratæ Conceptioni, & Virginis sacrosanctæ obsequiis addictissimus. Vulgavit historiam de Virgine Lapensi. Debet Collegium Portuense illius industriæ Gymnasia Latinitatis, quam falsâ existimatione delusi cives nolebant à nostris in urbe sua de suggesto explicari. P. Antonius Leitius.

14. Prodierunt ex Collegio Bracharensi ad excolendos in castris milites P. Franciscus Vellius, & Antonius Alvarus scholasticus. Ambo perniciosâ febri sunt correpti. Prior Antonius morbo tentatus petivit Collegium, quò advenavit tam prostratus malo, ùt brevi perierit, videlicet 20. Octobris, quemadmodum habet Codex defunctorum: quamvis aliis manuscriptis ego deceptus typis dederim contigisse Antonii mortem primâ Novembris. Patriam habuerat Landroalium in regione Transtagana. Octavum & quadragesimum numerabat ætatis annum, cùm reputans, quot animæ periculis laboret militaris vita, conceptæ spei, & rebus casuris valedixit, sumpto meliori sago in nostra Societate. Annis paucis, id est, tribus, queis apud nos vixit, magnos in virtute fecit progressus. Antonius Alvarus.

15. P. Franciscus Vellius mansit in castris pium opus urgendo, donec febri lethali & ipse implicitus redire in Collegium molitur. Sed ingravescente malo coactus est Limæ subsistere in nosocomio Fratrum divi Joannis à DEO; ubi salutari viatico, & unctione paratus, reddidit suo Factori animam 11. Novembris. Natus in oppidulo Palme diœcesis Bracharensis: annos numerabat septem & quinquaginta. Docuit Philosophiam Ulyssipone, egerat Pœnitentiarium nostræ nationis in Lauretana Domo: quod munus jam illic non exercet Lusitanus sacerdos. Plurimus, & indefessus fuit in exercendis nostris ministeriis. Ejus charitas cognita singulariter est in assistendo militibus inter pugnandum vulneratis: aderat intrepidus, audiebat confitentes, nec terrebatur multo circum aures tinnitu globorum. Monentibus, sibi caveret, reposuit, se non pœnitere in officio suo mori. P. Franciscus Vellius.

Annus 1663. Soc. 124.

1.

Non destitêre nostri à procurando reditu ad Maranoniæ regiones. Neque aliud suasit charitas erga neophytos, qui, nostris expulsis, inter ungues, ac luporum dentes tenebantur. Ibant, vel redibant potius, sacerdotes quatuor, & sex coadjutores, cuncti ferè ex eisdem, quos improbitas in exilium compulerat. In Brasiliam cum potestate Visitatoris contendit P. Hiacynthus Redeunt Nostri in Maranoniam. Visitator ad Brasiliam.

thus de Magistris Italus cum P. Ludovico Nogueira Lusitano ejus socio, aliisq; novem diversarum nationum quà sacerdotibus, quà coadjutoribus, & tironibus. Ut Visitator â nostris non sit acceptus, & ùt exutus potestate fuerit remissus in Lusitaniam, dicemus infrà occasione Commissarii profecti ad Brasiliam, castigaturi in re tanti momenti criminosos.

Abrogatur decretum de triennio magistratûs.

2. Ab Alexandro VII. tandem hoc anno post varias mitigationes jam factas abrogatum est Innocentii X. decretum de magistratibus duraturis solùm triennio, quod contradicebat menti nostri S. Fundatoris; & ipsa res ostenderat multa, nec contemnenda pericula, ac incommoda de tali manantia decreto. Id volui referre, quamvis non solùm hanc Provinciam, sed Societatem totam perculserit. Idem Alexander VII. præsenti anno plenariam concessit indulgentiam omnibus, qui factâ confessione, & sumpto pane cœlesti visitaverint nostræ domûs Professæ Ulyssiponensis templum in novendiali S. Francisci Xaverii devotione mense Martio, ibique preces fuderint pro conservatione Ecclesiæ, pace Christianorum Principum, & hæresum extirpatione. Præterea septem annos, totidemque quadragenas, si secundò confessi, & recreati eodem pane templum idem intra novennam visitatum adierint, simili oratione effusâ. Hujusmodi concessio facta propter Sodalitatem ejus Sancti in eo templo, quæ talia Cœli dona exigebat.

Indulgentia plenaria in novenna S. Xaverii.

Sodalitia instituta.

3. In Collegio Michaëlensi S. Ignatii pœnitentis introducta Sodalitas magno quà sacerdotum, quà sæcularium concursu. Brigantii creverunt obsequia erga D. Xaverium, in ejus honorem instituto sodalitio. Molestus fuit Eborensi Collegio præsens annus, cùm Joannes Austriacus potenti exercitu urbem cinxisset, ac cepisset. Juniores nostri, ut levaretur Collegium, missi sunt ad tironum Ulyssiponense domicilium. Non multùm duravit hosti gloria urbis captæ; pulsis enim, fugatisque Castellanis in Amexiali campo, iterum recepta est urbs, etsi valido munita erat præsidio.

Molestia Collegii Eborensis.

Mors P. Ruysii de Mello.

4. Ad septem hoc anno de vita exeuntium nostrorum memoriam delabor. Agmen ducit 13. Februarii P. Ruysius, sive Rodericus de Mello in Domo Professâ Ulyssiponensi defunctus. Helvia illi patria, genitores Illustrissimi. Primos annos transegit Matriti serviendo Principi Margaritæ Austriacæ inter alios honoris ephebos. Ubi per ætatem licuit, migravit in urbem Tingitanam, & in Classibus regiis militavit adversus Mauros annis pluribus. Postea ad Indiam profectus Ceilami insulæ summum egit Præfectum, cum spe administrandi totam rem Lusitanam apud Indos, adeptâ Proregis dignitate.

5. Verùm altiora secum meditans, reversus in Lusitaniam adjecit animum sanctiori militiæ. Trigesimo quarto ætatis anno 3. Februarii anno salutis 1623. nomen dedit Societati Ulyssiponensi. Didicit apud nos Latinas litteras, easque facultates, quibus opus est futuris solenniter professis. Sacris initiatus nostris ministeriis strenuam impendit operam. Biennio præfuit tironibus Conimbricensibus. Sui despicientia, & modestia religiosa in eo eminebat. Pro usu tironum ipse Magister horis antelucanis duas aquæ amphoras apportaverat. Socios recentiores coluit, tanquam essent provectæ ætatis. Corpus castigare solitus multo macerationum genere. Restitit obeundis religiosis magistratibus, nec majores ursêre, ne forent ejus desideriis propriæ abjectionis molesti.

Moritur Antonius Homo.

6. In Ulyssiponensi Collegio D. Antonii 18. Januarii Coadjutor notissimæ virtutis Antonius Homo Fronteirensis, Eboræ Societatem inivit 9. Octobris anno 1599. Sic erat jam deditus virtutibus, ut omnes earum exercitationes illi vel ab ipso ingressu fuerint perquàm suaves. Tam matura in eo mens, & in loquendo de rebus divinis fervor, ut tironum Magister unà cum duobus tironibus eum miserit peregrinatum de more nostro. In oppido Aqua de piscibus dicto tirones voluit hospites habere in palatio suo Domina Ferreirensis, quæ tempori in eo secessu rusticabatur. Altâ jàm nocte receptus domum unus ex incolis, qui habitabat sub tironum cubiculo. Cùm de his nequidquam sciret, latrones esse non dubitans, accensâ lucernâ, & nudato gladio conscendit, pul-

pulsat fores, Antonius occurrens reserat. Ut erat homo furore percitus, non animadverso, quis esset, adigit ensem transverberaturus, ùt putabat, latronem. Subinde videt errorem suum, & tironem illæsum, quod sine miraculo contigisse non credebat, narravítque postea non semel cum ingenti admiratione.

7. Post biennium moderatus est ludum puerorum discentium alphabetum, & simul egit Socium Procuratoris, Gymnasii penso soluto. Si tempus aliquod suppetebat, habitâ facultate, juvabat alios Coadjutores in eorum officinis. Inde socium egit Procuratoris Provinciæ Ulyssipone, & tandem Matriti annis pluribus. Gravante jam ætate provectâ, rediit Ulyssiponem, munúsque obivit Janitoris Collegii. Virtus Antonii ubique fuit spectanda tum nostris, tum externis, quos adire crebrò necessum erat. Nonnulli Ministri Regis, eo domum intrante, sepositis aliis curis, avidè de rebus sanctis loquentem audiebant. Modestia innata quid cœleste videbatur.

8. Aliquando dum orat in sacello Collegii Ulyssiponensis, vidit apertas fores tabernaculi, quo reconditur Eucharistia, ac Dominum JEsum levatâ manu dextrâ benedictionem sibi impertientem. Id prodigii vicinus morti, jubente Rectore, manifestavit coram omnibus sociis in solatium habitatorum Collegii. Non semel dæmones noctu ejus faciem unguibus cruentârunt, & teterrimo fætore repleverunt cubiculum. Multa prædixerat, quæ omnia confirmavit eventus.

9. Conimbricæ 14. Maji Gaspar Cardozus, adjutor rei temporalis. Ter naves conscendit ad ultramarinas missiones, ter relicto cursu regredi coactus est Ulyssiponem, denuo paratus tentare viam, si Majores admisissent. Huic sese obtulit videndum unus è nostris, qui lustrali igne cruciabatur: certum fecit, latere in quodam angulo pecuniæ bonam summam sibi concreditam, ut domino illius ipsam restitueret; injunxit, daret personæ, quam nominavit, ut posset ipse de flammis exire, ubi eam purgabat negligentiam. *Gaspar Cardozus.*

10. In eodem Collegio 4. Junii P. Gonsalus Antunius, Bracharensis. Tradidit scientias Conimbricæ magno plausu. Ejus affabilitas reddiderat omnibus amœnissimum. Vix erat in tanto Collegio, cui non esset à confessionibus. Rarò, & nonnisi ad necessaria egrediebatur cubiculo. Totus erat in evolvendis libris. Non sinebat, præsente se, vellicari aliorum nomen, & famam. Bracharæ 22. Februarii P. Antonius Cabralius Serolici natus. Tradebat Philosophiam anno jam tertio, cùm mors eum sustulit. Erat moribus integertimis. *P. Gonsalus Antunius.* *P. Antonius Cabralius.*

11. In Domo Professa Ulysiponensi P. Ludovicus Brandanus Ulysipone prognatus parentibus æquè nobilibus, ac locupletibus, Eboræ gradu Doctoris insignitus docuit scientias Theologicas. Præter alios magistratus fuit Assistens Romæ. Redditus Lusitaniæ, sibi, ac Deo vacans, plurimùm fugit sæcularium commercia; dicebat, id boni serò à se cognitum. Animus illi generosus. Cogitabat de fundando Collegio Societati ex bonis sororis viduæ: has curas, & effectum mors evertit. Prælo reliquit parata quatuor volumina meditationum plenissima succo, & medullâ, quæ post ejus mortem data sunt in lucem, & magni habentur. *P. Ludovicus Brandanus.*

12. Ibidem Antonius Lopius coadjutor Palmelensis. Erat cæmentarius; idem opificium apud nos exercuit. Ille reficiebat collapsos parietes, ille sarciebat tecta, atque unà cum aliis cæmentariis domi nostræ laborabat. Fugit semper otium inutile. Manuum hisce laboribus addidit accuratum studium de perfectione religiosa. *Antonius Lopius.*

13. Conimbricæ 21. Februarii à Deo evocata est Domina Philippa Paredia nostri Collegii Fundatrix. Sex annis postremis vixit affixa lecto. Assederunt, ut debebant, nostri ægræ, cumprimis P. Didacus Areda junior, cui sua, séque gubernandum tradiderat. Ejus funus concelebratum à nostris apparatu maximo; sepulta est in templo sui, & nostri Collegii. *Moritur Fundatrix Collegii Conimbricensis.*

An-

Annus 1664. Soc. 125.

I.

Moritur P. Goswinus Generalis.

MOrtis imago superiore anno postremùm nobis observata adhuc animo hæret. Romæ 31. Julii octogenario major venerabilis P. Goswinus Nickel Præpositus Generalis ad illud divinum animorum concilium, cœtúmque profectus est. Ab anno 1652. rexit Societatem summâ virtute, & prudentiâ. Ejus industriæ debemus Venetæ ditioni, unde quondam ob causas fatis notas ejecta fuerat, Societatem nostram restitutam. Post ejus mortem cœpit Joannes Paulus Oliva esse, ac dici Præpositus Generalis.

Mors P. Francisci Ariæ.

2. In domicilio tironum Ulysipone 11. Novembris vitâ, & communi spiritu frui desiit vir exquisitæ virtutis Franciscus Arias. Exortus est Amieiræ in Prioratu Cratensi. Venit in religionem nostram Conimbricæ sub finem curriculi Philosophici. Diligens fuit in exercendis Societatis nostræ ministeriis. Sed tandem affectus oculorum cæcitate magnam, aut majorem vitæ partem egit apud tirones Ulysipone. Per id tempus libellos plurimos composuit de rebus asceticis, utens ad scribendum tironum manibus; hósque ad piorum utilitatem dedit in lucem.

3. Quia suspiciebatur ejus virtus Ulyssipone, multus ad eum fiebat Nobilium concursus, ut per confessionem explicarent apud illius aures conscientiam. Fervidas de moribus habuit exhortationes in templo. Sæpe, ut has audirent, veniebant Bartholomæus Quentalius cum suis in schola virtutis discipulis. Hic ille est, qui postea Ulysipone sive instituit, sive introduxit Congregationem Oratorii multo animarum bono.

4. Non erat religiosa virtus, quæ non splenderet in Francisco fulgentissimo lumine. Antelucano tempore duas, trésve horas orationi impendebat, priusquam daret initium, feriebat longâ verberatione corpus suum. Quotidie per homologesim eluit animam, & sacrosancto pane refecit. Ante festum undecim millium Virginum mense integro solitus obire S. P. Ignatii exercitia; eo tempore semel tantùm in die capiebat cibos, hi erant frusta panis bis cocti cum frigida: uvarum, & pomorum abstinens: super nudis tabulis somnum capere compertum est.

Obit P. Franciscus Tavora.

5. In Domo Professa Ulyssiponensi P. Franciscus Tavora Lamecensis, præter alia munera, quæ jussu Majorum exercuit, Assistens fuit Lusitaniæ. Finito Magistratu venit Ulysiponem, ut præesset domui Professorum. Scrupulis adeò fuit exagitatus, ut singulis diebus horâ dimidiâ exponeret Confessario conscientiam. Comis adversus omnes, & multæ charitatis. Cum in factis, tum in verbis ejus multa apparebat virtus.

P. Benedictus Sequeira.

6. Eboræ P. Benedictus Sequeira 20. Junii, natus Arronchii in Portalegrensi diœcesi, diversa rexit Collegia, & tandem creatus Provincialis Transtaganæ Provinciæ. Gratiosum reddebant prudentia, & multa affabilitas erga subditos. Magni factus ab Theodosio, & Joanne Ducibus Brigantinis. Detractionem præsens non tolerabat, dicens, esse humani commercii pestem, & venenum. Secreti suprà, quàm dici potest, observantissimus. Ad sacras conciones peculiare illi talentum, quod otiosum non permisit. Plenus meritis obivit propè octogenarius.

P. Joannes Costa.

7. Mense Augusto Portalegriæ P. Joannes Costa Odemirensis. Romæ Theologiæ studiis impendit operam. Eximio pollebat ingenio, sed magìs religiosâ virtute. Tradebat morales scientias, jam destinatus ad Philosophiam edocendam Eboræ, cùm est oblata piæ mortis causa. Perniciosæ febres dominabantur in urbis Xenodochio, non passus est Joannes suam charitatem otiosam: ivit frequenter miseris auxilio, donec hæsit illi febris mortifera.

8. Co-

8. Conimbricæ 25. Septembris P. Antonius Bandeira. Societati ibidem adjunctus fuerat, cùm absolutis scientiarum studiis numerabatur inter Academicos cathedrarum Candidatos. Spes omnes abjecit, ut Christi contemptum indueret. Ad sacras missiones videbatur factus; lacrymas habuit in potestate. Impulsurus ad peccatorum dolorem auditores, priùs ubertim flebat. Quò vellet, adstantium versabat animos. Sæpe oppressus, quâ multùm laboravit, podagrâ, inter aliorum manus conscendebat sacrum suggestum, & ubi incalescebat, videbatur cessare morbi acrimonia. Exornavit cæteras dotes modestia cunctis spectanda. P. Antonius Bandeira.

9. Ibidem 13. Septembris nonagenario major Petrus Nunius Coadjutor temporalis. Egit annis plurimis laneæ supellectilis Præfectum. Quod suppetebat tempus, sanctis commentationibus dedit, aut piis libris legendis. Rogabat impensè DEum, de hoc proficisci mundo sine morbo diuturno, ne sociis servituris esset molestiæ. Morem petenti gessit misericors DEus. Namque Angelorum recreatus pane in cubiculum se conferens, paulò pòst inventus est mortuus in scabello sedens dormienti similis. Petrus Nunius.

10. Qui aggressi sunt navigationem Indicam, vento reflante, coacti sunt Ulyssiponem repetere. Brasiliam P. Jacobus Rolandus Belga, & P. Matthæus Moura Lusitanus renuerunt. Moura, cùm hæc scribuntur, adhuc inter vivos est: illic egit Provincialem. Missiones transmarinæ.

11. Eboræ fuit in templo nostro erecta Sodalitas S. Francisci Xaverii, in cujus albo sunt scripti præter seculares nobiles plurimi Religiosi diversorum ordinum. Præfectus esse voluit Comes Vimiosi. Ad hos sodales pertinet celebrare novennam Sancti mense Martio ante diem ipsius sacræ apotheosis. Per eos dies concurrit urbs tota ad nostrum templum, ubi vespertino tempore divinum ferculum exponitur. Vincentius Amadus templi maximi Canonicus D. Xaverio addictissimus, nostris diebus reliquit annuos reditus pro alendis cereis magno numero arsuris, quamdiu in throno sacer panis intra novennam proponitur adorandus. Sodalitas, & novenna S. Xaverii Eboræ.

12. In eodem Collegio exornatum est valetudinarii sacellum tum picturis, tum Sanctorum lipsanis eleganter exornatis. Dicatur D. Xaverio. In ejus ara colimus sanctam effigiem divi Josephi, qui in ea loquebatur familiariter cum P. Ludovico Diasio Serpensi, ùt ejus sunt testati Confessarii, & nos suo loco scribemus. Habet sacellum reditum quinque scutorum: ea ipsi singulis annis donanda reliquit P. Emmanuel Luna. Sacellum valetudinarii Eborensis.

13. Ibidem ad tam ampli Collegii solatium venerabilis Eucharistia posita est in sacello Virginis à Conceptione. Id sacellum annuo reditu dotavit emptâ villâ P. Emmanuel Correa domo Angolanus, in Eborensi Academia primarius Theologiæ Professor, postea Provincialis, & Assistens Romæ; ubi vitâ functus. Multas & pretiosissimas inde ad hoc sacellum reliquias miserat, capsis argenteis artificiosè elaboratis inclusas, plurimam vestem sacram, & frontalia, ùt vocant, ex aurea textura facta. Eucharistia in sacello Conceptionis Eboræ.

Annus 1665. Soc. 126.

1.

Mense Martio in unam Provinciam redegit Transtaganam, & Lusitaniam Adm. R. P. Generalis. Regebat Lusitanam P. Ludovicus Lopius; Transtaganam P. Antonius Barradius, quòd hic esset senior, jussus est agere Provincialem, Lopius Rectorem Conimbricensem. Id in tanta mutatione laudandum, quòd summâ pace gravissimum negotium sit transactum: nullæ turbæ, nullæ querelæ, aut partium clamores auditi. Æquis animis paruerunt omnes sanctæ obedientiæ placitis. Duplex Provincia in unam coalescit.

2. Patres Petrus Amaralius, & Antonius Almeida tempore magni jejunii, rogante Capitulo sedis vacantis, Leiriam excolebant. P. Amaralius jam Missio Leiriæ.

anno superiore in eadem urbe per id tempus habuerat sacram missionem magnâ omnium utilitate. Introductæ sunt duæ sodalitates, una pro Virginis Beatissimæ mancipiis; altera in honorem D. Francisci Xaverii. Capitulum P. Amaralio commendârat, effici curaret S. Xaverii simulacrum in templo maximo ponendum. Id peractum multo apparatu & solemnitate post festum paschale. Hactenus illic viget cultus divi Thaumaturgi, fitq; ejus novendiale annis singulis.

3. Invasit omnes ingens ardor Collegium Societati nostræ sua in urbe fundandi. Duæ fœminæ piæ dabant sacellum bene ornatum, ædes amplas sacello contiguas, & hortum arboribus consitum. Verùm pro reditu firmo centum unicè tunc offerebantur scuta, quæ summa par non erat tantæ moli conceptæ. Non multò pòst illæ duæ fœminæ, mater & filia erant, piè, ùt vixerant, obière; filia prior, posterior mater; hæc dicta bona hæredi reliquit eâ conditione, ut condenti Societati Collegium quocunque tempore apud Leiriam illi traderet prædictam hæreditatem.

Profecti ad Indiam. 4. Ingens cohors Sociorum hoc anno ad Orientem solvit. Viginti fuerunt, Lusitani omnes. Ipsis præerat P. Andreas Furtadus, qui venerat ex India cum Ludovico Mendossa Furtado. Ibant naves duæ: Prætoriam à S. Petro de Alcantara dictam conscenderunt nostri. Periculis & laboribus plena fuit ea navigatio. Nec potuerunt tenere Goanum portum. Sustulerunt anchoras Ulyssipone 20. Aprilis. Successu vario navigârunt ad Caput bonæ spei. Quando rursus superaverant æquatorem, numerabant itineris menses octo, adeò alimentis destituti, ut præter aquam, & panem bis coctum alius non esset victus. Ipsa aquæ mensura in singulos dies dabatur singulis exigua.

5. Cùm spes non affulgeret adeundæ Goæ, & alendæ multitudini diebus multis, neque aqua, neque panis sufficeret, Solotoram insulam, quò ventus favebat, direxêre proras. Magnus labor fuit in prehendendo portu, sed tandem jecerunt anchoras. Subdita erat insula Caxensi Regulo, qui habitabat in Arabiæ continenti, & amicitiam cum Lusitanis coluerat.

6. Dum morantur ad comparandum victum, & alia navigationi necessaria, non defuerunt morbi, ex quibus nonnulli suis laboribus & vitæ posuerunt finem, quidam in terra, alii in navi. Horum nomina sunt, Josephus Autunius, Silvester Francus, Franciscus Costa, Emmanuel Matius, & Mathias Andrada, omnes sacerdotes. Mense Februario, re cibariâ commodè curatâ, in altum sunt provecti. Obvia fit illis navis Persarum Lusitanis infensa, quam felicissimè ceperunt. Veniebat onusta mercibus pretiosissimis, hæ sunt æstimatæ millionibus non minùs duobus. Capta fuit & alia navis minor. Hujusmodi prædâ divites, & læti Goanum portum subivêre Aprili sequentis anni.

Profecti ad Brasiliam. 7. Post ejectum è Brasilia Hiacynthum de Magistris Visitatorem, cùm res essent turbatæ, & severitate opus foret ad cohibendam deinceps pessimi exempli audaciam, bis eodem anno diversis mensibus missi ex hac Provincia nonnulli. Martio profectus est P. Franciscus Moratus Algarbiensis, cum Emmanuele Cortesio, & Balthasare Eduardo, scholasticis. Decembri P. Doctor Antamus Gonsalvius cum potestate Commissarii sustinentis vices Præpositi Generalis; illi datus socius P. Emmanuel Zuzartius. P. Gaspar Alvarus ibat futurus Provincialis, cum socio P. Antonio Fonseca, qui postea fuit à confessionibus Regi Alphonso VI. in Sintrensi palatio sub custodia viventi. Commissarius secum vexit Franciscum Sousam tironem scholasticum, & Franciscum, ac Joannem Sylvam sæculares scholasticos ibi cooptandos in Societatem. Quid in Brasilia fungentes suis muneribus egerint, meum non est memorare.

Obit P. Theodosius Honsius. 8. Iter susceperunt æternum; & quidem in Domo Professa Ulyssiponensi P. Theodorus Honsius alienigena, de quo habet defunctorum codex: Magnus, & multæ virtutis religiosus, excipiebat alienigenarum confessiones, exhortationibus incendebat; eleemosynas conquisivit eisdem alendis. Tanta erat ipsius charitas, ut suis manibus in os ægrotantium cibos ingereret, quos curabat in xenodochio ipsis à se parato, ubi moriebantur plurimi perniciosâ corrupti febri,

febri, quæ ipsi adhæsit. Constanti vultu pertulit injurias, quas sæpe adversus eum jactabant Regis ministri, apud quos negotiabatur in miserorum utilitatem.

9. Eboræ 5. Augusti P. Benedictus de Valle Ulyssiponensis. Plurimus erat in nostris ministeriis. Ubicunque vixit, cùm inde remotus erat, multa sui reliquit desideria. Suavitas charum fecit, quâ miseros in angustiis sublevabat. Magnas adversitates toleravit invictâ patientiâ. Duo tirones scholastici Ulyssipone innocentes emiserunt animas, Clemens Nobriga tam pius, ut olim videns sacerdotem ægrotantem, omni humanâ ope destitutum, ipsi tanquam mancipium toto morbi tempore inservierit. Alter Franciscus Lopius filius unicus suorum parentum prædivitum, caduca omnia contempserat, ut se Deo sacraret. Raptus est, ne forsan ætas veniens intellectum mutaret. P. Benedictus de Valle. Duo tirones.

10. In Collegio D. Antonii 18. Junii Ludovicus Sylva tria vota solemniter professus. Erat de primaria nobilitate. *Germanus secundi comitis Villarismajoris Emmanuelis Tellii Sylvæ. Hic frater multæ virtutis erat, ac exempli in Societate, ubi vitam duxit penè septendecim annis. Quòd erat cæcus, pertulit multùm, & multò plura passus est. Decubuit ex perniciosa febre, quâ periit, æternùm quieturus in Cœlo. P. Nonius à Cunea ejus avunculus illi parentavit.* Hactenus Codex defunctorum. Ludovicus Sylva.

Annus 1666. Soc. 127.

1.

EBorense Collegium multùm doluit obitum P. Sebastiani Mendesii. Contigit 8. Martii. Natus Monsarasii diœcesis Eborensis. Studebat Theologiæ. Inerat illi Angelica modestia. Vix fuit, qui ejus oculos intueretur. Quamvis illius parentes divitiis abundarent, ne obolum quidem ab ipsis ad usum flagitavit suum, aut oblatum quidquam accepit. Solitam apud nos orationem, & examina conscientiæ in sacello domestico semper obivit. In verbis nemo consideratior; nullum protulit, quod vel leviter alterum offenderet. Moritur P. Sebastianus Mendesius.

2. Diuturnâ phthisi laborans, nunquam conquestus est aliquid deesse sibi, aut escas minùs suaviter conditas apponi. Charitas, dum valuit, in serviendo ægris, nequit paucis explicari. Docens Ulyssipone jam sacerdos integro anno bis die mundabat ulcera Ludovico Sylvæ, de quo paulò antè, & curata osculabatur, quamvis esset corruptæ materiæ gravis supra modum odor. Addebat huic pietati cætera cubiculi ministeria. Dicitur picta Virginis assumptæ imago, quæ nunc est in altari ad januam communem Eborensis Collegii, Sebastianum allocuta. Tam innocentis vitæ fuit, tantúsque Virginis cliens, ut hæc fama suam mereatur fidem.

3. Idem Collegium die 30. Martii conspexit morientem Joannem Pereiram Coadjutorem, natum annos quinque & septuaginta. Abortum illi patria fuit in diœcesi Brachatensi. Sui gradûs amantissimus plurimùm indulsit piis exercitationibus, & manuum labori. Collegii Subminister partes suas integerrimè complevit. Adeò magni ejus habita virtus, & veritas, ut, quæ affirmaret, nullus auderet inficiari. Postremis annis tantos perpessus dolores, ut ipsi forent instar martyrii. Casu incidit in fossam, quo lapsu vertebræ brachii dextri suis locis emotæ: multùm postea sudatum à chirurgis, ut reponerentur; sed incassùm: nam violentæ curationes reddiderunt brachium prorsus inutile; & Joanni dederunt amplam, ac diuturnam tolerandi materiem. Sic læsus non omisit unquam qualemcunque laborem, cujus consuetudo erat ipsi altera natura. Joannes Pereira.

4. In domo tironum Ulyssipone 8. Martii à vita descivit P. Simon Almeida in sancta ac innocenti senectute. Annis duodecim rexit tirocinium Eborense, & viginti scholas Academiæ studiorum Præfectus. Locupletibus ortus parentibus, cùm esset eorum hæres unicus, fundavit ex ipsis bonis no- P. Simon Almeida.

strum Collegium Portalegrense. Numeratur inter Benefactores domicilii tironum.

P. Antonius Coutus. 5. Loandæ apud Angolanos populares suos, quos plurimùm juvit, cum vita labores finivit 10. Julii P. Antonius Coutus. Vixit annos in Collegio Congensi magnâ cunctorum utilitate: nam Lusitanos ibi negotiantes sacris ministeriis intentus curabat ad sanam frugem redigere. Sacerdotes sæculares instruens officii sui commonuerat. In rebus angustis omnes ad eum, tanquam communem patrem, soliti confugere, ùt talem vulgus, & Magnates venerabantur.

Moritur Regina Aloysia. 6. Non debent Annales nostri prætermittere brevem recordationem de Serenissima Regina Aloysia Gusmania, quæ 27. Februarii interclusâ animâ mortalitatem explevit. Fæmina par suo conjugi Joanni IV. Regi. Fuisse in ea tam celsa indoles, & animus non solùm æqualis vincendis quibusque arduis difficultatibus, sed etiam omni fortunâ superior. Rege defuncto, sic res publica eâ gubernante stetit, ut ne quidem vacillârit: nec visum est Joannem obiisse, sed illius animum invictissimum, & profundam mentem in Aloysiam commigrâsse. Nostram Societatem maximi æstimavit, duósque ex ea delegit confessarios, ùt suprà diximus. Pro anima illius, Societatis nostræ Benefactricis insignis, quatuor missæ sacrificia à quolibet sacerdote de nostris facta, & quisque non sacerdos quater decurrit Virginis coronam.

Profecti ad Indiam. 7. Solverunt ad Indiam naves quatuor cum Prorege Joanne Nunio à Cunea: duas de nostris conscendêre duodeviginti diversarum nationum. Prætoria vexit quatuotdecim; præerat P. Philippus Marinus, nominatus Japoniæ Episcopus: in ea & duo præclarissimi heroës, Josephus Candonius Italus, qui nostris diebus martyrio est illustratus in regno Tunquinensi, & Thomas Pereira Lusitanus Interamnensis, fidei columen apud Sinas. Unus fuit ex iis, per quos obtenta est in tam vasto Imperio libertas prædicandi legem Christi, & illam impunè sequendi. P. Marinus venerat Japonensis Procurator.

8. In alia navi à S. Benedicto nuncupata ferebantur, Hiacynthus de Magistris, Procurator Coccinensis Provinciæ, Josephus Alvarus, Thomas à Cunea, sacerdotes, & Jacomius Ferreira Italus Coadjutor socius P. Hiacynthi. Hic idem est, qui ad Brasiliam Visitator iverat, & jam ex India occasione negotiorum Archiepiscopi Cranganorensis venerat in Europam.

9. Ea navigatio tot, ac tam variis casibus, & erroribus fuit obnoxia, ut longum esset cuncta, quæ acciderunt huic alteri navi, enarrare. Aberant tertio gradu ab æquatore, cùm cœperunt tentari morbis. Accessit, quòd impetu procellæ dejecti sint funes, & mali. Navis tam nuda mansit armamentis, ut è navali sit visa in undas recèns esse missa. Nihil eam juverunt prætoria, & aliæ, quæ in conspectu erant, nec illas turbo tetigerat, sed veniente nocte, relictâ sociâ, ne mora ipsis noceret, passis velis continuârunt iter suum. Potuit tamen antè P. Hiacynthus efficere, ut P. Josephus Alvarus transportaretur ad prætoriam navem; nam ipsi erat indubitatum suam navem vel ad Brasiliam, vel ad Ulyssiponem appellandam.

10. Dum morantur, navem aliquo velamine adornantes Brasiliam petituri, torrentes aquarum in Guineæ viciniam impulêre. In his tam angustis rebus, habitâ consultatione, ne venti, & impetus currentium aquarum eos raperet ad Americam Castellanam, statutum est, vel Hesperidum insulas, vel Lusitaniam petere. Secundâ Junii octavo gradu ab æquatore ad Aquilonem Jacomius Ferreira socius P. Hiacynthi post toleratam ægritudinem piissimè obivit. Præcellebat multis virtutibus: tria, quatuórve officia peregit in Collegiis Venetæ suæ Provinciæ. Ajebat Coadjutores salvari laborando, ùt scholasticos nostros studendo. Omnium animos illi devinxerunt virtus, & affabilitas.

Moritur Jacomius Ferreira.

Antonius à Cunea. 11. Aliud vulnus 5. Junii cor læsit Hiacynthi, mors Antonii à Cunea, qui cum Hiacyntho terrestri itinere ex India Romam venerat. Callebat artem typographicam, cujus secum Hiacynthus ferebat characteres Indicarum litterarum.

rum. Res erat ad fidem propagandam multi momenti. Ideo supra modum Pater ejus mortem doluit, quanquam vidit optimè paratum de vivis abire.

12. Ventis quiescentibus, censuit Gubernator applicandam magis navem ad oram Guineæ, ut ab illis excitatis tonitruum tempestatibus in ea regione frequentibus juvaretur. Nonâ Junii conspectâ continenti, navigabant ab ea distantes non plus sex leucis, tentante plumbo maris altitudinem. Noctis undecimâ comperiunt quinque tantùm ulnis abesse fundum. Inter turbationem inexplicabilem jaciunt anchoras, lucente sole vident esse navim in mari vadoso, hinc inde circumstantibus scopulis, mirantúrque, quonam modo in id loci navis pervenerit absque naufragio.

13. Communis stupor omnium insedit mentes. Nihil occurrebat, torpuit consilium. Mors solùm obversatur ante oculos; non dubitant spem omnem exeundi perditam. Infinitæ sunt jactæ in Cœlum preces, plurima vota emissa ad conciliandam DEI misericordis, & Sanctorum opem. Magnis vocibus postulabant peccatorum veniam, & absolutionem. Condonabantur injuriæ. Porrò unusquisque expectat navem solvi, ut vel arreptâ tabulâ, vel quidquid obvium haberet, exitum inveniret ad oram continentis. Hæc inter æstu decrescente jam clavus, & navis carina vastum, & planum in fundo lapidem tangebant. Incredibilis erat strepitus & fragor totius navis, cùm subsidente mari ferirebatur lapis.

14. Hiacynthus, desperatis rebus, conclave adit, ubi jacebat ægrotus P. Thomas à Cunea, providit, quæ in quemcunque casum opus erant. Postca suspensis è collo Crucifixi simulacris ambo egrediuntur ad navis foros: ibi cæteros consolando morituri. Obligârunt se votis plurimis, si sospites evaderent tantum periculum. Interim non cessabant impactiones, & impetus carinæ ad lapidem, continuârunt à secunda post meridiem hora ad octavam noctis.

15. Magister navis sub obtentu explorandi locum commodum jaciendæ anchoræ, scapham in mare missam conscendens, ex oculis abiit, terrámque quæsivit. Cùm suspicarentur milites gubernatorem meditari fugam, nudatis ensibus obstitêre. Post immensos horrores, & mortis mille facies metuendas, animadversus canalis inter saxa, ubi erant altiores undæ; eò navis paulatim compulsa, juvante æstu crescente, natare cœpit. Id insperati favoris tributum est animabus igne lustrali detentis, quarum opem, promisso magno missarum numero, imploraverant.

16. Post aliquot dies, ac noctes inter assidua mortis pericula, tandem navis egressa est arctissimas angustias. Per id tempus P. Thomas à Cunea cùm à longo duorum mensium morbo aliquantùm respirâsset, & inciperet convalescere, recidit in eundem morbum, quo in dies ingravescente 11. Julii decessit. Erant illius mores religiosissimi. Amissis tam charis sociis mæror ingens, tristísque recordatio P. Hiacynthum ita afflixit, ut vel omnem cibum fastidiret. Augusti tertiâ sunt ingressi portum insulæ D. Jacobi. Moritur P. Thomas à Cunea.

17. Novem & triginta dies illic morabantur. Cœlum est admodum insalubre. Mortuus est navis Præfectus. Grassantibus morbis, vix fuit, qui non ægrotaret. Eorum remedium fuit charitas P. Hiacynthi. Plenâ infirmis nave, liquerunt infelicem regionem. Octobris 28. conspexêre Berlengas insulas; deinde aggressus est noctu gubernator navis jacere anchoras in sinu Cascaliensi, manè subiturus portum Ulyssiponensem. Cùm densissimæ tenebræ mari incubuissent, & navis procederet, nisi DEus miseros protexisset, citra dubium impacta esset ad saxa arcis divi Juliani in ostio Tagi. Clamatum est à vigilibus, ut quàmprimùm ab statione tali navem arcerent; aliter perituros. Non secus faciunt, incerti, quò ferantur; sed paulò pòst animadverterunt se, ostio superato, intra portum esse. Hoc postremo favore patuit omnibus, quàm Deo curæ essent.

18. Eboræ turbatum est in Collegio Purificationis. Author præcipuus quidam Collega Petrus Vasæus Bellus, quem, cùm noctu armatus extra Collegium Turbæ in Collegio Purificationis.

gium deprehensus fuisset à Custodibus, foverétque commercia minùs honesta, de Collegio Rector expulit cum tribus aliis ejusdem furfuris. Bellus iniquam vim causans recurrit ad Judicem foraneum, restituique petit Collegio. Homo parùm doctus, vel nimiùm præceps, ad cujus forum non pertinebat litigium merè Ecclesiasticum, armatâ manu cum suis satellitibus Bellum reposuit in Collegio. Rector jussit inde rapi per apparitorem Universitatis in carcerem Academicum. In itinere habens obviam cohortem Gallorum militum, invocat ejus auxilium. Miles illum sine mora eripiens manibus apparitoris, reducit denuo ad Collegium. Unde egressus & Eboræ, & Ulyssipone tot vulgavit adversus Societatem mendacia, tot lites movit, ut aliquot annos nobis facesseret molestum negotium, donec Judicum legitimorum postremâ sententiâ importunissima illius temeritas est omnino dissiata.

Solvitur Residentia Alpedrinensis. 19. Per summam injuriam, & vexationibus incredibilibus motis adversus Residentiam Alpedrinensem à Canonicis Guardiensibus, & Prætore Castelbranci, depelluntur nostri ex illa statione, quam tenuerunt annis decem multo oppidi favore, & utilitate.

Annus 1667. Soc. 128.

1.

Princeps Petrus incipit administrationem Regni. PRinceps Petrus frater germanus Alphonsi Regis die 27. Novembris cœpit administrare rem publicam: Magnates enim Regni, cùm viderent Alphonsi mentem ad munus inhabilem, exuerunt sceptro, ac relegârunt ad Castellum Angrense, ut haberetur in latiori custodia; quanquam postea securius visum palatium Sintrense, quò translatus fuit, ubi & vixit, & obiit, ùt suo loco dicetur. Hujusmodi reipublicæ mutationem necessum duco memorare, quòd multis afferat claritatem.

P. Emmanuel Fernandius Principis Confessarius. 2. Auspicatus administrationem regni Petrus, non Regis, sed Principis Regentis nomine, sibi voluit à confessionibus nostrum Emmanuelem Fernandium id temporis Præpositum domûs Professæ. De cujus Apostolico spiritu tum in peste Algarbiensi, tum in sacris missionibus apud Insulanos Asforum suis locis narratum est. Plurimis videbatur, nisi attigisset munus Confessarii, inter illustrissimos Societatis in virtute heroas eminentem locum occupaturus. Non quòd ille minùs religiosè aliquid scienter commiserit; sed quòd negotia publica, quibus ex voluntate Principis deesse non potuit, antiquum vitæ tenorem ex parte visa sunt hebetare.

Eligitur Confessarius, sive Deputatus trium statuum ordinis, quid in re acciderit. 3. Unum fuit, quod magnam labem aspersit bono nomini P. Emmanuelis; quod nisi postea purgatum, procul dubio æternam apud nos infamiam sibi inussisset. Ut suum Confessarium Princeps honoribus augeret, eum constituit Deputatum, ùt vocant, trium regni ordinum, sive statuum. Unà cum Marchione Fronteirensi adivit possessionem dicti muneris. In eo concilio tractantur res summi momenti, & à nostro Instituto alienissimæ. Tantæ prætereà munus est authoritatis, ut nonnisi regni Optimatibus demandetur. Idcirco nostris dubium non erat, eum honorem dignitatem esse præclaram, voto, quod de non acceptandis dignitatibus emittunt nostri Professi, maximè contrariam.

4. Nihil Societati magìs cordi est, quam hujusmodi voti integritas, omniq; conatu à se dignitates sæculares arcet, quas scit non aucturas, sed eversuras Societatem. Vix explicari potest, quanta in Professis facta fuerit turbatio. Acerbissimæ litteræ à gravioribus datæ ad Provincialem absentem, ad Generalem Præpositum, ut tanto vulneri pro injuncto sibi munere adferrent medellam. Et si suavia, quæ prudentia dictabat priùs tentanda, nihil proficerent remedia, applicarentur urentia, quocunque rès caderent.

5. Epistolam Patris nostri Olivæ plenam remediis & consiliis referre operæ pretium duxi, ut si, quod avertat DEus, simile ulcus eruperit, in promptu

pœ sit antidotum. Ad verbum hæc est scripta ad P. Provincialem Antonium Barradium. *Aberat Ulyssipone Reverentia Vestra, cùm recens erupit exemplum, inducto ad assistendum consiliis trium Regni ordinum, sive statuum unà cum aliis Optimatibus Patre Præposito Emmanuele Fernandes. Id præterquàm quòd exemplis in Regia Cæsarea, Gallica, Polonica, hodièque vigentibus adversatur, & repugnat tertio voto simplici Professorum nobis indispensabili, præsertim post declarationem ab Urbano VIII. editam in forma Brevis dati 16. Martii, quod incipit,* Vota quæ Deo &c. *& prætereà Constitutionibus nostris, decretòque 79. Congregationis V. Generalis, monitisque generalibus, ac regulæ quartæ Confessariis Principum præscriptæ, sese ad illa omnia referenti. Cùm minimè potuerit hujusmodi successus tacitâ istbic dissimulatione præteriri, expecto jam sollicitâ impatientiâ litteras, quæ strenuè assertam referant à R.V. nostrarum vim sanctionum, planèque detersam labem ex ipsis rei gestæ initiis inustam nomini Societatis. Urget enim ea cura Superiores, & graviter conscientiam onerat, ut nullâ interpositâ morâ, nullâ excusatione admissâ, efficaciter avertamus ab eo cœtu adeundo P. Emmanuelem Fernandes, nec patiamur ejusmodi negotiis implicari. In hunc nos utique scopum, & Serenissimi Principis patrocinium, & Confessarii ejusdem operam, & zelum Rᵃ Vᵉ & plurium istbic Patrum pia studia solicitamus. Si missionem ab officio minimè congruo concedat eidem Patri supplicanti Regia Celsitudo, luculentas ad eam actiones gratiarum obsequentissimè deferat Rᵃ Vᵃ cum suo, tum nostro nomine, totiùsque Societatis. Si (quod nullatenus est credibile) renuat id ipsum postulare Confessarius; vel (quod nec admodùm credibile videtur) postulanti concedere noluerit Princeps, renovandum ferè in Lusitania erit à Rᵃ Vᵃ quod hic apud memoratum Pontificem Urbanum VIII. magna cum laude præstitit piæ mem. P. Mutius Generalis. Hic ut suæ Sanctitatis mentem abduceret ab infulis Episcopalibus P. Ferdinando Salazario imponendis, unà cum universo Professorum Romæ habitantium numero ad Sanctissimi pedes procubuit, nostræque humilitatis, & observantiæ custodiam supplicibus votis, & lacrymis impetravit. Sic Rᵃ Vᵃ cum tribus Rectoribus, nempe Collegii S. Antonii, Seminarii Hybernorum, & Domûs Probationis, cum quatuor Consultoribus Provinciæ, P. Antonio Vieira, undecunque accitum adesse statim jubebat, nec deesse patiatur, Pantaleone Carvallio, Andrea Vaz, & Georgio à Costa, furra numerum jam designatum, clmque totidem Procuratoribus Provinciarum, Lusitaniæ P. Joanne de Almeida, Japonicæ P. Petro Zuzartè, Goanæ atque Sinensis P. Adriano Petro, & Brasiliæ P. Francisco de Mattos, accedet ad regium solium, cujus in umbra se penè genitam, adultam certè, & feliciter auctam usque ad gemini orbis confinia crevisse Societas gloriatur. Revocabit Serenissimo in memoriam majora omni commemoratione beneficia, quæ cùm ipsi debemus, tum regiis Majoribus: per quæ omnia attestabitur, ut, quando nos tot prærogativis Familia regalis exornavit, hanc maximè præ aliis optabilem dotem, quæ in fuga dignitatum, publicorûmque negotiorum, atque in Instituti integritate consistit, esse nobis perpetuam sinat. Exponet insuper memorata Societatis jura, & decreta simul cum censuris, & pœnis, à quibus fortè posse hactenus excusari significavit P. Præpositum, qui aliorum ductus opinionibus in errorem trahi se passus est, aliènoque ductu peccavit magis, quàm suo: futurum verò deinceps inexcusabilem in DEI, hominùmque conspectu, si pergat Concilio interesse, postquàm à legitimo Instituti interprete dedoctus errorem est, hausitque veritatem. Hæc eadem ex me quoq; repræsentabit priùs Rᵃ Vᵃ Patri Emmanueli Fernandes, si (quod speramus) hic auscultaverit, resignandòque statim officio acquieverit, non retardatâ executione resignans; magna ex parte compensari censebimus admissum anteà errorem, cæterisque opportunè sanandis non deerit noster affectus. At si (quod DEUS avertat) salubria monita ille non audiat, sed iterum frequentet cum Deputatis illud Concilium, similibùsque se curis immisceat, ad Rᵃᵐ Vᵃᵐ pertinet eum declarare violatorem voti, & præceptorum, ligatum censuris, amotum præfecturâ Domûs Professæ, & consultatione Provinciæ, activæque, & passivæ vocis expertem. Omnia nihilominùs, &* prius-

priusquàm adeant Principem, & postquam eum adierint, diriget, disponétque R. V. simul cum PP. Rectoribus, & Consultoribus, & Provinciarum Procuratoribus anteà enumeratis: quos ad consultationem in singulis, quæ ad rem præsentem attinent, coget impositâ illis in virtute S. obedientiæ inviolabili lege secreti, singulósque jubebit, quidquid in eadem causa occurret, ad me scribere litteris separatis. Si demum casu aliquo, quem cogitare vix possumus, Ulyssipone aberit Ra. Va. quo tempore advenient præsentes litteræ, ad tollendas moras aperiendæ tradentur Patri Antonio Vieiræ, qui numeratos inter Consultores Provinciæ antiquitate professionis, & peritiâ nostrorum hic sensuum, atque rituum antecedit, ac loco Ræ. Væ curanda, suaviter quidem, sed fortiter, assumet hæc omnia, quæ his litteris continentur. Dominus autem det vobis cor omnibus ita in suo sancto nomine congregatis, ad implendam perfectè ipsius voluntatem, ac præsertim suppeditet sermonem rectum in os vestrum, ut placeant verba vestra in conspectu Principis, maximéque placeant DEO, quem pro me pariter exoret. Romæ 8. Januarii 1678. Servus in Christo Joannes Paulus Oliva. Ra. Va. has litteras curet legendas in plena Consultatione (ut suprà jussimus) congreganda, in qua pariter ex meo uberrimo, atque amantissimo sensu collaudabit prudentem pietatem, & providum zelum plurium Patrum, qui ex ista urbe statim ad me super deplorabili eventu scripsêre characteribus planè inflammatis, undique spirantibus humilitatis affectum, ac fervidum amorem Instituti, & certè videntur exarsisse velut ignis in spinis. Hactenus ad verbum nostri Præpositi Generalis epistola, quæ, Provinciali absente, mittebatur Patri Antonio Vieiræ.

6. P. Emmanuel Fernandes planè reipsâ ostendit se ignoranter fecisse, non putando, quantum vulnus nostræ humilitati infligeret. Negotio magis considerato, & perspectâ sanctâ omnium indignatione, & in re tam periculosâ fratrum suorum consternatione, non ampliùs adivit senatum trium ordinum. Quid ad Generalem scripserit, ex responsione facilè intelligitur. P. N. Oliva ad moderatorem Provinciæ sic habet: *Dolerem verò summopere, si post accuratum rerum gestarum examen haud possem Ræ. Væ operam cumulare illis laudibus, quas jam promeretur virtus P. Emmanuelis Fernandes, & prompta obedientia in resignando statim splendido munere, ac trium ordinum senatu nunquam deinceps adeundo: additis intereà memorabilis exempli vocibus, quibus testabatur à se vel infimam inter nos coqui conditionem externis quibuscunque dignitatibus præhaberi. Quæ autem paternæ letitiæ sensu, ac majore in futurum fiduciâ fuerint isthæc accepta, nequaquam dissimulet Ra. Va. cujus me sanctis sacrificiis enixè commendo. Romæ 16. Aprilis 1678. Servus in Christo Joannes Paulus Oliva.* Quamvis hujusmodi turbatio contigerit 8. Novembris anni 1677, quà P. Confessarius adivit prædicti muneris possessionem, huc volui inserere, quòd sim locutus de primo ejus in Regiam ingressu.

Moritur P. Joannes Costa. 7. Eboræ subitus mortis incursus sustulit P. Joannem Costam Eborensem quinquagenario majorem. Ibidem docuit humaniora, Philosophiam, & scientias morales. Rexit Portalegrense Collegium, & fuit Socius Provincialis. Mores fuêre, quales in suis vult Societas. Ibidem erectum Sodalitium S. Ignatii pœnitentis magno cum Academicorum, tum aliorum sæcularium concursu: hi cæteris prælucebant Christianis moribus, & quantum posset sanctissimum Institutum, ostendebat Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentia. (Sodalitas S. Ignatii.)

Profecti ad Indiam. 8. P. Hiacynthus de Magistris, ubi est appulsus Ulyssipone, nihil deterritus tot, tàmque importunis laboribus, se ad redeundum comparavit. Eadem navis à S. Benedicto vocata eum, & alios erat vectura. Quamvis, ùt suprà dictum est, toties percusserat carina fundi lapidem, non labem fecit. Aprilis 27. cum sex aliis, quorum alter Italus, alter Belga, cæteri Lusitani, P. Hiacynthus iterum solvit Ulyssipone. Non reperi eventum hujus itineris.

Profecti ad Brasiliam. 9. In Brasiliam redivit P. Dominicus Barbosa, qui venerat Romam Procurator. Secum duxit Emmanuelem Figueiredum, & Emmanuelem Rodericium tirones scholasticos. Per hos annos suo tempore semper aliqui mittebantur in Angolam; sed cùm exciderit eorum nomina in cathalogis conscribere, (In Angolam.)

mihi

mihi in promptu non sunt. Neque curanda hujusmodi negligentia, cùm illò contendant regressuri.

10. Per Quadragesimam Pinelii missionem obivit P. Franciscus à Cruce, qui postea fuit à confessionibus Principi Joanni. Socium habebat P. Jacomium Carvalium. Præter alia, extinctæ fuerunt inveterata, quæ firmaverat abominatio vix ullis explicanda verbis. Duæ factiones invicem modis omnibus, quibus poterant, se lacerabant. Ut suam factionem unus presbyter redderet firmiorem, vocavit in sacellum extra oppidum suos; ibi facto sacro, antequam divinam glutiret hostiam, cum ea in manibus ad illos versus, ùt erant edocti, quisque execrabile per sacrosanctam hostiam pronuntiavit jusjurandum; cujus horridum erat carmen, se nunquam veniam daturum suæ factionis inimicis, nec condonaturum injurias; si secus faciat, velle inuri cunctis infamiæ notis. Id quod juraverant, subscripsêre in charta manu suâ. Tanta omnes insania ceperat. Missio Pinelii.

11. Duo de nobilioribus erant factionum capita: hi ubi nôrunt Patres oppidum subiisse, ut vitarent eorum congressum, recesserunt, non reversuri, nisi finitâ Quadragesimâ. Non latebat hoc DEI servos, ideò, tanquam si nulla forent odia, incubuêre cæteris ministeriis. Imminente paschâ, domum ambo se recipiunt. Id unicè expectabant Patres. Sine mora armatos fortissimos sunt aggressi; quoties oppugnaverint, quoties repulsi sint, quoties desperaverint, paucis nequit exponi. Demum sudantibus athletis DEus affuit; nam molliti saluberrimis consiliis, dederunt manus. His expugnatis, minor cum cæteris labor fuit; è duobus enim pendebat utriusque factionis inclinatio. Diebus post pascha in templo conjuncti, præmissâ concione, omni populo in gaudii lacrymas effuso, mutuis amplexibus colligavêre animos.

12. Goesium per idem tempus contendit P. Ludovicus Barretus, & Alphonsus Sylveira; & in Montem majorem novum P. Ignatius Mascarenius filius Comitis de S. Cruce, & Josephus Eduardus nondum sacerdos. Ubique navata diligens opera nostris ministeriis. Mascarenius induxit consuetudinem commendandi enixè DEO laborantes vitæ postremo agone; cujus etiam author fuit Ulysipone instituto sodalitio B. Virginis à bona morte ad succurrendum morientibus. Aliæ missiones.

Annus 1668. Soc. 129.

I.

ANnis non minùs, quàm octo supra viginti, Castellani bellum inferendo, Lusitani arcendo se contriverant; tandem longo bello quæsita pax utrique affulsit nationi. Ad Brasiliam, ibi Societati adjungendi, sunt missi tres scholastici, Antonius Rodericius, Mendus Paciecus, & Raphaël Salgadus. In Indiam solvit navis à divo Gonsalo dicta; eam de nostris sex conscenderunt. P. Sebastianus Almeida, qui à Goana Provincia Romam Procurator legatus, eòdem revertebatur nominatus Episcopus Japonensis. Ex sociis erant tres sacerdotes Itali, unus Lusitanus, alius novitius Lusitanus non sacerdos. Aprilis 22. navis portum egressa est. Plurimi nautæ erant Angli & Hollandi: decem ex his convicti à nostris Romana sacra amplectuntur. Finis belli. Profecti ad Brasiliam. ad Indiam.

2. Parùm fausta contigit navigatio, ùt ferme sunt, cùm naves sub finem Aprilis Ulyssipone solvunt. 9. Septembris jecerunt anchoras in portu Mossambiquii, 12. ejusdem mensis in altum progressi. Vento & mari adversis, cùm & morbi grassarentur, essétque aquæ penuria, & impetus currentium aquarum, atque alia multa navem retardarent, 6. Octobris habita supplicatio, in qua pueri ab umbilico sursum procedebant nudi, fune nodoso corpuscula cingente, trahebant nudatis humeris vel ligneas cruces, vel truncos. Id P. Sebastianus peragendum curavit exemplo Ven. Marcelli Mastrilli, qui similem supplicatio-

nem, cui & puer aderat Sebastianus, instituit ad solicitandum S. Xaverii patrocinium. Tandem 30. Martii intrârunt Goensem portum.

Moritur P. Michael Tinocus. 3. Eboræ 11. Decembris extremum vitæ diem confecit P. Doctor Michaël Tinocus Elvensis. Tradidit scientias in Academia Eborensi, & ibi moderatus est primariam cathedram Theologiæ. Post alias ordinis præfecturas, Vice-Provincialem egit Lusitanæ Provinciæ, & Provincialem Transtaganæ. Charitas adversus subditos quamlibet paternam superavit. Nihil magis exosus, quàm discordias, & animos mutuo amore non devinctos. Ajebat, se neminem expulisse de Societate, & gubernâsse Theologicè. Id notum fecit ingens studium omnes reducendi ad bonam frugem, & in Societate conservandi.

Stephanus Pinerius. 4. Ibidem duo Coadjutores vitâ recesserunt. Stephanus Pinerius 11. Novembris, natus Baleisami in agro Bejensi, octogenario major. Conimbricæ, & Eboræ Pharmacopæum egit in nostris Collegiis. Janitor ostii secundi, pauperum illò ad accipiendam eleemosynam confluentium multâ charitate medebatur fami, & egestati. Integris nitebat moribus. Laboris amor, humilitas, ac in res divinas propensio illi familiares erant. Alter Emmanuel Sylva Averiensis: amans silentii, & cum suo DEO per orationem commercii. Plurimis annis vestimentorum Præfectus nunquam induit rem novam.

Emmanuel Sylva.

P. Emmanuel Magalanius. 5. Postremus demigravit Conimbricæ 19. Aprilis P. Emmanuel Magalanius Pedrogami ortus. Doctissimus scientiæ moralis, unus fuit è primis, qui illam Conimbricæ tradidit in Gymnasio ad duas lectiones dotato in nostris scholis ab Episcopo Conimbricensi. Liberalis adversus miseros, & egenos; sublevandis iis conquirebat eleemosynas, quas abundè suggesserunt Decanus templi maximi, & Canonicus, uterque Emmanuelis frater. Rector Collegii Bracharensis indulsit eidem piæ largitioni, cui tributus est major solito proventus fructuum ex prædiis collectus. Sic fœnus maximum est, dare, ut accipias.

Annus 1669. Soc. 130.

1.

Obit P. Gaspar Moreira. QUinque vitâ functi anno hoc recensentur. Eboræ 3. Julii P. Gaspar Moreira Lacobrigensis. Singulare ad scientias ingenium valetudo affecta retardabat. Enixè virtutibus studuit, exactâ vivendi regulâ à primis in religione annis ad postremos conservatâ. Cùm alius sacerdos integrâ sanitate se excusâsset à navigatione ad insulam Maderam, penè erubuit Provincialis hanc spartam demandare Gaspari; quod cùm illi suboluisset, Mi Pater, inquit, ecce ego, mitte me, quamvis sim tenuis viribus, infirmo corpori dabit DEus animum robustum.

2. Illic pluribus annis explicavit quæstiones de conscientia, consulebatur in rebus gravissimis. Non ille contentus penso suæ cathedræ, cùm vacabat, solitus peregrinari per insulam obeundo sacras missiones. In quodam templo ad tribunal audientis confessiones vidit ejus socius porcum rostro humum excavantem, quin Gaspar adverteret: reversus in hospitium socius interrogat, cur non abegisset illud animal? Admirans respondit se non vidisse, nec sensisse. Cæterùm rem altiori consilio reputans censuit diutiùs ibidem morandum ratus dæmonem sub spurca figura, nihil aliud conatum, quàm ut ipsos inde ocyùs averteret. Itaque cùm jam ad iter se accinxisset, mutato consilio redit ad conciones. Insolitus animorum motus ad salubrem pœnitentiam concurrentium notum fecit mentem Gaspari divinitus injectam.

3. Restitutus Lusitaniæ post alias occupationes præficitur Rector Collegio Conimbricensi; subditis anteibat, tanquam fax, in observantia religiosæ disciplinæ. Non permisit à janua abire pauperem sine stipe. Magna inde fluxerunt bona Collegio. Aliquando deficiente pecuniâ ad res emendas necessariâ, accessit ad ostium vir ignotus, tantùmque æris tradidit, quanto tunc opus erat. Postremis annis cùm Eboræ degeret magno Collegii solatio; virtutem non ferens

rens lividus dæmon, noctu faciem Gasparis unguibus signavit, ac in jacentis lectum profudit aquæ lagenam. Plura virtutum exempla typis vulgavi.

4. Ulyssipone in D. Antonii Collegio 17. Julii P. Martinus Leitamus Rector. Puritatem conscientiæ totius vitæ decursu præprimis curæ habuit. Quamlibet culpam levem tanquam enorme flagitium horrebat. Monitus adesse mortem nihil turbatus, sed vocato Confessario paucis exposuit conscientiam, & reliqua animæ præsidia suscepit. Ibidem P. Cosmas Coelius adjutor rei spiritualis. Viginti annos egerat Procuratorem Provinciæ. Ne deficeret exercitiis juvantibus animam, surgebat horis duabus ante reliquos. Nemo detrahentem audivit. In commercio propter negotia cum sæcularibus maturus, prudens, & modestus. P. Martinus Leitamus. P. Cosmas Coelius.

5. In Domo Professa Ulysiponensi 24. Novembris P. Ignatius Mascarenius, ortus monte majore novo ex Illustrissima familia, quæ Societatem perduxit in Lusitaniam. Docuit Eboræ Philosophiam, conscientiæ quæstiones in scholis Ulyssiponensibus. Erexit in Collegio D. Antonii Sodalitatem B. Virginis à bona morte, quam postea transtulit ad templum Domûs Professæ, ejusque, dum vixerat, procurationem suscepit, & incrementa. Hodie illic multùm floret. Dum regeret Collegium D. Antonii, festis diebus cum Latinitatis magistros, tum nonnullos sacerdotes mittebat per urbem, aut in vicinos pagos elementa fidei plebem edocturos. Præpositi Domûs Professæ munus obibat, cùm illum mors intercepit. P. Ignatius Mascarenius.

6. Conimbricæ 15. Aprilis Antonius Cardosus Coadjutor notissimæ virtutis. Liber ab omni labore propter longam senectutem, totus erat in visitando Eucharistico Numine, audiendis missæ sacrificiis, fundendisque precibus. Sciens aliquem de nostris obiturum actum litterarium, pro felice successu assiduas per id tempus DEO precationes offerebat. Præscivit diem suæ mortis, idcirco ad eam diligentiùs se comparaverat, excepitque læto vultu. Antonius Cardosus.

7. A. R. P. Oliva Eborensi Collegio restituit tirocinium, quod illic cessaverat tempore divisæ Provinciæ, cùm enim in Transtagana esset Ulyssipone Probationis domus separata, judicatum est, aliam Eborensi adjunctam Collegio necessariam non esse. Auditis tamen rationibus momenti non parvi, quas referre non vacat, redactâ in antiquum statum Provinciâ, æquum apparuit, ubi antè fuerat, rursus aperiri educandis tironibus domicilium. Provinciam tum regebat Antamus Gonsalvius. Restituitur Novitiatus Eborensi Collegio.

8. Ad Brasiliam profectus est P. Emmanuel Pina, qui superiore anno valetudinis causâ manserat in Lusitania; secum vexit Gasparem Barrium scholasticum in Brasilia Societati conjungendum. Per Orichiensem agrum excurrêre PP. Augustinus Laurentius, & Emmanuel Moura populos instruendo, & audiendo confessiones. Bejæ præsertim, ubi substitêre diutiùs, multa fuit è piis laboribus utilitas: firmati amicitiâ discordes, adjuti vinculis addicti, & alia tam multa in bonum proximi sunt facta, ut exarserint omnes summis desideriis habendi intra muros urbis suæ Collegium Societatis. Ulysipone in templo nostri Collegii Sodalitas B. V. à succurrendo introducta, tantâ omnium acceptatione, ut brevi supra octoginta capitum millia ejus album recenseret. Profecti ad Brasiliam. Missiones. Sodalitas B. V. à succurrendo.

9. Collegium Farense damnum subivit. Vespere 21. Novembris recitatis de more Litaniis, cùm cerei in altari positi per oblivionem non extinguerentur, cereus fortè è candelabro in aram lapsus flammam admovet ejus materiæ, quæ constabat lignis aridis, & alendo igni aptissimis. Post quartam horæ partem accurrit aliquis ignis ardore & fumo pene præfocatus. Arsêre tabernaculum, & pyxis sacra cum Eucharistia, Divorum plurima simulacra, & altarium ornamenta. Impensè doluit Civitas, quæ nos summâ benevolentiâ complectitur, nostram jacturam, & sacellum, quod templi locò erat usui nobis, & populo, in cineres redactum. Nec defuit civium pietas in subsidiis conferendis ad compensanda incendii detrimenta. Scholasticum B. Virginis sodalitium Incenditur ædes sacra Collegii Farensis.

præter effigiem flammis combustam amisit smaragdum magni pretii inclusum in Virginis corona.

Labor Patrum Collegii Maderensis.

10. Funchalensi, seu Maderensi Collegio non parùm molestiæ attulit præsens annus. Summus insulæ Præfectus erat Franciscus Mascarenius, Societatis amantissimus, & æqui, ac justi eximius cultor. Cùm videret à primoribus non solvi debita, & laborum mercedem miserabili plebi, Christiano ductus consilio querentibus apud se sua è crumena solvebat, & ipse colligebat ex primoribus, nec iis erat liberum solutionem effugere. Perculit insuetus mos eos præsertim, qui sic infimis illudebant, quærebántque obtentum vindictæ.

11. Casu autem contigit res, quæ cupientibus visa est causa sufficiens audendi quidlibet adversus Mascarenium. Vicarius Generalis est amotus ab officio suo, ac pulsus in exilium: id ægerrimè tulerunt cives: Præfectis vis juverat executionem. Hinc itaque visum vindictæ occasionem sumi. Igitur factâ conspiratione, Præfectum nihil tale opinantem, in deambulatione aggrediuntur armati; affectum injuriis, & conviciis in horridum detrudunt carcerem, ac paulò pòst in munitissimo includunt fortalitio. Ibi sustinuit plurima vir piissimus, & nobilissimus, donec misero impositus est navigio, & maris, & piratarum periculis obnoxio. DEUS verò, qui suis invigilat, sospitem perduxit Ulyssiponem.

12. Ad purgandum tam insolens factum non puduit eos homines conari, ut nostri subscriberent tabulas publicâ fide exaratas ad sceleris excusationem mittendas Regi. Vocatus Vincentius Pereira Collegii Rector, ut suo nomine firmaret scripturam, cùm introîsset senatum, hànc audivit vocem: Transfigatur gladio hic proditor. Suadentibus modestè reposuit, sui Instituti regulam esse, quâ prohibetur se miscere nostros litigiis, ac contentionibus inter Dominos, ac Principes Christianos. Vestræ Amplitudines, adjecit, sunt Domini, ac Christiani Principes, & tantæ insulæ nobilissimi, proinde nolint Societatem deesse legum suarum observantiæ, se, & suos mori paratos potiùs, quàm violare suas leges. Urbanitate Rectoris, & honorificis, quorum ea Natio est appetens, deliniti nominibus, dimiserunt cum honore.

Magnus Dux Hetruriæ excipitur hospitio à nostris.

13. Magnus Hetruriæ Princeps hæreditarius, dein Dux Serenissimus Cosmus III. Europæ visurus regna, initio hujus anni venit in Lusitaniam; exceperunt tantum hospitem Collegia. Eborense intravit 14. Januarii; die sequenti pomeridianis horis in triclinio nostros ejus laudes è suggesto dicentes summè benevolus audivit: nec ibi moratus præter diem unam; nam decimâ sextâ iter continuavit. Ob dicta hospitia in Collegiis hujus Provinciæ mirùm dilexit deinceps socios Lusitanos. Euntes Romam, vel inde redeuntes excepit humanissimè, ac muneribus explicavit animi sui adversus nostros benevolentiam.

Residentia Casteldevidii.

14. Anno proximo habuit missionem Casteldevedii P. Benedictus Lemius cum P. Petro Sequeira. Cupientes oppidani fundationem Collegii dederunt Societati ædem sacram Spiritui sancto dicatam, idque firmatum tabulis publicis. Non deerat qualiscunque spes dotis pro nova domo. Igitur placuit hoc anno mittere PP. Emmanuelem Corream Estremotiensem, & Petrum Sequeiram Casteldevidiensem, ut illic figerent Residentiam. Ituris commendavit Ven. P. Ludovicus Lopius: Ipsorum forent majores curæ, assidere confessiones excipiendo, carceres frequenter, & nosocomia invisere, moribundis adesse: caverent, ne tempus occuparent obeundo conciones; quæ cogerent prædictis ministeriis deesse, propter studium, quod poscunt. Ex illis non colligi eas utilitates, quas pariunt alia ministeria. Paruêre hominis prudentissimi consilio, ejus oppidi magno bono. Post aliquot annos soluta est hujusmodi cœpta fundatio.

An-

Annus 1670. Soc. 131.

I.

CRevit hoc anno Provincia novo domicilio Pace Juliâ, sive Bejæ, quæ est antiqua, & agro fertilissimo urbs in Transtagana Provincia. Sæpe nostri homines ab initio Societatis ibi sacras habuerant missiones. Sed nunquam data opportunitas sedem figendi: hoc demum anno oblatam non respuimus. Regebat Sodalitatem Misericordiæ Ruysius Mellus Lobus vir in paucis Societatis amans; hic postulavit concionatores pro tempore Quadragesimæ, suæ Sodalitatis nomine, cujus est eos invitare. Sedem figit Bejæ Societas.

2. Missi sunt P. Didacus Lobus, olim Regis Alphonsi concionator, & P. Joannes Riberius Algarbiensis, qui absolverat Theologica studia. Ferebant in secretis mandatis, ut, si fulgeret spes fundationis, diutiùs immorarentur. Ut vulgarum est mansuros Bejæ Patres, vix dici potest, quot contradictiones emerserint. Obstitêre primò aliorum Ordinum monachi, quibus in præjudicium fore novæ familiæ introductionem videbatur. Itaque, nescio, quid juris obtendentes eorum moderarores coram Magistratu contestati sunt, se consentire non posse, ut in suorum ministeriorum injuriam nostris intra mænia Civitatis domicilium institueretur. Sed haud æqua visa eorum postulatio, ideóque à limine rejecta.

3. Alter obex ab Archipresbytero non tam ex propria ipsius voluntate, quàm metu objectus est; ne si racitus pateretur novam ibi constitui Religiosorum familiam, nondum impetrato consensu Reverendissimi Capituli Eborensis, cui civitas subjacet in spiritualibus, id sibi noxæ apud Capitulum foret. Quapropter jussit Patres quàmprimùm facessere, quando Capitulum domum ædificare non concessisset. Ad hæc Patres: mirari se, quòd intempestivè intercederet, cùm ipsi nihil hactenus egerint circa fundationem. Quod attineret ad discessum ex urbe, solum Rectorem suum, ac Provincialem id sibi posse imperare, non Archipresbyterum, cui nullum sit jus in homines Societatis.

4. Telum fortius ab Sodalibus Misericordiæ, cujus alebantur expensis, est intortum. Denuntiârunt Patribus, se finito missionis tempore eos ultrà non posse sustentare, nec sinere hospitari in nosocomio. Non defuerunt tres fideles amici, quorum operâ devictæ sunt hujusmodi difficultates. Mathias Nogueira magnus Prior parœciæ S. Jacobi victum præbuit. Conductæ sunt ad habitandum domus Infantis, ita dictæ, quòd olim fuissent palatium Infantis. Supellectilem domesticam largiti sunt Emmanuel Alvarus Azeiradus, & Emmanuel Soarius Martinius, præclari ejus urbis Cives.

5. Præter has aliæ multæ adversitates meditatam fundationem suis in primordiis opprimere minabantur; sed omnibus superatis, annis volventibus mansura domus nobis data à civibus. Templum D. Sesinando Martyri suo populari Beja condiderat in ipso loco, in quo tenebat fama Sesinandum habitâsse. Prope Ecclesiam ædificata est domus rebus nostris ad tempus accommodata, huc migravimus. Post aliquos annos, cùm non esset spes dotis acquirendæ, quâ nixi possemus ædificium construere, jussi sumus relinquere stationem. Paruimus, at postea revocati, non obstantibus contradictionibus ortis, præsertim ab Archiepiscopis Eborensibus, substitimus ibidem, donec Regina Sophia Regis Petri II. altera conjux sibi sumpsit dotandum, ac fundandum Collegium D. Xaverio dicatum, quamvis templum sacrandum sit D. Sesinando Urbis Tutelari.

6. Undecim de nostris Indorum reductioni se accinxerunt, uno excepto, Lusitani omnes, in duas divisi naves. Prætoria, quæ vehebat Proregem Ludovicum Mendossam Furtadum, tulit P. Emmanuelem Barbosam, & Antonium Magalanium nondum sacerdotem. Reliqui navem sociam conscenderunt. Aprilis 10. in altum provecti. Usque ad æquatorem favit tempus, & venti. Ibi Profecti ad Indiam.

octo supra viginti morabantur dies, donec 5. Junii æquator superatus. Ea mora dedit morbis originem.

Mors Petri Sylvæ. 7. Augusti quartâ prætervecti Caput spei Bonæ. Ejusdem mensis 19. obivit Petrus Sylva Coadjutor solidæ virtutis: multos ille in navi suis verbis moverat ad totius vitæ confessiones. Usque ad Mossambiquium navigatum inter assidua pericula. Ibi conjunctæ sunt naves quinque; tot enim solverant Ulyssipone. Miserando in statu erat insula: nam Arabs assiduus hostis Lusitani nominis, oppidum invasit decem fortissimis navibus, domos evertit, arcem, in quam se, suáque receperant oppidani, capere non potuit; nec diu morari licuit obsidendo, quòd classis Lusitana obsessis ex India veniebat auxilio, quæ cùm recedentibus occurrisset, initâ pugnâ, Arabum nonnullæ naves mersæ, aliæ fugâ sibi consuluerunt.

8. Reliquit tamen Arabs insulæ stationem, & Cœlum infecta. Inde vulgatus morbus omnes, qui appulsi erant ex Lusitania, miserandum in modum implicuit. De nostris 14. Martii post ægritudinem diuturnam moritur Josephus Aredius tiro: duos supra vigesimum mensem vixerat in Societate, cùm affectæ valetudinis causâ missus est ad paternam domum; ubi cùm triennio vitam duxisset, recuperatâ valetudine petivit in Societatem recipi sub ea conditione, ut ad Indiam, quò se à DEO vocari sentiebat, mitteretur. Magna fuit illius erga morbidos charitas cum in mari, tum in insula: inde hæsit ipsi lues, quâ post toleratam diutinam ægritudinem piissimè expiravit.

Mors Josephi Aredii.

Mors P. Francisci Carandini. 9. Ne perirent omnes, 18. Martii sequentis anni conscendêre naves, non factâ necessariâ provisione. P. Franciscus Carandinus Venetus per id tempus jacebat non leviter infirmus. Suasit Collegii Rector, maneret Mossambiquii, donec, instauratis viribus, posset aggredi navigationem. Nullæ permovêre rationes. Navi impositus, 23. Martii animam reddidit Factori suo. Annis quinque egregiam impendit operam excolendis Brasilis; motus desiderio patiendi labores magis arduos, enixè rogavit P. Generalem, sibi concederet è Brasiliensibus transferri ad Indicas missiones. Contentus DEus tam piis desideriis, ad se vocavit merito donandum præmio. Tandem 5. Maji perventum est Goam. Septem hæreticos nostri in ea navigatione orthodoxæ junxerunt Ecclesiæ.

Obit P. Antonius Barrius. 10. Qui intra limites Provinciæ mortali hâc vitâ exuti sunt, recensentur tres Eboræ. 4. Septembris P. Antonius Barrius, domo Serpensis, septuagenario major. Excellebat ingenio, sed lingua parùm expedita, & balbutiens, causa fuit, quò minùs magisteria continuaret, licet jam actus aliquot fecisset ad gradum Doctoris. In nostro Instituto versatissimus. Nonnulla rexit Collegia cum exemplo, tum prudentiâ. Missiones plurimùm fovit. Octobris 18. Emmanuel Crucius Coadjutor, ortus Cabessæ de vite in Elvensi diœcesi. Ex profano milite sacer effectus multis adornare se virtutibus studuit. Vigesimâ Septembris octogenario major Gaspar Costa Coadjutor Interamnensis, in Brasilia Societatem ingressus, labori deditissimus: ardens illi charitas erga pauperes, & ægrotos. Postremis annis ex scalis decidens amisit nervorum usum, ac lecto decubuit præbitis religiosæ patientiæ illustribus exemplis.

Emmanuel Crucius.

Gaspar Costa.

P. Petrus Tavarius. 11. In Portuensi Collegio 14. Decembris P. Petrus Tavarius. Natus est Taverii in agro Conimbricensi. Inivit Societatem futurus Coadjutor temporalis; reperto, quòd studuisset litteris, facultate habitâ à Patre nostro nuncupavit vota scholasticorum, ut Societati serviret in gradu adjutoris spiritualis. Sacris post aliquos annos initiatus ad Angolam mittitur. Strenuissimam impendit operam iis gentibus salvandis. Sæpe adivit regiones mediterraneas, & insaluberrimas ad lavandum animas salutari lymphâ. Hujusmodi plura in ejus vita per me typis vulgata scribuntur. Cæteram vitam traduxit Eboræ, Bracharæ, & tandem in Portu.

P. Petrus Mendesius. 12. Conimbricæ 2. Novembris P. Petrus Mendesius Coadjutor spiritualis. Non paucis annis præfuit culturæ Residentiæ Labrujensis, tam memor sui

in

in procurando animæ profectu, ut non solùm non diminueret orandi tempora, sed augeret. Binis horis ante cœnam genibus nixus quotidie morabatur in cœlestium commentatione, & horâ dimidiâ, antequam se ad stratum componeret. Denique vivebat disciplinæ studiosus, tanquam si ante oculos Moderatorum versaretur.

P. Joannes Tavora.

13. In Domo Professâ Ulysiponensi 1. Maji octogenario major P. Joannes Tavora, natus Ulysipone nobili prosapiâ. Rexit diversa Collegia, subditos prævertens exemplo, nunquam indulgens sibi. Corpus suum fregit & castigationibus, & jejuniis. Etiam anno, quo de vivis excesserat, nec carnem gustavit, nec ova; sed victitabat arido pisce ac parùm salubri, quòd alius tunc non esset. Reputavit se natum unicè labori; idcirco nostris ministeriis, dum per vires licuit, indefessus navavit operam.

P. Emmanuel Gonsalvius.

14. In Domo Virginis à Lapa die postremâ Aprilis P. Emmanuel Gonsalvius. Rexerat Collegia Michaëlense, & Bracharense. Erat modestissimus, & austeri genii, potens in dicendo. A Carquerensi Residentia, quæ distat itinere unius diei, ad Lapensem domum iverat, ibi concionaturus, tempore inclementissimo, & ventis perfrigidis. Pervenit membris penè torpentibus. Ut gelu excuteret, misit frigidissimos pedes in pelvim calidâ plenam. Contigit, ut frigus calorem fugiens se colligeret in stomachum, qui cibos omnes regerebat: additus prætereà dolor acutissimus dextri lateris. Nulla remedia malo infringendo, aut temperando profuerant. Inter ardentissimos animi pœnitentis actus repetebat divinæ Scripturæ verba piisima. Gratias habuit maximas sibi assistentibus. In templo Quintelæ tumulatus.

Annus 1671. Soc. 132.

S. Franciscus Borgias. B. Stanislaus. S. Xaverii patrocinium.

1.

HOc anno B. Franciscus Borgias in Sanctorum album solemni ritu illatus est: id quod grandi apparatu & sumptu in nostris Collegiis & templis celebravimus. Similiter Stanislaus Kostka titulo Beati additus fuit altaribus. S. Francisci Xaverii mirabile fuit patrocinium Ulyssipone præstitum matri, cùm lac alendo filio deficeret, precibus ad divum Xaverium fusis illicò lacte turgebat.

Mors P. Francisci Mansi.

2. Sex anno labente desiderati sunt, & nonnulli Patres de gravioribus Provinciæ. In Domo Professâ Ulysiponensi 9. Martii P. Franciscus Mansus Sardoaliensis. Præter alia munia Provincialem egit Transtaganæ Provinciæ. Ejus charitas cumprimis refulsit erga vinculis addictos, quorum multis annis procuravit causas, & commoda. Religiosam paupertatem coluit, ut matrem, atque exercitiis spiritum juvantibus semper exactissimè satisfecit.

P. Didaci Aredæ.

3. In eadem Domo 18. Decembris P. Didacus Areda Arrayolensis Perrexit in Indiam. Goæ plures annos ad populum è sacro suggesto dixit cum plausu, & audientium utilitate. Venit in Lusitaniam Ulyssipone rem Goanæ Provinciæ curaturus. Rursus est aggressus Indicam navigationem, sed cogente vente contrario repetivit Ulyssiponem. Meditans rursus idem iter, à Majoribus prohibitus, substitit Ulyssipone in Domo Professâ sacræ Catechesis Doctor egregius. Erat ipsi ad tantum ministerium religiosus quidam lepor, & inter explicandum, ac interrogandum suavitas amabilis. Illius zelo plurimùm debuit in suis primordiis Collegium Cetobricense.

P. Joannis Lopii.

4. Conimbricæ 31. Martii P. Joannes Lopius natus Bracharæ. Scientias Conimbricæ professus est ingenii præcellentis, & insignis Magistri nomine. Singulariter addixit animum intemeratæ Virginis Conceptioni, quam suis scriptis acerrimè defenderat, ejusdémque mysterii amorem omnium cordibus infundere curabat. Genius illi mitissimus. Neminem præsens, aut absens verbo læsit, aut vellicavit. A morborum acrimonia multa tulit postremis annis, Jobo patienti persimilis.

5. In

P. Emman. Corderius. 5. In Collegio D. Antonii 3. Decembris P. Emmanuel Corderius. Primam lucem aspexit in Villa nova Ansensi. Gubernârat Angolanum, & Angrense Collegium. Sibi valde severus diversis macerationibus affligabat corpus, religiosæ cellæ amans rarò foras prodibat. Integro ante mortem anno detersit animam diebus singulis apud Confessarium, ad agonem supremum se comparans. Prædixit se de medio tollendum subito mortis genere: nec aliter evenit.

P. Emmanuelis Zuzartius. 6. In Portuensi Collegio 18. Decembris Emmanuel Zuzartius Rector, ortus in Transtagana Provincia. Docuit Philosophiam, & morales scientias. Adivit Brasiliam socius Antami Gonsalvii Commissarii. Ejus virtus, & affabilitas tum nostrorum, tum externorum corda mirùm sibi devinxerat. Vi morbi delirus manifestavit, quàm sanctæ curæ sanum ejus animum occupaverint. Arronchiensis Marchio, qui præsentiâ suâ honestavit Emmanuelis exequias, disertis verbis affirmavit, sibi hactenus notum fuisse neminem, tam prudentem, tam deditum virtuti, & virum æquè, ac Emmanuel erat, consummatum.

Petri Carvalii. 7. In Collegio Maderensi 20. Februarii Petrus Carvalius temporalis Coadjutor, octoginta & ampliùs annorum. Janitor ostii secundi summopere Christi pauperes dilexit, ac fovit conquisitis eleemosynis. Persuasio fuit, ipsi largienti crevisse panem, & multiplicatum inter manus. Tempus superfluum à muneribus sibi injunctis vel orando consumpsit, vel pascendo animam piâ lectione. Opinio non vulgaris de Petri sanctimonia concursum omnium Ordinum concivit. Templi maximi Canonici funebre officium concelebrârunt; quod citra dubium fuit insigne argumentum existimationis de hujus socii virtutibus conceptæ.

Annus 1672. Soc. 133.

I.

Per hos annos, quanquam nobis viciniores, vix est aliquid memorandum, præter obitus nonnullorum, sive quòd pauca contigerint digna annalibus, sive quòd chartæ non sint demandata. Romæ 14. Julii vitâ defecit P. Gaspar Gouvea Assistens, patriâ Visensis. Eum singularis exornavit virtus, prudentia, atque religiosæ observantiæ studium. Bis fuit Minister Conimbricensis Collegii summa cum integritate. Rexit Collegium Bracharense. Navigavit nostrorum Visitator ad Insulas. Prorector Conimbricensis Collegii, & Vicariâ potestate Provincialis Lusitanæ Provinciæ, explevit partes optimi Moderatoris. Nemo unquam vidit turbatum minùs ordinatis affectionibus. Humilitatis erat amantissimus.

Moritur P. Gaspar Gouvea.

P. Franc. Nervasius. 2. Conimbricæ 28. Aprilis vinculis corpotis levatus est P. Franciscus Nervasius, ortus monte majore in diœcesi Conimbricensi. Nihil curavit magìs inter vivos, quàm se torquere, & persequi. Furabatur corpori somnos, ut nocturnas horas daret cœlestium rerum commentationibus. Usque ad sanguinis effusionem flagello artus suos feriebat. Non solùm victu delicato fraudavit stomachum, sed etiam parte necessarii. Denique vir humanissimus sibi uni erat crudelis.

P. Franc. Cabralius. 3. In Scalabitano Collegio 16. Januarii mortem occubuit P. Franciscus Cabralius Cerolicensis. Fulsit in eo ad quæque dura singularis obedientia. Missus in Mazagoniam, Insulas, & Angolam promptissimè paruit. Ex hac virtutes cæteræ ducebant originem. Orationis horæ omnibus communi duas addiderat alias. De nullo mortalium conquestus est. Erga miseros sive in nosocomio, sive in carceribus admirabilem exercuit charitatem. Genius illi suprà, quàm dici potest, cereus, & lenis. In frequentando sacro suggesto licèt assiduus fuerit, quiritari audiebatur, quòd non occuparetur magis, nec majoribus gravaretur oneribus.

4. In-

4. Indiam petiverunt undecim de nostris, præter unum cæteri Lusitani. Præerat ipsis Alexius Coelius Vianensis solemniter professus. In Angola haud segniter agebantur nostra ministeria. P. Emmanuel Riberius cum Francisco Correa Coadjutore excurrit per oppida mediterranea populos edocendo salutis viam. Defuncto Congi Antonio Couto, ad id Collegium gubernandum missus, illic vixit ab anno 1666. ad annum 1669. Eâ tempestate plenâ seditionibus & insidiis, domus & templum nostrum non semel spoliatum est rebus suis. Tum Rex Petrus negotiorum causâ Loandam misit Emmanuelem. Nec illi in Congum redire licuit propter itinera latronibus, & militibus infessa. Interim illud Collegium extinctum est. Profecti ad Indiam Missio in Angola.

5. P. Emmanuel 10. Septembris excursioni fecit initium, novem mensium intervallo diversas regiones pervagatus sui laboris non pœnitendo fructu. Infantes plurimi, & adulti post instructiones necessarias sacro fonte abluti sunt. Succurrit etiam Lusitanorum conscientiis, quorum multi degunt inter eas gentes obliti salutis suæ, quia dediti negotiationi, & vitiis, de veterno excitati per confessionem eluerunt animi sordes. Vanorum Numinum simulacra, & veneficia sustulit. Sæpe timebat lacerari à tigribus, aut leonibus, quibus eæ regiones abundant; sed eripuit omnibus periculis Deus, ac restituit incolumem Loandæ.

6. Fayalensibus multum laboris, & timoris facessivit Aprilis. Duodecimâ hujus mensis tremuit tota Insula tam horrido terræ concussu, ut videretur suis insulam convelli sedibus. Incolæ ruinas domorum vitaturi, in campos exibant, adornabántque ex lignis tuguria. Habitæ plurimæ supplicationes, circumlata Sanctorum lipsana: nudis pedibus saccum induti, cineréque conspersi procedebant omnes, Deiq; misericordiam implorabant. Incendium Fayalense.

7. Tenuerunt supra duos menses terræ motus. Sed Aprilis 24. summus, novúsque horror omnes immaniter perculit. Inter duos montes (Capelli nomen est loco) dehiscens terra vomuit rapidissima ignium flumina, quà præteriêre, cuncta in flammas redacta vorabant. Die sequenti concrevit nubes in aëre densa triste aliquid intuentibus nuncians: paulò pòst non grandinem, sed arenam pluit sulphuream, quâ tota insula conspergebatur.

8. Ex prædicto hiatu resonuêre tonitrua, qualia solent esse displosis majoribus machinis bellicis. Sub hæc vis ignis jaculabatur in auras pergrandes lapides horrisono strepitu. Aperti plures hiatus, ceu primus non esset exonerandæ copiæ fluentis materiæ. Greges, arenâ fœtidâ obruente pabulum, interiêre. Ex aëre volucres delabuntur exanimatæ. Magni terræ tractus consepulti sunt, tegente superficiem continuato lapide: nam massa ignea, quæ rivis fluebat, ubi frigescebat, nihil aliud erat, quàm lapis super terram stratus, & extentus, ac recoctus. Indigenæ vocant *Mysterium*.

9. Infinita sunt, quæ contigêre, dignâ commiseratione, & lacrymis. Carò stetit sua curiositas Monacho Carmelitano cum alio sui ordinis & cœnobii famulo. Maji die 11. accessit propiùs hiatum indagaturus arcana eructantis naturæ; dum pedem figunt solo parùm fideli, terrâ subsidente, præcipites abiêre in latentes flammas. Initio hujus calamitatis Collegii Rector virum Apostolicum Thomam Arnaum cum socio misit in pagos viciniores hiatui. Navârunt diligentem operam consolando, & juvando plebem, largiti sunt egentibus alimenta. Cum hi, tum qui substiterant domi, occupabantur in commovendis omnibus ad peccatorum dolorem, & audiendis pœnitentibus. Illi planè, cumprimis Arnaus, veluti commune omni hominum generi fuêre in malis solatium.

Annus 1673. Soc. 134.

1.

NUmerosa cohors ivit subsidio Evangelicis per Indiam Operariis. Fuerunt septem supra viginti, Lusitani quindecim, quos inter vir omni laude major Joannes Brittus, dein martyr; cæteri diversarum nationum. Pa- Profecti ad Indiam, & multorum obitus.

rebant omnes Patri Balthasari Costæ, insingibus exornato virtutibus. Funesta plurimorum morte fuit ea navigatio. Tredecim periêre ante superatum Caput Bonæ spei. Pro singulis in hac Provincia fecerunt bina sacra sacerdotes, alii duas coronas recitârunt; ùt moris est pro morientibus ante dictum promontorium superatum: nam qui postea cedunt è vivis, totidem sacris & coronis fruuntur apud socios in India.

2. Nomina defunctorum sunt. P. Didacus Garcesius Lusitanus. P. Franciscus Maria Gatinara Sabaudus. Joannes Fernandius Coadjutor Lusitanus. P. Laurentius Tanalius Romanus. P. Beatus Anrhimus Bavarus. P. Franciscus Bergodesius Corcegensis. P. Balthasar Costa, de quo mox plura dicam. P. Joannes Vandanelius Belga. P. Thomas Vanderlestius, Belga. Emmanuel Diasius Lusitanus. Hi omnes mortui fuerunt mense Aprili. Majo Joannes Semedus, & Joannes Amaralius, ambo Lusitani. Superato jam promontorio, obit P. Adamus Aigenius Tridentinus.

P. Balthasar à Costa.

3. P. Balthasar à Costa vir tantus fuit, ut illi me injurium existimem, si præter nomen nihil referam amplius. Natus ille est Aldeæ novæ prope saltum ab stella dictum in diœcesi Guardiensi. Societati adjunctus Conimbricæ 20. Junii anno 1627. Incubuit in Latinas litteras, & Philosophiam, semper creditus phthisi periturus. Tam debilis erat viribus, & tam affectâ valetudine. Ne citiùs contabesceret, necessium fuit eum ab studiis arcere. Id ægritudinis initium habuit, cùm jam erat in navi solliturus per singula momenta. Opus fuit relinqui. Sequenti anno non curatum est de ipso ad Indiam mittendo. Cùm audisset Conimbricæ nominari alios in sacello, ùt fieri solet, se præterito propter valetudinem, incensus ardore incredibili procumbit ad genua Præsulis multas inter lacymas efflictim rogans, se quoque cum aliis nominet, ac mittat. Id peregit tanto fervore, ut Præses sibi visus sit Spiritui sancto repugnaturus, nisi gereret petenti morem.

4. Igitur illi datur facultas. Res ipsa ostendit à DEO electum ad grandia. Profectus cum Ven. P. Marcello Mastrillio, quam in terra adipisci non potuerat valetudinem, in mari contra spem omnium recuperavit. Absolutis Theologiæ studiis transiit ad oram Piscariam, ubi degebat annis duobus. Audivit Pareasios apud eas nationes genus hominum vilissimum in Christi venire gregem vix posse, cùm non liceret nostris more Brachmanum viventibus sermonem miscere cum hominum genere juxta morem patrium execrando, ne polluti censerentur, & lex, quam docebant, eâdem notâ vilesceret.

5. Illorum miseritus aliquam ipsis succurrendi viam inire decrevit noster Balthasar, devictisque non paucis difficultatibus objectis à nostris, qui Saniassas, seu Doctores Brachmanum se fingebant ad Nobilitatem, & sapientes convertendos, ipse Balthasar professus est vitam eorum, quos vocant Pandazas exatirienses, qui sunt ex Rajorum ordine; & eorum propè modo vivunt, quo Saniasses Brachmanes. Eventus probavit eam à DEO mentem illi injectam. Crevit inde innumerâ multitudine Christi ovile. Nostri homines ad præsentem diem inhærent Balthasaris vestigiis, eundem vivendi complexi modum, habitu simili, & victu utentes, cum maximo animarum lucro.

6. Genus vitæ tam austerum est, ut, qui se dicat hujuscemodi professioni, sit exuturus se ipsum, & carnem suam crucifixurus cum vitiis, & concupiscentiis. Id certum est, nullam sacram familiam in Europa uti tam rigido vivendi genere. Plurima certè egit, tulitque in fundanda per eas regiones Ecclesia florentissima, & in eâdem conservanda. Quæ virtutes hominem formant Apostolicum, in uno micabant, & quidem non vulgaribus incrementis. De his multa typis mandavi in ejus vita, & multò plura referet Malabaricæ Provinciæ historia. Cùm acerbissimus nuntius de illius morte delatus est ad Madurenses Neophytos, mærorem concitavit longo tempore non abolendum.

Naufragium euntium ad Angolam.

7. Feralis annus Evangelicis operariis ad transmarinas euntibus regiones, non satiatus funeribus Indiam petentium, ad unum omnes, qui pergebant in An-

Angolam, memorando, ac lacrymando submersit naufragio. Profectæ in Angolam naves tres, in his summus Præfectus, & Episcopus Frater Antonius ab Spiritu Sancto excalceatus Carmelita, bene notus ex libris de re morali editis in lucem. Usque ad gradus vicinos Capiti Bonæ spei & tempus, & mare favit. Ex illo gradu verterunt proras, ut moris est, descensuri ad gradum, in quo trans æquatorem Loanda est. Contigit per eos dies solem nubibus obtectum non potuisse à navium gubernatoribus observari, ut scirent itineris distantias.

8. Hinc orta est opinio diversa inter gubernatorem navis prætoriæ, & ejus, in qua nostri vehebantur. Asserebat ille brevia, quæ à Benguela incipiunt, abesse longè; hic verò affirmabat alium falli; vertendas in occasum solis proras, aliter de naufragio minimè dubitandum, si pergerent ire, quà tendebant. Nocte mediâ navis prætoria hæsit vadis, à quibus nec arte, nec ullâ diligentiâ potuit emergere. Displosis aliquot tormentis datum signum aliis navibus, ut recederent ab infesto loco: nihil est responsum à nave nostros homines portante. Protinus intellexêre naufragio perditam. Alia, quòd erat minor, clavo tangente, seu radente fundum, transiit incolumis, & se recepit in Benguelæ portum.

9. Huc post multum laborem appulit ex prætoria Episcopus cum aliis viginti: cæteri in mari periêrunt, atque inter hos omnes nostri; vel si aliquis, ut fama fuit, evasit in littus, à barbaris humanas carnes vesci solitis cæsus, ac depastus. Septem fuêre, & cuncti sacerdotes. Ludovicus de Sousa ibat futurus Collegii Rector, inerant ipsi virtutes multæ. Jam in Tagi ostio rediens ab insulis aliud fecerat naufragium, vix alterius socii susceptus humeris, in terram ereptus. Emmanuel Pintus absolverat studia Theologica, similiter Dominicus Araujus, P. Franciscus Faria. Josephus Pretus Scalabitanus, cùm à suis valde locupletibus solicitaretur ad Societatem potiùs deserendam, quàm ad Angolanum iter capessendum, respondit: hominem se non esse, qui baltheum exueret ad uvas Baccho offerendas. Eis verbis significavit nihil æquè sibi diligi, atque Societatem.

10. Dominicus Freirius docebat humaniores litteras Eboræ, cùm alius se ab eo itinere liberaret, ipse animosè suscepit. Septimus & postremus erat Simon Lopius Coadjutor spiritualis, præditus moribus incorruptis. Interiit etiam naufragio Petrus Cæsar Menesius, ditionis Angolanæ designatus à Rege summus Præfectus. Episcopus optimo exemplo noluit priùs de nave exire, quàm omnes vidit per confessionem cum DEO reconciliatos. Nec diu supervixit, postquam in terram ejectus.

11. In Brasilia ad DEum abiit P. Philippus Francus, Procurator Collegii D. Antonii, sive ejus templi. Præcipuus illius reditus sunt exprimendi, & componendi sacchari officinæ, & campi nutriendis arundinetis, unde dulce nectar exprimitur. P. Philippus natus Penichii. Magnam vitæ partem consumpsit in laboriosis navigationibus, vel propter obedientiam imperantem, vel propter bonum commune regni. Absolutis Philosophiæ studiis missus ad Insulas doctum Latinas litteras. Redditus Lusitaniæ, & Theologicæ Facultatis quadriennio decurso, in Angolam profectus. Illic erat, cùm à Batavis expugnata Loanda, in mediterranea discessit cum Lusitanis. Factis cùm Victore induciis, Philippus venit in Lusitaniam cum litteris Præfecti ad Regem edocendum, quo loco summa rerum esset in Angola.

Mors P. Philippus Francus.

12. Dum moratur Ulyssipone, Classis regia ad fugandos piratas Tagum egreditur: placuit Regi, iret in ea Philippus ad milites in spiritu juvandos: navali pugnâ, & simul exortâ tempestate, vix naufragium evitavit. Iterum petens Angolam, coactus est ob ventum contrarium appellere ad Brasiliam. Dum Bahiæ subsistit biennio, Batavus Pernambuco dominans, potenti classe Bahiam invasit, quàm nequivit expugnare. Hujusce rei causâ cum litteris ad Regem venit Ulyssiponem. Celocem sic ad oram Lusitaniæ Mauri sunt persecuti, ut

eorum manus effugituri, navem conjecerint in littus prope Penichium. Salvis omnibus, Philippus litteras ad Regem tulit. Comparatâ classe ad recuperandam Angolam, Regi est visum oportere Philippum in ea mitti. Salvatorem Corream cum valida classe è Flumine Januario profectum ad eripiendam Batavis Loandam comitatus, ùt jam retulimus. Urbe & arce redditis in potestatem Collegium nostrum instauravit.

13. Quinquennio rexit Collegium, postea in Brasiliam solvit, migraturus in Lusitaniam. Obstitit Provincialis imperium jubentis manere in Brasilia, ut procuraret rem templi nostri. Octo supra decem annos illic vitam exegit utilissimus Collegio divi Antonii. Abundè liquet, quot ille possit recensere, & loqui victorias de se ipso, qui toties, ut pareret, adivit quæque horrida pericula.

P. Antonius Barradius.

14. Ulyssipone in Domo Professa ultima dies oppressit 22. Februarii P. Antonium Barradium Sindimensem in Beirensi Provincia. Præter alios magistratus bis Provinciam gubernavit. In rebus arduis, quæ obtigêre ipso regente non paucæ, generosum præsetulit animum, vel adversus Regis imperia. In consolando tristes, animóque ægros gratia illi peculiaris. Tam sancti fuerunt illius mores, ut annuæ litteræ hujus Provinciæ memorent, non amisisse gratiam in lustrali fonte acceptam.

P. Joannes Riberius.

15. Ibidem 21. Maji octogenario major ex mundo decessit P. Joannes Riberius Ulyssiponensis. Venit ad Societatem jam sacerdos, natus annos novem & quadraginta, virtutibus conspicuus. Habuit singulare donum ad animas in spiritu, & sui profectûs via dirigendas. Propterea magnus sæcularium numerus, qui Evangelicæ perfectioni studebant, ab ipso instrui petiêre. Quotidie pomeridiano tempore adibat peristylium januæ contiguum, ajebátque se visum ire, an aliquis pisciculus capi posset, & in casses, vel hamum allici. Quo significabat, se circumspicere, an illic foret, qui confiteri vellet, & cui aures ad levandam animam commodaret.

P. Nicolaus Fernandius.

16. In Collegio D. Antonii apoplexia corripuit 2. Januarii P. Nicolaum Fernandium. Post mediæ noctis secundam horam tentatus subito incursu, veste raptim sumptâ, festino gressu vadit, ac pulsat ostium cellæ Confessarii, petitq; delictorum absolutionem. Actum, inquit Confessarius, elice contritionis. Elicio, respondet, ex toto, & intimo corde. Nullo ampliùs edito verbo labitur in terram, ac post quartam horæ partem expirat. Philosophiam Eboræ, Theologiam Ulyssipone professus, supremùm explicabat conscientiæ casus. Nostra porrò frequentavit ministeria, præsertim in tribunali confessionum, & sacro suggesto.

Missio in saltu Barrosi.

17. Per oppida & pagos saltûs Barrosi in diœcesi Bracharensi discurrerunt Apostolico more spatio trium mensium Alvarus Correa, & Antonius Corderius sacerdotes. Vix credi potest, quàm densas ignorantiæ tenebras dissipaverint. Centum viginti conciones peractæ, supra tredecim millia confessionum auditâ. Cùm potestas ab Ordinario ipsis esset facta corrigendi parochos, quorum magna erat inscitia, & à quibus tamen aliorum pendebat salus; multis ulceribus adhibuêre remedia. Unus sub specie benevolentissimi veneno Corderium necare paraverat: discedentem invitat, ut gustet de malis Armeniacis sacchareis; tantum institit, ut à Corderio, ne parùm comis videretur, illi gerendus mos fuerit. Mala veneno erant infecta. Nec multò post sævire pestis cœpit in præcordiis, & remediis adhibitis vix potuit evinci. Mali violentiâ dentes omnes Corderio cecidêre.

Solvitur Residentia Casteldevidii.

18. Hoc anno, vel aliquo ex proximis soluta est Residentia, quam spe Collegii fovebamus Casteldevidii. Illic sacerdotes duo per aliquot annos habitârunt. Sed cùm non suppeteret dos pro fundatione competens, judicatum, non esse, cur ibi diutiùs immoraremur. Vidua nobilis soror nostri Didaci Alfayæ, quem diximus arsisse Jerumeniæ, sua bona pro hujusmodi dotando Collegio applicaverat.

An-

Annus 1674. Soc. 135.

1.

PLurima hoc anno funera. Londini 13. Aprilis P. Antonius Fernandius E-boramontanus, Anglicanæ Reginæ Confessarius. Societatem inivit 28. Augusti anno 1627. Eminuit admirabili ingenio capessendis, & tradendis scientiis. Humaniores litteras, & Rhetoricam Angræ docens, non alio, quàm sancti Magistri nomine cognoscebatur. Philosophiam Conimbricæ, Theologiam Eboræ professus, ibidem insignitus Doctoris laureâ. Scientias morales tradidit Ulyssipone tanto concursu auditorum, tantâq; præclari Magistri famâ, ut aula tametsi ampla confluentes non caperet. Mors P. Antonii Fernandii.

2. Vel hæreticis in Anglia virtus Antonii erat spectabilis. Eam mirabatur Rex Carolus. Aulici sanctum nuncupabant. Adeò inculpatis vixit moribus. Perutiles expertus linguam Græcam, & Hebræam, quas optimè calluit, ad convincendos & confundendos errorum Magistros. E podagræ violentia mors traxit originem. In acerbis ejus mali cruciatibus illius unica vox erat: *Domine, fiat voluntas tua.* Rex ipse ægrotantem non semel invisit, funus honoravit præsentiâ suâ.

3. Ulyssipone in Collegio D. Antonii 9. Novembris P. Andreas Moura Rector, ortus Vianæ. In Algarbiensi peste serviendo ægris giganteum exhibuit spiritum. Scientias summa cum laude usque ad primariam Theologiæ cathedram professus Eboræ, & laureatus in sacrosancta Theologia Doctor. Ad magisteria non factus, sed natus videbatur. Cum subditis usus mitisimâ charitate, vigilanter prospexit observantiæ, præibàtque cæteris exemplo. P. Andreæ Mouræ.

4. Eboræ 18. Octobris P. Sebastianus Abreus major octogenario. Cratus illi patria in Transtagana Provincia. Scientias laude maximâ tradidit Eboræ, & moderatus est primariam Theologiæ cathedram. Romam vocatus egit librorum Societatis Censorem: Redditus Lusitaniæ Eborensis Academiæ annos plures Cancellarium. Multa tulit animo semper adversis cunctis altiore. Rarò prodibat è cubiculo; vitavit sæcularium commercia, quamvis consilii causâ plurimi eum convenirent. Cibi parcissimus, & in loquendo valde consideratus. Corpus verberibus, aliisque castigationibus torsit. Dormiebat super nudo suberis cortice. Postremis annis ad mortem se comparans majorem temporis partem consumpsit orando, & meditando cœlestia in sacello domestico coram SS. Eucharistia. Typis mandavit volumen, cui in fronte præfixum: *Parochus perfectus*. Recensetur inter Benefactores Eborensis Collegii, quòd in suburbana villa nobile sacellum D. Xaverio dicatum construxerit. P. Sebast. Abrei.

5. In Domo Professa Ulysiponensi 13. Octobris P. Nonius à Cunea, natus Ulysipone parentibus de primaria regni nobilitate. Præter alios magistratus egit Asistentem Ven. P. Carrafæ. Augendo cultui divino in sacello Romanæ Domûs Professæ facto ex cella S. P. Ignatii, emit, ac donavit censum alendo igni perpetuo ante aram. Conimbricæ privatis eleemosynis erexit sacellum Marianum, ditavitque plurimis reliquiis pretiosè exornatis. Condidit etiam sacellum D. Antonii, & in sacellum convertit cubiculum, ubi habitârat olim vir sanctus Josephus Anchieta. P. Nonii à Cunea.

6. Observantiæ religiosæ in se, aliisque custos erat diligentisimus. Nobilisima prosapia nunquam eum ab amplexu religiosæ humilitatis dimovit. Si ægrotans accepturus erat divinam Eucharistiam, è lecto descendens, alienis brachiis nixus, de genibus sumebat. Uti lecticis & curribus duxit grande piaculum, & rem à Societate Lusitana alienisimam. Nostrorum antiquorum venerabiles memorias, nullus magis coluit, curavitq; earum conservationem. Ossa multorum Patrum virtute insignium ad suum tempus separata posuit distinctis loculis, &

lemmatis, in parietibus facelli D. Antonii. Magnum ille fuit rebus nostris & columen, & ornamentum.

P. Michaëlis Brandani. 7. In eadem domo 3. Novembris P. Michaël Brandanus Ulyssiponensis Nobilis. Ex assidua patientis Domini meditatione egregiam didicit patientiam, nec defuit exercendæ materia. Nemo detrahentem audivit. Sui profectûs accuratè studiosus quotidie Confessarii pedes adibat. Pecuniis suorum fratrum Equitum Melitensium comparavit bibliothecam Domui Professæ, & Ulyssiponensi Collegio relictam. Farense, & Eborense Collegia rexit.

P. Joannis Fialii. 8. In Collegio divi Antonii 7. Junii P. Joannes Fialius Ulyssiponensis, Philosophiæ Magister, felici præditus ingenio, annis florentibus è medio sublatus. Societatis amantissimus, ejus negotia naviter solicitabat apud Ministros Regis, quibus charus erat. Phthisi laborantem nobiles & locupletes parentes in suam deferri villam solicitabant, ut ibi diligentiùs ejus consuleretur valetudini; at renuit ille, nolle se, dictitans, mori extra domum Societatis. Ad anhelitum supremum conservavit integram mentem.

Francisci Velosi. 9. Eboræ 10. Septembris Franciscus Velosus Coadjutor Bracharensis. Strenuissimè laboravit in Algarbiensi pestilentia. Annis plurimis egit æditurum templi nostri Eborensis. Cùm videret adolescentem nobilem & sui, & loci sacri oblitum petulanter nimiùm cum fæmina æquè levi in templo nostro loquentem; accedens, eos modestè, & graviter admonuit offensionis datæ tantam licentiam intuentibus. Tulit ægerrimè fatuus adolescens sanctam monentis libertatem, statuitque necare æditurum: populo dilapso, in templi angulo se recondit, ut patret facinus, cùm Franciscus ierit obseratum portas. Igitur paratum manualem sclopum tempori adversus æditurum exonerat; sed glandes prope corpus transvolârunt lapidi impactæ, ne veste quidem demorsâ. Juvenis postea facti pœnitens correxit insanos mores.

Emmanuelis Pirii. 10. Conimbricæ 5. Januarii Emmanuel Pirius, pariter æditurus, Coadjutor multæ virtutis. Munda & nitida in templo curabat omnia, in Epiphaniæ cumprimis solemnitate: pridie Sanctos tres Reges illi à DEO mortem impetrâsse nonnullis est persuasum, tanquam pignus æterni præmii pro tam pio studio. Quo momento expiravit, unus sacerdos è nostris somno deditus, repentè somno discusso, videt ante se lucem insolitam. Cognitâ Emmanuelis morte, non dubitavit significari ejus animam participem lucis non interituræ.

Feliciani Amorimi. 11. Ibidem 9. Martii Felicianus Amorimus scholasticus primi anni Philosophici. Spectabilis modestia vultum, & oculos ornavit. Silentium sic coluit, ut verbum minùs necessarium non protulerit. Usu mentis perdito vi morbi, paulò ante obitum recuperavit, & postremis animæ refectus subsidiis tranquillissimè conquievit. Aprilis 22. Dominicus Britus scholasticus Goveensis, Ven. P. Ignatii Martinii consanguineus. Singulare ingenium ad scientias perdiscendas, & à teneris annis in agendo prudentia nobis promiserant non vulgaria, nisi mors immatura præcidisset in flore speratos fructus.

Dominici Briti.

P. Thomæ Cabralii. 12. P. Thomas Cabralius in eodem Collegio 3. Octobris. Ortus Cerolici. Quamvis polleret ingenio singulari ad magisteria, his animum non applicuit, sed studio religiosæ perfectionis. Commercus cum externis prorsus abstinebat: in confessionali solùm assiduus; centies eodem manè, si ad illud vocaretur, læto semper vultu accurrit. Triennio ante suum obitum vixit cæcus. Multùm tunc à nostris consulebatur in re morali, nam eas scientias apprimè calluit. Testes sunt, qui aut in verbis, aut in factis Thomæ nunquam viderunt vel levis culpæ umbram.

Leonis Riberii. 13. Ibidem 9. Octobris Leo Riberius Goveensis. Navigans ad Maderam Latinas docturus litteras, à Mauris Saletinis captus, durissimum servitium toleravit mensibus decem. Ejus per id tempus labor fuit vineas domini excavando, nonnunquam hoc in sudore usque ad noctem transegit jejunus. Noctu cum aliis captivis conjiciebatur in subterraneam domum. Sæpe tentatus, ut Mahumetis infamem superstitionem amplecteretur. Redemptus valetudine integrâ

tegrâ venit in Lusitaniam. Ulyssipone docuit anno Latinas litteras, missus Conimbricam audiendæ Theologiæ causâ, perniciosâ febri extinctus est. Post illius obitum cognovêre, postulâsse facultatem ad Indiam eundi, atque ipsi concessam.

14. Indiam petiverunt quinque sacerdotes, unus solùm erat Lusitanus, cæteri ex diversis regionibus Italiæ. Compulsi ventis ad Brasiliam, inde datâ opportunitate Goam direxêre cursum. Tres navem ad Maranoniam conscendêre, Emmanuel Pereira, Franciscus Riberius, sacerdotes, & Simon Luisius non sacerdos. Taviræ in Algarbiis oblata Collegii fundatio. P. Benedictus Lemius Eborensis Academiæ Theologicus Professor eò tetendit rem inspecturus. Cùm illa regio duo jam haberet Collegia, esséntque nonnullæ difficultates, non fuit, cur non rejiceretur.

Profecti ad Indiam. *Ad Maranoniam.* *Rejicitur fundatio Taviræ.*

15. Per Visensem diœcesim excurrêre comitantes Episcopum Joannem Mellum Ludovicus Taborda, & Antonius Figueiredus sacerdotes. Inter alios abusus, exterminatus est unus apud incolas Guardami. Si nocte domum redeunte pecore, deficiebat justus numerus; ut sciret pastor, an ovis aberrans, aut capra esset lupo futura prædæ, vel non, recitabat carmen, rogabátque alios & ipsi id recitarent. Si recitantium aliquis, memoriâ fallente nequiret ad finem eam cantilenam perducere, citra dubium opinabantur, inter dentes & ungues lupi periclitari pecus. Sin recitarent totum carmen, salvum pecus non dubitârunt. Ad faciendam superstitioni fidem, dicebant, aurorâ sequenti videri homines humanâ formâ augustiores, habentes humeris baculos, & pecus devium custodientes: interpretabantur esse defunctos consanguineos illius, cujus esset pecus. Aliis parco, quia sunt in hujusmodi excursionibus communia.

Missio in Visensi diœcesi.

Annus 1675. Soc. 136.

1.

IN Angliam navigârunt P. Benedictus Lemius, & Augustinus Laurentius, id postulante Reginâ, ut supplerent vices demortui Confessarii. Aprilis 29. solverunt Ulyssipone. Cùm adventârunt, jam Regina, ut sibi esset à confessionibus, alterius familiæ virum elegerat, ideóque facti sunt Reginæ concionatores. Quatuor sacerdotes se commiserunt Indicæ navigationi, Andreas Furtadus, qui Goâ venerat jussu Proregis ad quædam magni momenti transfigenda negotia. Franciscus Mendesius, Michaël Gomesius, Lusitani, & Josephus Franciscus senior Aragonius.

Profecti in Angliam. *Profecti ad Indiam.*

2. Septem piè vitâ functorum memoria superest agendo. Collegium Scalabitanum 8. Januarii amisit suum Rectorem P. Emmanuelem de Cruce, virum insignem moribus ornatissimis. Natus est Espitii in agro Leiriensi. Splendidum illi ad scientias ingenium. Litteras humaniores, & Rhetoricam docuit Conimbricæ. Nimia studendi aviditas sic debilitavit, ut proximus phthisi patiendæ fuerit: id malùm ægrè vitavit; propterea abstinere à cæteris magisteriis necessum erat. Non minoribus curis impendit se animæ suæ virtutibus excolendæ. Magistrum tironum Eboræ constituerunt: quas virtutes in se expresserat, novis instillavit Christi militibus. Materna suavitas fecit amabilissimum. In rebus ad pietatem spectantibus totus præ spiritûs dulcedine liquefiebat in lacrymas.

Moritur P. Emmanuel de Cruce.

3. Noctu chorum templi adibat, & coram DEO sub specie panis latenti horas non paucas orationi impendit. Durus in corpus suum diverso cruciatuum genere. Nihil illum æquè contristavit, atque tironem ullum tristem incedere. Redierat unus ex peregrinatione claudicans, jussit lavari pedem aquæ mixto sale: cùm postero die non cessâsset dolor, & ægrè pedem humi figeret; vocat in cubiculum, imperat nudari pedem, ac poni quietum in sedili: tunc Emmanuel flectit coram Crucifixo genua, & paulò pòst surgens signat pedem signo Crucis, dicens, sume tibiale, & calceum, & abi, nihil enim doloris te jam impediet.

Neque

Neque ampliùs dolorem sensit, aut claudicavit. Dum preces fundit in parvo sacello, nunc dicato Virgini à modestia, visus est à terra sublimis. Renunciatus Scalabi Rector dixit religioso quondam tironi suo gratulanti de novo magistratu: vellem mori inter meos novitios, brevì audies me vità defunctum. Ita contigit. Cerei in ejus funere exardentes tam parùm decreverunt in pondere, ut res sit habita par miraculo.

P. Emmanuel Riberius. 4. Aprili mense in Angolano Collegio vitâ recessit P. Emmanuel Riberius Salaciensis Coadjutor spiritualis. Annis tribus exercuit nostra ministeria Mazagoniæ in Africa. Postea missus ad Angolam duos & viginti annos illic transegit, quosdam in Collegio Congensi inter assidua vitæ pericula. Sæpe discurrit per remotas à mari provincias Apostolici viri munia obeundo. Adversus ægrotantes usus inexplicabili charitate. Severissimus sibi fuit, ac deditus multùm commercio cum DEO, ac divinarum rerum contemplationi.

P. Balthasar Tellius. 5. In Domo Professâ D. Rochi 20. Aprilis P. Balthasar Tellius Ulyssiponensis, septuagenario major. Eminuit in studiis humanioris litteraturæ; Bracharæ, Ulyssipone, Eboræ, & Conimbricæ primariam Rhetorices cathedram moderatus est. Philosophiam Conimbricæ, Theologiam professus Ulysipone. Typis commisit cursum Philosophicum, historiam hujus Provinciæ usque ad mortem S. P. Ignatii duobus voluminibus, & historiam Æthiopiæ. Fuit Socius Provincialis, Rector Seminarii Hybernici, & Ulyssiponensis Collegii, Provincialis, ac tandem Domûs Professæ Præpositus.

6. In tractandis sæcularibus, & nostris nemo illo urbanior. Composuit gravissimas discordias inter Canonicos Bracharenses, & Portuenses. Locavit in perpetuum tabernaculum cum Eucharistia in villa suburbana Conimbricensis Collegii. Postremis annis semper ante cœnam orabat in templo coram sanctissimo sacramento, postulans enixè, ne sine viatico decederet. Accipiens moriturus habuit gratias, quòd postulatis dignaretur annuere.

P. Ignatius Mattius. 7. Gafetii in Prioratu Cratensi 8. Decembris P. Ignatius Mattius. Ibidem hausit primam lucem. Valetudo debilis non concessit multùm in studia incumbere, idcirco vixit contentus gradu Coadjutoris spiritualis. Redux è Madera, ubi docuit Latinas litteras, à Mauris captus cum P. Antonio de Fontibus. Postquam est ereptus diræ servituti, cœpit phthisi contabescere, nihil proficiente aurâ patriâ, ad quam missus est.

P. Antonius de Fontibus. 8. Eboræ 14. ejusdem mensis P. Antonius de Fontibus, de quo anteà. Redditus è servitute Lusitano solo Eboræ, ubi est natus, docuit pueros alphabetum. Plurimùm assidebat expiantibus conscientiam. Honoris contemptor ab aliis sperni ambiebat. In Domo Professa Ulyssiponensi P. Franciscus Leitius (P. Franciscus Leitius.) in eadem urbe natus, ibidem professus Rhetoricam, & Philosophiam. Rexit Farense Collegium, & Maderense. Erat illi ad succurrendum miseris innata charitas. Multus fuit in audiendis pœnitentibus, & sacro suggesto, charus omnibus, & observans religiosus. Ibidem 29. Januarii Michaël Leitius Francisci germanus, indefessus operarius, sive die, sive nocte evocaretur. Negotia vinculis addictorum procuravit pari ipsorum utilitate, & charitate. (P. Michaël Leitius.)

Annus 1676. Soc. 137.

I.

Missiones. QUamvis hoc anno nullus ad transmarinas regiones iter adornaverit; non defuêre, qui per insulas Maderensem, & Michaëlensem excurrerent. Per illam PP. Christophorus Sequeira, & Josephus de Fontibus. Annis quoque præcedentibus alii non pauci eandem insulam excoluerant repetitis excursionibus. Pontædelgadæ, quæ Caput est insulæ Michaëlensis, noctu corripuit incendium domos viæ proximæ nostro Collegio, ut plerumque teguntur culmo, in cinerem momento redactas. Misit Emmanuel Gonsalvius Rector & nostros, & famulos, qui operam adhiberent restinguendis flammis. Miseriæ

riæ incolarum sublevandæ die sequenti nostri per urbem divisi ostiatim rogaverunt stipem; abundè à locupletibus data jacturam magna ex parte levavit.

2. Res cæteræ constanti quodam & amabili tenore procedebant. Dabatur opera usitatis ministeriis. Neque novitas aliqua se offert scriptori. Igitur ad enarrandas fratrum nostrorum virtutes digredi lubet, quibus vel frigidiores ad imitationem consueverunt inflammari. Eborensium incolarum numerum minuit calendis Martii P. Ludovicus Lopius, Vidigueiræ natus honestissimis parentibus. Eboræ Philosophiam tradidit, ibidémque instruxit tirones. Ivit in Brasiliam socius P. Mouræ Visitatoris. Per id tempus jam fuerat primus Rector Collegii Michaëlensis, & Visitator sociorum per insulas, jecerátque suis exemplis apud Fayalenses initia Collegio, quod nunc est. **Moritur P. Ludovicus Lopius.**

3. Virtutes Ludovicum sublevârunt inter præclariores hujus Provinciæ. Aliquando nonnulli sociorum sermocinantes inter se de rebus sanctis, interrogabant, quænam per id temporis actio ad virtutem pertinens esset perfectior? Respondit unus, id censendum perfectius, quod tunc ageret P. Ludovicus Lopius. Tanta erat existimatio de ipsius virtutibus, & Evangelicæ perfectionis studio. Ingressus Societatem proposuit tanquam singulare morum suorum imitandum exemplar divum parentem Ignatium; nec secus fecit.

4. Quamvis parentes divitiis abundarent, ab rebus curiosis, & non necessariis semper abstinuit: quæ offerebantur, non acceptabat. In suo cubiculo nec lagenam aquæ ad sitim placandam voluit. Unicum illi perpetuò pallium, videbatur par miraculo, quòd tot annis perduraret, etiam munitum centonibus. An dapes bene, vel perperam conditæ apponeretur, non attendit; nam commodi proprii vix alius negligentior. Vestigiis sanctæ Communitatis adhæsit. Familiaritas cum DEO erat ipsi instar alimenti. Transfixurus eum aliquando sicarius nudato pugione in cubiculum penetrat, cùm Ludovicum orationi intentum splendoribus micanti facie reperisset, ad conspectum inhorruit, & injecto divinitus metu inde profugit. In Brasilia à via aberrans, & ferè mersus in uligine Angelum ducem habuit. Plura per me typis vulgata sunt. Octo supra septuaginta recensebat ætatis annos, religiosi ordinis quatuor, & sexaginta.

5. P. Antonius Ferreira 6. Januarii, Ulyssiponensis, grande exemplum amoris in Societatem. Delatus tanquam reus commissi delicti in missione, carceri mancipatur: biennio latuit in eis tenebris, dum in ejus mores fit inquisitio. Nihil magis anxit religiosum virum, quàm de vocatione amittenda periculum; nihil enim apud mortales vehementiùs, aut teneriùs dilexit, quàm in statu suo perseverantiam. Ortus erat parentibus, qui abundabant, pollebat ingenio præclaro ad scientias, quas jam didicerat laude maximâ, eminebat dotibus ad exornandum sacrum suggestum. Hæc omnia, quæ minùs amantes virtutum facilè possent avellere à Societatis amplexu, non moverunt Antonium ad vel levissimè vacillandum in suo proposito. **P. Antonius Ferreira.**

6. Concessa illi est judiciaria tela, egregiè delevit imposita crimina, innocens pronuntiatur. Tradidit Philosophiam Ulysipone, Eboræ Theologiam, laureatus Doctoris gradu. Hujusmodi magisterio dans operam, syderatione percellitur, læsâ mediâ corporis parte. Deinde solùm vixit ad communem Collegii dolorem. Tempus consumebat visitando templum, & sacella, atque per singula momenta mortem præstolando; scivit ejus diem: nam pridie adivit amicorum cubicula, eisque dixit supremum vale. Id visum est hominis magis deliri, quàm sanæ mentis; sed aliud ostendit res ipsa: quippe sequenti die secundo mali petitus insultu de vivis excessit. Mortis horâ Conimbricæ apparuit cuidam de nostris inter quietem, ac dissipavit magnam, quâ premebatur, animi tristitiam.

7. Septimâ Decembris Joannes Machiadûs scholasticus Pinerii natus. P. Joannes Fonseca ejus in tirocinio Magister reliquit scriptum, fuisse moribus innocentissimis, studiosum proprii contemptûs, ac domandi corporis. Nondum annum expleverat post tirocinii biennium, cùm eum oppressit morbus su- **Joannes Machiadus.**

premus Eboræ Philosophiæ studentem. Cùm conscientiæ sanctitas miram ei pareret securitatem, mortis nuncium excepit hilaris, totúsque divinæ voluntati conformatus.

P. Didacus Rodericius.

8. P. Didacus Rodericius septuagenario major biduo pòst insecutus est juvenem senex, patriâ Arrayolensis. Rexit Conimbricæ tirones, & Collegia Brigantinum, ac Ulyssiponense, uti & tironum domicilium Ulyssipone. Verus sine dolo Israëlita. Genius ac mores intra legem prudentiæ candidissimi. Adeò deditus castigando corpori, ut Superiores modum adhibuerint, ne ultra senectam & annos in seipsum adverteret.

Gaspar Laurentius.

9. Ulyssipone in Domo Professa 6. Januarii Gaspar Laurentius optimus senex Coadjutor, natus in eadem urbe. Cum apud nostros, tum externos magnum nomen, & sanctitatis opinionem non vulgarem illi adeptæ sunt egregiæ virtutes. Communicatio præprimis cum DEO: ante orientem solem surgebat horis aliquot ad orandum in templo. Ipsamet facies externa videbatur hominis, cujus erat mens divinarum rerum contemplationibus immobiliter addicta. Manabat inde dulcissima quædam verborum affluentia de Deo, & virtutibus, sinceritas, mansuetudo, insignis in pauperes charitas, suíque odium laudabile. Diem eundem, quem natalem habuit, fortitus est fatalem, ùt dudum prædixerat.

P. Emmanuel Marquius.

10. Conimbricæ 4. Februarii P. Emmanuel Marquius. Natus in oppido de S. Romano. Plures annos docuit linguam Græcam, & Hebræam, etiam dum navaret operam Theologiæ. Morbis vixit multùm obnoxius, quos tulit invictâ patientiâ. Sic erànt amans obedientiæ, ut, cùm vix posset sustinere se pedibus, dixerit, si vel sic affectum in Angolam mitterent, iturum gaudio magno, ne verbo quidem addito ad declinanda Majorum imperia. Prope mortem quæsivit ex valetudinarii Præfecto, an illic essent sui calcei? eo, infra lectum esse, respondente: Bene est, inquit, permitte, vehementer lætor. Allusit ad eos, qui parvi facientes Societatem, ad quam vocati fuerant, calceos exuunt ad januam communem, ibíque relinquunt sumentes indumenta sæcularia.

Annus 1677. Soc. 138.

Fundatur Collegium D. Xaverii Ulyssipone.

1.

TAmetsi Ulyssipone Regium D. Antonii habeamus Collegium, amplum scholis, & facultatum studiis; pluribus tamen eget urbs tanta. Nec enim commodè juventus ex locis tam dissitis in unum potest confluere; neq;, si posset, tantam multitudinem aulæ caperent. Idcirco, quanquam Reges prohibuerint aperiri alia Gymnasia Latinitatis, præter nostra, dissimulatum est. Ulyssipone ad Orientem regio est, Alfamam nunc vocant. Ea pars urbis apud antiquos Ulyssipo fuit, nam amplitudo, longitudo, & ambitus, quo nunc gaudet, accrevit annis labentibus Alfamensi regioni. Ea pars Ulyssiponis, quamvis sit instar magnæ urbis, vix habet cœnobium Canonicorum Regularium S. Augustini, unde populus haurire possit aliquid instructionis.

2. Hanc veluti solitudinem suæ regionis perpendens Georgius Fernandius Villanova, vir nobilis, pius, dives, & sine hærede, condens testamentum, sua bona reliquit Societati ad fundandum in Alfama Collegium, dicandúmque S. Xaverio. Obivit Fernandius 7. Martii hujus anni. Aperto testamento, inventum est, injungi Societati Gymnasia tria, unum pro pueris elementariis, aliud pro studentibus Latinitati, tertium pro navigandi arte explicanda, sed hoc postremum nonnisi diebus festis horis vespertinis. Rogavit, ut Collegium esset vel ad habitationem Patrum Tertiariorum, vel aliorum, qui, æstivo, & hyemali tempore exceptis, discurrerent missiones obeundo per diœcesim Ulyssiponensem. Porrò legavit 150. cruciatos monetæ Lusitanæ dandos annis singulis Operariis Sinensibus.

3. Aditâ

3. Aditâ hæreditate, petivimus facultatem ad novum Collegium condendum ab Principe gubernante. Suis Consiliariis negotium commisit. Multi contradixêre, causantes, jam habere Societatem domos quatuor Ulysipone, necessarias non esse plures. Aderat Dux Cadavalensis rebus nostris semper amicus, cujus fuit judicium, non solùm debere concedi facultatem ad id Collegium, sed etiam ut Societas fundet Collegia in singulis regionibus, vicis, & urbis plateis ob commune bonum, & utilitatem ex nostris laboribus juventuti, & omnibus provenientem. Habitâ veniâ duo de nostris in Alfamam migrârunt; ibidem modò subsistunt quatuor, dum non erigitur ædificium, empto solo competenti. Hactenus alia, atque alia obstacula, quò minùs surgat, impediêre.

4. Octodecim electissimi operarii in Indiam transportati sunt, tribus excepti, Lusitani omnes. Nostros gubernabat venerabilis vir Gaspar Alphonsus, qui venerat Romam Procurator, & revertebatur nominatus Episcopus Meliaporensis, in qua dignitate vixit, & obiit sanctissimè. Conscenderunt navem dictam à S. Petro; in eadem vehebatur Petrus Almeyda novus Indiæ Prorex. Aprilis 19. egressi sunt Tagum. Octobris 28. Goam adventârunt. Quamvis diuturna fuerit navigatio, non est inter infaustas numeranda. Pervenêre sospites nostri omnes, non infestârunt turbam, ùt crebrò contingit, morbi. Juvit plurimùm Domni Roderici providentia, qui expertus aliis navigationibus, noluit conscendi navem ab ullo ex criminosis Ulysiponensium, aut aliorum carcerum. Ajebat enim ex hac fæce hominum oriri plerumque, ac vulgari in navibus Indicis morbos. Præterea ejusdem dynastæ vigilans cura & rigor summam pacem conservavit inter vectores, milites, & nautas. Profecti ad Indiam.

5. Hæc omnia fecêre locum pietati. Legebantur libri pii, exterminatis profanis. Nemo audebat tesseris ludere. Erant frequentes ad vitæ honestatem nostrorum exhortationes. Concurrebant ad eluendas per confessionem animas. Nocte veniente divisi in stationes novem alternis vocibus cantabant tertiam rosarii partem. Effulsit singulariter charitas P. Philippi Fairæ Itali; propterea non alio, quàm Sancti nomine vocabatur. Duos reduxit hæreticos.

6. Conimbricæ 7. Januarii hanc lucem deseruit P. Dominicus Cardosus natus Sandii in diœcesi Lamecensi. Missus ad Angolam pluribus annis inter assidua vitæ pericula vixit in regno Congensi, dum Hollandi tenuêre arcem Loandæ. Mirum fuit, quòd cum Rex non occiderit: id conatus est ipsi donò mittens vinum toxico medicatum ad peragendum missæ sacrificium. Quamvis enim Rex optaret ejus mortem, author tamen nolebat dici. Sed, cognitâ fraude, periculum vitavit. Recuperatâ Loandâ, migravit in Brasiliam, ubi ex concessione majorum, nam erat Coadjutor spiritualis, studuit Philosophiæ, & uno anno Theologiæ, quam restitutus Lusitaniæ, absolvit Conimbricæ, & nuncupavit professionem solemnem. Plurimus erat in audiendis ad confessionem accedentibus. Multas ægritudines tulit patientissimè. Obit P. Dominicus Cardosus.

7. Ibidem calendis Augusti corpore laxatus est septuagenario major P. Franciscus Teixeira, natus Arrifanæ de Sousa. Multos annos docuit Theologiam Conimbricæ. Dum occupatur hujusmodi magisterio, adivit exercitum, quem regebat in Beirensi Provincia Fernandus Tellius Menesius, ut in spiritu juvaret milites. Nimio labore morbum contraxit, unde amisit audiendi usum. Reliquam vitam transegit deditus orationi, aliisque piis exercitationibus. Diebus sacratis obtinendo Jubileo, rogavit æditum, quando nequibat audire confitentes, vocaret ad impertiendum populo sacrum panem. Quanquam surdus, semper assistebat concionibus in templo, & domesticis adhortationibus, ut observaret regulam id præscribentem. Flammatis ardebat desideriis divinam intuendi faciem: id suspiria tanquam expugnando Cœlo missa significârunt. P. Franciscus Teixeira.

8. Septuagenario pariter major Ulysipone in domo tironum de vita exivit P. Christophorus Azevedius, in oppido S. Martini de Mauris natus. Aliquot annos excoluit Lusitanos in Mazagonia: post alios magistratus rexit Eborense Collegium, & Academiam. Præter mores innocuos erat illi in subditos afP. Christophorus Azevedius.

fabilitas, suprà quàm dici potest, amabilis: de nullo diffidebat. Multam impendit operam volurandis, & notandis Sanctorum Patrum scriptis, cum ad sacras conciones, tum ad recreandam eorum sententiis animam. Elucebat in ejus factis, & verbis prudens & religiosa sinceritas. Acerbas ægritudines æquo animo perpessus est.

Fructus operationum Domûs Professæ. 9. Inter multa præclara, quæ sunt quotidiana Domui Professæ Ulyssiponensi, hoc anno junxit Christiano gregi plurimos Mauros. Nam captâ eorum navi, sacerdotes nostri curas applicuerunt ad illos veræ fidei lumine collustrandos. Magna pars abjecit Mahumeticas superstitiones. Protasius æthiops naturâ ferocissimus resti damnatus nullis adduci potuit suasionibus, ut animæ sordes per confessionem detergeret. Igitur Judicum imperio rapitur ad locum supplicii. Noster viæ comes in Regiam convolat, exponit Principi hominis duritiem. Reus ex itinere in carcerem retrahitur. Post dies aliquot tantùm sacerdos institit, ut expiatâ conscientiâ subierit furcam. Monachus sine habitu erat in publico carcere; ab annis duobus non accessit ad Confessarii pedes; emollitus à nostro, ut conceptum animæ virus per homologesim evomeret.

Incrementa Collegii Eborensis. 10. Ab anno 1674. regebat Eborense Collegium P. Emmanuel Ludovicus, domo Bejensis, è cujus gubernio multa Collegium cepit incrementa. Ille magnis expensis, & non minori felicitate, facto intra septum pomario à nomine S. Ignatii nuncupato, per fornices, & canales subterraneos, subter fundamenta Collegii à Purificatione apertos, aquam perennem derivavit ex profundo puteo in medio ædificii ad stagnum in pomario elaboratum. Idem in villa suburbana, quæ dicitur Valbonia, venâ perennis aquæ inventâ, pulchrum adornavit fontem D. Xaverio dicatum. Aulam præcipuam Academiæ litterariis actibus destinatam nobili picturâ variavit totam, effecitque pulcherrimam. Collegii laquearia, putrescentibus jam tabulis avulsis, vestire cœpit fornicibus, initio sumpto à pergula januæ communis.

Annus 1678. Soc. 139.

I.

Congregatio Provinciæ. UNiversæ Provinciæ conventu Ulyssipone coacto, elegerunt suffragatores Procuratorem Romam iturum P. Franciscum Lopium, Rectorem Elvensem, qui successit in Assistentis munere Patri Antamo Gonsalvio nimiùm seni, & morbido. In sacello Eborensis tirocinii locatum est Eucharistiæ tabernaculum 6. Januarii. Solemnitatem auxêre poëmata diversi metri ad id parata à nostris Junioribus, & appensa in lateribus sacelli. Regebat tirones P. Antonius Coutus Ulyssiponensis. Emit censum perpetuæ lampadi nutriendæ. Idem Magister curavit, amoto laqueari putrido, fornice sacellum contegi.

Locatur Eucharistia in Eborensi tirocinio.

Primus lapis templi Portalegrensis Collegii. 2. Portalegriæ 8. Maji positus est primus lapis templo Collegii, Rectore P. Michaële Diasio, qui venerat à regendis Eboræ tironibus. Reperit vel ob incuriam non excusandam, vel ob domûs inopiam plurima Sanctorum ossa condita in arca sine ullis ornamentis. Prima ejus cura fuit, sic illa exornare, ut cum debita decentia exponi possent. Huic pio operi & patrocinio Sanctorum tribuit Michaël incrementa, quæ deinde habuit Collegium: nam ex eo tempore, cùm antea premeretur rerum penuriâ, & angustiis rei domesticæ, cœpit augeri, & in dies melius habuit. Tectum vetusti templi egebat instauratione; sed prudentius visum est Rectori illud dejicere, servato tantùm majori sacello ad ministeria, & initium facere templo novo.

Missiones. 3. Per insulam Fayalensem sacerdotes duo sunt peregrinati. E Maderensi Collegio P. Josephus de Fontibus cum socio non sacerdote navigavit ad parvam insulam, ob infrequentiam desertam vocant: distat à Madera in Austrum leucis novem; ejus longitudo leucas tres, latitudo mediam habet: defenditur à præcisis rupibus, & præaltis. Solùm aditur duplici viâ valde difficili, unde rotatis lapidibus pauci numerosam multitudinem arceant ab accessu. Id

propter

propter Insulani tutissimi vivunt à piratis Africanis ea maria infestantibus. Terra est plana, producit triticum, hordeum, & legumina, abundat pecore, cuniculis, & perdicibus; olim magno numero gignebat aves canarias, sed assiduo aucupio jam illic raræ sunt. Caret fontibus, aquas pluviales hyeme excipiunt in cisternis ad id paratis: una solis hominibus aquam præbet, cæteræ pecori; nonnunquam sic exsiccantur, ut necessum sit è Madera aquam petere. Illò rarò pergit phaselus, nisi messis tempore, si vel aquæ, vel rei alterius urget necessitas; face dè loco edito dant signum, quo viso, protinus is, cui res curæ est, è Madera festinat.

4. Animæ erant omnino quatuordecim cum pecori custodiendo, tum excolendæ terræ. Nullus ibi degebat sacerdos. Unus semel in anno eò pergebat, ut satisfacerent annuæ confessionis, & communionis præcepto. Dum nostri ibi morantur, accuratè instruxerunt eos, cumprimis in actu contritionis, cujus erat major necessitas. Idem Pater receptus in Maderam, occasione Visitatoris missi ab Episcopo ad insulam Portum sanctum, in eam navigavit cum socio sacerdote. Octodecim leucis distat à Madera ad septentrionem: numerat ad sexcentas animas: abundat tritico; inde partem annonæ recipit Madera. Adventu Patrum mirâ sunt incolæ lætitiâ perfusi. Ab annis aliquot, quanquam solum est fertile, non reddebat solitum proventum. Id tribuebant irato Cœlo, quòd ibi per summam iniquitatem occisus fuisset sacerdos. Excitati ad scelerum dolorem expiârunt animas, supplicationes institutæ. Placari visa fuit DEI justa indignatio; nam sequens annus compensavit aliorum sterilitatem.

5. Vitæ metam attigêre. In Maderensi Collegio 9. Novembris P. Christophorus Sequeira Pinelnensis. Ab annis septem tradebat morales scientias optimo sui magisterii nomine. Quòd multâ polleret authoritate apud Episcopum, & insulæ Præfectum, erat miseris instar communis asyli; sciebant, & experiebantur naturâ benevolum, ac beneficum. Sæpe concionando, & confessiones audiendo excurrit per Maderam, & insulam à Portu sancto. Id erat magni exempli, quòd inter hujusmodi labores se quotidie flagello ciciderit, aliósque rigores consuetos adhibuerit sui corporis acerbus hostis. Affectâ jam valetudine, obivit concionem; inde mors accelerata. Mors P. Christophori Sequeiræ.

6. In Domo Professa D. Rochi 29. Januarii P. Hieronymus Lobus Ulyssiponensis, vir natus ad labores propemodùm infinitos pro bono animarum, ac Dei gloria exantlandos. Adivit Indiam, & Æthiopiam ad mare rubrum; inde cum Patriarcha, & aliis Evangelicis præconibus relegatus, ac traditus in manus Turcorum. Restitutus Indiæ, venit in Europam quæsitum remedia Ecclesiæ Æthiopicæ: reversus sine fructu Goam: ibi à Prorege per summam injuriam crudelia passus redivit in Lusitaniam. Tempestates, & naufragia tulit immanissima. In ejus vita per me in lucem data hæc omnia referuntur. P. Hieronymi Lobi.

7. Ibidem 28. Februarii P. Josephus Pereira, magnus vineæ Domini operarius, & moribus verè religiosis. Morbi subito impetitus insultu, vix malum evaserat, cùm, urgente ad confessiones concursu, sedit pœnitentibus aurem commodans. Hinc ejusdem morbi alius impetus traxit originem, qui ipsum in officio suo exanimavit. P. Laurentius Guedius 24. Novembris, natus Villæpoucæ de Aguiario. Docuit Ulyssipone Rhetoricam. Ob singulares dotes plurimi factus est à Principe Theodosio. Ivit in Hollandiam Confessarius Comiti Mirandensi Regis Legato. Eum in suum Concionatorem Rex elegit. Agonizantium, ut vocant, Sodalitatem in templo Domûs Professorum curæ habuit, & auxit multùm. P. Josephi Pereiræ. P. Laurentii Guedii.

8. In Collegio Portuensi 9. Octobris P. Ignatius Magalanius, ortus Villæmeamii diœcesis Portuensis. Podagra & calculus incredibiles ei peperit dolores patientissimè toleratos. Dum per vires licuit, strenuè obiverat nostra ministeria. Postquam suis pedibus nequiret adire sellam confitentium, rogabat eò aliorum manibus deportari, sedebátque, dum pœnitentes aderant. Ultra sex annos decubuit membris contractis. P. Ignatii Magalanii.

Annus 1679. Soc. 140.

I.

Moritur P. Franciscus Eduardus.

IN Domo Professa Ulyssiponensi duo præfinitum vitæ tempus compleverunt. 19. Maji P. Franciscus Eduardus, Fermoselienfis, Coadjutor spiritualis. Multa ipsi affabilitas inerat, charitas multa. Utraque fecit acceptissimum in Mazagonia. Postea egit Procuratorem Conimbricensis, & Ulyssiponensis Collegii, ac tandem Professæ domûs. Frequens in templo erat tum orando, tum visitando altaria, tum confitentes auscultando, ac dirigendo. Alter postemâ Decembris P. Antonius Mellus, in oppido S. Columbæ natus. Excoluit per annos aliquot Lusitanos in Mazagonia, & urbe Tingitana. Comitatus est P. Antonium Vieiram missum à Rege in Hollandiam. Ultimos annos exegit cæcus, ac morbidus.

P. Antonius Mellus.

P. Laurentius Rebellus.

2. Angræ 2. Maji P. Laurentius Rebellus Ulyssiponensis. Summo erat ingenio præditus ad quæque grandia. Verùm comitialis morbus sic eum afflixit, ut Medicorum consilio ad Insulas navigaverit, cùm judicarent illud cœlum hujusmodi morbo leniendo, vel frangendo esse idoneum. Appulsus ad Maderam cœpit è suggesto sacro verbum DEI proponere maximo audientium emolumento. Inde missus ad insulas Tertias, primus fuit Fayalensis Collegii moderator. Docuit inibi scholas, & Angrenses annis pluribus doctrinam moralem, in qua habitus est insignis Magister. Ejus nomen per illas insulas, & viciniam, fuit celeberrimum tum litterarum, tum virtutis opinione. Lacrymas ille prior effundebat è suis oculis, mox eliciebat ex alienis. Cadaver inter populi concurrentis lacrymas terræ est mandatum.

P. Joannes Cabralius.

3. Conimbricæ 14. Augusti P. Joannes Cabralius Lousanensis. Scientias Eboræ tradidit, ubi & insignitus laureâ Doctoris Theologici. Rexit Scalabitanum, Eborense, & Conimbricense Collegia. Visa est in eo antiqua sinceritas, & bonitas. Erga subditos, & egenos liberalis. Non ferebat nostros uti pannis aliis in vestitu, quàm coëmptis à Procuratore, cùm subditus, nescio, quid interioris indumenti haberet non soliti, quod coram ipso, & aliis conjecit in flammas.

P. Franciscus Aranea.

4. Eboræ 16. Maji P. Franciscus Aranea, domo Arronchiensis. Vix explicari potest ejus affabilitas, quâ sibi conciliavit omnium corda. Adeò laboris amans fuit, ut etiam in suprema senectute rogaret Ministrum, sibi exhortationes domesticas injungi, dicens, esse non boni exempli, otiosam vitam ducere. In Portuensi Collegio 22. Junii P. Dominicus Azevedus, tria vota solemniter professus. Tolerantissimus fuit in affectionibus corporis sustinendis. Semper in eo singularis micuit observantia S. obedientiæ, & studium fugiendi otii. Dum præsentes erant, qui vellent animas expirare, non surgebat è sedili confessionum. Rem domesticam administrans, etsi commoditatem suam negligeret, fuit summè studiosus alienæ.

P. Dominicus Azevedus.

Primus lapis templi Helviensis.

5. Julii mensis die quartâ positus solitâ cæremoniâ primus lapis Helviensis Collegii templo, præsentibus Episcopo urbis Alexandro Sylva, Joanne Gomio Figueiredo tormentorum belli summò Præfecto, Tribunis militum quàm plurimis, nobilitate, & innumero populo.

Annus 1680. Soc. 141.

I.

Profecti ad Indiam.

TAmetsi biennio proximo nulli navigaverant ad Indicas regiones, hoc anno undeviginti operarii selectissimi eum defectum compensârunt. Præerat omnibus P. Petrus Arochius Cetobricensis in Academia Eborensi Theologus Doctor, & Cancellarius, cujus generosum exemplum multos permovit.

movit. Novem ſpei ſummæ in Eborenſi Collegio vivebant, cæteri Conimbricæ. Præter unum Germanum, ac duos Belgas, inter quos erat P. Antonius Thomas matheſi præſtantiſſimus apud Sinas, cuncti fuêre Luſitani. Ex his P. Ludovicus Mellus natus Anſiami glorioſâ morte occubuit in regionibus Malabaricis.

2. Omnes conſcenderunt navem ab divo Antonio dictam. Die quartâ Aprilis de Tago provecti ſunt in altum. A nono gradu antè, ad octavum poſt æquatorem duo ſunt menſes conſumpti inter diros Guineæ calores, & morbos immodicos. E quingentis viris, quos portabat navis, ſolùm octo non decubuêre ægri. Rapuit mors duos ſupra quadraginta. De noſtris ſublati quinque. Adamus Uncidenſeldius ſacerdos Germanus obivit primus. Inſignem exercuerat charitatem ſuſcipiendo in ſe onus ægrotis omnibus conſulendi. Ex aliquot hæreticis tres ad fidem Catholicam traduxit. Inter acerbos dolores ex ipſius ore ſolùm audiebantur hymni, ac divinæ laudes. Alter P. Joannes Franciſcus, multùm juverat animas confeſſiones audiendo; proprii contemptùs amans, ipſe mundabat ſuppellectilem coquinariam; ejus converſatio erat frequentior cum aliquot militibus virtuti addictioribus. *Quinque noſtri obeunt.*

3. Hunc ſecutus Franciſcus Soarius ſcholaſticus recipiendus ad Societatem in India, verùm ad ejus ſolatium, & virtutis præmium veſte Societatis induerunt: quamvis eſſet multæ nobilitatis, gaudebat in navis ſoco curare noſtrorum eſcas, ceu coquus foret, aut viliſſimus ſervus. Mox diſceſſit P. Petrus Arochius, qui non ſolùm annis, ſed exemplo prævertebat cæteros. Plerumque diebus ſingulis portionem præcipuam in menſa ſibi appoſitam donavit pauperibus. Ad quæque pia opera nemo promptior. Admirati ſunt omnes ejus in diuturno, & crudeli morbo patientiam. Morti vicinus ſocios lacrymis profuſis rogavit veniam commiſſorum, quibus eos offendiſſet. Prope Caput Bonæ ſpei obiit.

4. Poſtremus ad Moſſambiquium defecit P. Theodorus Vilarius Belga; cujus æternam felicitatem DEus notam fecit Ven. P. Antonio Thomaſio in hac navigatione clariſsimo. P. Emmanueli Marquio prædixit diem, quo erat morbo opprimendus. P. Joſepho Soario rejicienti, quidquid eſcæ, vel potûs trajeciſſet, affirmavit id ampliùs non futurum. Eventus omnia probavit. Vigeſimâ quintâ Septembris perventum eſt Goam.

5. Conimbricenſe Collegium 2. Novembris capite ſuo orbatum eſt P. Joanne Gomeſio Caſteldevidienſi. Scientias magnâ laude profeſſus eſt Eboræ, & illuſtratus Theologici Doctoris gradu. Eaſdem facultates tradidit Ulyſſipone, ubi propter inſignem ſapientiam plurimùm conſulebatur. Rexit ſummâ prudentia, & integritate Collegia Bracharenſe, & Conimbricenſe. Erat miti genio, & amabili urbanitate præditus. *Mors P. Joannis Gomeſii.*

6. Eboræ 7. Decembris vitæ curſum abſolvit P. Petrus Nunius ortus Colarii diœceſis Ulyſſiponenſis domo locuplete. In tirocinio ob ægritudines dimiſſus è Societate, ubi convaluerat, nihil habuit potius, quàm in eandem reverti militiam; eam denuo complexus vixit inculpatis moribus, & obſervantiæ religioſæ ſtudioſiſsimus. *P. Petri Nunii.*

7. In domo tironum Ulyſſiponenſi 4. Septembris P. Franciſcus Villius, natione Gallus, Confeſſarius Reginæ Mariæ de Sabaudia. Magnæ illi dotes ad ſacrum ſuggeſtum. Rexit apud ſuos Collegia Molinenſe, & Aurelianenſe. Ut magis DEO vacaret, amavit ſeceſſum à commercio externorum, quantum admiſit ejus officium. Favit multùm egenis. Negotia ſecularia, tanquam rem à viro religioſo alienam, ſemper refugit. Hydropiſis de medio ſuſtulit ſexagenario majorem. *P. Franciſci Villii.*

8. In Domo Profeſſa Ulyſſipone 18. Julii P. Emmanuel Monterius octogenario major, editus in lucem Monfortii diœceſis Elvenſis. Præter alios magiſtratus egit Provincialem. Pecunias ab uno conſanguineorum datis comparavit bibliothecam Portalegrenſi Collegio relictam. Compoſuit, atque tyis vulgavit *P. Emmanuelis Monterii.*

vit aliquot libros meditationum. Opus de memoriis virorum illustrium Assistentiæ Lusitanæ reliquit imperfectum. Vir fuit sine dolo, laboris studiosus adeò, ut vel in senectute postrema rogaret Ministrum, sibi conciones & exhortationes injungeret faciendas.

P. Francisci Lopii. 9. Romæ 29. Julii P. Franciscus Lopius, Ulyssiponensis, Assistens, egregius concionator, quod munus annis plurimis Ulyssipone exercuit, semper cum aviditate auditus. Ideò P. N. Oliva eum eligens dixit, velle se honorare officium suum; quo significabat, & se Concionatoris munus præcipuè obivisse, & inde ad totius ordinis præfecturam evectum. Ibidem post non multos dies, nempe 1. Augusti, longâ ætate confectus est P. Antamus Gonsalvius Estremotiensis. Magnâ laude scientias professus Eboræ, ubi Theologicâ exornatus purpurâ primariam Academiæ texit cathedram. Præfuit Provinciæ Brasiliensi cum potestate Commissarii. Admotus aliis magistratibus undique satisfecit. Tandem creatus Assistens, senii, & valetudinis affectæ causâ, eâ curâ se abdicavit. Amabilis in viro sinceritas proluxit. Animas piacularibus flammis detentas tam frequens juvit, ut existimatum sit, eas apparuisse ipsi tanquam Benefactori.

P. Antami Gonsalvii.

Joannes Sequeira Martyr init Societatem. 10. Ex Candidatis in nostram conscriptis militiam recenseri meretur Joannes Sequeira, qui ad nos venit Eboræ 24. Octobris. Natus est in oppido Cabessa de vide diœcesis Elvensis. Gloriosissimâ pro fide occubuit morte in regno Tunquinensi. Illius vita, & martyrium circumfertur in libro, cui titulus: Imago tirocinii Eborensis Soc. JESU.

Tumulus Fundatorum Seminarii Ulyssipone. 11. Ulyssipone in templo Seminarii ex marmore surrexit tumulus ad condenda ossa Fundatoris, & lectissimæ ejusdem conjugis; illius defossis ossibus, inventum caput recenti adhuc capillo, perfundebat odorem suavissimum. Id cunctis præsentibus admirationem peperit, & argumento fuit de præclaris virtutibus, quibus vivens eminuerat.

Miraculum S. Xaverii. 12. Claudo hunc annum insigni favore S. Xaverii moniali in parthenone Brachatensi, quem à remediis vocant, impenso. Erat illa obsequentissima Xaverio, ejùsque novendiale fovebat. Olim primas tulerat inter moniales scientes musicen; nulla ipsam æquabat cantu & vocis suavitate: at ab annis duodecim vox erat raucedine vitiata. Cùm per se nequiret in obsequium D. Xaverii cantare, rogavit alias, id præstarent. Promiserat & hoc anno una, parabátque cantilenam bellissimè compositam; sed ejus sententiâ ad rem præsentem non erat. Aliam cantare renuebat illa. Quando, inquit, mihi, & meo Sancto non vis morem gerere, ego canam, meus Xaverius vocem restituet. Mirum! oriente primo novendialis die, surgit è lecto voce in pristinam dulcedinem reductâ. Res vulgata auxit in D. Xaverium venerationem. Monialis nunquam in canendo suavior, & acceptior, per novendiale totum cum plausu exaudita. Crevit etiam Bracharæ in nostro templo novendialis solemnitas, singulis diebus è sacro suggesto memorante Concionatore aliquod ex innumeris D. Xaverii miraculis: quod hactenus illic non factum fuerat.

Exempla in novenna S. Xav. Bracharæ.

Annus 1681. Soc. 142.

I.

Præpositus Generalis moritur. OS illud eloquentissimum 26. Novembris conticuit A. R. P. Paulus Oliva Præpositus Generalis. Quatuor Pontificum egit Concionatorem, ad quod munus excelsæ eum dotes adornârunt. Extant egregia volumina typis commissa, tanti viri singularia monumenta. Rexit ordinem maximâ prudentiâ. Suis exemplis, ac virtutum præclarissimarum documentis minimam Societatem nostram magnopere evexit.

P. Benedictus Pereira. 2. Patris optimi commemorationi adnecto filiorum in hac Provincia posthumam recordationem. Eboræ 4. Februarii septuagenario major annos æternos inchoavit P. Benedictus Pereira Borbensis. Floruit plurimùm tum virtutibus, tum litteris. Antequam Sacerdotio initiaretur, concinnavit quinque volu-

volumina ad humaniorem facultatem spectantia, refertissima omnis generis eruditione. Scientias sublimiores tradidit Ulyssipone, & majorem partem Eboræ; primariam Theologiæ cathedram in Academia moderatus.

3. Romæ librorum Censor, cùm revertisset in Lusitaniam, gubernavit Seminarium Ulyssiponense. Magno ingenio adnexuit studium indefessum. Scripsit, & in lucem edidit plurimos libros Reipublicæ litterariæ utilissimos, qui omnium evolvuntur manibus, & recensentur in Societatis scriptorum Bibliotheca. Addictissimus erat rebus sanctis, præsertim obsequiis BB. Virginis. Postremis annis ita usum memoriæ perdidit, ut vix recordaretur sui nominis: id majoribus litteris scriptum posuerunt in exteriori parte januæ cubiculi, quod inhabitabat, ut legendo sciret, id suum esse cubiculum. Tunc optimi, quos acquisierat, virtutum habitus se prodebant sponte suâ. Sacro missæ adfuit quotidie, in cella inveniebatur recitans divinum officium. Si misceretur sermo de rebus ad virtutem pertinentibus, loquebatur tanquam suæ mentis constans, in cæteris sibi non erat compos.

4. In Lapensi Residentia 26. Januarii P. Andreas Velosus Cerolici natus, Amantissimus laboris in Societatis ministeriis, suprà quàm dici potest. Corpus tractavit ùt insensum hostem. Majoribus se obtulit ad eundum in Angolam: regressus in Lusitaniam petivit mitti ad Maranoniam, quod non concessère. Habens missionem in Lapensi domo malignâ implicitus febre, enixè rogavit socium, tumularet corpus suum in domo Virginis prope tribunal, ubi solebat considere audiendo pœnitentes. Res ardua visa est, quòd tota Domus sit in rupe condita; propterea nostri, qui illic decesserant, humati fuêre in templo Quintelæ oppidi vicini: tamen sarculo, & ferramentis tentatus locus præter expectationem præbuit spatium sepulturæ. Primus ille fuit, qui in æde sacra Lapensi tumulatus est. P. Andreas Velosus.

5. Eboræ 25. Decembris P. Emmanuel Guedius, ortus Arrifanæ de Sousa, Doctor Theologus, & in Academia primarius Professor. Genius illi suavissimus, & innatâ urbanitate gratus. Coluit specialibus obsequiis DEI Matrem. Ad augendum honorem D. Xaverii curavit institui supplicationem in die ipsi dicato. Complexus Infantis JEsu pulcherrimum simulacrum inter tenerrima cum eo colloquia efflavit animam. P. Emmanuel Guedius.

6. In Collegio Portuensi 10. Novembris P. Antonius Alvarus. Deditissimus erat nostris obeundis ministeriis. Rexit Fayalense Collegium. Multum tempus cum die, tum nocte impendit orationi. Illius particulare examen semper fuit de conformitate cum divina voluntate. Quamvis morbi gravarent corpus, nunquam se audiendis confitentibus subtraxit. Mensibus vitæ postremis metuenda lepra totum infecit. In hujusmodi angustiis DEO infinitas agebat gratias valde conformis cum illius placitis. Quòd nequiret ad aras facere, quotidie reficiebatur pane fortium. Tanta de ejus sanctimonia invaluerat opinio, ut externi poscerent tanquam reliquias de suppellectili, quâ fuit usus. P. Antonius Alvarus.

7. Non minoris existimationis Scalabi 7. Junii P. Joannes Nonius, Villæcovæ Coelleriæ genitus. Conimbricæ tradidit Rhetoricam, & Philosophiam. Gaudebat ingenio felicissimo: sed scrupulorum tempestas assidua vix illum sivit respirare. Æedituo templi edixerat, ne permitteret abire pœnitentem ullum sine expiatione conscientiæ, vocarer se iturum sine mora. Nullus propemodùm obibat Scalabi, qui non curaret acciri Joannem ad se juvandum. Non egrediebatur januam Domûs, nisi ad aliquod charitatis opus vel missus, vel ab externis vocatus. P. Joannes Nonius.

8. In Farensi Collegiio 8. Decembris Paschasius Franciscus Coadjutor nondum annum absolverat post biennium tirocinii. Ad unguem explebat tempora destinata piis exercitationibus: quòd si die non poterat, minuebat noctu somnum, ne fraudaret animam suam ejusmodi subsidiis. Contigit, quemadmodum testatus est illius Confessarius, ut traduceret integras noctes orando. Mi- Paschasius Franciscus.

rùm affectus erat erga B. V. Conceptionem. Creditum est idcirco de vivis migrâsse intemeratæ Virgini sacro die.

P. Gonsalus Arezius. 9. In Collegio Michaëlensi 17. Aprilis P. Gonsalus Arezius, eodem in loco natus ex præcipua nobilitate, tametsi nihil minùs curavit, quàm natalium splendorem, & amplam divitiis familiam. Multùm apud Insulanos ejus pollebat authoritas. In peragendis nostris ministeriis nemo promptior, & magis assiduus. Vicinus morti novit unum de nostris esse animo parùm erga ipsum benevolo: sub alio prætextu coëgit adesse coràm, ac verbis humillimis, tanquam gravissimè læsisset, veniam flagitavit.

P. Antonius Diasius. 10. Ibidem 1. Septembris P. Antonius Diasius, Coadjutor spiritualis, Nisensis. Rectorem suo Seminario præfecerat Episcopus ob ejus prudentiam, & virtutem. Verùm ille altiora meditans, quæsito patrocinio, cœpit DEI voluntatem indagare. Inter preces sensit vehemens desiderium ineundi Societatem, eàmque amplexus est Ulyssipone, cùm septem & viginti numeraret ætatis annos. Ut se ad Evangelicæ perfectionis incrementa stimularet, illud Bernardi frequenter usurpabat: *Antoni, ad quid venisti?* Nuncupatis biennii votis missus est ad Collegium Michaëlense, ibi transegit reliquos vitæ annos, modò Procurator, modò Collegii Minister. His occupationibus addebat publici carceris curam.

11. Tantus erat ad eum, ut expiarent animas, concursus, ut non solùm matutino, sed & vespertino tempore cogeretur sedere pro tribunali. Ob perspectas omnibus virtutes eum ùt virum sanctum suspiciebant. P. Gonsalus Arezius, de quo proximè, illius confessarius ajebat, P. Antonium esse virum sanctimoniæ admirabilis. Et si non prior ille obiisset, ex eo multa fuissent cognita de P. Antonio. Artus suos sic ille flagellis, ferratis, & pilosis indumentis cruciavit, ut post mortem lividum corpus inveniretur. Divinarum rerum contemplationi semper de genibus dabat horas plures diebus singulis. Semel inter orandum repertus est à terra sublimis. Sæva ulcera orta sufferebat invictâ patientiâ, frequenter usus Pauli verbis: *cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Tum de nostris, tum de externis sibi quæsiverunt res, quas contrectavit. Vir sæcularis, cùm aliud non obtineret, secuit de capillis ejus partem.

P. Antonius Almeida. 12. Loandæ 13. Novembris P. Antonius Almeida. Studuit accuratè macerationi sui corporis. Quidquid apponebatur edendum, accipiebat tanquam stipem pauperi datam: idcirco non attendit, bene, an perperàm conditæ essent dapes. Quendam Majores designârant ad Angolæ missionem; verùm ille commodi sui magis, quàm religionis amans renuit parere, propterea expulsus: hostiam sanctæ obedientiæ litandam illico se obtulit Antonius. Dum in ea regione naviter explet optimi Societatis filii partes, plenus meritis ad præmia evocatus est.

Joannes Maya Benefactor. 13. Nostris adjungo Joannem Mayam sæcularem, qui 13. Novembris mortalitatem exuit Conimbricæ, & hæredem ex asse constituit Collegium. Ingressus olim fuerat Societatem, ùt erat genio, & naturâ verecundâ, illi gravissimum fuit cibos capere in triclinio coram tot hominibus, neque adhibitâ quantâlibet diligentiâ potuit puerilis hic pudor frangi: unde recessit in domum suam. Reliquam vitam duxerat indulgens genio suo secessum amanti. Supremùm decumbente illo, famulus vocavit nostrum P. Ariam Almeidam, ut ejus dirigeret conscientiam. Recordatus Joannes temporis, quo inter nos degebat, sua omnia bona reliquit nostro Collegio, rogans in templo nostro sepeliri tunicâ Societatis indutus. Pro ipso facta sunt sacrificia per totam Societatem.

Profecti ad Indiam. 14. Quindecim hoc anno vela fecerunt ad Indiam, sex Eborensi octo ex Conimbricensi Collegio. Superior omnium P. Franciscus Sarmentus, qui Romam iverat Procurator. Eborense Collegium misit Ludovicum Fernandium Scalabitanum, Carolum Colanum Hibernum, Josephum Carvalium Portalegrensem, qui postea Martyr occubuit in Tanjaorensi regno; Alphonsum Mendesium Villavissosensem, qui conflagrante navigio, & ipse consumptus est; Franciscum Pintum Lousanensem, quem S. Xaverius miraculo eripuit morti Goæ;

postea

postea migrans ad Japonensem Provinciam, illam rexit; Simonem Carvalium Eborensem, qui plurimis annis exactis in excolenda vinea Madurensi, modò, cùm hæc scribimus, senectutem degit in ora Piscaria.

15. Conimbricâ ivêre P. Emmanuel Carvalius, & Franciscus Laynius, Ulysiponenses; hic veniens postea in Europam, redivit factus Episcopus Mehaporensis. Annis proximis, ùt est creditum ex signis non dubiis, interemptus est veneno ex odio justitiæ, quòd perditissimos homines vellet corrigere. Emmanuel à Cunea Sangionensis. Franciscus Rodericius Borbensis. Antonius Proensa Soutensis. Alexander Sousa Chavensis. Ignatius Martinius Ulysiponensis. Franciscus Pereira Poyarensis. Antonius Guerrerius Castelvidensis.

16. Tres erant profecturæ naves. Prætoriam, in qua vehebatur Franciscus Tavora, conscendit P. Sarmentus cum parte sociorum, aliam dictam à B. Virgine de miraculis scanderunt reliqui. Initium 26. Martii factum est navigationi. Prorex, & navis alia 10. Septembris Goæ jecerunt anchoras, felici usui itinere, & à morbis libero. Navis, in qua cæteri nostri vehebantur, 27. Augusti Murmugamum prope Goam appulsa est, pari valetudine fruebatur. Multâ erga Societatem nostram benevolentiâ fuerunt usi, tum navis hujus Magister, tum Præfectus: hic solebat dictitare, se tum sæcularibus, tum aliis religiosis benefacere misericordiâ motum; at nostris ex amore, & debito. Alius in lamina cuprea gestabat scripta quædam carmina, quorum erat sensus: se unicè hominibus Societatis fisurum, &, quæ posset, bona facturum.

17. Ad Maranoniam perrexit P. Emmanuel Nunius, domo Serpensis. Moderabatur Eboræ quintum Grammaticæ Gymnasium. Secretissimè ambivit hujusmodi missionem, & pari secreto profectus Ulysiponem, quin aliquis id resciret. Maranoniam feliciter tenuit, illicque diligenter laborans ab indigenis unà cum aliis de Societate per summam injuriam est ejectus, & comprehensus à piratis, indigna apud eos perpetiebatur. Postea nostris imperio Regis in Maranoniam revocatis, ibi inter Neophytos obivit. *Profectus ad Maranoniam.*

Annus 1682. Soc. 143.

1.

MOrtuo, ùt anno superiore diximus, universæ Societatis Moderatore, habitus fuit Provinciæ conventus Ulysipone pro eligendis Romam ituris cum jure suffragii. Præsidebat Provinciæ P. Josephus Seixius, qui rediit è Brasilia, ubi Visitatorem egerat, successeratque P. Pantaleoni Carvalio. Igitur sunt electi Provincialem comitaturi P. Emmanuel Pereira Rector Eborensis, & P. Simon Teixeira Cratensis, qui jam multis annis Romæ vixerat. Curam Provinciæ reliquit P. Dominico Lousado Penichensi. In eis Comitiis præfectus est universæ Societati A. R. P. Carolus de Noyelle Belga Bruxellensis, vir notæ sanctitatis, & prudentiæ, quarum evidens fuit argumentum vel ipsa suffragantium concordia; omnes enim, ipso excepto, in eum contulêre suffragium. In Assistentem Lusitanum assumptus est P. Franciscus Almada. *Comitia universæ Societatis.*

2. Hoc anno in templo Betlehemitico apertus est tumulus Henrici Cardinalis Regis, quòd esset ex ligno, & Rex fieri juberet ex marmore instar aliorum illic quiescentium Regum, ac Principum. Cadaver occultè sunt intuiti de nostris P. Benedictus Rodericius Doctor Theologus, & P. Alphonsus Mexia: erat integrum, & vestimenta exornantia tam incorrupta, & munda, ut apparuerit esse recèns facta, & induta. Cùm Leo Henricius Confessarius Regis eis corpus vestierit anno 1582. Quod procul dubio tribuendum raræ Principis virtuti, ut tribuitur cadaveris integritas. *Aperitur tumulus Cardinalis Regis.*

3. Ulyssipone per hos annos P. Sebastianus Magalanius dabat operam convertendis Mauris, & non paucos ad fidem permovit. Unum comperendinantem, in secessu, quid suâ interesset, per otium perpendere jusserat. In quiete aliquando visa est Deipara uber lacte fluens dormientis admovere labris, ac di- *Conversio Mauri.*

cere: Quid cessas, fac jam, quod est facturus. Excitus somno sensit in ore dulcedinem insolitam, & humorem instar lactis. Attonitus fidem statuit amplecti. Sæpe aggressus est litteras ad Principem dare de novo animo, sæpe retardatus. Tandem incipiente litteras, quas toties laceraverat, exarare, Sebastianus domum ingreditur: quid agat? interrogat. Cui Maurus: scribo ad Principem, me velle tingi baptismo. Lætus Pater, absolve, inquit, epistolam, ut ego ad Principem feram. Gavisus Princeps tam bono nuncio, post acceptum baptisma Joannem Silverium Magalanium (sic voluit nominari) misit in Angolam præbito munere, unde vitam aleret. Moriturus eventum prædictum, quem ad id tempus obstinatè tacuerat, aperuit sacerdoti nostro illius postremam confessionem excipienti. Insuper rogavit, ad P. Magalanium B. Virginis in se misericordiam scriberet.

Profecti ad Indiam.

4. Sexdecim ad propagandam fidem concesserant in Orientem. Omnes vexit navis à S. Jacobo dicta, cujus erat summus Præfectus Cajetanus Mellus, volventibus annis Prorex, & quidem præclari nominis. Nostris præerat P. Mathias Fernandius Portalegrensis, venit a Malabarica Provincia missus Romam Procurator. Unus de nostris Michaël Amaralius, patriâ Zurarensis, inserat Societatem, postquam gradu Magistri donatus sexennio studuisset Juri Pontificio: micabat ingenio, ac cæteris dotibus spectandis. De ipso, cùm reversus in Europam, suo loco multa memorabo.

Conversio Joachimi Calmii.

5. Alius Joachimus Calmius Hamburgensis commercii causâ Ulyssiponem petiverat. Fortè de navi in littus descendit prope pagum Bethlemicum ad oram Tagi, ubi conspicitur regale cœnobium Monachorum S. Hieronymi: subit templum, quo tempore Monachi piissimè divinas canebant horas, ne unâ quidem sæculari personâ intra templi parietes versante. Observat attentè pietatem, modestiam sacerdotum, & exactam in obeundis cæremoniis majestatem præseferentem aliquid divinum, à fictionibus alienum. Tunc secum: Quomodo fieri potest, ut verum sit, quod docuerunt me Magistri mei, statum monachalem apud Catholicos esse merum artificium alendi vitam, & lucrandi pecuniam celebrando festa, & psalmos cantando? nullus adest populus, res divina tamen fit exquisitâ reverentiâ, & apparatu. Si fictio hos monachos permoveret; absente populo non tam accurati essent, ùt video. Igitur ùt hanc sum edoctus falsitatem, aliis me forsan imbuerunt. Hoc divino perculsus lumine cœpit cum viris orthodoxis apprimè doctis examinare suos errores: post maturam discussionem dissipantur mentis tenebræ; Romanam fidem complexus, init Societatem Conimbricæ. Brevì sic virtutibus excelluit, ut esset omnibus spectabile exemplum. Illius semi Lusitana, & rudia verba ad permovendos animos habebant vim humanâ majorem. Non multùm vixit in India.

Joannes Sequeira.

6. Joannes Sequeira virtutis raræ tyro, de quo jam anno 1680. memini, Eborâ migrârat Ulyssiponem ad continuandum biennium. Sentiebat intus uri se desiderio petendi Missiones Indicas. Cùm serviret in Domo Professa, quotidie convenit Provincialem flagitans, nomen suum ádscriberet Indicis operariis. Semel, atque iterum verbis consolatoriis eum Provincialis dimiserat. Tandem juveni importuno, vade, dixit, ne ampliùs intres hoc ostium, non concedam. Tunc Joannes: Bene est, abeo, rursus non attingam limen; sed sciat Reverentia Vestra, me ab eadem hoc anno ad Indiam mittendum. Dictum non curavit Provincialis. Navis erat per singulos dies profectura, cùm defecit unus è destinatis, vacabat locus. Postulatur à Provinciali, qui vices impleat Magister scholarum Collegii, qui se obtulerat; non annuit. Precatus igitur est Procuratorem, sibi tironem, vel laicum concederet. Hic ille: à me tiro identidem huc veniens petebat Indiam: eat Rª Vª ad Magistrum, si tiro in eadem mente est, do libenter. Percontanti Magistro lætus respondit: ecce ego; adjecitque, nunquid ego P. Provinciali dixeram, ipsum sponte suâ me missurum? Illi à S. Xaverio hanc injectam mentem fama per id tempus apud nos vulgârat. His, & multis virtutum gradibus ad martyrii coronam accessit.

7. Mar-

Fœda tempestas.

7. Martii 29, ventis faventibus, reliquerunt Tagum. Sævière in ea navigatione acuti morbi, & nostrorum charitati patebat theatrum. Ad Caput Bonæ spei fœdissima tempestas sic omnia turbavit, ut tantùm non merserit navem. Mirati sunt omnes, quod præsertim nostris incommodaverit. Nam vehebantur dimidiâ parte conclavis, ibat in alia Præfectus. Undarum, & venti furor partem ipsius conclavis ad nos pertinentis rapuit in mare, perfregit fenestras, tantam aquarum immisit vim, ut nihil intus fuerit, quod non sit madefactum, & corruptum. Ipsimet religiosi maduerunt tanquam in stagno mersi. Vestis adhærens corpori siccanda fuit. Quidquid conclavis ad Præfectum attinebat, erat intactum. Dæmon ex energumeno fassus est se dictam ruinam fecisse in odium nostrorum. Sedatâ tempestate, apparuerunt duo marina monstra magnitudinis & formæ horrendæ.

Nostri mortui.

8. Crevêre mala: de nostris unus tantùm non ægrotavit; de externis viginti duntaxat. Mortui sunt, 31. Julii P. Franciscus Sampayus post toleratum diebus quindecim morbum singulari patientiâ, qualis decebat virum innocentissimæ conscientiæ. Augusti 21. P. Josephus Gesmondus Italus: in eo morbo sustinuit tentationem vehementissimam de spe ponenda salutis æternæ: egregiè vir justus dimicavit cum hoste se invadente: planè est confessus, non potuisse sibi quid atrocius evenire. Goam 29. Augusti perventum.

Obit P. Joannes Serramus. P. Antonius Carvalius.

9. Conimbricæ 22. Julii è corporis custodiâ elapsus est P. Joannes Serramus Balesimi natus. Tradebat morales scientias præclaro, instructus ingenio. Porrò sortitus est animam bonam. Modestia, & exterior agendi modus significabant cor Deo plenum esse. Febri acutâ trigesimo die consumitur. Ibidem 15. Augusti P. Antonius Carvalius Bracharensis, & senioribus Provinciæ. Rexerat tirones Conimbricæ, Romæ egit pœnitentiarium ad Vaticani. Postremùm erat Instructor Patrum tertiæ probationis. Singularis illi charitas in ægrotos, & scrupulis agitatos. Plurimùm est misertus egenorum. Non sibi in laborando pepercit. Ante solis ortum surgebat, ut vacaret orationi, peculiariter B. Virgini devotus: ideò existimatum est benignissimam Dominam voluisse triumphum suæ assumptionis hujus clientis obitu augeri.

Josephus Carnerius. P. Emmanuel Lopius.

10. Collegium Eborense hoc, & sequenti anno vexatum est morbis instar contagii habentibus. Venerat Conimbricâ socius junior Josephus Carnerius Portuensis, 6. Junii absumptus. Inde creditum fuit initium factum morbo multos menses Collegii parietes pervagato. P. Emmanuel Lopius tironum Magister, vir piissimus, & moribus innocuis 15. ejusdem mensis decessit. Aliquando concionantem audiverat peccator, qui in vitiis obcalluerat: penetratus intimo dolore Patrem conquisivit, & homologesi fœdissimam detersit animam, nec post eam confessionem vixit plus uno die.

Josephus Fernandius. P. Antonius Gonsalvius. Josephus Crucius.

11. Julii 16. Josephus Fernandius Portimanensis tiro Coadjutor. Ob innocentem simplicitatem videbatur alter Juniperus. Erat triclinii Præfectus; unde dicebant socii, ipsum lagenis triclinii è manu pendentibus, & reliquâ sui muneris suppellectili onustum Cœlos intrâsse. Die 25. Septembris non è morbo adhuc grassante, sed phthisi absumptus est Antonius Gonsalvius Coadjutor spiritualis, qui musicen didicerat in Collegio Archiepiscopi Eborensis, & major natu Societati aggregatus est, modestissimus juxtà, ac patientissimus, Eboræ in lucem venit. Secundâ Octobris Josephus Crucius Coadjutor temporalis, bibliopega opificio, multâ charitate servîerat ægrotis.

Joannes Machiadus. Franciscus Nunius.

12. In dies magis febri sæviente, 7. Decembris occubuit morti Joannes Machiadus scholasticus, paulò post absolutum tirocinii biennium. Decimâ ejusdem mensis Franciscus Nunius Coadjutor Monsarasiensis: ab annis quatuordecim agebat valetudinarii Præfectum. Illius virtus erat notissima, cumprimis charitas in ægrotantes. Quotidie in se flagellis animadvertebat. Horas antelucanas orando prævenit, ut persoluto penso se ad reliquos labores compararet. Sic præsenti contagio cunctis invigilabat, ut eodem correptus malo ceciderit instar victimæ charitatis.

P. Ignatius Carvalius. 13. Decima tertia Septembris tres letho dedit. Primus erat P. Ignatius Carvalius, natus monte majore novo. Magnis clarebat dotibus. Mansuetiores litteras cum Rhetorica docuerat in Maderensi insula, Ulyssipone, & Eboræ summâ laude, sustinuitque theses de rebus hujus litteraturæ Ulyssipone. Philosophiam professus Eboræ, & postea moderatus est sacræ scripturæ cathedram. Morbo dejectus in lectum nihil aliud præter æternitatem cogitavit.

Joannes Seixius. 14. Alter Joannes Seixius scholasticus Marvamensis. In tirocinio vehementi tentatione pulsatus deserendi Societatem id à Magistro petivit obstinatè. Cùm Magister eum verbis nullis emollire valeret, accersit in cubiculum, ubi erat indutus veste, quâ solemus uti ad publicam flagellationem, & nudato tergo se flagris cruentum in morem cecidit, rogans, ne se daret præcipitem. Obstupuerat adolescens viri charitatem, & aliquantulum quievit. Cùm paulò pòst resurgeret vesana cura, translatus Conimbricam, quò Magister etiam migravit tirones recturus. Quia nec ibi omnino quiescebat, Ulyssiponem missus; ac tandem mente in melius mutatâ, Eboram rediens nuncupavit biennii vota. Agnovit ille Societatis charitatem, miratúsque est suas ineptias tam patienter latas à Magistris; nec fraudavit eorum spes: fuit enim optimus religiosus, charus omnibus; pollebat eximio ad scientias ingenio, & singulariter diligebat Societatem.

P. Emmanuel Luisius. 15. Hi duo antè auroram, post ortum solem raptus est Collegii Vice Rector P. Emmanuel Luisius Doctor Theologus, patriâ Bejensis. Triennio proximo rexerat idem Collegium; in ejus Academia explicuerat quondam Rhetoricam, Philosophiam, ac divinas paginas, egitque Cancellarium. Vix alius sui temporis eo benevolentior: omnium illis conversatio conciliabat amicitias. Scripsit, ac vulgavit vitam Principis Theodosii Lusitani. Præter Eborense gubernavit Collegia Elvense, & Ulyssiponense: in eis cum observantiam, tum rem temporalem multùm promovit. Inerat illi quædam innata generositas, & animus magnarum rerum capax, qui nec insolesceret prosperis, nec succumberet adversis, omni fortunâ superior. Nec defuit materia huic generositati exercendæ.

P. Petrus Marquius. 16. In Farensi Collegio 9. Januarii miserias humanas deseruit P. Petrus Marquius, Professor moralis Theologiæ; hujusmodi magisterio non obstante singulis annis quæsitâ opportunitate, per diœcesim excurrebat populos edocendo. Eodem mense, quo est mortuus, obtinuerat profectionem ad missiones

P. Simon Camonius. Indicas. Helviæ 25. Decembris P. Simon Camonius natus in oppido Cabessa de vide. Pollebat insigni ad sacras conciones talento; id Ulyssipone tam multùm exercuit, ut redditæ sint vires magno impares labori. Ne absumeretur, missus Helviam Rector, ubi plurimùm fulsit ejus in pauperes charitas: nec erat in illius potestate negare stipem roganti. Dictitabat ob id non minuendos, sed augendos reditus Collegii. Non defuit verbo sui servi DEus. Nam proventus solito uberiores reddidêre prædia.

P. Joannes Paiva. 17. In Domo Professa D. Rochi 23. Martii P. Joannes Paiva Ulyssiponensis Coadjutor spiritualis. Pingui sacerdotio fruebatur in templo maximo, ætatis numerabat sex & quinquaginta annos, cùm mundo remisit nuntium, multis jam exornatus virtututibus, nempe spiritu orationi, & corporis voluntariæ castigationi dedito. Juvit domûs paupertatem plurimis eleemosynis. In Ulys-

P. Dominicus Paiva. siponensi Seminario 4. Februarii P. Dominicus Paiva, Professor Theologiæ, natus Aldeæ novæ, magnâ litteraturâ, & majori virtute præditus. Moderabatur in Conimbricensi Collegio primariam Theologiæ cathedram. Coactus obedientiæ præcepto egit Bracharæ Rectorem. Non attingebat in mensa deliciatores epulas, si quando apponebantur. Specialiter consuluit religiosæ paupertati, nec ferebat in ea committi defectus. Quamvis magni fieret ab omnibus, propriæ laudis verbum nemo ex ipsius ore audivit.

Moritur Hiacynthus Gonsalvius Corrector. 18. Funeribus domesticis adjungo viri externi de nostro Collegio Conimbricensi benemeriti. Hic fuit Hiacynthus Gonsalvius Corrector nostrarum scholarum. Mira fuit illius innocentia, quæ Confessarium de materia solicitum

red-

reddebat. Dominicis, festisque diebus expiatâ conscientiâ, cœlesti pane animam roboravit. Quotidie aderat primo sacrificio, quod fit diluculo in templo nostro, ubi morabatur ad horam ineundi scholas; sub harum finem adfuit missæ pro scholasticis audituris celebratæ. Nemini nocuit, nullúsque corrosit vitam. Si novit scholasticos meretriculis deditos, sine mora curabat, ut è domibus migrarent. Quos punivit scholasticos, exhortabatur ad virtutem. Parem sibi nactus piam conjugem, quæ paulò antè maritum suum de vivis excessit. Ambo fuerunt sepulti in templo Collegii B. Virginis sacello à Nivibus. Hiacynthus reliquit Bibliothecæ nostræ annuum reditum eâ lege, ut Collegium de suo aliquid adderet; secus non frueretur legato.

Annus 1683. Soc. 144.

I.

NIhil remiserat pestilens morbus, de quo antè, grassari intra Collegium Eborense. Quintâ Januarii defunctus P. Josephus Quaresma Bejensis. Septimâ Andreas Giramus scholasticus natus Villævissosæ, constantissimus in amore Societatis, à qua eum non poterant avellere matris, & sororum importunæ preces. Decimâ tertiâ ejusdem mensis Joannes Nunius scholasticus Serpensis, morte contractâ ex assiduitate serviendi cæteris lue implicitis. Vigesimâ primâ Joannes Carvalius scholasticus Interamnensis, adolescens moribus religiosissimis. *Mortui Eboræ.*

2. Undecimâ Februarii P. Didacus Pereira Alvitensis, nobilis ingenii, & singularis virtutis; Juniorum agebat Ministrum. Sequenti die eorundem in spiritu Præfectus P. Maurus Almeida Alpakensis: egregiam operam navârat consolando ægrotos. Annis pluribus tradidit moralem scientiam in Fayalensi Collegio. Rector Angrensis promovit ædificium, atque pulcherrimum scholarum atrium construxit.

3. Aprilis 15. P. Ludovicus Eduardus Ulyssiponensis, Theologus anni quarti, & Magistri tironum socius. Ejus virtutes præclaras jam vulgavi typis. His victimis placatum genus illud morbi, quod Medicos torsit ignorantes mali radicem, & remedia. Qui deinde sepulti sunt, aliis de causis obivêre. Senectute 28. Augusti P. Emmanuel Moralius. Podagrâ 22. Octobris Michaël Gonsalvius Coadjutor. Abscessu 20. Novembris P. Emmanuel Cokassus Redondensis: viri omnes boni, & pii. Longâ fessus ætate 12. Decembris P. Emmanuel Mattius Castelvidensis, integerrimæ vitæ, cujus virtutes prælo commisi.

4. Decembris 14. ploravit Collegium Rectorem suum P. Emmanuelem Pereiram Doctorem præclaræ sapientiæ, natum Arrudæ. Theologiam est professus Eboræ usque ad primariam cathedram. Veniens Româ ex Comitiis generalibus tulit facultatem ad erigendum in nostro Eborensi templo sodalitium B. Virginis à bona morte. Primus ipse in ea solemnitate verba fecit. Rependit obsequium Virgo mater felice transitu illi concesso; nam stranguriâ diebus aliquot immaniter contortus toleravit acerbissimos dolores, velut animæ purgandæ ignem lustralem: tres dies postremos transegit sine cruciatu: his tranquillissimè ad ultimum agonem comparatus. Plurimis eleemosynis egenos solebat juvare; eas ipse cum subditis deportavit in carcerem; aliàs ostiatim in sportis eas mendicaverat ad eisdem vinctis succurrendum. *P. Emmanuel Pereira. Sodalitas B. V. à bona morte Eboræ.*

5. Romæ 9. Junii ad superam Societatem transiit P. Franciscus Almada Assistens, ortus Ulyssipone de primaria regni nobilitate. Captus in bello, regebat enim partem equitatûs, consideratâ ex successu parùm prospero rerum vanitate, se dicavit Societati, in qua docuit Theologiam usque ad primariam cathedram in Conimbricensi Collegio. Subinde gubernavit tironum domum, & Professam Ulyssiponensem. Semper studuit virtutibus, præprimis sui contemptui, & demissioni. *P. Franciscus Almada.*

6. Conim-

Alphonsus Nogueira.

6. Conimbricæ 13. Aprilis vixit Alphonsus Nogueira Fallensis coadjutor. Annos quatuordecim pharmacopolio providit magnâ cum erga nostros, tum exteros charitate, gratiâque conversandi methodo. Noctu se fraudabat somno, ut orationi tempus impenderet. Paupertatem eò tutabatur accuratiùs, quò plus periculi est administrantibus pecuniam. Vicinus morti, num quid scrupuli eum angeret, interrogatus, nihil, respondit; semper enim meas confessiones obivi, tanquam, illis absolutis, essem moriturus.

Missio in Masagonia.

7. Mense Julio appulsus est in Masagoniam P. Dominicus Fernandius cum alio sacerdote, ut ibi subsisteret loco eorum, qui erant in regnum venturi. Impigrè, & magno proventu apud indigetes exercuit nostra ministeria. Etenim fuit illi spiritus fervens in declamando adversus corruptos mores sine acceptione personarum. Vix fuit, qui ad ejus pedes conscientiam non exponeret. Nihilominùs ob dicendi libertatem à Præfecto apud majores delatus, dum in Lusitaniam rediisset cum socio ægrotante, aliquo tempore privatus est munere concionandi, quod ipse tulit invictâ patientiâ. Postea solitus dicere, non recordari se fecisse aliquid Deo gratius, quàm quæ in Masagonia ad ipsius majorem gloriam, & illius miseræ gentis utilitatem peregisset. Plura de Dominico jam typis vulgavi.

Moritur P. Carolus Sylveira.

8. Loandæ in Angola finem posuit 15. Junii gloriosis pro Dei honore laboribus P. Carolus Sylveira natus in Fayalensi insula. Ab initio vitæ religiosæ complexus ex animo studia virtutis. Eum præsertim ducebat spiritus in juvandam proximorum salutem, in quam totus incubuit apud Insulanos populares suos. Latioris campi incensus desiderio petivit ardenter in Angolam mitti. Ex insulis ad eam profectus ad diversas Brasiliæ oras vi tempestatum venit. Ubicunque de navi egressus, sine mora tradebat se missioni obeundæ. In Parayba sexdecim moratus dies, totus in concionando, totus fuit in audiendis ad confessionem confluentibus. Idem fecit Pernambuci, & in insula à Conceptione dicta, atque in D. Augustini promontorio.

9. Interim affulsit opportunitas vela in Angolam solvendi. Ibat cum potestate Visitatoris Nostrorum, sed ejus erant curæ salus indigenarum. Duobus annis, & mensibus sex, quibus in ea vixit regione, ter insulam totam Loandæ vicinam excolendo peragravit. Sunt Angolæ mediterranea alienigenis pestilentia, nullis periculis P. Carolus deterritus est. Infinita cremavit gentium idola, & veneficiorum instrumenta. Perniciosâ febre eum implicante, domum reversus, intra septimum diem extinctus fuit. Zelus in eo ardentissimus alios salvandi, & cura indefessa in se excolendo omnibus religiosis virtutibus.

Profecti ad Indiam.

10. Ad Indiam pauci hoc anno expediti sunt. P. Balthasar Rochia Macaënsis Provinciæ in Europam venerat Procurator. Ternos solùm habuit socios, Petrum Burguesium Genuensem, Joannem Antunium Lusitanum, sacerdotes, & Joannem Gonsalvium non sacerdotem.

Moritur Rex Alphonsus VI.

11. Duodecimâ Septembris curas mortales reliquit Sintræ Rex Alphonsus hujus nominis sextus. In eo tempori, quo regnavit, colluxerat Dei circa hanc nationem providentia, quòd Rex se permiserit regendum comiti Castelmeliorensi, viro prudentissimo, ac per id tempus de bono communi infinitùm merito. Cùm hæc anno 1720. scribuntur, vitam domi suæ cæcus degit in longa & venerabili senectute sanctissimis ornata exemplis.

Moritur Regina Maria Elisabetha.

12. Decembris 27. obivit Maria Elisabetha de Sabaudia, quæ nupserat Alphonso, sed per Pontificem declarato nullum fuisse matrimonium cum Alphonso contractum, nupsit Petro tunc Principi regenti. Plurimùm dilexit Societatem nostram. In templo tironum sacellum à Conceptione exquisito marmore, & magno sumptu jussit exornati, mente, ut dicunt, ibidem post fata quiescendi. Id postea non visum conveniens Majestati regiæ, quòd in majori ejusdem templi sacello ad latus Evangelii in Mausoleo sint condita Fundatorum ossa. An res ita fuerit, compertum omnino non habui. Sacellum ùt indotatum reliquit, sic est in hodiernum diem. Domui donavit legatum pingue. Ob

id

id per totam Societatem facta sunt à singulis sacerdotibus duo sacra. Semper usa est Societatis Confessario. Mortuo P. Villio, vocavit è Gallia P. Petrum Pomerum, qui post Reginæ mortem, dum vixit ejus Infans filia, eidem fuit à confessionibus. Reginæ cadaver tumulatum est in templo monasterii Capuccinarum, quod ipsa suis expensis erexerat.

Annus 1684. Soc. 145.

1.

SEx trajecerunt ad Indiam: Philippus Solossus, & Franciscus Noelus Belgæ, hic rediens in Europam causâ Sinicæ controversiæ de ritibus, modò vivit in patria sua. Joannes Antonius Arnedius, & Raymundus Arxus Aragones. Arnedus præclarus fuit apud Tunquinenses, veniebat ad Europam magnis de rebus acturus, sed eum intercepit mors in itinere ab India in Lusitaniam. Arxus ratione Sinensium rituum ex Sina migravit Romam, indéque reversus in Aragoniam, ibi decessit. Didacus Vidalius Lusitanus, annis labentibus missus Procurator Japonicæ Provinciæ Romam, in ipso reditu vitâ functus. Hi omnes sacris erant initiati. Emmanuel Martinius scholasticus Veirensis Lusitanus nondum sacerdos. *Profecti ad Indiam.*

2. Bejensis Residentia magnam hoc anno sustinuit procellam ab Archiepiscopo Eborensi. Adivit nostram ædem sacram, & tabernaculum Eucharistiæ lustravit, jussitque inde ferri pyxidem ad templum paræciæ vicinum domui nostræ, causans, sine facultate sua nos illic sedem fixisse, ædémque illam sibi esse subditam. Priori S. Salvatoris tradidit clavem tabernaculi. Reprehensa fuit facilitas Superioris nostri; ajebant enim non debuisse Archiepiscopo tabernaculi clavem tradere, nec præjudicium inferre juri, & privilegiis à Sede Pontificia Societati concessis. *Vexatur Bejensis Residentia.*

3. In Eborensi Collegio 13. Aprilis phthisi contabuit P. Matthæus Carvalius Portimanensis. Semper ejus apud nos mores habiti innocentes. Præscivit tempus mortis suæ, dixitque Ven. P. Joanni Fonsecæ, ipsum morienti sibi adfuturum. Evenit, ut P. Fonseca è missione redux ad januam Collegii audiret signum campanæ, quo solent vocari ad morientes socii. Sciscitatur, quis esset? audito nomine, petit in valetudinarium. Adventantem intuetur, & agnoscit Matthæus. Sumpto Crucifixo juvat Fonseca piis verbis ad mortem sanctè obeundam. *Obit P. Matthæus Carvalius.*

4. Ibidem 28. Julii inter vivos esse desiit P. Ludovicus Cardeira Alvitensis Doctor Theologus. Sacra Biblia exposuerat in Eborensi Academia. Præstanti viguit ingenio, talentóque ad sacras Conciones. Cùm alterius sacræ familiæ religiosus sciret Cardeiram apud nos aliqua pati acerba, invitavit, ut Societate desertâ, ad suum transmigraret ordinem; cui ille: volo potiùs esse sub omnium pedibus in Societate, quàm in alia religione super omnium capita. Exequias illi celebravit in templo nostro amicus ipsius in paucis Augustinus Pimentelius Canonicus Eborensis. *P. Ludovicus Cardeira.*

E. In eodem Collegio 24. Octobris P. Simon Teixeira Cratensis, vir ævi veteris, & sine dolo. Romæ vixit annis pluribus, ut comparavit selectam Bibliothecam, quam reliquit Bejensi Collegio. Nihil magis odio habuit, quàm discordes animos inter viros religiosos. In ejus verbis, ac factis eminebat singularis vitæ innocentia. Rexit Collegium D. Antonii. *P. Simon Teixeira.*

6. Bracharæ 30. Aprilis P. Joannes Carvalius Collegii Rector, natus monte majore veteri. Tum Rhetoricam, tum altiores scientias usque ad cathedram primariam Theologiæ cum plausu tradidit Conimbricæ. Sui temporis habitus est præclarus Magister, & Concionator. His adjecit virtutum ornamenta, raram modestiam, singularem mansuetudinem, & patientiam in adversis, quæ non defuerunt, multum orationis studium, infensum odium adversus *P. Joannes Carvalius.*

seipsum, suique corporis macerationem. Romam Procurator missus non multò post reditum obiit summo omnium dolore.

P. Gaspar Alvarus.

7. Ibidem 7. Maji bonus senex Gaspar Alvarus Bracharensis. Provincialem egit in Brasilia, Rectorem tironum, dein Conimbricensis Collegii. Solidis munitum virtutibus illud est argumento, quod annos viginti administrâsset bona Residentiæ Pedrosi tam accuratè suo profectui studens, ut vocatus fuerit Conimbricam ad instruendos tirones. Nec enim rerum temporalium tot continuatis annis procuratio studium hebetaverat virtutum.

P. Antonius Coutus.

8. Cetobricæ 1. Aprilis P. Antonius Coutus Ulyssiponensis. Rexit Eboræ, & Conimbricæ tirones. Docebat exemplis, quos formabat in spiritu. Rector effectus Cetobricensis Collegii, dum invigilat procurandis Collegii sui bonis tempore non commodo, febrim contraxit malignam. Scalabi 7. Octobris P. Franciscus Luisius. Plurimùm consuluit animæ puritati. Diebus singulis ad pedes Confessarii se sternebat. Acutos dolores corporis tulit patientissimè. Morbo postremo tantâ fruitur animi pace, ut inter urentem febrim identidem cantiones iteraret apud Lusitanos celebres de Puero JESU Lapensi.

P. Franciscus Luisius.

Dominicus Alvarus.

9. Angræ 8. Decembris Dominicus Alvarus Coadjutor. Nihil se ipso vilius & abjectius apud mortales reputavit. Singularis ejus erat charitas, præsertim erga ægrotos, & egenos. Sæculares ùt virum sanctum suspexêre. Corpus quamvis morbidum afflixit scuticâ, & jejuniis: necessum fuit, ut Rector hanc piam inclementiam temperaret, ne vitam plus justo contereret. Conceptionem Virginis specialibus venerabatur obsequiis: forsan magna Mater volens clienti suo rependere tot officia, concessit abitum die prædictâ.

Annus 1685. Soc. 146.

1.

Lues in Angola.

IN Angola contagio tam atrociter sæviente, ut ex omni multitudine cum Lusitanorum, tum Nigrorum vix sex, aut septem inventa sint capita, quæ lues non tetigerit, raptis multis sacerdotibus, aliis tabe implicitis, labor omnis nostros oneravit. Ipsi discurrebant bini per totam urbem; neque animabus solùm, sed & corporibus prospexêre, tritico, sacharo, oleo, & aceto procuratis, id enim hujusmodi morbis erat remedium præsens. Mittebatur Collegii carrus cum dolio aquæ pleno modò ad has, modò ad illas urbis vias, & compita, dividebatur per domos aqua. Eò enim miseriæ deventum erat, ut nec mancipia ob morbos aquæ portandæ forent idonea. Supra tercentum mancipia interiêre; ex his plurimi erant opifices, quorum laboribus magna ex parte alebatur Collegium. Neque hoc immune fuit ab strage. De nostris duo, qui se totos intrepidi devoverant omnibus periculis, graviter eodem morbo sunt prostrati; sed tandem recuperatâ valetudine, se miscuerunt eisdem periculis, amore vitæ contempto.

2. Franciscus Tavora summus Præfectus, cujus palatium est è regione Collegii, observatis nostrorum indefessis laboribus, & erga pauperes liberalitate, ad Regem scribens omnia, effusus est in laudes nostræ Societatis, ad Cœlum evehens ejus omnibus locis operam, & bono communi utilem charitatem. F. Emmanuel à Nativitate Franciscanus Angolæ Episcopus religiosissimus extremùm ægrotans non alios voluit in ultima lucta adjutores, quàm nostros: continuatis diebus novem ad ejus caput in orbem assedêre piis alloquiis consolando.

Moritur Angolæ Episcopus.

Conventus Provincialis, Domicilia tironum Eboræ, & Conimbricæ extinguuntur.

3. In Comitiis Provincialibus Romam mittendus Procurator electus est P. Dominicus Leitamus Grandolensis. Solutâ Congregatione P. Josephus Seixius Provincialis executioni dedit P. N. Generalis secretum hactenus mandatum de transferendis cunctis tironibus Eborâ, & Conimbricâ Ulyssiponem. Præcepto imposito tum secreti, tum executionis duobus Magistris, ut scilicet sub specie peregrinationis ternos, quaternósve Ulyssiponem mitterent. Cùm est cognitus peregrinationum finis, ægrè id tulit omnis Provincia, quòd pauco-

rum

rum consilio in re tanti momenti sit facta mutatio, quam semper ipsamet experientia ostendit in hac Provincia parùm idoneam optimæ tironum educationi.

4. Quatuor duntaxat peregrè iverunt ad Indos. P. Antonius Paciecus ortus Ponte limensi. P. Emmanuel Crucius Tancis natus. Dominicus Nunius scholasticus Covillanensis. Emmanuel Ozorius etiam scholasticus Carapitensis; hic multùm valuit apud Sinensem Imperatorem. Reliquit ex bonis hæreditariis Residentiæ Lapensi supra decem aureorum millia. Profecti ad Indiam.

5. Mense Julio jactus est primus lapis ædificii Lapensis, & cœpit esse Residentia stabilis jussu P. N. Generalis, cùm hactenus solùm ad tempus illuc ivissent duo sacerdotes ad concionandum, & confessiones audiendas. Eleemosynæ visitantium ædem Virginis, quæ sunt Conimbricensis Collegii, recipiebantur per presbyterum externum virum probatæ conscientiæ. Solum ædificii, quod erat lapis penè nudus, pertinebátque ad vicinum oppidum Quintelam, à Rege donatum fuit Societati. Ædificium, cùm hæc scribuntur, dimidiâ parte jam factum, totum est ex lapide quadrato, firmum, & pulchrum. Initium Residentiæ Lapensis.

6. Ad vitæ exitum vocati sunt: in domo Professâ Ulyssiponensi 21. Januarii P. Pantaleon Carvalius Portuensis. Societatem inivit Conimbricæ ætatis anno vigesimo sexto, erat Collega in regio S. Pauli Collegio. Post tirocinium instanter rogavit missiones Indicas. Cùm id negatum fuisset, diversas obivit per Lusitaniam missiones vivendo more Apostolico. Fuit indefessus ad conciones habendas, quotiescunque vellent majores. Ajebat se persimilem soleæ calcei, venisse ad Societatem, ut sub pedibus omnium esset semper. Modestia innata, & cæterarum virtutum exercitia faciebant spectabilem. Post alios magistratus rexit totam Provinciam. Moritur P. Pantaleon Carvalius.

7. Scalabi 10. Octobris Rector Collegii P. Doctor Benedictus Rodericius. Patriam habuit Olivensam. Tradidit scientias tum Ulyssipone, tum Eboræ: ubi & egit Cancellarium: per id tempus, cùm deficeret, qui ludum puerorum, ubi discunt legere, moderaretur, ipse se substituit, & Magistri explevit vices, mirante totâ Academiâ Cancellarii sui humilitatis studium. Vir fuit, qui vel externo habitu latentes animi virtutes indicabat. Multa pietas, & lacrymarum dulcedo, zelus ardens excitandi peccatores ad criminum dolorem Benedictum incendebant. Tam addictus fuit B. Virginis obsequiis, ut fama fuerit ipsam Virginem illi se dedisse spectandam. Tandem erumpente herpete, chirurgi scindendum pedem, si vellet vivere, pronuntiârunt. Ad hæc ille, nolle se vitam inutilem, & oneri sociis futuram. P. Benedictus Rodericius.

8. Conimbricæ 18. Aprilis P. Franciscus Amaralius Guimaranensis. Plenissimæ ad sacrum suggestum dotes eum reddidère sui temporis excellentem Concionatorem. Ad id munus in sacello regio exercendum electus est ab Rege Alphonso VI. sed eo dignitate spoliato, Scalabim ad exilium missus Amaralius multa tulit constanti patientiâ. Nunquam abstinuit à laboribus sui muneris; inde migrans Conimbricam solita opera prosecutus est. P. Franc. Amaralius.

9. Angræ 5. Junii P. Nicolaus Teixeira, natus in S. Georgii insula. Studio salvandi animas ivit ad Maranoniam: facto naufragio, ùt suo loco memoratum, unus ex paucis fuit, qui sospites evasère. Postea nostris inde ejectis, veniens in Lusitaniam, tradidit Philosophiam, & morales scientias Conimbricæ. Dein factus Rector Angrensis. Multæ fuit authoritatis apud eas gentes. Strenuam operam impendit semper Instituti nostri ministeriis. P. Nicolaus Teixeira.

Annus 1686. Soc. 147.

I.

Romæ duodecimâ Decembris ad æterna sese recepit tabernacula universæ Societatis Moderator Venerabilis vir P. Carolus de Noyelle, nostri juris peritissimus, virtutúmque omnium ornamentis instructissimus. Quod etiam DEus manifestum fecit non dubiis argumentis. Eram in Collegio Michaë- Carolus de Noyelle Generalis moritur.

chaëlensi, cùm illius sunt justa concelebrata, cerei omnes, qui arserunt in exequiis, nihil amiserunt ponderis, quo conducti fuerunt. Id Romam scriptum est, ne tam evidens de illius virtute testimonium lateret posteritatem. Ingens de Noyellio apud Romanos opinio fuit, & erant notissima exempla, quibus eam promeruit.

Profecti ad Indiam. 2. Indiam petivêre non plures tribus. P. Josephus Pereira, & P. Emmanuel Pimenta, Ulysiponenses. Pereira plenus meritis, & multæ senectutis apud Malabares diem obivit. Pimenta dimissus è Societate rediit Ulysiponem, ibique rursus Societatem ingressus est, ac Indiam repetiit. Tertius Franciscus Almeida nondum sacerdos.

Moritur P. Petrus Peixotus. 3. In Domo Professa D. Rochi provectâ senectute extinctus est 8. Octobris P. Petrus Peixotus Ulysiponensis. Conimbricæ Philosophiam, ac sacras litteras exposuit. Multùm promovit Ulysipone venerationem S. Xaverii introductâ novennâ; unde cætera Collegia nostra, & plurimæ moniales in cœnobiis, ac suis in templis non pauci per Lusitaniam Parochi devotionem hanc induxêre.

P. Franc. Castelbrancus. Conimbricæ 1. Augusti obiit P. Franciscus Castelbrancus Lamecensis. Post traditam Conimbricæ Philosophiam nostris ministeriis navavit operam egregiam. Specialem nactus est modum ad tirones, & juniores in virtute instruendos. Scientiam discernendi spiritus præclaram habuit. Tumor in faucibus crescens bene comparatum oppressit.

Annus 1687. Soc. 148.

1.

Novus Generalis. Vicarius Generalis Dominicus Maria de Marinis Assistens Italus indixit comitia universæ Societatis in diem vigesimam primam Junii hujus anni. Hanc regebat Provinciam P. Andreas Vasæus, qui successerat Josepho Seixio. Habito de more Provinciæ Conventu, electi sunt cum jure suffragii comitaturi Romam Provincialem, P. Joannes Fonseca Rector tironum, & Emmanuel Sylva, qui postea fuit Provincialis. Romæ 6. Julii electus est Præpositus Generalis Thyrsus Gonsalez Hispanus. Lusitaniæ Assistens mansit P. Antonius Regus, qui munus id obibat, ex quo humanis exemptus est rebus P. Franciscus Almada. Hæc fuit tertia decima Congregatio universæ Societatis.

Nuptiæ Mariæ Sophiæ cum Rege Petro II. 2. In hunc annum incidêre secundæ nuptiæ Regis Petri secundi cum Maria Sophia Palatini Electoris filia: Ut sibi esset à confessionibus, secum duxit nostrum Leopoldum Fuesium, virum summis virtutum ornamentis præditum. Importavit illa nostræ Lusitaniæ, & Societati tempus aureum; ùt Annales ostendent suis locis.

Profecti ad Indiam. 3. Sex tantùm dedimus Indicis Missionibus, Josephum Coutinium, & Josephum Ribeirum, Ulyssiponenses; Emmanuelem Bravum Castelvidensem, Josephum Pirium Penelensem, Philippum Felicem Carrocium Saubaudum: hi sacerdotes erant. Stanislaum Macbiadum non sacerdotem. Bravus complures annos laboravit apud Tunquinenses, ibique piè decessit. Pirius apud Cochinchinenses insudans propagando fidem, in ejus odium carceri addictus, & omni alimento privatus, ut fame periret. Erat jam vicinus morti, & sine ullo sensu, cùm P. Arnedus Regis Mathematicus ipsi vitam ab Rege impetrans, paulatim cibo fovit, ac vitæ restituit. Vix dici potest, quas pias querelas Pirius adversus Arnedum pronuntiârit, quòd se à martyrii palma avulsisset. Indigebat planè solatio Pirius, cui non defuit Arnedus.

Aperitur novum templum Scalabitanum. 4. Magnâ solemnitate 9. Februarii apertum est, & cœpit usui esse novum templum Scalabitani Collegii. Rectorem agebat P. Dominicus Ferreira. Dicatum est, ùt Collegium, sacrosanctæ Virginis Conceptioni. Sequentibus annis & laqueare egregiâ picturâ, & ara major pegmate lapideo affabrè variato sunt exornata.

5. Anno

Professi ad Maranoniam.

5. Anno 1684. Lusitani Maronenses indignati, quòd nostri homines fræ-num injicerent eorum cupiditati Brasilos captivandi, & in servitutem asserendi, seditione factâ nostros omnes de Maranonia exterminârunt. Insanam audaciam oppressit Regis pietas, illuc misso Præfecto cum navibus, & milite. Restituti sunt nostri. Hoc anno quatuor sacerdotes, Jodocus Perius, Antonius Coëlius, Antonius Fonseca, & Emmanuel Borba cum Francisco Xaverio Coadjutore ad eas regiones navigârunt. Coëlius floruit egregiis virtutibus, ùt typis edidi in secundo volumine de Novitiatu Conimbricensi, & in anno glorioso. Fonseca, & Borba inde facti Societatis, in Lusitaniam missi ad studendum scientiis, absolutis studiis eòdem remeabant.

Mors Joan. Rodericii.

6. Supersunt monumenta defunctorum. Conimbricæ 4. Februarii spiritum vitalem reliquit Joannes Rodericius Coadjutor faber argentarius. Noluit otiosum hoc opificium: ad augendum cultum divinum multa ex argento confecit. Divitem lucra reddiderant, cùm ad nos accessit; unicè quærens religiosam paupertatem, hanc semper coluit. Asperum naturâ suâ genium sic domabat, ut appareret mitis. Multum illi cum DEO commercium, specialiter postremis annis, quos transegit cæcus.

P. Pauli Mendesii.

7. Eboræ 2. Aprilis P. Paulus Mendesius, ortus Monte majore novo. Rexit domum Villævissosæ, Funchalense, Farense, & tandem Conimbricense Collegium; ibi ægrotans, cùm remedia nihil proficerent, Medicorum judicio coactus est Eboram reverti, ubi meliusculè habuit, ac Pro-rector Collegii fuit. Moribus erat antiquis, sine fraudis umbra. Suo loco narratum est, quæ pertulerit à malo dæmone in agro Farensi, dum eum exterminare ab domo infesta conatur. Calumniam à puella impactam, vitæq; periculum feliciter declinavit.

P. Dominici Lousadi.

8. Ibidem 2. Augusti P. Dominicus Lousadus Penichiensis. Multùm apud Insulanos Fayalenses laboraverat in excolendo sacris missionibus populo. Illius mores imbibebant virtutem doli nesciam. Redux ab Insulis jussus est Visitator Nostrorum in Angola, paruit sine excusatione. Postea rexit Ulyssipone Seminarium. Pro P. Seixio Romam eunte vices Provincialis egit. Demum creatus Rector Eborensis cum triennio vitam absolverat. Noverunt omnes in eo animum à rebus caducis alienum, morésque irreprehensos.

P. Emman. Temudi.

9. Redondi in Eborensi diœcesi 29. Aprilis P. Emmanuel Temudus Povoensis. Post Rhetoricæ in Eborensi Academia magisterium, Regis Legatum comitatur in Angliam, & Flandriam. Annos quatuordecim procuravit rem temporalem Eborensis Collegii magnis sanè industriis, & emolumentis. Dein sacris concionibus impendit operam. Prius denuo munus suscepit, quòd videret rem temporalem in deterius ruere. Post annos aliquos, ob vires tanto labori impares, redivit ad peragenda nostra ministeria, tanquam nihil aliud totâ vitâ fecisset. Id fuit omnibus spectabili exemplo in viro sene, cujus mores verè religiosi, & sancti.

P. Emman. Andradæ.

10. In Domo Professa Ulyssiponensi 15. Januarii P. Emmanuel Andrada, natus in diœcesi Conimbricensi. Sui temporis litteratissimus in re morali, ideóq; consultus plurimùm. Matrem egenam aluit vel oblatis, vel conquisitis eleemosynis. Cùm ab ignorantibus boni filii pietatem debitam accusaretur apud Generalem; ipsum à sæcularibus pecunias acceptare; modestè respondit, pecuniam illam ex mente largientium transmissam directè ad matrem alendam, se nihil aliud esse, quàm purum ministrum Benefactorum; neque ad observandum quartum DEI mandatum indigere suorum Majorum facultate. Ambitionem summo odio habuit. In mensa nihil attigit singulare. Precationes suas obibat de genibus. Multa cum à morbis, tum ab aliis causis pertulit constanti patientiâ.

P. Emman. Luisii.

11. Ibidem 19. Februarii P. Emmanuel Luisius Ulyssiponensis. Inter præclaros sui temporis Concionatores nomen meruit. Affabilitas charum reddidit omnibus. Gubernavit Scalabitanum Collegium; ab regenda Domo

Professa se excusavit, pluris faciens obedire, quàm imperare. Animi affectionibus egregiè dominabatur. Quamvis podagrâ supra modum vexatus non destitit à subeundo sacro suggesto, & tribunali confessionum.

Annus 1688. Soc. 149.

I.

Profecti ad Indiam.

MIssionibus Indicis succurrimus hoc anno duodenâ concessorum operariorum. Omnes erant Lusitani. In his nonnulli eminuêre annis labentibus, Sacerdotes erant Ignatius Emmanuel, jam Professus, Brigantinus, Michaël Alverus Arganaliensis, Emmanuel Saraiva, qui clarus virtutibus obivit Goanus Provincialis. Cæteros nondum ætas permittebat initiari sacris ordinibus. Merentur specialem mentionem Bernardus Sà Ulysiponensis, & Antonius Diasius Lavrensis. Bernardus strenuissimè procuravit salutem animarum infinitos inter labores & cruciatos apud Madurenses. Apud eosdem Diasius adhuc insudat. Cùm hæc anno 1720. scribo, agit Visitatorem missionum in regno Malabarico pertinentium cum ad nostros Gallos, tum ad nostros Lusitanos.

Profecti ad Maranoniam

2. Ad Maranoniam quindecim transiêrunt, Superiore P. Joanne Philippo Belgâ, qui de Maranonia ad Lusitaniam venerat nova subsidia collecturus. Vir candidissimus, & innocentissimis ornatus moribus egregiam coëgit manum. Octo sacerdotes erant, tres coadjutores, reliqui scholastici. Lusitani omnes præter Philippum.

Sodalitas à bona morte Bracharæ.

3. P. Petrus Amaralius Collegii Bracharensis Rector mense Julio fecit initium in templo nostro Sodalitati B. Virginis à bona morte: id peractum prævià multorum dierum sacrâ missione, & plenariis indulgentiis promulgatis. Diversis in templis nostrorum aliqui per eos dies pro concione exhortabatur populum ad confessionem. Tantus erat concursus, ut crederetur vix in tanta urbe fuisse, qui non expofuisset conscientiam. Nostri & matutinis, & pomeridianis horis sedebant circumsepti turbâ. Innumeri detersêre animam universæ vitæ confessionibus. Postremo die finitâ concione, Rector exposuit in templo nostro Eucharistiam, & recitatæ preces, quas solent Dominicis diebus dicere Sodales Virginis à bona morte.

Moritur P. Ludovicus Diasius.

4. Catalogo Defunctorum in Provincia hoc anno inserti sunt. Eboræ 29. Decembris venerabilis senex Ludovicus Diasius Serpensis Coadjutor spiritualis octogenario major. Sanctæ obedientiæ observantissimus: unde culinæ clavo persimilis dicebatur, qui libens sustinet, quidquid ad illum appendunt. Nihil in verbis, aut factis est observatum, quod vel leviter quenquam posset offendere. Constitit ex eorum testimonio, qui noverunt in confessione illius conscientiam, divum Josephum cum ipso amicè locutum fuisse in eo Divi simulacro, quod est in sacello valetudinarii Eborensis Collegii.

P. Petrus Vasæus.

5. Ibidem 1. Martii P. Petrus Vasæus Mouramensis. Nullum commodum antepofuit majorum imperiis. A multis annis erat in Collegio Maderensi. Litteras habebat à Generali, quibus illi concessum, ne mitteretur in Angolam. Id nesciens Provinciæ Moderator eam navigationem Petro imperavit: paruit servus Dei obsequentissimè. Reversus in Lusitaniam vixit Eboræ nostri Instituti exercens ministeria. In ejus verbis, ac factis inerat quædam innocua simplicitas, & antiquus candor.

P. Petrus Zuzartius.

6. Ulysipone in domo tironum 28. Februarii P. Petrus Zuzartius Abrantii natus. Magnis exarsit desideriis migrandi ad missiones Indicas. Obstabant impedimenta duo, nimirum debilitas virium, & amor parentum locupletum, ac nobilium. Illud erat mirabile, quoties paruit amori erga parentes, pejùs habuit valetudo corporis; quoties verò secum statuit adire missiones, robustiores sensit vires. Hoc experimento compertens esse DEI voluntatem patriam, ac parentes linqui, Goam contendit; ibi annis multis coactus est docere Phi-

Philosophiam, & Theologiam. Subinde missus Agram, postea Macaum, ut illud regeret Collegium. Reversus in Europam Procurator. Noluit Rex Petrus, iterum Indiam peteret. Substitit Ulysipone.

7. Amisso omni oculorum usu, secessit è Collegio in domum tironum, ubi traduxit vitæ reliquos annos deditus commentationi rerum divinarum. Diebus singulis etiam cæcus ad aram fecit; tenebat enim memoriâ plura missæ sacrificia; socius aderat ad quæque incommoda cavenda. Similiter recitabat horas Canonicas, cùm non pauca officia de memoria pronunciaret. Primus è lecto surgens orabat horis duabus continuatis. Ex morbi atrocitate non dubitans adesse mortem, roboratus est omnibus matris Ecclesiæ præsidiis. Post sacram unctionem lætitiâ inundans exclamavit, *Alleluja, Alleluja*, adjicens, Quamvis sit quadragesima, in qua id verbum tacet Ecclesia, juremerito illud profero, quòd præsens dies mihi instar Paschæ sit.

8. In Domo Professa Ulysiponensi 24. Aprilis P. Georgius à Costa Azeitamensis. Eboræ professus Philosophiam, ac sacras litteras, Doctorisque gradu insignitus. Innatam habuit charitatem, sublevando egenos, corrogatis ad id eleemosynis; præprimis juvit Anglos orthodoxos Ulysipone degentes, petitis subsidiis ab Catharina Lusitana Anglorum Regina. Aliquos hæreticos convicit, & Romanæ Ecclesiæ junxit. Multus erat in sacris missionibus. Promovit fundationes Bejensis, & Cetobricensis Collegii. In eadem domo 25. Septembris P. Ruysius Tavarius Ulyssiponensis. Pluribus annis docuit Catechesim Ulyssipone in locis publicis. Gangræna eum paulatim corrodens, amplam obtulit patientiæ materiam. *P. Georgius à Costa.* *P. Ruisius Tavarius.*

9. In Fayalensi Collegio, quò post tirocinium missus, 15. Decembris Dominicus Couceirus Coadjutor Cordinamensis. Obibat unus omnia domestica officia instar plurium. Quamvis erat ipsâ naturâ humanissimus, conversationem cum fœminis refugit tanquam potens venenum, & animorum pestem. Cùm vocabat aliquem sacerdotem ad audiendos pœnitentes, eam adhibuit urbanitatem, ut nullus, quanquàm esset rebus aliis distentus, morari auderet: dicebant ad vocem invitantis, intus se moveri quodam velut stimulo. Erat de charitate, obedientia, aliisque virtutibus ipsius ad nostros, & externos opinio nequaquam vulgaris. *Dominicus Couceirus.*

Annus 1689. Soc. 150.

1.

SEcunda & vigesima Octobris dies verè secunda Lusitanis, quâ in lucem editus est Joannes Princeps, qui hodie regnat, atque utinam regnaret annos Nestoreos. Serenissima Regina alium ejusdem nominis jam progenuerat, sed brevì de medio sublatus parentes, & nationem lucto opplevit; hunc detersit iterum recens proles. Voluit mater serenissima, ut notiorem faceret erga nostram Societatem affectum suum, supplicationem eucharisticam haberi solitam ordinari ad nostræ Domûs Professæ templum, quæ consuetudo durat in præsentem diem. Ut erat Regina S. Francisci Xaverii obsequiis addictissima, vicina partui instituerat devotionem, visitans novem feriis sextis unum ex templis nostrarum domuum, ibiq; audito sacro recipiebat panem cœlestem. Non deerat laboranti Xaverius, nam semper enixa est feliciter prolem. Porrò donavit singulis domibus telam pretiosissimam, unde facta sunt cum ad sacerdotes celebraturos, tum ad altaria vestienda nobilissima ornamenta. *Nascitur Rex Joannes V.*

2. Duodecim ad regiones Indicas festinârunt, Lusitani omnes, excepto P. Hieronymo Ptolomeo Senensi. Quatuor sacerdotes erant, cæteri scholastici ob ætatis defectum sacris ordinibus nondum initiati. Hos inter Josephus Pinerius Castelbrancensis, qui anno 1722 designatus fuit Episcopus Meliaporensis. *Profecti ad Indiam.*

3. Conimbricæ 16. Januarii è viventium consortio sublatus est Josephus Fernandius Coadjutor Villariensis. Annos quindecim egit Collegii subministrum *Moritur Josephus Fernandius.*

strum maximâ satisfactione. Ab omnibus vir sanctus, integer moribus, ac purus, & in rebus agendis prudens habebatur. Multos ille Societati conservavit. Mansuetudinem & humilitatem in verbis, ac factis præseferebat. Ibidem 10. Februarii Stephanus Fernandius Coadjutor natus in agro à longis vallibus dicto. Vix alius pluris fecit laborem, ad quem se reputavit ortum. Domesticos regebat famulos multâ prudentiâ, & utilitate. Nihil eum magis commovit, quàm videre aliquem Coadjutorem superbum. Villam Collegii, Cheiram nuncupant, muris vallavit.

Stephanus Fernandius.

4. Ex Anglia reduces P. Benedictus Lemius, P. Augustinus Laurentius, & Joannes Fernandius Coadjutor tenuêre Ulyssiponensem portum 10. Februarii. Brevi secesserunt in Eborense Collegium. Eorum expensis multa Collegium accepit incrementa. Cùm de singulis meminero in die obitûs, benefacta recensebo.

Ex Anglia veniunt socii Benefactores Eborensis Collegii.

5. Bracharæ in villa suburbana, Mantariol dicunt, operâ P. Petri Amaralii Rectoris surrexit nobile ædificium quadrato opere instar parvi Collegii, unde fruitur spatioso, & pulcherrimo prospectu cum in urbem, tum in agros.

Ædificium in villa suburbana Bracharæ.

Annus 1690. Soc. 151.

1.

Profecti ad Maranoniam.

MAgnæ suppetiæ concessæ sunt transmarinis missionibus. Maranoniam petivêre sacerdotes quatuor, & tiro non sacerdos: dempto P. Justo Joanne Luca Italo, reliqui fuerunt Lusitani, Emmanuel Amaralius, Emmanuel Galvamus, & Emmanuel Rebellus, sacerdotes; Dominicus Crucius tiro.

Ad Indiam.

2. Numerosiores copiæ ad Indiam transmissæ. Sex supra-viginti fuêre. In eis præclari homines Joannes Britus martyr, Procurator in Europam veniens, tanti factus à Rege, ut reditum impedire conaretur, quo Principi hæredi Magistrum daret; sed vir sanctus, fortissimè abscidit hujusmodi nodos, ùt in ejus vita refero. P. Petrus Belmontius Italus apud Cochinchinos martyrium passus. Ex prædicto numero tredecim Lusitani, duodecim Itali, unus erat Germanus Mathesis Professor in Collegio Ulyssiponensi, qui venienti Reginæ Sophiæ applausit pulcherrimo dramate, actoribus scholasticis Collegii nostri.

3. Duæ paratæ naves: unam conscendit P. Alexander Cicero cum aliis viginti duobus. Alteram P. Britus cum P. Emmanuele Faria, & Emmanuele Figueiredo, quos in itinere mors rapuit. In ea navi morbus grassatus ad quadraginta de vectoribus, & nautis oppressit. Labor omnis morientibus assidendi, & juvandi miseros ad Britum attinebat. *Pondus omne*, ait in sua epistola, *meis incubuit humeris; unicus ego sacerdos in navi portabar. Dominicanus enim, licèt sacerdos, nec operabatur missâ, nec audiebat confitentes, lecto ob suos morbos affixus. Duo sæculares sacerdotes erant suspensi, ac privati ordinum usu. Spero mihi DEum remissurum aliquid de suppliciis ob multa mea scelera promeritis, propter illa, quæ sum in ea nave perpessus. Morbi, tetri odores, fames, sitis, æstus, frigora, venti contrarii, inquies assidua, uno verbo omnia à me sustenta sunt.* Profectus Ulyssipone 8. Aprilis, Novembris 3. appulsus ad Indiam.

Conventus Provinciæ.

4. Præposito Provinciæ P. Emmanuele Silva, habita sunt comitia. Electus in urbem Procurator P. Benedictus Lemius. Id tulit præcipuum in mandatis ad Generalem, ut concederet restitui tirones Eboræ, & Conimbricæ, unde paucorum consilio abstracti fuerant, ipsâ docente experientiâ, nihil ibi utile rebus nostris. Oblatæ sunt validæ rationes, quas frustra sudavit infringere P. Antonius Regus Assistens, qui de Provincia vix nomen sciebat; nam post studia Theologiæ Romam vocatus, majorem vitæ partem illic distentus aliis muneribus insumpserat, ac tandem in Assistentem evectus. Re ultrò, citròque agitatâ, A. R. P. Thyrsus censuit rationes Provinciæ inconcussas, & fortiores, proinde imperavit restitui duobus Collegiis suos tirones. Id executioni cœpit mandari Januario anni sequentis.

Novitiatus Eborensis & Conimbricensis restituuntur.

5. Prin-

5. Princeps Elisabetha filia Regis Petri II. & Reginæ Elisabethæ de Sabaudia, nata 6. Januarii anno 1669. rebus mortalibus hoc anno eximitur 21. Octobris. Memorant ipsâ nascente visam stellam, quæ non multò pòst evanuit. Ornatissima fuit omnibus naturæ dotibus, quæ fœminam Principem reddunt excellentem. His adjunxit circa virtutes singulare studium. Christianam catechesim edocta à nostro Emmanuele Fernandio Regis Confessario : hic ipsi dicavit plenos sanctæ eruditionis libros, qui in fronte præseferebant: *Anima instructa*. Hæres paterni solii ante secundas nuptias delecta est à Regni ordinibus.

6. Ætatis anno duodecimo, eventu parùm utili, tractatum est de illius nuptiis cum Sabaudiæ Duce. Tradidit illi Regina mater subscribendam chartam explicaturam consensum. Inter scribendum ei subortæ lacrymæ, & ingens mæror cor oppressit. Ut ipsa est fassa, sentiebat intus aliquid instar vaticinii dicentis, insanas esse, & vanas hujusmodi curas. Et res ipsa probavit. Factæ incassùm expensæ magnæ, missa classis onusta divitiis, & nobilitate, redivit sine Principe. Meum non est hæc longiùs prosequi. Elisabetha vixit, ac emortua piissimè: usa est ad confessiones nostro Petro Pomero Gallo, qui Reginæ matris egerat Confessarium. Consepulta in templo Capuccinarum à Regina matre condito.

7. Nobilitatum est Conimbricense Collegium ædificio ampli sacelli in usus domesticos constructo. Regebat Collegium P. Adrianus Petrus Ulyssiponensis. Abiens magistratu reliquit opus fabricatum, sed usu adhuc, & ornatu nullo. Rectores alii sic exornârunt, ut nobilem spiret pietatem. Dicavit Rector S. Francisco Borgiæ in eo Collegio non semel quondam hospiti sanctissimo, cujus & vita picturis expressa est. Id nonnulli improbabant, quòd Crucifixo Domino non sacraverit, cui Majores nostri sacellum vetustum, cui hoc successit, sacratum voluêre. Antiquum sacellum Bibliothecæ accrevit, ac in medio locatum sub arcu lapideo Domini de Cruce pendentis venerandum simulacrum, quod erat in altari sacelli veteris, tanquam Liber unicus sine mendis omnium scientiarum. *Sacellum majus intra Collegium Conimbricense.*

8. De nostris dies suos clauserunt. Ulyssipone in Domo Professa 7. Martii P. Franciscus Almeida, natus Almadæ, ùt habet Codex Ingressuum, trans Tagum prope Ulyssiponem è primaria Nobilitate. Illius frater Petrus Indiæ Prorex fuit. Franciscus ex ephebis honorariis Theodosii Principis adjecit animum ineundæ Societati. Plurimùm illi fortunam Princeps invidebat, secuturus, si per fastigium, in quo natus est, liceret. Rexit Franciscus Scalabitanum, & Ulyssiponense Collegium summâ integritate, prudentiâ, & exemplo. Impendebat operam nostris ministeriis in domo Professa propriæ demissionis, & obedientiæ promptæ studiosus. Comitabatur suspendendos è patibulo. Adibat carceres, & triremes adjutum animas iis suppliciis addictorum. *Obit P. Franciscus Almeida.*

9. Conimbricæ 11. Octobris P. Josephus Britus Taveriensis. Floruit ingenio præclaro, Eboræ Doctoris laureâ condecoratus. Conimbricæ docuit Theologiam usque ad primariam cathedram. Olim provocatus ab impudenti fœmina horruit, & aufugit tanquam obvio ferocienti serpente. Nunquam sibi pepercit in nostris obeundis ministeriis. Vel major octogenario rogabat Ministrum exhortationes domesticas habendas coram sociis. Ejus lingua detractionem nescivit. Nec linteum sine majorum facultate petivit à Præfecto. Quotidie senile corpus flagellabat. Nocte pervigilii D. Laurentii nudo asseri incubabat, quòd 10. Augusti, & mundo, & Societati natus esset. DEum precabatur, & obtinuit, nec se de vita tolleret diuturno morbo, qui socios fatigaret. *P. Josephus Britus.*

10. Ibidem 2. Septembris Antonius Ceita Coadjutor, valetudinarii Præfectus. Sinceritas, humilitas, & charitas videbantur illi congenitæ virtutes. Tempus, quod ab injunctis muneribus suppetebat, orando consumpsit. Postremo in morbo exortum dubium, an fuisset sacro fonte ablutus : non visum *Antonius Ceita.*

est in re momenti summi dissimulandum: idcirco sub conditione lustralibus lymphis perfusus tranquillissimè obivit.

Annus 1691. Soc. 152.

I.

De pileis Coadjutorum.

NOn sine turbis mutatio pileorum Coadjutoribus temporalibus evenit. Anno 1615. quæ super hac re Societas statuerit, retuli. Anno 1647. quamvis dissimulatum fuerat, P. N. Carrafa mandavit ingressuris Coadjutoribus, pileos rotundos non permitti. Id non sine multorum consternatione datum executioni. Anno 1660. Hieronymus Claramontius duarum Provinciarum Visitator, annuente Generali, concessit Coadjutoribus, ut ab injuriis temporum capita defenderent, pileolum capiti ex omni parte hærentem. Temporum decursu cœperunt eos pileolos ex fortiori panno adornare; nam primò solùm fiebant ex gracili tela, quæ non posset in altum consurgere. Verùm illi paulatim hâc indulgentiâ abusi, conniventibus Superioribus, in altum pileolos extenderunt, & acumine depresso penè formaverant pileis rotundis pares.

2. Indignum id reputans P. N. Thyrsus hoc anno imperavit auferri Coadjutoribus tales pileos, concesso tantùm galero, vel pileolo ex tenuissima tela undequaque capiti adhærente: misso exemplo pileoli, & telæ, ad cujus normam deinceps fierent. Epistolam Patris nostri adjicio fideliter ex Lusitano sermone in Latium translatam. *Magno meo dolore intellexi non servari in Lusitana Provincia debitum respectum gravissimis decretis, 27. Congregationis VII. & 21. Congregationis VIII. de pileis Fratrum Coadjutorum, non loquendo de præcepto gravi P. Vincentii Carrafæ circa executionem eorundem decretorum, nec de litteris P. Goswini Nickel datis 23. Martii anni 1658. & 8. Februarii 1659. Nec de P. Olivæ datis 28. Aprilis 1681. qui omnes improbant negligentiam, & incuriam aliquorum Superiorum in Lusitania permittentium Coadjutoribus, aut dissimulantium in quodam genere pileorum, qui parùm differunt à pileis clericalibus; nam supernâ parte depressis non potest animadverti magnum discrimen. Idcirco perspecto, quod quidquid ordinatum est à nostris antecessoribus ad hunc abusum exterminandum, fuerit parùm efficax, considerato hujusmodi puncto speciali curâ cum Patribus Assistentibus providimus, ut efficax in perpetuum habeatur effectus. Vestra Reverentia præter galerum non permittat Coadjutoribus istius Provinciæ, quibus jam est prohibitus usus pilei clericalis ab Congregationibus VII. & VIII. modum aliquem caput tegendi, excepto pileolo juxta formam, quam hic describo, & mitto ad R. V^am ut sit modulus, & exemplar cæteris in Provincia. Omne aliud genus pileorum prohibeat V. R^a meo nomine, & reipsâ auferat ab omnibus. Verè nulla erat ratio ad permittendum pileolum ullum præter galerum. In Hispania vix est usus talis pileoli, quamvis timeretur usum galeri posse incommodo esse aliquibus Fratribus præsertim inter ministeria magis laboriosa, & judicaretur bonos Societatis filios non privandos consolatione, quæ non repugnat ipsorum statui. Propterea V. R^a. difficilis non sit in permittendo usu pileoli, quem modò mitto, & hic describo. Conditiones pileoli, quem præter galerum permitto Fratribus Coadjutoribus, necessariò erunt hæ tres. Prima est, ut non sit factus ex illo panno solidiori, de quo fieri solent pilei clericales nostrorum sacerdotum, & scholasticorum, sed ex materia leviori, & magis tenui, quam Itali vocant* Saya, *Lusitani* Sargeta, *vel* Vtamenha. *Secunda, ut sit omnino simplex intus, & foris, sine alio quocunque panno. Tertia, ut careat vertice, aut angulis, eo modo, ut omni ex parte totus adhæreat capiti. Omnibus Superioribus Provinciæ Lusitanæ tum Provincialibus, & Visitatoribus, tum localibus, qui actu sunt, & fuerint inposterum, imponitur in virtute sanctæ obedientiæ, ne ulli Coadjutorum, cui prohibetur usus pilei clericalis, permittant, consentiant, nec etiam tolerent, aut dissimulent cum ullo usum pileoli, cui defuerit aliqua ex tribus conditionibus suprà declaratis, nec quiescant, aut desinant resistere, donec auferatur dictus abusus. Et volo, ut obligatio hujus præcepti*

pti in prædictis Superioribus circa qualemcunque domum, aut Collegium incipiat à die, quâ in eadem domo, aut Collegio promulgata fuerit hæc ordinatio cum præcepto, lectis hujusmodi meis litteris, primò coram Consultoribus domûs, aut Collegii congregatis cum suo Superiore, deinde coram Fratribus Coadjutoribus domûs, vel Collegii. Eadem litteræ transscribentur ad libros Collegiorum, & domuum, & cumprimis ad libros Archivii, in quibus scribi solent majoris momenti ordinationes Reverendorum Patrum Generalium. Datum Romæ 2. Junii an. 1691. Thyrsus Gonzales.

3. Publicatis in Domo Professa Ulysiponensi coram sociis Coadjutoribus hisce decretis, cùm pharmacopola ostenderet voce animos legi contrarios, carceri mancipatus est, ac expulsus de Societate. Præcipuus labor Conimbricæ fuit, multos dementia rapuit transversos, qui persimiles stultis frustum panni antepofuerunt Societati, redditique sunt abjectæ sorti, unde emerserant. Quanquàm plurimi corruerant, prudentiores stetêre firmi. Habuitque se hujusmodi Generalis decretum instar cribri separantis lolium, & inutilem glebam à tritico. Nonnulli recursum fecêre ad sacram Regularium Congregationem; sed audito responso Societatis, eorum querimoniæ explosæ sunt. Alius Nuncio monetas aliquot aureas dono dedit, ut causam protegeret; sed Nuncius considerata negotii conditione, monetas misit tradendas nostro Provinciali.

4. In Brasiliam septem de nostris scholasticis, & Coadjutores duo vela solverunt. In Maranoniam tres sacerdotes Antonius Amaralius, Emmanuel Galvamus, Lusitani, & Joannes Justus de Luca Italus. Novem ad Indiam; P. Jacobus Moersius, & P. Bernardus Kilianus Stumpff Germani ad Sinas. Kilianus magnum fidei columen apud eas gentes fuit. His accessit Michaël Alphonsus natione Sina. Ad Goanam Provinciam Sylvester Furtadus Lamecensis, Antonius Mattius Setu valensis, & Theodosius Moreira. Ad Japonensem, sive Macaensem Provinciam P. Franciscus Oliveira Cubensis, qui postea defecit à Societate, sed Goam veniens post varios fortunæ casus semper adversos, iterum adscriptus Societati pœnitens facti, cùm hæc scribo, operam navat salvandis gentibus oræ piscariæ. Emmanuel Gonsalvius Sandomilensis, & Emmanuel Pintus Portalegrensis, scholastici. *Missiones ultramarinæ.*

5. Vivendi legibus fecêre satis. Conimbricæ 9. Februarii venerabilis senex P. Josephus Seixius Ulyssiponensis, homo, tum virtute, tum litteris, tum dotibus ad gubernandum instructissimus. Rhetoricam Eboræ, Conimbricæ Philosophiam, Theologiam Ulysipone, & Eboræ professus, moderatúsque est primariam Academiæ cathedram laureatus Doctor. Rexit Bracharense, & Conimbricense Collegium, dein missus lustratum Brasiliensem Provinciam cum potestate Visitatoris. Redditus Lusitaniæ egit Provincialem. Iterum Rector fuit Conimbricensis Colegii. *Moritur P. Josephus Seixius.*

6. In tanto rerum magnarum cumulo procul ab omni fastu, ne unum quidem verbum in sui laudem pronunciavit. Huic sanctæ demissioni adjunxit ingentem animi mansuetudinem æquam adversariis juxtà, ac amicis. Veritatem vel adversus seipsum amavit semper. Conciones, aut litterarios actus non obivit sine cilicio. Non curavit carnem, & sanguinem. Antequam in Brasiliam mitteret P. N. Oliva, exploravit in re tam ardua illius voluntatem; cui ille respondit, se paratum, quocunque vellet. Meditanti Comiti Villarmajorensi navigationem impedire, dixit, si negaretur navis, arrepturum tabulam, séque in ea undis commissurum, ut expleret obedientiam.

7. Charitas erga sanos, & infirmos, religiosa paupertas, & virtutes cæteræ usque ad certamen in eo refulserunt: eas vulgavi in ejusdem vita. Ante mortem desiderabat publicè confiteri peccata sua. Scrupulo tactus, posséne mortem appetere, ut citiùs frueretur conspectu DEI: cùm responderetur, posse; in potentia moriendi, Deúmque videndi desideria exarsit. Illius exequiis præsens fuit Episcopus Conimbricensis, & qui qui in Academia eminebant.

Emmanuel Resendus.

8. Ibidem 15. Februarii Emmanuel Resendus Theologus, patriâ Ulyssiponensis. Legens vitam D. Antonii secum firmiter statuit, deserto mundo, ingredi Societatem. Factus voti compos apud nos vixit instar Angeli. Cæco more obsequutus obedientiæ. Triclinio præfectus fortè à Ministro percontatur, quid singulis aponendum de pomis: respondit ille, in singulis catinis pones par cerasorum. Is loquendi modus apud nos Lusitano sermone idem sonat, ac si diceret: ex tali fructuum genere, quod sufficiens sit, sociis appones. Emmanuel inhæsit verbo, non sensui, in unoquoque catino non ampliùs duobus cerasis locavit. Quam parsimoniam facilè excusavit cæca obedientia.

9. Epistolæ Emmanuelis semper hominem divinis deditum spirabant. Corpus suum vehementer torquebat, insuper torquebatur à scrupulis. Si orando de genibus se fessum sentiret, continuabat stans uno tantùm nixus pede. Singulis feriis quintis sacro pane reficiebatur. Pactus est cum amico, ut, qui prior obiisset, Deum rogaret superstiti apparendi veniam. Alter mortuus se conspiciendum Rosendo, dedit eâ specie, quâ feretro elatus fuerat ad sepulturam; unde intellexit, non multùm abesse sibi mortem. Cùm initia phthisis in eo proderentur, translatus est Conimbricam: id mortem accelerabat, cùm illud Cœlum hujusmodi morbo non faveat.

P. Didacus Lobus.

10. In eodem Collegio 20. Martii P. Didacus Lobus Tingitanus. Docuit Rhetoricam Ulyssipone. Ad sacrum suggestum plenissimas dotes habuit. Concionator erat Regum Alphonsi, & Petri. Cùm aliquando, nescio, quid molestiæ ei obveniret, author ei fuit germanus, ut Societatem desereret. Cui ille: absit à me; non enim sunt, qui mittunt ad aratrum manum, & retrò respiciunt, regno DEI apti. Postremis annis penè torpuit illi unum ex brachiis. Adivit Conimbricam tempore commodo valetudinem curaturus. Per Adventum concionatus magno Academiæ plausu: per Quadragesimam erat diebus Dominicis idem facturus, sed morbo, & morte præventus.

P. Ludovicus Brittus.

11. In Domo Professa Ulyssiponensi 9. Januarii P. Ludovicus Brittus nonagenario major. Vixit in Societate duos supra septuaginta annos magno exemplo. Nunquam usus culcitrâ ad capiendam quietem. Jejuniis, cibísque injucundis, & multis castigationibus afflixit corpus. Quinque horas quotidie orando transigebat. Ut superfluo tempore occuparetur, rogabat Patrem, cujus est munus pueros catechesim docere, sibi traderet globulos precum firmiori filo conjungendos. Rarissimè extra confessionum tribunal visus est sedens, sed vel stabat, vel genibus nitebatur. Nescivit de ullo mortalium sinistrè loqui. Primâ Januarii obeunte P. Emmanuele Almeida disertis affirmavit verbis, se primum de vita cessurum. Die septimâ facto missæ sacrificio, ministranti dixit, esse postrêmum. Eodem die alloquens Præfectum valetudinarii, monuit, pararet, quæ forent opus ad suum funus: è quibus innotuit præscium fuisse mortis. Rex Petrus ob viri sanctimoniam jussit ejus sibi post obitum ectypa depingi.

P. Emman. Almeida.

12. P. Emmanuel Almeida Crucialiensis, indefessus fuit in peragendis nostri Instituti ministeriis. Procurabat egregiâ solicitudine reorum in carceribus commoda. Sui contemptor, & paupertatis cultor eximius. Tam vili pallio, & tunicâ tam scatente centonibus utebatur, ut imperaverit Provincialis, meliora sumeret, quòd ea viderentur indecentiæ proxima, & jam ab honesta paupertate aliena.

P. Joan. à Regibus.

13. In Collegio D. Antonii 13. Novembris P. Joannes à Regibus natione Germanus. Rege petente, missus fuerat ad tradendas Conimbricæ facultates Mathematicas. Jubente eodem Rege, per totam Lusitaniam discurrit, delineavitque urbes, oppida, & arces, ut æri cælarentur. Mores, & observantia P. Joannis exprimebant virum justum, & singularem virtutis amatorem.

An-

Annus 1692. Soc. 153.

1.

ELvense Collegium, quod regebat Emmanuel Andrada, 17. Augusti novum templum aperuit. Celebritas facta est, quàm maximâ potuit pompâ. Die prædictâ horis pomeridianis translata fuit è veteri templo Eucharistia, hanc deferente sub umbella Hieronymo Soario Episcopo Elvensi, & innumero supplicantium agmine comitante. Idem sequenti die Pontificio apparatu primam litavit hostiam. Triduo exposita Eucharistia magno hominum concursu non modò ex Lusitaniæ, verùm & Castellæ finitimis oppidis. Plurimùm juvit celebritatis expensas sumptu suo Joannes Furtadus Mendoſſa urbis summus Præfectus, & Societatis nostræ amantissimus. Aperti templi occasione illic fuit introducta Sodalitas S. Ignatii pœnitentis, cui multa nobilitas nomen adscripsit. Aperitur novum templum Collegii Elvensis. Sodalitas S. Ignatii.

2. Sexdecim moverunt ad Indiam, duo tantùm Lusitani, ex diversis nationibus reliqui. Præerat P. Franciscus Maria Spinola, qui, antequam ad Sinense Regnum pervenisset, de vivis excessit. Morbi multi infestârunt omnem turbam. De nostris periêre P. Philippus Coupletius Belga, qui plurimis annis apud Sinas laboraverat, & præter alia opera vertit in Latinum sermonem libros Confucii Philosophi Sinici, inter eas gentes sapientiæ Magistri. Bernardus Ozorius scholasticus Lusitanus Carapitensis, adolescens singularium virtutum. Nicolaus Fourius, Joannes Baptista Charandius, Christophorus Bracus, & Petrus Dandius. Hi sacerdotes erant. Profecti ad Indiam.

3. Libertas prædicandi legem divinam in Sinensi Imperio diplomate Imperatoris publicata est 22. Martii præsentis anni, trigesimo primo anno Imperatoris *Kam Hi* Tartaro-Sinensis, quintâ die secundæ Lunæ juxta consuetudinem computandi tempora inter eas gentes. Nostri homines huic facultati impetrandæ annos plures insudaverant. Præcessêre magna merita, quibus Imperator est permotus, superatis difficultatibus propemodùm infinitis. Præter alios laus magna contingit in re tam gloriosâ Ven. P. Thomam Pereiram Lusitanum Interamnensem, qui gratissimus erat Imperatori, cujus & funus jussit concelebrari pompâ singulari, digna tanto heroë, digna Imperatore. Vigesimâ Decembris anno 1722. hic Princeps vitam explevit. Maximè favebat rei Christianæ, nostræ Societati, ac Lusitano nomini: in eo ad regnandum summa omnia: si fidem Christi, quam veram agnovit, esset amplexus, foret Sinensis Imperii Constantinus. Libertas prædicandi Evangelium apud Sinas.

4. Cum potestate Visitatoris, sive Provincialis in Brasiliam ivit P. Emmanuel Correa Estremotiensis, regebat Portuense Collegium. Secum vexit ad tradendam Theologiam P. Franciscum Botelium, qui postea fuit à confessionibus Regi Joanni V. P. Emmanuel dum munus injunctum peragit, naturæ concedit, relictis in ea Provincia præclaris viri religiosissimi exemplis, modestiâ cumprimis, prudentiâ, & integritate. Comitatus etiam est P. Ludovicus Severimus Ulyssiponensis, qui gubernârat Maderense Collegium, mutabâtque Provinciam, sed annis aliquot devolutis, morborum causâ rediens in Lusitaniam obivit Eboræ. Accessêre præterea quatuordecim scholastici, uno excepto Alphonso Pestana Serpensi, reliqui tirones. P. Emmanuel Correa Provincialis Brasiliæ.

5. Loandæ in Angola mense Januario sepultus est P. Joannes Honradus. Societatem illic jam sacerdos inivit tam robustâ virtute prædìtus, ut Episcopus dixerit, nescire se, quid Joannes in provecta ætate, & virtute venerit quæsitum apud nos. Quibus verbis significavit, illum attigisse virtutum culmen, priusquàm Societati nomen daret. Propter religionis notam linguam ingressus loca mediterranea obeundo sacras missiones plurimos Christo peperit, Moritur P. Joannes Honradus.

Annus 1693. Soc. 154.

1.

Conventus Provinciæ.

IN Comitiis Provincialibus electus est Romam iturus de more nostro Procurator P. Doctor Emmanuel Correa, qui Conimbricense Collegium gubernabat: ex urbe regressus fucepit onus moderandæ Provinciæ. Nam P. Magalanius id munus continuare non poterat, distentus curis aliis, quippe Regis Confessarius.

Missiones ultramarinæ.

2. Ad Maranoniam missus cum potestate Visitatoris P. Benedictus Oliveira, comite assumpto Antonio Alphonso Coadjutore. Unicus ad Brasiliam contendit P. Philippus Bourelius, natione Germanus. Parùm felix contigit navigatio Indica. Tredecim conscenderunt navem à S. Borgia dictam, undecim Lusitani, unus Siculus venerabilis sanè vir P. Josephus Candonius, qui apud Cochinchinenses martyrio claruit; alter Sabaudus illustri domo natus P. Antonius Franciscus Provana; de quo loquendum infrà. Nam post annos multos in convertendis Sinis impensos ab Imperatore Romam missus, ad Sinam remeavit. Præerat omnibus P. Emmanuel Ferreira. Hic cum Ven. Candonio vocatus in Europam à S. Congregatione propagandæ fidei ob controversias inter nostros, & illius Congregationis operarios, quibus nostri obsistebant, ut tuerentur jus patronatûs regii ad Indicas nationes. Ulysiponem appulsos, noluit Rex, adire urbem.

Moriuntur duo.

3. Luctata multùm navis cum procellis, & ventis inimicis. P. Emmanuel Mursia Bastiensis 17. Junii emisit animam. Ad amussim explebat orandi tempora, ut nostri dicerent, videri navem ingressum, ut animum ab strepitu colligeret, & faceret sibi solitudinem, ubi locus illi non est. Augusti 4. cessit vitâ Emmanuel Villasboas scholasticus Ulyssiponensis, genio, & ingenio felici, adolescens justus, ac sanctus; qui desideriis ardentibus petiverat hujusmodi expeditionem. Navis incassùm conata vincere difficultates obvias, regressa Ulyssiponem, tenuit Angrensem portum; ibi paulisper refecta ab tam crudeli jactatione, 9. Septembris, cùm naves aliæ Goam plerumque accedunt, appulsa est Ulysiponem. Tam diligentem operam juvandis omnibus nostri impenderant, ut Rex eisdem ob illam maximas egerit gratias.

P. Provana missionem habet.

4. P. Provana, qui S. Franciscum Xaverium sibi proposuerat imitandum, nihil laboris omisit, ut se probaret sanctissimi Apostoli vivum simulacrum. Non fractus maris laboribus ejus ardor infatigabilis, nihil in terra minùs curavit, quàm vel exiguam quietem. Nam sumpto in socium P. Emmanuele Ferreira Theologo Ulysiponensi, discurrit per diœcesim Eborensem incitando populos ad animarum salutem curandam.

Redit in Lusitaniam Angliæ Regina.

5. Catharina Angliæ Regina Lusitaniam ingressa terrestri itinere per Galliam, Hispaniam, & Beirensem provinciam adventavit Conimbricam 8. Januarii. Illic aderat P. Sebstianus Magalanius Provincialis, Regis Confessarius. Ipse, & P. Emmanuel Correa Collegii Rector ad mediam leucam ante urbem, expectârunt venientem; abeuntem comitabantur ad leucam. Collegium cum poëmatis, tum orationibus se comparaverat, ut ingredientem consalutaret. Sed affectiones valetudinis obstitêre, quò minùs adirêt domum nostram. Nec in ea urbe Cœnobium ullum invisit, præter Reginam sanctam ex itinere in templo suo.

Regina Bejensis Collegii Fundatrix.

6. Mense Decembri Serenissima Regina Lusitaniæ acceptavit esse, ac dici Bejensis Collegii Fundatrix. Plurimùm in re tanta debetur religiosissimis Patribus Joanni Fonsecæ, & Leopoldo Fuesio Reginæ Confessario, prætereà Domino Emmanueli Lavrio Thesaurario, qui Reginæ percontanti, essétne sui reditus faciendo Collegio? respondit, superesse ejus Majestati, deductis familiæ expensis, pecunias ad tam pium opus executioni mandandum.

7. Boni

Comœdi exterminati.

7. Boni mores in urbe Portuensi conservati sunt abactis in exilium Comœdis. Genus est hominum pestilens veneficio suo exugentium crumenas, & corrumpentium conscientias meretriciis incantationibus. Joannes Sousa Episcopus sanctissimus diœcesim tenebat, qui decessit ultimus Ulysiponensis Archipræsul Septembri mense, anno 1710. Ultimum dico: quòd postea Ulysipo in duas sit divisa diœceses, ùt suo loco attingemus. Utebatur Episcopus ad confessiones, & consilia sacerdote nostro Francisco Correa moralis scientiæ Magistro. Hic videns & miserans suorum popularium vicem summo plausu faventium Comœdis, doctum scripsit tractatum adversus illam Reipublicæ pestilentiam. Ubi eum percurrit oculis sanctus Præsul, jussit urbe pelli comœdos omnes, ceu vitiorum sentinam Christianis non tolerandam.

Excipitur novus Eborensis Archiepiscopus.

8. Eborensis Academia multis de more honoribus excepit Aloysium Sylvam, monachum SS. Trinitatis, ejus urbis novum Archiepiscopum. Habita in templo coram ipso, & Academicis elegans in illius laudes, & urbis felicitatem oratio. Data theatro de B. Amadeo tragædia, quòd esset unus è majoribus Archiepiscopi, vel quòd sanguine Divum contingeret. Non ille honorum immemor deinceps vixit; nam aliquot annis dedit Collegio pecunias, quibus censum persolveret æris alieni, quo premebatur. Præterea Rectori nostro concessit amplam facultatem probandi nostros sacerdotes ad audiendas sæcularium confessiones, & habendas ad populum conciones sacras; nec dum in vivis erat, abstulit hujusmodi potestatem.

Virtus P. Benedicti Lemii Rectoris.

9. Illud non silendum, quod manifestam scientiis fecit virtutem S. Benedicti Lemii tum Rectoris nostri Collegii. Etenim P. Franciscus Sandius, author exhibendæ tragædiæ, diem præfixerat, quo in atrio Academiæ esset producenda, cùm insperatò Rector denunciat Sandio, opus repræsentandum ante illum diem. Obstabant multa: sed Rector insistens, auditis incommodis, aliud non permisit. Festinatum est, in theatrum missi scholastici actores; ultra spem ob festinationem, exitus respondit omnium votis; favit dies, sereno, & miti Cœlo. Absolutâ summos inter plausus tragædiâ, nubes, tanquam id unicè expectarent, cœperunt in imbres copiosos solvi, tam continuatâ pertinaciâ, ut non nisi post aliquot menses cessârit pluvia. Et nisi Rector ursisset, procul dubio frustrandus fuisset labor, & sumptus impensus. Visum est Rectori divinitus eam mentem injectam; nec aliud suasêre rem considerantibus circumstantiæ.

Sodalitas S. Xav. & alia Bracharæ.

10. Bracharæ S. Xaverii sodalitas, quæ à nostro templo recesserat, denuo ad nos est reversa. Simulacrum Virginis à Turre dictum, quòd sit in loculo turris murorum nostro Collegio contiguæ, & plurimùm à Bracharensibus colitur, novo arcu lapideo, & prominente exornatum. Meditati sæculares Clerici, ut ex area publica per lapideas scalas ad Virginis altare conscenderetur, illic missæ sacro operaturi. Cùm dubitaretur, ne hoc prætextu lites successu temporis orirentur de ejus ædiculæ possessione, consilium illud non est admissum.

Infensi Societati moriuntur infeliciter.

11. Ulysipone infausti duorum obitus contigêre, qui fundationem Collegii S. Xaverii præpedire moliti sunt. Templum B. Virginis à Paradiso nuncupatæ non longè est ab ædibus, quas insidemus. Administrantur ejus bona à sodalitio Virginis. Si datum nobis id templum fuisset, plurimùm juvanda erat nova fundatio. Magna pars sodalium nobis favebat, duobus acriùs contradicentibus, ut aliorum averterent animos. Alter tormentorum fusor lethali correptus morbo, quanquam dives, adduci non potuit, ut conderet testamentum, & quod horrendum est, nec ad expiandam per confessionem animam: ejus bona, nam hærede carebat, dissipata sunt, à quibus nollet. Alius pellici convivebat, ob idque uxorem suam probam ac immeritam afficiebat molestiis. Ægrotavit illa morbo supremo. Ut satisfaceret amicis instanter rogantibus, ad eam visendam, & salutandam semel duntaxat ingressus est conjux. Tum illa conversis in eum minacibus oculis, Te, inquit, cito, ut stes mecum ante divini Judicis tribunal rationem daturus de injuriis mihi illatis. Uxore moriente, eâdem

nocte

nocte infelicissimus mortalium repentinâ, & improvisâ morte sublatus est. Tribuerunt omnes hujusmodi tragicos obitus infensis animis erga Societatem.

Mors P. Emmanuelis Fernandii.

12. Feliciùs vitæ terminum posuêre nostri. In Domo Professa Ulyssiponensi 10. Junii P. Emmanuel Fernandius Fermoselienfis, Regi Petro à confessionibus. Quàm generosam navârit operam sæviente peste in Algarbiis, dictum suo loco, & in vita typis mandata. Navigans ad Tertias insulas nostrorum Visitator, eas gentes illustravit Evangelicis concionibus, & missionibus indefessis, quibus Cœlo est lucratus innumeros peccatores. Rexit Fayalense, & Scalabitanum Collegium, domum tironum, & Professam Ulyssipone. Assumptus in munus honorificum Confessarii regii modestissimè se habuit. Inerat illi multa prudentia, & maturitas in rebus agendis. Non discessit à tenore vitæ religiosæ. Quamvis inscius, quò se conjiceret, amplexus est munus Deputati trium Ordinum regni; ubi noverat legibus nostris non consentaneum, illud deposuit. Scripsit aliquot volumina valde pia, & erudita, quæ circumferuntur data typis. Obivit septuagenario major.

Obit P. Antonius Macedo.

13. In eadem domo 15. Julii venerabilis senex Antonius Macedo Conimbricensis octogenario major. Humaniores litteras apprimè calluit. Ille primum fuit instrumentum, quo DEus usus est, ut Romanæ fidei conjungeret Christinam Suecia Reginam, quemadmodum suo loco jam scripsimus. Post multos annos Romæ transactos ad S. Petri pœnitentes audiens, redditus Lusitaniæ gubernavit domum tironum Ulyssipone, mox Eborense Collegium, deinde domum Professam D. Rochi. Natura eum formavit modestissimum. Demissionis propriæ tantus fuit æstimator, ut Eboræ cum tironibus caperet humi cibum inter mendicos ad januam, ubi solent ipsis dividi alimenta. Virginem matrem tenerrimis dilexit affectionibus. Quidquid virtutis exquisitæ cupit Societas in suis filiis suspeximus in Antonio.

P. Antonius Gouvea.

14. In Angolano itinere P. Antonius Gouvea Guardiensis. Eboræ studens Theologiæ, ex urbe vesperi domum redux mendicum sub porticu jacentem, medium accepit cum socio, detulitque ad domum, quam petierat. Post studia Theologica, cùm jam Magistrum egisset in insulis, ad Angolam missus est. Ipsi ægrè doluit difficilis obedientia; verùm animo generoso premens naturam reluctantem, Ibimus, ait, ne S. Ignatius de hoc pileo à me exigat rationem. Quo dicto significavit, non deferendam ullâ humanâ prudentiâ Societatem, quam semel esset amplexus.

Missio per Insulas.

15. Ad Insulam S. Georgii Angrâ transiens Antonius Vieira Leitamus Episcopus, ut novum cœnobium illic fundatum traderet monialibus tribus, facturis initium habitationi domûs, secum duxit è nostris P. Josephum Vasconcellium, & Stephanum Francum. Concionatus die primâ solemnitatis P. Vasconcellius, secundâ P. Francus, tertiâ dominus Episcopus. Celsæ virtutes miscuerunt in eo præsule; nam per diœcesim omnem excurrebat instar Apostoli concionando, & audiendo confessiones. Inde navigârunt ad insulam Fayalensem, ex ea ad Picum, eadem exercendo ministeria. Conantes reverti Angram tempestas horrida coëgit redire ad insulam S. Georgii, in qua laboratum est, donec opportunitas fulsit repetendi Angram.

16. Eodem fructu percurrerunt insulas de Madera P. Antonius Abreus, & Michaël Vittus; & de Portu sancto P. Michaël Vittus cum uno Latinitatis Magistro; quibus ex Madera egredientibus obviam se dedit piratica Maurorum navis: effugio locus non erat, ad preces Michaël, socius, & vectores conversi; subitus ventus vehemens myoparonem impegit in brevia; ibi lacerata, ac submersi ad unum Mauri omnes. Lusitani tanto periculo defuncti tenuêre portum. Vix dici potest, quanto fervore Insulani ad conciones, & explicationes catechesis confluxerint. Factæ rerum, & boni nominis restitutiones. Unus, qui falsis testimoniis corruperat alterius famam, tanto dolore tactus, ut finitâ concione, locum editum conscendens magnis vocibus, & ubertim cadentibus lacrymis suum crimen confessus sit, & famam proximi resarserit.

17. In

17. In Angola nova conversio Caphuchiani dynastæ magni momenti habita. Quissama ultra Coansam flumen decem leucis Loandâ distans regio est hactenus Lusitanis armis inaccessa. Plurimi reguli, Sovas dicunt, illi dominantur. Præcipuus id temporis vocabatur Caphuchius, huic alii multi parebant. Scripsit ad Præfectum Lusitanæ ditionis Gonsalum de Costa, ad se mitteret aliquos de Societate, velle se sacro baptismo expiari. Commendatum negotium nostro P. Mendesio, sumpsit viæ comitem Antonium Gonsalvum Coadjutorem. Difficultatibus itinerum, quæ parvæ non fuerunt, superatis, obvium habuerunt Caphuchium 13. Julii quinque leucis ante præcipuum ditionis suæ oppidum. Multis ille tripudiis, ac bellicis instrumentis, more Barbarico, venientes excepit, & in oppidum perduxit. Conversio dynastæ in Angola.

18. Sumptâ bidui quiete, rei peragendæ Mendesius incubuit, cùm suboritur novus obex. Difficultas nulla in Caphuchio ad sacrum lavacrum; sed obstiterunt Macotæ, sive Consiliarii, minitantes, Caphuchium, si baptisma recipiat, moriturum, aut solio dejectum iri. At mortem comminatur Caphuchius macotis, nisi proposito desisterent. Rogavit Pater, abstineret à fundendo sanguine. Quoniam sciebat fidei mysteria, & flagitabat Christianis adscribi; secretò detersit sacro fonte. Nec Caphuchius rem tunc vulgavit, expectans tempus idoneum. Multa enim hominum millia adversus ipsum ejus patruus eduxerat in aciem; idcirco noluit Macotas suos infensos reddere. Brevì tam præsenti metu liberatus, mortuo patruo, & soluto exercitu, suis notum fecit se Christianis mysteriis fuisse initiatum. Mendesius gravantibus morbis, ob cœlum regionis parùm alienigenis amicum, Loandam redivit.

Annus 1694. Soc. 155.

1.

UNdeviginti missionem Indicam susceperunt. Præter eos, qui anno superiore reverterant ex itinere, non pauci accrevêre. Duobus exceptis reliqui erant Lusitani, tredecim sacerdotes. Præerat P. Emmanuel Ferreira, qui, ùt jam diximus, è Tunquinensi regno venit. Brasiliæ subventum tironibus septendecim, in operarios illic formandis. Omnes erant Lusitani, & scholastici, præter duos Coadjutores. Eos regebat P. Joannes Guinselius natione Germanus. Profecti ad Indiam, & Brasiliam.

2. Parva scintilla non modicum Scalabi excitâsset incendium, nisi tempori patuisset author. Gubernabat Collegium nostrum P. Augustinus Laurentius, cùm æditIus manè aperiens templi ostium videt in foribus affixam chartam refertam injuriis adversus Christum, & fidem orthodoxam: avulsam tradit Rectori, qui in schedas rejectaneas abjicit. Simplex æditus rem narraverat sacerdoti externo, dum venit ad faciendum sacrum: erat hic S. Inquisitionis Commissarius, scribit illico ad Quæsitores fidei, quid contigerit. Jubent, chartam à Rectore petat, simul inquirat de authore. Rector, ùt erat vir prudens, rem spreverat; nec recordabatur, quò conjecisset schedam: volutat rejectanea: Commissario tradit repertam. Factâ inquisitione, jam moliebatur oppidanorum aliquos vinculis dare, cùm proditur stultus author. Nocte de more sui muneris Regis ministri, dum per oppidum cursitant, occurrit homo suspensis ollis è cingulo, & humero gerens oblongùm fustem. Quid hominis sit, percontantibus, respondit esse Patrum Societatis pastorem. Sinunt abire liberum. In alia platea eundem obvium interrogant idem: respondet esse monialium pastorem. Ob variata responsa tenent injectis manibus. Tunc ille, Cur me, inquit, comprehenditis? num propter illam chartam per me affixam in foribus templi Societatis? ingenuè fateor, me nihil pulchrius exarâsse. Scripsi eam in pariete domûs meæ. Urgent, cur posuisset in templo Patrum? Tam elegans, reponit, mihi visum est opus, ut vellem dicatum S. Francisco Xaverio. Festinant domum, videntque omnino in pariete chartæ stultitias carbone descriptas. Turbatio Scalabi.

Sic oppidum evasit præsentem metum; & fatuus conjectus in carcerem, ut sanam ibi mentem colligat.

Moritur P. Ludovicus Taborda. 3. Utrumq; primarium Collegium amisit moderatorem suum: Conimbricense 20. Maji P. Ludovicum Tabordam Vice-Rectorem Idaniæ natum, præditum innocentissimis moribus. Ejus parentes divitiis abundantes conati sunt impedire Societatis ingressum, sed animo annis majore perrupit obices. Non cessantibus ab insana cura post ingressum pari restitit constantiâ. Philosophiam Eboræ, Theologiam professus Ulysipone. Virginem matrem pissimis coluit obsequiis. Existimatum est munus Pro-rectoris illi vitam eripuisse. Etenim vir obnoxius supra modum scrupulis, quibuslibet subditorum in observantia defectibus, sic affligabatur, ùt nihil magis. Considerabat vel levisima peccata, aut regularum violationes aliud in subditis committentibus, aliud esse in Superiore dissimulante, vel non puniente propter gravitatem solutæ observantiæ. Hujuscemodi stimuli, ùt persuasio fuit, delicatissimam conscientiam torquentes etiam corpus ad mortem usque extenuàrunt.

P. Franc. Pinerius. 4. Eborense Collegium 6. Septembris doluit obitum P. Francisci Pinerii Goveensis, Rectoris sui. Magnum illi ad scientias ingenium, eas Conimbricæ, & Ulyssipone tradidit; præterea ad suggestum sacrum non vulgaribus clarebat dotibus. Gubernavit Scalabitanum Collegium. Exercebat in domo Professa Ulyssiponensi Societatis ministeria, cùm ad claves Eborenses vocatur. Antequam eò concederet, comitatus est reum addictum morti ad restim. Ardebat tum canicula, & valetudinem suam inde alterari senserat. Supervenienti itinere Eborensi, tempore incommodo, supremùm prostratus, diligenter se comparavit ad agonem. Semper mentis compos, unâ manu tenens accensum cereum, alterâ crucifixum, preces pro se dicentibus respondebat; cùmque ex lecta Domini Passione pronunciarentur verba illa, *Consummatum est*, vitæ religiosæ cursum confecit.

P. Emmanuel Castellamus. 5. In eodem Collegio 12. Januarii efflavit animam P. Emmanuel Castellamus Conimbricensis. Amicus silentii, ac secessûs vivebat sibi, ac DEO. Illius mors aperuit, quantùm amaret paupertatem; nam lanea femoralia præ centonibus primam formam amiserant. Octoginta supra ducentos centones in eis numeravit Præfectus vestium; omnes ejus insuti erant manibus, ex frustillis panni, quæ sartores tanquam inutilia rejecerunt. Avulsi ipse partem unam quinquaginta centonum, suspendique in cubiculo Subministri tironum, ut eo spectaculo ad amorem religiosæ paupertatis incitarentur.

P. Alexander Vereus. 6. In Portuensi Collegio 12. Julii P. Alexander Vereus natione Hibernus. Dum animi laxandi causâ ad littus Durii spectat naves, coorta tempestas disjecit armamenta. Fœdo spectaculo in se rediens Alexander, Ut fulmen, inquit, navem proximam discerpit, & me poterat in favillam redigere: non ampliùs serviendum mihi est rebus perituris. Ætatis vigesimo quinto anno nomen dedit Societati. Absolutis studiis, & sacris initiatus redivit Portum ad juvandos Catholicos alienigenas, & hæreticos reducendos. Ab omnibus ob vitæ integritatem, & illæsam innocentiam reputabatur Angelus.

Joannes Leitamus. 7. In Collegio Maderensi 17. Februarii Joannes Leitamus Coadjutor Barcensis. Legens libellum de casibus raris, animum induxit, relicto mundo, Christi militiam augere in nostra Societate. Biennio probationis finito ad Maderam missus, illic traduxit reliquos vitæ annos. Multus erat in oratione coram SS. Eucharistia. Ab assiduitate orandi de genibus erant in odei pavimento signa corrosis tabulis. Munia sui gradûs agebat accuratè. Plurimùm amavit pauperes, quibus libentissimè dividebat stipem, simúlque eos ad bonos mores cohortatus est. Studuit ex animo omni virtuti, præbuitque de singulis exempla singularia. Cum apud domesticos, tum apud externos de ipsius sanctimonia crevit existimatio.

Gaspar à Regibus. 8. In domo tironum Ulyssipone 17. Februarii Gaspar à Regibus Coadjutor natus Tondelæ. Postremos septem, aut octo annos traduxit cæcus, animo tamen

tamen rebus divinis meditandis intento. Addictissimus erat aureo libello de imitatione Christi, quem vocabat animæ alimentum, & manna cœleste. Cæco quotidie tironum aliquis unum, aut duo capita legebat, cùm ut ejus recrearet animam, tum ut conservaret, quæ ex ipso commendaverat anteà memoriæ. Nam sic tenebat, ut legentem præverteret.

9. Nostris in pace quiescentibus adjungo exterum Sebastianum Sequeiram. Annis non minùs quadraginta fuerat nostrarum scholarum Corrector, & Collegii Sutor, Brigantii 12. Martii defunctus. Christianis moribus vix alius in urbe ornatior. Omnes sæculares eum suspiciebant. Postremis quatuordecim annis servivit Collegio, sine ulla laboris sui mercede, unicè rogans, ut se alerent, ac mortuum sepelirent in templo nostro. Humeris Nobiliorum urbis elatum ad sepulturam cadaver in grati animi signum, quòd ipsos in pueritia scholasticis suppliciis correxisset. *Moritur Corrector scholarum Brigantii.*

Annus 1695. Soc. 156.

I.

PRovinciam regebat P. Emmanuel Correa, cùm A. R. P. Thyrsus paucorum motus suasione jussit, ut absoluto biennio Juniores nostri confluerent in domum tironum Ulyssipone, ut illic navarent operam humaniori litteraturæ, sicut moris est Romæ, atque etiam eodem hoc anno in Provincia Austriaca Viennæ inductum. Ad Juniores in spiritu dirigendos admotus est Ven. vir P. Joannes Fonseca. Ut Magistrum ageret, electus P. Antonius Francus recens professus, qui Rhetoricam docuerat in Eborensi Academia. Generalis prudens consilium eò tendebat, ut adolescentes nostri in eadem domo, & Gymnasio instructi, conjunctissimos deinceps animos, & religiosam charitatem sine fæcibus conservarent: simul liberi ab omni externorum commercio, quæ didicerant in tirocinio, id est, florem virtutis, & modestiæ diutiùs retinentes, in nostra ministeria à teneris, ùt ajunt, unguiculis in dies magis apti fierent. *Juniores nostri humanioribus student Ulyssipone in domo tironum.*

2. Gymnasium ob studentium paucitatem nequiit aperiri, nisi 7. Januarii sequentis anni, in quo jam aderant aliqui post absolutum biennium. Sex annos illud Gymnasium perstitit. Primis quinque id moderatus est P. Antonius Francus, sexto P. Petrus Almeida, septimo aderat jam futurus Magister P. Antonius Galvamus, sed, jubente Generali, solutum est, rationibus non parvi momenti id suadentibus, quas anno 1701. referemus.

3. Parùm felix rei domesticæ contigit hæc mutatio: amisit enim utile patrocinium Anglicanæ Reginæ. Erat ipsi à confessionibus noster Emmanuel Pirius, in paucis acceptissimus. Reginam magnopere delectabat ea domus, & venerabile tironum silentium, atque loci amabilis solitudo. Idcirco succurrit largâ manu. Hoc anno illic majoris hebdomadæ divinis officiis præsens fuit, jussitque ibi construi pulchrum sacellum, quod sine ornatu ullo reliquit, erectis tantùm parietibus, & fornice imposito. Nam ubi ex suo Confessario intellexerat Gymnasium in domo aperiendum, aliam domûs ideam concepit, pro silentio studentium clamores, pro solitudine concursum, ùt in Collegiis est propter multitudinem, & exercitia scholastica, animum ideo avertit, nec domum adiit deinceps; opus sacelli manserat interruptum. Accessit offensio Confessarii, seu, quòd se attemperaret Reginæ, seu quòd ægrè tulerit, sibi à Rectore injungi, migraret cum socio è cubiculis, ubi erant, ad alia inferioris pergulæ minùs jucunda. *Regina Anglicana abalienatur à domo tironum.*

4. Per id tempus destinârat Regina donare domui viginti quatuor aureorum millia, sed mutato animo illam summam largita est Indiæ provinciis. Migrante Confessario cum sacerdote, & Coadjutore sociis in Professam domum, crevit illius erga domûs incolas & benevolentia, & liberalitas. Nocte Natalis Domini præsens illic fuit audiendo colloquia suavissima, quibus graviores Provinciæ senes animi affectus coram nato Jesulo explicabant. Obtulit puero sancti- *Dona Reginæ Anglicanæ.*

ctissimo auream capsam quadraginta monetis aureis refertam. Ejusmodi donis regiæ manûs, dum vixerat, sic illam domum fovit, ut nunquam magis abundaverit.

Primus lapis Collegii Bejensis.

5. Martii duodecimâ positus est primus lapis Bejensi Collegio, factâ eâ cæremoniâ à P. Benedicto Lemio Eborensi Rectore. Ordinata supplicatio ab æde divi Sesinandi, in qua sub umbella Eucharistiam circumtulit per præcipuas urbis plateas P. Lemius. In ferculo cultissimè adornato jaciendum lapidem manibus gerebant simulacra SS. Xaverii, & Sesinandi. Lapis erat instar marmoris aræ sacræ, in eo legebatur incisa hujusmodi epigraphe: *D. Maria Sophia Regina Portugalliæ Xaverio suo.* Ingressâ supplicatione, spatium ædificio designatum, & in altari locatâ Eucharistiâ, P. Lemius in fundamenta descendens, præviis solitis in re cæremoniis, lapidem posuit ad lævam partem aræ majoris templi ædificandi. Inde reversa supplicatio eâdem pompâ ad ædem, unde exierat. Volebant cives, ut Collegium dicaretur D. Sesinando Concivi suo: ut mos Reginæ, & ipsis gereretur, placuit templum D. Sesinando, Collegium divo Xaverio consecrari.

Profecti ad Indiam, & Maranoniam.

6. Indicæ missiones adjutæ sunt duodeviginti operariis, uno Italo excepto, reliqui fuêre Lusitani. In Maranoniam misimus egregiam manum: erant numero quatuordecim; omnes ardentissimè id postulaverant. Quinque jam sacerdotes, cæteri completâ ætate, & absolutis scientiarum studiis initiandi. Erant omnes Lusitani, & ingeniis, ac dotibus spectabiles. Vix creditur, quòd una Provincia tantum numerum tam selectorum adolescentûm liberaliter impertiverit, quin sit exhausta. Verùm cùm DEUS Opt. Max. eam specialiter elegerit tanquam transmarinarum missionum gloriosum Seminarium, facit, quòd plurimùm det, ut abundantiùs habeat.

Turbæ in Collegio Conimbricensi.

7. De Provinciæ Collegiis Conimbricense annum doluit turbulentum ob aliquot parùm maturæ indolis adolescentes immemores, quid DEO, quid religioni deberent. Caput perditorum adolescens nobilis natione Italus, cujus nomini parco ob illustris familiæ nobilitatem. Hic ex patria veniens iturus ad Indicas missiones, imperio Generalis substitit Conimbricæ dans operam Theologicis studiis. Inerat illi vulpis & lupi malitia sub ovina pelle. Dictitabat, se Generalem, se Papam in manu habere, facturum Romæ, quæ vellet. Hisce audaces fecit aliquos sibi similes. Commisêre relatu indigna. Italus, origo mali, habitâ facultate redeundi in patriam, positus extra Collegium induit vestes sæculares, & in villa cum aliis alienigenis substitit prope Ulyssiponem nullo ab eis discrimine. In Professam retractus domum, mitiùs, quàm res poscebat, Nuncii commendatione accedente tractabatur. Datâ opportunitate solvit in Italiam, ibique de Societate expulsus, adscripsit militiæ nomen: dum in hostem fecit excursionem, glande trajectus plumbeâ mortem occubuit. Comites illius variâ pœnâ affecti Conimbricæ, è Societate tanquam boni communis pestis expulsi sunt.

Mors P. Antonii Cardozi.

8. Sed his relictis, quæ adhuc meminisse horret animus, ad suaves septem sociorum obitus progrediamur. In eodem Collegio 24. Januarii expiravit P. Antonius Cardozus Nabasiensis. Sparsit virtutum odorem, ubicunque fuit. In Angola pluribus annis strenuè rem gessit in nostris ministeriis. Non minore diligentiâ procuravit bona temporaria Conimbricensis Collegii. Nullus de ipso conquestus unquam, aut minùs bene locutus est. Integerrimis enim florebat moribus. Sic omnia disposuit ad agonem, ut supremam diem præscivisse vix potuerit dubitari.

P. Alvari Froesii.

9. In Sanfinensi Residentia 5. Aprilis P. Alvarus Froesius natus Fermināni. Ob pertinacem morbum dimissus è tirocinio, ubi convaluerat, iterum ad nos venit. Tradidit morales scientias Brigantii, in Portu, & Bracharæ præclarissimo sapientis Magistri nomine. Quamvis inflent scientiæ, nihil eis tumuit: imò fugiebat angue pejùs hominum æstimationes. Nemo ad obediendum promptior, aut suo cubiculo, & libris addictior. Vix diebus vacationis prodi-

bat

bat in agros ambulatum, ut corpus exerceret, ne putresceret. Postremis annis, memoriam amisit; prope mortem illi restituta mens omnis. Vulgò dicebatur in re moralis scientiæ optimos quosque sui temporis aut æquare, aut vincere. Obivit septuagenario major.

10. Ulyssipone in Domo Professa 4. Novembris P. Antonius Fonseca ortus Fermoseliæ. Rhetoricam, & Philosophiam Conimbricæ docuit. Socius erat Gasparis Alvari Provincialis in Brasilia, & Antonii Gonsalvii in Lusitania. Quo tempore Rex Alphonsus VI. vixit in Sintrensi custodia, habuit Antonium à confessionibus. Demissio, ac religiosa modestia illius mores plurimùm exornabant. Confabulationes sæcularium ùt rem vanissimam semper exosus. Amans silentii, & cellæ, atque studiosissimus obedientiæ, principis in Societate virtutis. P. Antonii Fonsecæ.

11. Fari 21. Decembris P. Augustinus Giraldinus, Hibernus. Pluribus annis in Collegiis Insularum morales profitebatur scientias. Redditus Lusitaniæ ad Hiberniam mittitur, ut populares suos contineret in orthodoxa fide. Id temporis Angli Regem suum Jacobum, quòd Romanis adhæreret sacris, throno deturbârunt. Calamitosa ea fuêre Catholicis tempora, bellis omnia desolantibus. Geraldinus coactus est classem adversus Gallos conscendere, ut suos populares in re ad animas pertinente inter militares strepitus juvaret. Post casus varios, quamvis hæretici Hibernis ex pacto fœdere orthodoxos parochos permiserint, excepêre homines de Societate JESU, quibus nullos adversus hæreses perfidia experitur validiores. Unde Giraldinus in Lusitaniam rediens Farum missus, ubi posset auxiliari mercatoribus, & nautis Catholicis eò ex Anglia ad navigationem venientibus. Sexagenario major vitam posuit. P. Augustini Giraldini.

12. Ulyssipone in Collegio D. Antonii 13. Junii P. Dominicus Freitius. Sacerdos jam major quadragenario ingressus est Societatem. Nondum tirocinium absolverat, cùm est in Angolam missus. Dum navis parti oneris accipiendæ stat in Anchoris ad Maderam, Dominicus morbo impeditur, quò minùs iterum conscendat. Navis cum omnibus nostris, ùt suo loco retulimus, submersa est. Cognito naufragio, Dominicus rogavit Patrem nostrum Generalem, se mitteret in Angolam. Datâ facultate obstitêre Patres Collegii, quòd munus Procuratoris obiret, nec esset, qui illius expleret vices. Restitutus Lusitaniæ similem procurationem exercuit in Collegio divi Antonii. Plurimus erat in castigando suo corpore: dies tres singulis hebdomadis jejunio transigebat. Primus properaverat ad confitentium tribunal. In ejus factis, ac verbis eminuit sanctus candor, qui reddebat omnibus charum. P. Dominici Freitii.

13. In Scalabitano Collegio 25. Martii P. Augustinus Laurentius Rector, patriâ Terenensis. Tradebat Ulyssipone Philosophiam, cùm in Angliam comitatus est P. Benedictum Lemium, ùt suprà memoravimus: restitutus Lusitaniæ post aliquot annos Eboræ transactos admotus est gubernando Collegio Scalabitano. Londini scripsit, quæ typis dedit, tria Philosophiæ, ac duo Theologiæ volumina. Insuper comparavit egregiam bibliothecam, quam moriens reliquit Bejensi Collegio. Porrò eleemosynis privatis dotavit reditu perpetuo, ac exornavit sacellum tironum Eborensium B. Virgini à Martyribus dicatum. P. Augustini Laurentii.

14. Societati intimis medullis addictus, omnia sua illi voluit. Ajebat, quidquid haberet, sibi donatum, quòd Societatis esset filius. Idcirco Societatem unicè pecuniis sibi à Regina datis fruituram, non verò consanguineos. Si ex iis nonnulli aliquid largitus est, id fecit eleemosynæ titulo. Hospites transeuntes excipiebat maximâ charitate, & munificentiâ. Morbos singulari tolerantiâ perferebat. Nihil æquè curavit, atque servare conscientiam à minimis nævis puram.

15. Ejus Confessarius testatus est annis tredecim, quibus vixit in Anglia, tam exactam factis, ac verbis adhibuisse vigilantiam, ut absolutionis materia in neutris fit reperta. Ubi morbo supremo decubuit, æternitatem unicè cogitans, verbis tam ardentibus DEum alloquebatur, ut esset omnibus admirationi. Subditis ad se vocatis postremùm valedixit, singulos amplectens, ac rogans, sibi con-

condonarent, quidquid adversus ipsos peccâsset, aut in quibus fuisset offendiculo. Virgo sanctissima Annunciationis suæ die eum asseruit incolis Regiæ cœlestis.

Joannis Fernandii. 16. Eboræ 13. Julii Joannes Fernandius Londini socius nostrorum apoplexiâ sublatus est. Illuc navigârat cum Regina, & Antonio Fernandio illius Confessario. Patriam habuit Portelium. Singulari eminebat charitate præsertim erga infirmos. Londini Catholicis egentibus, & ægrotantibus frequens erat auxiliator tum pecuniis, tum medicamentis, quæ suis manibus parabat, eorum quippe conficiendorum artem noverat. Nullus illi sermo gratior, quàm de rebus divinis, ac de SS. Eucharistia, quam præter solitos dies sæpiùs accipiebat. Annis postremis illi facultas concessa se eâdem quotidie reficiendi. Donavit sacello Valboniæ villæ suburbanæ Eborensis Collegii, quidquid argenti in eo cernitur. Simulacrum Virginis locatum in ara ad latus dextrum curavit in præcipuam transferri, quam occupabat effigies divi Xaverii, cui dicatur sacellum.

Annus 1696. Soc. 157.

1.

Congregatio Provincialis. APrili mense habitus Provinciæ Conventus ad creandos, qui eum jure suffragii Romam irent, ut comitiis universæ Societatis interessent. Expletò enim novennio, à quo alia comitia fuêre celebrata, juxta decreta Pontificum cogendus fuit Generalis Conventus, eúmque in Novembrem hujus anni indixit P. N. Thyrsus. Electi Emmanuelem Corream Provincialem comitaturi Franciscus Coëlius Rector Conimbricensis, & Vincentius Lisius Bracharensis Rector. Terrestri itinere profecti. Pervenerant Almassamum in Castella, cùm subitanea mors Vincentium rapuit, erumpente abscessu, qui crasso, & copioso fluxu corrupti humoris, gutture suffocato, intercepit spiritûs reciprocationem die undecimâ Maji. *Moritur P. Vincentius Lisius.* Erat patriâ Ulyssiponensis. Tradidit Conimbricæ scientias usque ad primariam Theologiæ cathedram. Genius illi suavissimus, & beneficus. Pluribus annis rexit Conimbricæ Sodalitium S. Ignatii pœnitentis. Illius suasionibus Academici clariores conveniebant ad peragenda exercitia Sodalitatis. Cibi parcus, amans laboris, & religiosæ paupertatis, ac sui castigator fuit. Substitutus P. Franciscus Correa eidem succesit. Initis Comitiis, creatus Lusitanus Assistens P. Emmanuel Correa. Ejus loco sequenti anno suscepit onus gubernandi Provinciam P. Antonius Cardozus. Erat prædicta Congregatio decima quarta totius ordinis.

Profecti ad Indiam, & Maranoniam. 2. Undecim tulêre suppetias Indicis operariis, præter duos reliqui Lusitani. Præerat omnibus P. Gaspar Castnerius Monacensis Bavarus, vir apud Sinas Mathesis professione admodùm clarus, qui annis labentibus è Sina rediens, ad eam iterum profectus, ùt infrà dicendum. Maranoniæ Provincia opitulata duobus eò missis sacerdotibus, P. Fructuoso Correa & Michaële Sylva. Duos secum vexêre scholasticos tirones. P. Fructuosus tradiderat Eboræ Philosophiam, ibat Theologiam docturus cum facultate redeundi, ùt fecit absoluto magisterio. Rexit deinde Cetobricense, & Scalabitanum Collegium. Cùm hæc anno 1720. scribuntur, Eboræ Collegium, & Academiam gubernat.

Naufragium P. Francisci de Fonseca. 3. Non est prætermittendum, quod contigit Patri Francisco de Fonseca Maderâ revertenti. Degit hodie Viennæ Austriæ procurans bona, quæ Societati legavit architalassus, de quo mentio suis locis facienda. P. Franciscus post magisterium humanioris litteraturæ adornabat reditum. Erat in procinctu navis unica, nec ea multi momenti. Aliis de nostris illam conscendere nolentibus, P. Fonseca statuit undis se tradere. Dum socios pro discessu extremo complectitur, accidit, ut inter religiosos amplexus frangeretur crux simulacri Domini ex ipsa pendentis, quod ferebat de collo suspensum ante pectus. Hic ille spem vultu simulans, premens attamen magnum alicujus periculi corde dolorem, ad socios hilari voce: Tandem aliquando finem habuit Crux mea. Fassus est

Colle-

Collegii Rector se ad conspectum fractæ Crucis, intus sensisse motam voluntatem ad inhibendam profectionem.

4. Post abitum mulier ad pedes Confessarii in templo nostro declaravit in odium quorundam vectorum illius navis procuratam opem dæmonis, ut navis illa facto naufragio periret; signum jacturæ fore ampullas vitreas inter se occultâ manu collisas. Januarii 27. navis erat prope Tagi ostium ad arcem divi Juliani, cùm ingressum conanti Genuensis vehementer bis impingitur navis, quæ festinabat portum intrare. Hujusmodi collisionibus sic invicem sunt intricatæ naves, ut fundum gubernaculo tangente, ambæ sint in saxa conjectæ. Ipso temporis momento in Madera sunt fractæ, se mutuò ferientes, geminæ vitreæ ampullæ. Unde conjectum navem perditam, idque per insulam vulgatum authore incerto.

5. Horâ quintâ vespere cœpit calamitas. P. Fonseca subitâ ruinâ nihil est turbatus: ille miseris, quos potuit, fecit animos, ad peccatorum dolorem excitavit: vectorem unum positâ salutis spe redegit ad sinceram pœnitentiam; hic paulò pòst tentandæ fortunæ gratiâ, ut in littus evaderet, committit se fluctibus valde tumentibus, & absorbetur. P. Fonseca ad noctis horam undecimam perstitit in fragmento navis, tum mitescente mari, per malum transiit ad Genuensem, inde per ejusdem malum egressus in rupem.

6. Tribuit ille suam incolumitatem cum Virginis rosario de collo suspenso, tum reliquiis D. Xaverii, quas gerebat secum. Illud omnibus erat mirandum; quòd sactis crucibus cum reliquiis adversus undas metuendo cumulo allapsas, hæ subter navem se conderent. Si verò pœnitentibus audiendis distentus cessabat à dictis crucibus, undæ in navem proruunt, obruúntque omnem turbam. In littus ejecta navis fragmina, & onus. Id Pater jam in tuto positus cùm cognovisset, disertis verbis, ait, protinus capsa mea in littus propellenda est; nam portat pecunias Virginis à Luce; illa non permittet rei suæ jacturam. Magnæ matris curam ostendit eventus; nam jacta, & fracta ad rupes capsa, insuper ruptis pecuniæ involucris, omnis summa, ne uno quidem deficiente obolo, est reperta.

7. Superest plurium hoc anno vitâ functorum memoria breviter agenda. In Domo Professa D. Rochi 4. Aprilis spiritum finivit P. Alphonsus Sylveira Ulyssiponensis. Parentes illi Comites de Sarsedis. Primis in religione annis venięns ex Italia Visitator indulsit Alphonso, unde factus ad observantiam negligentior. Monitum, & non curantem de se coërcendo Ludovicus Lopius Rector Conimbricensis austerè reprehendit, ac punivit in triclinio; quo salubri medicamento sic deinceps, quid oporteret, considerat, & exequitur, ut sit fassus, se quidquid foret, Ludovici debere severitati. Ad quæque nostri instituti ministeria, etiam humiliora, & religiosarum virtutum exercitia, Moderatores semper invenêre facilem, & promptum. Philosophiam, & Theologiam tradidit Ulyssipone. *Moritur P. Alphonsus Sylveira.*

8. Ibidem 7. Maji P. Josephus Costa Conimbricensis, in Academia suæ patriæ Philosophiam professus. In procurandis miserorum causis, eorum præsertim, quos carcer reos tenebat, vix habuit studiosiorem. Præscivit suæ mortis tempus: cui prælusit res admiranda. Mercator famulum ob furta apud Judices accusaverat, qui raptum ad carcerem per urbis compita flagellis cædi jubent. Rogante P. Josepho dissimulabant, si mercator condonet. Infimis precibus hunc Pater orat. Promittit ipsi gesturum morem. Verùm promissi immemor Judices adiens damnationem ratam habet. Hic Josephus eum convenire, expostulare, obsecrare. Nec iteratæ preces, nec lacrymæ hominem emolliunt. Igitur, quando, ait Josephus, sic amori fraterno, & promisso deficis, te cito, ut mecum stes coram supremo Judice, ut rationem des de fide fracta. Risit impius. Josephus paratis rebus ad supremam viam, accedente morbo, lecto se tradit, ac Medicis. Paulò ante mortem illi refertur periisse mercatorem. Nunc, inquit, sequor ego: nec multò pòst efflat animam quadragesimo tertio ætatis anno. *P. Josephus Costa.*

9. In

P. Stephanus Coelius. 9. In eadem domo 13. Maji P. Stephanus Coelius Villavissosensis natus annos septem supra septuaginta. In ministeriis Instituti nostri nemo ipso magis indefessus. Ubi noctu audierat januæ tintinnabulum, statim è lecto se proripiebat iturus ad confessiones excipiendas. Conversatio cum sæcularibus & grata, & utilis. Pecuniis emendicatis instauravit præcipuam turris campanam, quæ fracta propter magnitudinem multo sumptu egebat. Assiduitate sedendi ad confitentes audiendos torpuit illi corpus, fuitque necessum hærere lecto longum tempus ad mortem usque. Hujusmodi ærumnas tulit masculâ patientiâ.

P. Ludov. Nogueira. 10. Ultimâ Junii septuagenario major P. Ludovicus Nogueira Fermosellensis. Philosophiam Bracharæ, annos plures moralem scientiam in Portu est professus. Post alia munera obita, consedit in Domo Professa deditus solvendis dubiis de conscientia, & scribendis libris de re morali, in qua eminebat. Typis commisit volumen de Bulla Cruciatæ Lusitana, & aliud de responsis ad dubia ex se quæsita. Natura modestum fecit, & insensum confabulationibus externorum, ac cellæ amatorem.

P. Antonius Vieira. 11. Trigesimâ Octobris P. Antonius Vieira Ulysiponensis, sexagenario major. Eboræ Rhetoricam, Conimbricæ Philosophiam, Ulyssipone Theologiam docuit, singularis Magistri nomine. Præterea dotibus ad sacras conciones illustris. Rexit Seminarium Hibernicum, & Collegium D. Antonii. Id conservanda observantia non attendit personas hominum, in nostri Instituti observatione exactissimus. Fugiebat sæcularium commercia, libris evolvendis totus intentus. His victimis in Domo Professâ placata mors, quas alibi depasta fuerit, refero.

P. Xaverius Mattius. 12. In Collegio D. Antonii 10. Maji è medio sustulit P. Franciscum Xaverium Mattium Vianensem. Insignibus ille donis præditus erat ad magisteria, & sacras conciones. Philosophiam Conimbricæ tradidit, Theologiam Ulyssipone. Ad concionem dixerat egregio plausu, multùm indulgens auræ populari, sed postremis annis ambitiosæ eloquentiæ pœnitens, totus erat in permovendis animis ad morum, vitæq; emendationem. Cùm assedisset externo febri malignâ ægrotanti, mortis traxit originem.

P. Andreas Cardozus. 13. Eboræ 8. Julii P. Andream Cardozum Conimbricæ ortum. Singulari vir ingenio præclarus fulsit cum mansuetioris litteraturæ studiis, tum Philosophiæ, ac Theologiæ magisteriis, hanc in Eborensi Academia professus usque ad primariam cathedram, & laureatus Doctoris gradu, egit annos plures Academiæ Cancellarium. Ultimis annis valetudinem vehementer attritam tulit animo æquissimo. Sæpe sacras obîerat missiones animarum magno proventu. Ulyssipone dixit è pulpito insignis Concionatoris famâ.

Ignatius Sandius. 14. Bejæ 28. Octobris immaturâ morte præreptus est Ignatius Sandius Portimanensis Theologus spei non vulgaris propter mores irreprehensos, & præcellens ad scientias ingenium. Nihil æquè procuravit, atque conscientiæ munditiem. Obsequiosissimè coluit DEI matrem, S. P. Ignatium, Custodem Angelum, ac Divum Stanislaum Kostkam. Dum Bejæ unus è nostris illius frater mori periclitatur, facultate impetratâ illuc properat; die tertiâ postquam accesserat, hæsit illi maligna febris à fratre transfusa. Medicis rem parvi momenti judicantibus non consensit, sed in postremam luctam comparavit animum. Eodem die litteras ad quendam nostrum dans Eboram scripserat se moriturum die Simoni & Judæ Apostolis dicato. Unde patuit à DEO illi manifestatum mortis tempus.

Antonius Riberius. 15. Conimbricæ 15. Augusti non minoris spei Antonius Riberius scholasticus, ortus Ansami. Docebat Latinitatem, cùm petivit ardenter mitti ad Indos; negatâ à Provinciali veniâ scripsit ad Generalem, qui annuit precanti. Sed interim suborta phthisis optima hæc desideria sufflaminavit. Nihil dubitans sibi pereundum brevi, naviter se disposuit ad mortem. Rogavit Virginem sanctissimam

mam obitum in Assumptionis die festo. Placuit Virgini, & hoc servo augere triumphum suum.

16. His duobus parem virtute Emmanuelem Pontanum scholasticum patriâ Loulensem mors rapuit Eboræ 22. Januarii. Vix alius sui temporis modestior, aut prudenti sinceritate gratior. Anima prorsus Angelica se dabat intuendam factis, ac verbis. Videbatur genius ad virtutem natus. In humaniori litteratura, cui operam impendebat, ob ingenii præstantiam singulares fecerat progressus. Illud citra dubium contigit mirabile supremo in morbo. Deliriis mente alienatâ, nihil agitabat præter divina. Si quis ejusmodi sermones miscuit, aptissima dabat responsa cum sancto pondere. Emmanuel Pontanus.

Annus 1697. Soc. 158.

1.

BAhiæ apud Brasilos 18. Julii anno ætatis nonagesimo tertio obmutuit illud os facundissimum, Concionator Principum, & Princeps suo tempore Concionatorum P. Antonius Vieira Lusitanus Ulyssiponensis, vir nullâ commendatione æquandus. Vix in sacro suggesto auditus est, absit verbo invidia, qui cum Vieira conferri possit. Id omnium voces, id tot concionum volumina in lucem edita declarant. Tantúmque ejus crevit nomen, ut volentes significare aliquem esse concionatorem præclarissimum, alterum dicant Vieiram. In cujus rei fidem adjungo epigramma concinnatum à P. Paulo Hänsizio Viennæ Austriæ studiorum Præfecto Generali, oratore, & Poëta suæ ætatis celeberrimo: Celebrantur exequiæ P. Antonio Vieiræ à Comite Ericeirensi.

Ingenium, & virtus, Aquilæ cui denegat alas;
Hic Vieira viâ non valet ire tuâ.

Meum non est Vieiræ acta conscribere, sed narrare, quæ in ejus honorem Ulyssipone gesserit Excellentissimus D. Franciscus Xaverius Comes Ericeirensis, heros sui temporis omni litteraturâ excultissimus, & viri tanti dignissimus æstimator.

2. Decrevit igitur Concionatorum primipilo exequias dignas Principe concelebrare. Vestitis templi Domûs Professæ parietibus apparatu funebri, pendentibus emblematis, & inscriptionibus sepulchralibus, inanem tumulum multiplici cingente funalium ordine, & ceterâ in rem pompâ occultam majestatem spirante: appensa prætereà intrantibus obvia magni Vieiræ vera effigies: justa magnificè facta, innumero hominum concursu: luculentam orationem de laudibus P. Vieiræ habuit Reverendissimus D. Emmanuel Sousa, Clericus regularis divinæ providentiæ, filius Excellentissimi D. Francisci Sousæ Callarisii, è primoribus Dynastis Lusitaniæ. Celebrata hujusmodi funebria mense Decembri diebus proximis festo S. Thomæ Apostoli. Hæc mihi, qui præsens eram, consideranti, & optimis rerum æstimatoribus in ambiguo fuit, utrùm ab hac pompa magis inclaruerit Vieiræ supra humanum fastigium magnitudo, aut Excellentissimi Comitis supra heroes veneranda animi celsitas. Utrique erectum est monumentum ære perennius, par collaudato heroi, par heroi collaudanti, quem nihil permovit, nisi studium enm condecorandi virum, per quem hæc nostra natio sibi in sacro suggesto nomen peperit immortale.

3. Ad Indiæ regiones trasiverunt decem, tres Itali, & septem Lusitani. Hos inter recensebatur Emmanuel à Cunea, natus Aldeæ novæ de Cabo, nondum egressus tirocinium, qui 1. Junii anno 1711. nobilem animam martyrio efflavit apud Maissurenses in India. Ejus gloriosam vitam jam typis mandavi. Profecti ad Indiam. P. Emmanuel à Cunea Martyr.

4. Ulysipone supremùm vixit 13. Februarii Dominus Joannes Serramus Vicarius Generalis Archiepiscopi, magnæ pietatis, & vir multæ virtutis. Bona sua reliquit ad erigendum domicilium, in quo educarentur tirones ad Indicas mittendi Provincias, ut apud eas gentes orthodoxa sacra propagarent. De hac Moritur Joan. Serramus missionum Indiæ Benefactor.

fundatione infrà dicendum ampliùs, & cur ipse ejus domûs fundator non sit, sed Benefactor insignis.

P. Antonius Ribeirus. 5. Ex nostris æternitati adscripti sunt. In Collegio D. Antonii 9. Martii P. Antonius Ribeirus Algarbiensis. Advenerat ex India, suæ Provinciæ iturus Romam Procurator; sed navigatione fatigatus adeò perniciosum morbum contraxerat, ut diu vivere nequiret. Quæ gesserit apud Indos, me latet; nisi, quòd propter fidem sit addictus carceri in regno Maissurensi. In eo fulgebat singularis modestia, plurimarum index virtutum.

P. Josephus Mursia. 6. Conimbricæ 31. Octobris P. Josephus Mursia Ulyssiponensis. Rhetoricam Ulyssipone, Philosophiam, & Theologiam usque ad primariam cathedram professus Conimbricæ. Sanctos Xaverium, & popularem suum Antonium peculiari coluit veneratione. Ajebat sacerdotes strictam rationem DEO daturos, si confitentibus refugerent aurem commodare: idcirco ad eos audiendos festinavit inter primos. Nec in ejus potestate fuit, non annuere postulanti, se confitentem audiret.

P. Emmanuel Coëlius. 7. Corucii 22. Augusti P. Emmanuel Coëlius Vianensis. Priusquàm daret nomen Societati, erat è familia domestica Joannis Melli Conimbricensis Episcopi, ipsius operâ utebatur in mittendis noctu eleemosynis ad pauperes honestos: dum Emmanuel viduæ domum adit, existimans illa sibi futurum beneficentiorem, ad turpia invitat castum adolescentem: ad tale verbum horret; illa, ne abeat, curat obserari ostium; hìc adolescens quantâ vi potuit, repellit, ac fugâ se proripit. Ne caderet deinceps in similes laqueos, conjunxit se nostræ Societati, gradu Coadjutoris spiritualis contentus. Vixit apud nos instar Angeli. Juvabat Eborensis Collegii Procuratorem, cùm in Corucensi prædio lethali morbo perculsus religiosissimè animam reddidit Creatori.

P. Emmanuel Moura. 8. Maji die undecimâ Villavissosæ Domûs Professæ Præpositus P. Emmanuel Moura, patriâ Farensis. Animi virtutes commendabat modestia, & mansuetudo tum verbis, tum factis. Cùm vi morbi semel deliraret, nihil non rectum, ac sanctum pronunciârat, psalmos nempe, hymnos, & ejusmodi. Ante mortem cœpit repentè alloqui verbis piissimis cubiculi angulos. Percontantibus, ad quemnam eos dirigeret sermones? reposuit alloqui se sanctos angelos, quos intuebatur expectantes animæ suæ profectionem, ut in Cœlos tollerent. Viri innocens vita rem fecit creditu facilem. Multa apud externos erat de illius virtutibus existimatio, ideóque plurimi postulârunt ex rebus, quibus usus fuerat, reliquias.

P. Leopoldus Fuesius, Reginæ Confessarius. 9. Firmum columen amisit Provincia in obitu Ven. P. Leopoldi Fuesii, Reginæ Confessarii. Natus ille est Brunsuii in Saxonia 18. Aprilis anno 1642. Societatem iniit 2. Octobris 1657. Nuncupavit solemnem professionem 15. Augusti 1675. Vix Regina excesserat ætatis annum sextum, cùm est tradita Leopoldo instruenda. Cum ipsa venit in Lusitaniam. Quidquid pietatis in ea micuit, & micuit plurimum, acceptum referebat Leopoldo, quem dilexit, ac suspexit velut Patrem. Illi tantum ingenuit erga nostram Societatem amorem, ut eam ceu rem suam sit complexa.

10. Habitavit Leopoldus Ulysipone in domo tironum: illic pluribus annis incolæ domûs venerati sunt in Leopoldo grande omnium virtutum exemplum, & ad perfectionem religiosam incitamentum. Ille in coquina, ille in triclinio serviebat. Sæpe de pulpito coram sedentibus in mensa publicavit suos defectus, mox cibum cepit ad mensam, ùt dicimus, parvam. Bis quotannis peregerat exercitia S. P. Ignatii; nec per eos dies admisit externum ullum, cujuscunque foret dignitatis. Vespere finitâ loquendi horâ, sacellum adibat auditurus lectionem libri ascetici, & puncta meditationis tironibus proponenda.

11. Otiosum nemo invenit. Ut tempus residuum à solitis occupationibus utiliter collocaret, vertit in Latium idioma conciones P. Antonii Vieiræ, quæ typis in Germania sunt commissæ. Illi debet Provincia Bejense Collegium à Regina conditum. Eidem ab Leopoldi morte obvenit pretiosa supellex libraria

ria. Morienti assedit P. Joannes Fonseca, qui ei fuerat à confessionibus; ejúsq; raram virtutem semper est veneratus. Leopoldi vitam ipse in lucem edidi cum aliis nostrorum hominum; ideo longiori parco narrationi.

Novus Reginæ Confessarius.

12. Post mortem Regina sibi voluit Confessarium P. Joannem Fonsecam; ad se vocat, illius expertura animum; intellexerat enim ex P. Leopoldo hominis genium honores abhorrentem. Humillimis precibus Serenissimam deprecatur, ne se hujusmodi onere gravaret; non defuturos, qui ad votum suæ majestatis rem meliùs gererent. Intellectâ Patris molestiâ, sibi elegit P. Michaëlem Diasium, proximè tironum Rectorem, qui, nobis hæc scribentibus, antiquissimus hujus Provinciæ vivit in domo tironum supremam senectutem.

Annus 1698. Soc. 159.

I.

Profecti ad Indiam.

Missionibus Indicis decem & septem hoc anno subvenerunt, tredecim Lusitani, quatuor ex aliis nationibus. Inter hos numerabatur P. Emmanuel Pimentelius, subinde designatus Archiepiscopus Cranganorensis.

Missiones.

Quamvis per hos annos parùm, aut nihil dicam de sacris excursionibus per regnum, non ideo defuerunt, sed cùm id, quod in ipsis fit, præ se non ferat diversitatem, prætereundas censeo. Solam Leiriensem diœcesim per Quadragesimam sex excolunt operarii ab annis aliquot ante hunc lapsis ad millesimum septingentesimum vigesimum, quo hæc scribuntur. P. Thomas Arnaus vir præditus Apostolico spiritu totam Michaëlensem pervagatus insulam, egregiam morum procuravit mutationem.

Missiones P. Michaëlis Amaralii.

2. Patri Michaëli Amaralio solùm in laboribus pro Dei gloria quies erat. Venit ex India, sive Macaensi Provincia Procurator Romam. Dum moratus est in hoc regno, in præcipuis urbibus lucrosissimas Cœlo habuit missiones, quibus multos peccatores redegit in frugem sanam. Inerat illi ad rem inflammatus spiritus, vox acuta, cordibus inserens, quæ pronunciabat. Porrò illum tanquam Baptistam è deserto prodeuntem intuebantur. Noverant venisse ab extremis mundi plagis, ubi annos plurimos inter peregrinationes, & navigationes arduas, ac labores sine numero Evangelium promulgavit. Ipsa barba promissa, & facies indicans hominem ærumnis attritum pro concione erant, ac dicenti conciliabant animos. Hoc anno in Portu missionem peragens inter alia effecit, ut vir locuples, qui promisso honestæ puellæ matrimonio, pecuniis illudebat apud tribunalia puellæ consanguineos, eam sibi justo nexu conjungeret.

Profecti ad Maranoniam.

3. Duo petivêre Maranoniam, Franciscus Andrada Algarbiensis, & Joannes Valladamus Grandolensis, sacerdotes. P. Andrada posteris reliquit sanctæ obedientiæ venerandum exemplum. Decennio apud Insulanos Tertiarum nostra ministeria exercuerat. Vix seni omnino menses effluxêre, cùm rediret in Lusitaniam. Nil tale somnians missus est cum potestate Visitatoris ad Maranoniam. Tacuit, & paruit. Interroganti, cur se non excusaret referendo decennium apud Insulanos consumptum in obsequio Societatis? Majores mei, respondit, id optimè sciunt; si velint, ipsi excusent: nescio enim, an salus mea ex hac pendeat obedientia. Suscepto itinere post aliquot annos revertens in patriam, ad ostium fluminis Amazonum interiit facto naufragio.

Conimbricæ cœpit esse usui sacellum D. Borgiæ, & Crux templi.

4. Die festo Corporis Christi apertum est, & cœpit esse usui augustum sacellum intra parietes Collegii Conimbricensis S. Francisco Borgiæ consecratum. Curavit exornari P. Franciscus Coelius Rector, & ipse primùm sacris operatus est, Eucharistiâ expositâ, ùt moris apud nos est tali die in Collegiis primariis, ac domo tironum. Idem Collegium sibi gratulabatur de solemnitate, quâ templi crux, & ara major patuêre populo 31. Julii. P. Coelius perfectâ eâ præcipuâ templi parte, nam ad eam diem reliquâ parte solùm utebamur, locum disposuerat, ut aperiret die prædictâ. Sed illo de magistratu abeunte, P. Dominicus

Nunius ejus successor, libero spatio à ruderibus, & purgato, decentérque composito, curavit de transferenda Eucharistia in novam majorem aram.

5. Id factum pervigilio S. P. Ignatii, institutâ solemni supplicatione: circumtulit per urbis compita Eucharistiam Nonius Tellius Silva, filius Alegretensium Marchionum, & Academiæ Rector. Sequenti die exposita Eucharistia, præsente Joanne Mello Episcopo Conimbricensi, qui suis etiam subsidiis opus juverat. Habitæ duæ conciones, matutina à P. Mathia Correa, vespertina à P. Josepho Almeida, idem Collegium, cùm hæc exaro, gubernante.

Moritur P. Mathias Correa.

6. P. Mathias, nescio, quâ permotus occultâ vi, scripserat in concione, se primum futurum, qui condetur in sepulturis intra illud novum spatium factis. Cùm prælegeret amico concionem, suasit, illa verba deleret, quando dictæ rei certus non esset, putaretúrque homo vanus, quòd talia de suggesto coram tanta multitudine pronunciaret. Paruit suadenti: sed ipsa dies ostendit, vaticinium eis in verbis contentum fuisse. Nam Septembri proximo erisipelate perniciosó, cuncta frustrante remedia, perculsus, 22. dicti mensis obiit, primúsque ibidem tumulatus est. Rhetoricam tradiderat Conimbricæ, & Eboræ, dein Philosophiam, & sacras litteras exposuit: per id tempus moderabatur, quam nonam vocamus, Theologiæ cathedram. Eminebat ingenio, & religiosis moribus. Vixit annos octo supra quadraginta, in Societate triginta tres, natus Ulyssipone.

Maurus Ferreira.

7. In Ulyssiponensi domo tironum calendis Augusti, diligentissimè procuratâ animi salute, piè solvitur corporeis vinculis Maurus Ferreira Moledensis. Dabat operam humaniori litteraturæ, cùm emersère tam pestilentes variolæ, sive papulæ, ut eis exsiccandis nulla vis medicinæ satis esset. Eâ ipsâ noctis horâ, quâ decessit, Ven. vir P. Joannes Fonseca Juniorum Præfectus in rebus ad spiritum pertinentibus, somno excitus ante se in Cœlum subeuntem inspexit lucem, nec dubitavit, quin Mauri esset spiritus.

Paulus Ferreira.

8. Eboræ 9. Februarii Paulus Ferreira Bracharensis piissimis instructus moribus, studebat Philosophiæ: malignis impetitus febribus, sensit ardentissima DEI videndi desideria. Creditum est sacrosanctam Virginem illi se obtulisse spectandam; nam plenus lætitiâ ad circumstantes ait: flectant genua, Virginem, ac JESUM venerentur, ipsos adesse invitantes ad æternam felicitatem.

Georgius Cabralius.

9. Ibidem 24. Februarii Georgius Cabralius scholasticus Fornensis. Existimatum, abiisse de vivis eâdem ornatum gratiâ, quam in lustrali fonte acceperat. Quotidie corpus suum torquebat flagris, & cilicio, hoc, rogavit, cingerent, corpus suum post mortem, & è cingulo flagra suspenderent. Vicinus morti, precatus enixè est, sibi saxum daretur, ut instar D. Hieronymi pectus percutiens divinam imploraret misericordiam.

Morbi in Collegio Eborensi.

10. Fatales morbi hoc anno Eborense Collegium subiêrunt. Eluxit ardens omnium charitas serviendo, & assistendo ægrotis. Mors placata est duabus prædictis victimis. Commendant annuæ litteræ laborem indefessum P. Martini Sylvæ Algarbiensis. Nihil arduum, nihil abjectum, nihil, quod flagrantissima postularet charitas, omisit, ut esset solatio, & sanitati periclitantibus. Plurimi confugientes ad opem D. Xaverii, alii ad S. Theresiæ, efficaces experti preces habuêre in dies meliùs. Externi Medici Franciscus Rodericius Vieira, & Vincentius Sylva immortaliter meriti de Collegio, die, noctéque suppetias ferebant ægrotis.

Impetratur pluvia Angra.

11. Angræ multiplici laboratum periculo. Segetes clauso in pluvias Cœlo, omnino peribant. Frustra publicæ preces in Cœlum missæ. Tandem Sodales Virginis à puritate in templo nostro, impetratâ à Rectore veniâ, decernunt supplicationem, ac in ea circumferre Christi de cruce pendentis effigiem, quæ nuper ad aram templi vecta Ulyssipone fuerat. Egrediente de Collegio supplicantium agmine, densari nubes, ac nigrescere, non multò pòst in abundantissimam solutæ pluviam communem extinxêre mærorem. Receptâ in templum

plum supplicatione, habita concio in illa verba: *Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.* Quibus ad rem nihil aptius.

12. Evaserant Insulani dictum periculum, cùm aliud formidolosius supervenit mense Novembri. Horridam procellam comitati, diebus quindecim continuis, creberrimi totius insulæ ex aëre in ejus visceribus latente, & ignescente concussus. Nihil præter ferales mortis umbras occurrebat miserorum animis. Timuêre, ùt frequenter apud eas insulas contingit, ne terrâ dehiscente, sub pedibus erumperent voraces flammæ. Per eos dies vix nostri surrexerunt de tribunali confessionum. Plurimis supplicationibus incassùm habitis, cùm occurreret Dei hominis crucifixi favor in concessa pluvia, decrevêre supplicationem, in qua idem Crucifixi simulacrum per urbem circumferretur. Convenerunt viri religiosi, Sodalitates, & quidquid hominum in urbe fuit. De templo exîerat cœleste Christi vexillum, cùm placata procella, cessârunt terræ motus, nec ampliùs hujusmodi terrores miserorum animos cruciârunt. Hi duo eventus prodigiosi singularem illi simulacro attulêre venerationem. Sedantur terræ motus.

Annus 1699. Soc. 160.

1.

ANnum labentem inter funestiores cum natio, tum Societas Lusitana recenseat, necesse est. Utraque delicias suas amisit in obitu Serenissimæ Reginæ Mariæ Sophiæ Regis Petri conjugis lectissimæ. Quamvis omnium mæror fuerat inenarrabilis, jacturam non æquavit. Parentes habuit Philippum Wilhelmum, & Amaliam Principes Palatinos. Venit è Palatinatu in Lusitaniam anno 1687. Ab expleto sexennio tradita fuit instruenda nostro Leopoldo Fuesio, de quo suprà. Moritur Regina Maria Sophia.

2. Ingressa Ulyssiponem sic summorum, infimorúmque in se convertit animos, ut amarent tanquam matrem suavissimam. Neque fuit, qui non & beneficentissimam experiretur. Mendicis manu suâ stipem largiri solebat: fidenter accessêre ad currum, sellam gestatoriam, aut lecticam, à qua nunquam vacui repellebantur. Præter innumera subsidia egenis data, alebat in regio nosocomio puellas sex orbas parentibus, mulieres honestas quatuor, ac sex pueros expositos; & inter tirones nostros unum pro Malabarica Provincia. Multa missarum millia fieri fecit pro animabus lustrali flammæ addictis.

3. Octavo quoque die purgatâ per homologesim conscientiâ, divinis epulis refecit animam. Sæpe id peregit in templis publicis. Mensibus præviis partui devotionem Xaverianam instituerat. S. Thaumaturgum ùt obsequentissimè coluit, ita ejusdem favores experta est. Post puerperia ferebat inter brachia prolem suam ad templum Domûs Professæ. Sacro assistens, cùm sacerdos in altum levabat divinam hostiam, ipsa tollens manus cum prole, DEO, ac S. Xaverio offerebat. Sæpe in tabulis ad fidem publicam exaratis subscripserat: *Maria Sophia Xaveria.*

4. In obsequium ejusdem Divi condidit Societati Bejense Collegium: ad constructionem ædificii destinavit annis singulis octo cruciatorum millia. Plurima dona pretiosissima eidem impertivit: & nisi tam citò humanis rebus esset exempta, nobis parâsset Collegium, quod nihil invideret abundantioribus. Nostram Societatem affectu materno prosecuta, eum verbo, & opere exhibuit. Sibi Confessarium, & suis filiis elegit solùm de Societate, nec alios voluit ipsis Magistros. Res nostras semper amantissimè protexit. Piissimè ad mortem comparata obivit quartâ Augusti. Sepulta est in templo Canonicorum Regularium S. Augustini, cui nomen à S. Vincentio. Progenuit quinque filios: ex eis supersunt Joannes Rex hujus nominis quintus, Franciscus, Antonius, & Emmanuel; filias duas; Theresia naturæ jam concessit; Francisca in vivis est, cùm hæc litteris consignantur. Eboræ, & Conimbricæ per nostros apparatu ma-

gno justa fuerunt concelebrata. Per Societatem universam facta sacra de more fieri solita pro Fundatoribus.

Profecti ad Indiam.

5. P. Michaël Amaralius, transactis negotiis, multis comitantibus solvit in Indiam. Viginti erant, exceptis quinque, cæteri Lusitani. De itinere nihil habui compertum, & an salvi omnes appulsi sint Goam.

Misericordia erga defunctum.

6. Dignum commendatione optimum Christianæ charitatis exemplum nostrorum Juniorum referre placet. Die festo pomeridianis horis animi laxandi gratiâ in agros Alcantaram versus prodiverant. Factâ rixâ, gladio vir unus transverberatur. Accurrit Juniorum Præfectus, morti proximum sua dolentem crimina impertit absolutione, ac juvat piissimis in rem verbis. Paulò post emoritur cum sole occumbente. Quamvis circumstaret multus populus, aliis aliò pergentibus, cadaver deserebatur, citra dubium canibus laniandum. Juvenitur tandem vetusta sella in domo fonti proxima. Ponitur in ea cadaver: Juniores hinc inde sustentantes sellam ad urbem portant: integri succedebant in orbem fessis, cùm onus gravaret plurimùm, neq; modica esset distantia.

7. Haud parùm mirabantur Juniores adolescentis externi virtutem, qui, ut sella commodaretur, in pignus obtulit argenteam capsulam, & ipse suis manibus socios juvit; indumenta honesto loco natum indicabant. Mens erat Junioribus deferre cadaver ad ostium nosocomii regii; verùm accedentibus Cœnobio Benedictino fit obviàm Judex criminum; sistant, imperat, velle se recognoscere defuncti vulnera, & cætera, quæ in rem forent. Hic Juniorum Magister; nam Præfectus cum parte Juniorum ex itinere domum se contulerat, ad Regis ministros ait: Testamur neminem circumstantium, & nos hucusque sequentium in commisso cædis crimine socium, aut participem fuisse: en cadaver vobis tradimus; vos pro Christiana charitate cætera procurabitis. His dictis inde se domum, primis jam tenebris recepêre. Illud etiam non silendum, quòd amicus occisi nudato gladio jamjam transfixurus sequebatur homicidam fugientem, cùm P. Præfectus à tergo complexus hominem, & moratur, & locum dat homicidæ, ut è solo surgeret, nam lapsus fuerat, & citatissimâ fugâ sibi consuleret. Porrò admonuit illico omnes, qui poterant venire in criminis suspicionem è conspectu se quamprimùm auferrent. Dicta charitas per eos dies in sermonibus vulgi fuit, non sine honore Societatis.

Reginæ Anglicanæ in Societatem Benevolentia.

8. Magni jejunii tempore Regina Anglicana profecta Ulyssipone Villamvissosam, ubi nata fuerat, adivit causâ venerandi Virginem à Conceptione, sub cujus tutela regnum, & Domus Brigantina degit. Post Quadragesimam Ulyssiponem revertens, iter fecit Eboram. Magnis plausibus à Civitate excepta. Hospitari voluit in palatio Comitis Bastensis prope Collegium sito. Vix potest explicari benevolentia, quâ Collegium, sacella, & quæ in eodem Collegio spectabiliora essent, invisit. In amplo domestico sacello drama splendidum nostri paraverant. Data theatro historia Agilulphi Lombardiæ Regis converti ex idolis ad veram fidem ab uxore sua Teudolinda. Sub qua adumbrabatur Regina nostra, & illius conjux Rex Carolus prope mortem complexus Romana sacra. Prætereà diem insumpsit in Valbonia Collegii villa suburbana, cujus pulcherrimum sacellum, & ædificium auxerat multis operibus P. Benedictus Lemius pecuniis sibi ab eadem Regina datis.

9. Initio cùm venturam Reginam noverunt cives, & exciperent debitâ, ac Reginæ, & suæ urbis dignâ majestate, tributum in singulas familias impositum, Collegio parùm amicos fecit animos. Murmur erat, nostris authoribus, nempe Confessario P. Emmanuele Pirio, & Benedicto Lemio, Eboram venire Reginam; ut, quanti penderet nos, civibus patefieret nostræ superbiæ causâ gravari, præsertim magis tenues, & opifices, quos plerumque hujusmodi premunt onera. Ubi viderunt rem ex voto contigisse, tantisper sunt molliti. Res ipsa has detersit nebulas; nam insinuante P. Lemio, summam contributam jussit Regina tradi Ministris, qui collegerant, ac per libros eorum reddi singulis, quidquid in tales expensas contulêre. Quæ munificentia palàm fecit omnibus,

quàm

quàm vanæ, & parùm veritati consentaneæ fuissent voces contra Societatem in vulgus sparsæ.

10. Vitâ decessêre nostri. Ulyssipone in Domo Professa 9. Maji septuagenario major P. Andreas Vasæus Vianensis. Tradidit Philosophiam, ac moralem scientiam Eboræ. Rexit Cetobricense Collegium, ubi fuit à confessionibus Dominæ Elisabethæ Mendossæ Benefactrici singulari ejus Collegii, cui reliquit bona sua Fundatorum dotem æquantia. Postea penè continuatis magistratibus egerat Rectorem tironum, Conimbricensis Collegii, Provincialem Rectorem Eborensem, Præpositum Domûs Professæ Ulyssiponensis, ac Vice Provincialem. Eos magistratus obivit summâ integritate. Dictitabat, & ea fuit sociorum opinio, si quid in gubernio peccâsset, id à voluntate non profectum. Illius erat sermo, est, non est. Artificia Politica nescivit, & censuit absona religiosæ sinceritati. Sibi nunquam indulserat corporis sui hostis infensus. Mirabili patientiâ postremis annis tulit ægritudines. Antonius Homo virtutis exquisitæ socius Coadjutor illi affirmavit adscriptum esse albo prædestinatorum; quod Andreæ immodico erat solatio; vixitque semper eâ dignus felicitate. Obit P. Andreas Vasæus.

11. Eboræ 24. Februarii P. Mathias de S. Germano Monsarasii natus. Editus in lucem gerebat signatam crucem in oris læva parte; lineamenta in palma dexteræ manûs sic erant eformata, ut nomen *Mathias* ipsis, tanquam characteribus, exprimeretur. Hæc indicia à DEO singulariter electum ostendêre. Usum mentis adeptus vix poterat avelli à templis. Exarsit magnis desideriis religiosæ cuipiam familiæ se mancipandi. Missus Eboram studiorum ergo brevì eos fecit progressus, quos præclara ingenia. Societati illic adscriptus instar Angeli vixit. Nullus modestior, aut humilior, rebúsque divinis magis deditus. Omnes religiosissimâ complexus charitate. Dum indesessè, & labore improbo Prosodiæ nostri Benedicti corrigendæ, & augendæ insudat, phthisi lentè contabescit. Postremo vitæ mense quotidie semel, aut bis per confessionem eluit animam. P. Mathias de S. Germano.

12. Bracharæ 21. Aprilis sexagenario major P. Emmanuel à Regibus Louresiensis. In ipso præter corpus omnia grandia colluxêre, ingenium præclarum, & præstantissimæ ad sacrum suggestum dotes. Tradidit Rhetoricam, & Philosophiam magnâ laude. Sacras litteras Conimbricæ exposuit. Post mortem ordinata ex illius pulcherrimis concionibus tria volumina, quorum duo jam circumferuntur vulgata. Id nunquam illius vivi admisit modestia. Quanquam opus sit posthumum, nec à suo authore typis factum, & politum, habuit, ut meretur, apud omnes peculiarem æstimationem. Cùm præficeretur Collegio Bracharensi Rector, adeò turbata & contristata est ejus humilitas, ut non quieverit, donec ponderosis rationibus auditis novus Rector sufficeretur. Secesserat Bracharam, cùm vires tenues non essent tot obeundis Ulyssipone concionibus, quot vellent Optimates solemnitatum patroni. Amantissimus juxtà fuit, ac studiosissimus religiosarum virtutum. P. Emmanuel à Regibus.

13. Conimbricæ 22. Junii Petrus Silva Coadjutor Sobrerensis, laboris amicissimus Collegio Brigantino plurima attulit in prædiis commoda. Ille vineas, ille pomaria excolere, ille serere, ac metere segetes, quamvis ante initam Societatem laboribus non fuisset innutritus. Si quis improbavit, reponebat, se id agere, quòd levamen in re sentiret. Sui progressûs, ac exercitiorum animam juvantium nunquam oblitus. Petrus Silva.

Annus 1700. Soc. 161.

1.

Quindecim reductioni Indorum se accinxerunt, exceptis duobus Italis, ac duobus Germanis, reliqui fuêre Lusitani, partim sacerdotes, partim scholastici, studia Goæ absoluturi, ut apta fierent instrumenta propagando apud eas nationes Evangelio. Profecti ad Indiam.

2. In

Missio in Madera. 2. In Madera strenuè res acta per duos sacerdotes Ignatium Bullonium, & Dominicum Mellum. Septentrionem versus grassabantur exitiales morbi. Curiones impares administrandis sacramentis tantæ multitudini certiorem fecêre D. Josephum Castelbrancum diœcesis Episcopum. Ille postulavit à nostro Rectore, mitteret duos de nostris opem miseris laturos, adjungendum suis expensis chirurgum peritum, medicamenta, & pecuniam ad sumptus. Ivêre duo prædicti mense Augusto ad paræciam de S. Cruce, inde ad alias contenderunt, ubi eorum opera requirebatur.

3. Plena montibus est insula accessu valde arduis: habitabant rustici in cryptis, & tuguriis: huc itabant, inquirebántque miseros jam penè consepultos: modò concionibus, modò supplicationibus institutis populos excitârunt, ut ad peccatorum dolorem, & ad implorandam opem divinam pellicerent. Miserandam stragem ubique ediderant pestilentia tormina: id erat morbi genus. Neq; modò juvabant nostri periclitantes corroborando animas confessione, & viatico, verùm etiam corpora ad trahendam vitam necessariis subsidiis. De his largè providit Episcopi liberalitas. Tot consumpta medicamenta, ut pharmacopolia exhaurirentur.

4. Illud contigit admirabile, quòd bis divinitus oleum in doliis creverit; semel in domo Curionis, quò erat missum ab Episcopo ad succurrendum ægrotis; iterum in cella penaria Episcopi, cùm enim sine mensura extraherent, nunquam defecit, ipsomet Præsule rem admirante. Nullo sumptu abstinuit, ut mederetur suarum ovium necessitatibus. Nostri verò cunctis se periculis objecêre, ne DEI gloriæ, miserorum levamini, & Præsulis expectationi deessent.

Mors P. Emmanuelis Vieiræ. 5. Aliqui sunt in Provincia desiderati, quorum memoria non involvenda silentio. Ulyssipone in Collegio D. Antonii 23. Decembris P. Emmanuel Vieira Professor Theologiæ. Vespertinis horis exierat ad videnda templi opera, dum in summum ædificium per trochleam tollebatur lapis prægrandis, stabat propè Emmanuel in eum oculis intentis, cùm solutus nodo funis, ad terram præceps cadit. Emmanuel venientis ictum vitaturus retrò cedens labitur in scapulas, & occiput impingit acuto lapidi, sensu omni amisso paulò pòst emoritur. Ortus fuerat Lamerosæ in diœcesi Conimbricensi. Semper studuit religiosis moribus: ideo ejus mors non debet augere improvisas.

P. Benedicti Lemii. 6. Eboræ 10. Novembris insignis Collegii Benefactor P. Benedictus Lemius, natus monte majore novo. Rhetoricam, & altiores scientias cum splendore professus, laureatúsque Doctor; tradebat Eboræ Theologiam, cùm anno 1675. Londinum petivit Majorum jussu, egitque Reginæ Catharinæ Theologum, & Concionatorem ad annum 1689. Id temporis meditans Regina in Lusitaniam redire, præmisit Benedictum, & socios. Reliquam vitam traduxit Eboræ, Collegium, & ejus præsertim villam plurimis augens operibus, in quibus consumpsit supra viginti millia cruciatorum. Donavit Elvensi Collegio pretiosam bibliothecam.

7. Nihil in terris æquè, ac Societatem dilexit. Quidquid habebat à Regina, voluit unicè Societatis commodis servire, eam existimans patrem, matrem, fratres, ac suos consanguineos. Magnopere religiosam veneratus est paupertatem. Quas administravit pecunias, tanquam alienas tractaverat. Idcirco cùm Romam eunti suaderet aliquis, ut portaret ejus pecuniæ aliquid, quò gratificaretur benefacientibus; Absit hoc à me, respondit; quidquid habeo, in bonum commune, non in privatorum est.

8. Pervigiliis SS. Ignatii & Xaverii nihil omnino cibi sumebat; id ipsi gravius erat, quòd in eo dominaretur vis ignea. Sic jejunus quotannis pervigilio D. Xaverii habuit ad socios exhortationem in sacello domestico. Multus fuit in meditandis rebus divinis, & in promerendo Sanctorum patrocinio diversis precibus. Postrema morientis verba ea fuerunt: *Redemisti me Domine Deus veritatis.* Cætera virtutum exempla qui scire cupit, consulat vitam P. Lemii per me typis impressam.

9. Ibi-

9. Ibidem 18. Decembris P. Paulus Silva Collegii Rector, patriâ Barcellensis. Sub finem Septembris proximi venerat Collegium gubernaturus. Apparebat ad omnium vota rem gesturum; nam erat prudentissimus, multâ affabilitate & candore præditus. Novâ regione, & alimentis fortioribus nimiùm crescens sanguis lecto dedit. Multâ sanguinis missione opus erat, Medicis jubentibus, sed ex eis, qui Rectori assistebant, imprudenter nonnulli, ne fieret, obstitêre. Inde ortum, quòd eum sanguinis copia suffocaverit. P. Pauli Silvæ.

10. Conimbricæ 5. Februarii P. Joannes Furtadus Ulyssiponensis. Felici pollebat ingenio, facultates, & scientias, quibus impendit curas, apprimè tenuit. Philosophiam, & Theologiam professus Eboræ. Deinde Romam vocatus, ut librorum ageret Censorem. Reversus in Lusitaniam, transegit Conimbricæ reliquam vitam, scrupulis dolendum in modum continuò vexatus: idcirco non tanto usui esse potuit profunda illius scientia. Indefessè studuit religiosis virtutibus, modestiæ cumprimis, commercio cum DEO, & singulari curæ in non violandis vel minimis Instituti legibus. P. Joannis Furtadi.

11. Plurimi affirmârunt levem culpam scienter non commisisse. Virginem matrem tenerrimo complexus est affectu: illi dictata sua Philosophica consecravit; singulis tractatibus præfigebat tam dulces & suaves præfationes, ut legatur in ipsis authoris amor, & veneratio adversùs magnam Matrem. Otium vitiosum adeò est exosus, ut immunem à labore nemo invenerit. Apta typo reliquit volumina multa, præsertim de quæstionibus morum. Denique tantus fuit in excolendis, & augendis virtutibus, ut res ipsius post mortem apud multos meruerint reliquiarum æstimationem. Ejus vitam edidi in opere de tironum domicilio Ulyssipone.

12. Locum in his Annalibus meretur charitas Dominici Ferreiræ Souti civis Ulyssiponensis piissimi. Hic moriens reliquit in suo testamento, ut annis singulis darentur Domui Professæ D. Rochi æreorum regalium quinquaginta millia, quibus aleretur Procurator carcerum, ut liber à cæteris incolarum domûs oneribus totum se occuparet in eo ministerio. Quòd si nollent acceptare Patres, ea summa accresceret æreorum regalium centum millibus, quæ largienda carceribus quotannis jubebat, administranda ab eodem Procuratore. Re in consilium vocatâ, censuerunt Patres, id non congruere nostris legibus; & si cum eis posset stare, non admittendum, cùm non intersit nostrâ, quæ facimus permoti charitate, peragamus obstricti hujusmodi vinculis. Præterea sic tem miserorum agi utiliùs, quibus aucta sint subsidia; non ideo nos negligentiores futuros. Non admittitur legatum.

13. In Provincialibus Ulyssipone comitiis elegêre Patres conscripti Romam iturum P. Franciscum Tavarium. Magnopere illi commendatum, ut rogaret Præpositum Generalem, juberet extingui Gymnasium humanioris litteraturæ erectum Ulyssipone in domo tironum. Additæ urgentes rationes: sumptus videlicet, quibus faciendis Provincia non erat. Deinde strepitus Gymnasii in domo dicata unicè tironum silentio. Multa sunt proposita concernentia domesticam disciplinam, quæ prosequi non vacat. Nec in exemplum ducendam Romanam domum; cùm Lusitanis sit genius alius, cui res deberent attemperari: qui enim velint aliarum nationum consuetudines ad nationes alias transferre, deberent & genios, & ipsius regionis, sive naturæ temperamenta inducere cum ipsis usibus; quod cùm nequeat fieri ope humanâ, talia conari docet experientia non esse aliud, quàm niti contra torrentem; vanos reddendos tales conatus, cùm nihil violentum sit perpetuum. Congregatio Provincialis, quid in ea petitum sit.

14. Jam idem fuerat mandatum executioni in Collegiis primariis, Provinciali P. Josepho Seixio. Post tirocinium mansuetiori litteraturæ domi studebant Juniores. Comperto aliquot annorum experientiâ, parùm inde commodi profluere, stylo veteri ad nostras scholas publicas reditum est. Quid igitur cum tanto damno iteranda experimenta, libidine paucorum novitatibus studentium inducta? Cùm ratio doceat commune consilium, si consensus omnium,

vel majoris partis adsit, vel attingere, vel rarò deviare ab scopo; si mens dirigat, non voluntas insinceris affectionibus imbuta. Renunciatur Provincialis P. Michaël Diasius Ulyssiponensis, qui fuerat Reginæ Confessarius.

Novus Provincialis.

Annus 1701. Soc. 162.

1.

Profecti ad Indos.

DEcem & septem dicârunt se adeundis regionibus Indicis, Lusitani omnes. Præerat P. Joannes Costa Bejensis, qui ex Provincia Malabarica Romam venerat Procurator. P. Franciscus Vasconcellius ereptus morti in morbo periculoso se devoverat Indicis missionibus: anno 1720. nominatus ab Serenissimo Rege Joanne V. Cocinensis Episcopus. P. Josephus Tavarius mutavit cognomen in Malabarica Provincia, dictúsque Josephus Saraiva: illic obivit anno 1715. contracto morbo ex laboribus sui muneris. P. Petrus Gilius primus fuit, qui in Decanensi regno Montibus, quos Gates vocant, novam fundavit Ecclesiam, multis Ethnicis ad fidem conversis. Aliorum nomina Catalogi exhibent.

Solvitur Gymnasium domesticum Ulyssipone.

2. Mense Octobri solutum est Ulyssipone Gymnasium humanioris litteraturæ. Labor Magistrorum erat decumanus: unus duabus horis manè, duabus à meridie Gymnasio præerat; præthereà disputationibus per tres horæ quadrantes, nonnunquam explicationi Græcæ linguæ per sesqui horam. In cubiculo perpetua dabatur opera in videndis, emendandis, ac dirigendis scriptionibus, sive carmine, sive prosa. Illud molestissimum accidebat, quòd novi per dies fere singulos absoluto biennio venirent. Unde Gymnasium unum attemperandum fuit omnibus in diverso constitutis gradu, ita ut nulli non discerent.

3. Plurimam genuit utilitatem opusculum dictum *Promptuarium Syntaxis*, quod Magister typis dedit, ne res easdem centies repeteret, ipsíque ad manum haberent discipuli. Sic placuit vulgatum, ut sæpe postea recusum sit, omniúmque Grammaticæ studentium manibus teratur. Modus vivendi, si demas studia, tironum erat, vestitus idem, ac ex eodem panno. Orabant manè in sacello simul, cum tironibus sacro intererant, vesperè lectioni sacræ, & punctis meditandis. Indiscriminatim sedebant in mensa capturi cibos. Temporibus loquendo destinatis non usi alio, quàm Latino sermone, seu inter se, seu cum Magistro in privatis sermonibus. Hæc assiduitas linguam Latinam penè reddiderat patriam, fecerâtque in explicanda mente promptissimos. Absoluto ejus facultatis studio, terni, quaterni mittebantr pedites Conimbricam, & Eboram; quod etiam non caruit suis incommodis. Sed his relictis.

Moritur P. Joannes Fonseca.

4. Supremum diem explevit Ulyssipone calendis Octobris omni laude major Ven. P. Joannes Fonseca Vianensis, in lucem editus, quo tempore ad sublatam in altum sacram hostiam fiebat signum in paræciæ templo. Hinc videbatur exorta cum ipso veneratio divinæ Eucharistiæ, & studium eam colendi tum faciendo, tum audiendo sacra, tum etiam ministrando sacerdotibus, quando ad aras operabantur. Litteris studebat Eboræ. Fortè conspexit duos è nostris, qui domi suæ convenerant errantem fœminam suadentes, ut emergeret de cœno. Summopere placuit illi tanta charitas, animúmque induxit Societati adjungi, quod executus est Eboræ.

5. Ibidem annis labentibus tradidit Philosophiam. Instruxit tirones Conimbricæ. Maderense Collegium cum potestate Visitatoris lustravit. Redditus continenti, post annos aliquot Rectorem egit tironum Ulyssipone, Instructorem Patrum tertiæ probationis Conimbricæ, Præfectum Juniorum Ulyssipone, postremis annis Præfectum rerum spiritualium in Collegio D. Antonii. Longo vitæ decursu augendis virtutibus, & Evangelicæ perfectioni pro virili insudaverat. Non fuit virtus, in qua posteritati non reliquerit exempla generosa. Amor in DEum sic incendit animum, ut per DEI nomen roganti stipem non negave-

rit

rit unquam; si carebat obolo, dabat imagunculam æream. Virginem sacrosanctam, Divósque summis obsequiis & honoribus coluit.

6. Charitate in proximum vix potest quid altius considerari. Multus erat in nosocomiis, & carceribus, opitulans mortalium miserrimis. Cùm aliquando lectos sterneret in nosocomio Ulyssiponensi, reperit stramen culcitræ putridum sordibus; sine mora suis imponit humeris, portátque per mediam turbam in domum opificis clitellarii, ut farciat novâ paleâ, refertam denuo ad infirmum defert. Tolerantia in adversis rebus nullo fracta est turbine. Finitâ lustratione Maderensi, Pro-Rector, cui ægrè doluerant aliquæ Visitatoris dispositiones, ausus est, modo quidem ab omnibus improbato, coram universa communitate in publica mensa de scripto palàm recensere, quæ inter ejus acta reprehendenda sinistrè judicabat; quam ille contumeliam, tunc sereno vultu acceptam, nullâ unquam querimoniâ prosecutus est.

7. Quàm honores declinaverit, vidimus, cùm Regina eum sibi Confessarium deligeret. Ab Rectoris tironum munere se excusare meditans, sensit intus occultam vim, quæ opus in DEI gloriam suadebat, videlicet Bejensis Collegii fundationem. In lucem edidit plurimos libros asceticos. Lucra egenis donabat. Vinctis in carcere Conimbricensi vivens tribuit pecuniam, quâ in perpetuum censum datâ consuleretur miseris. Præsciens mortis diem, egregiè se in eum comparavit. Hymni, ac psalmi, atque demum id, *Benedictus Dominus DEus Israël, quia visitavit nos*, suprema illius verba fuerant. Res, quibus utebatur, divisæ sunt instar reliquiarum. Multi ex Provinciæ Collegiis de ipsis aliquid petivère. Alii conservârunt epistolas. Non pauci ad ipsum scripserant eâ solùm mente, ut in responso haberent reliquias. Mirabilia virtutum exempla, & res miraculo similes vulgavi in opere de tironibus Eborensibus.

8. Villæ novæ in Algarbiis cum exeunte anno de vitæ statione excessit P. Bartholomæus Eduardus, natus in agro Sylvensi, & non Monsiquii, ùt errore ductus typis impressi. A prima ætate nihil æquè, ac vitæ sanctitatem procuravit. In parentum domo virtus hæreditaria videbatur. Apud nos nihil à tam sancta educatione recessit, sed in dies auxit virtutes. Calluit, ac docuit Mathematicas disciplinas; quæ juvère plurimùm in ædificio nostri Collegii Portimanensis, quod ab imis fundamentis à Bartholomæo directum est penè ad ultimam manum. Non minùs annis quadraginta huic operi condendo invigilavit. Objicientibus, cur tam amplum construeret, respondebat: Villam novam esse in postremo regni angulo, ubi deest frequens cum aliis sociis commercium, & res aliæ, quæ ad habitandum invitent, oportere idcirco fieri pulchrum Collegium, ut incolæ sine fastidio in eo commorentur. P. Bartholomæus Eduardus.

9. Erga subditos liberalis, nulli diffisus est. Sibi unicè severus fregit immoderatas animi, corporísque propensiones. Pane duntaxat, & sale nonnunquam contentus, cùm Medici à piscibus abstinere juberent. Nemini esse poterat molestus; nec erat rigidus exactor debitæ pecuniæ: miserabatur maximè pauperum. Ferebat injurias invicto animo. Fæminas quanquàm nobiles non invisit. In audiendis pœnitentibus indefessus; attrita inde valetudo. Annis quindecim ibidem docuit pueros Latinitatem.

10. Ejus præclaram virtutem fassus est virtutum infensissimus hostis malus dæmon ex energumeno, ex quo, frustra aliis conantibus, importunum hospitem abegit Bartholomæus. Stranguriâ laborans, acutis cruciatus doloribus, quos patientissimè toleravit, deseruit mortalitatem. Consepultus in templo veteri prope tribunal confitentium. Exequias celebrârunt oppidi sacerdotes. Illius vita circumfertur typis commissa.

Annus 1702. Soc. 163.

1.

Ad Indiam profecti.

Moritur P. Ignatius Rodericius.

NOvem trajecerunt ad Indos, Lusitani omnes, Superiore P. Joanne Rochia: qui Ulyssipone Procuratorem agebat Brasiliensis Provinciæ. Quintâ die Maji suavem exuit animam P. Ignatius Rodericius è novem unus, dignissimus speciali mentione. Natus in oppido *Chaves* Transmontanæ Provinciæ. Ante initam Societatem non defuêre indicia, quæ futurum egregiæ virtutis indicârunt. Precibus mater eum à DEO impetrabat. Tantâ erga mendicos charitate præditus, ut nudum ad ostium eleemosynam rogantem tum mensæ suæ admoverit, tum in eodem lecto, quo solebat somnum capere, egenum foverit.

2. Societati adscriptus sibi proposuit imitandum B. Aloysium Gonzagam, ad ejusque vitam omnino suam conformare. Non secus fecit: ut fusè patet ex vita per me typis publicata in opere de nostris Ulyssipone tironibus. Ardenter postulavit inrer Indicos operarios numerari. Difficile obtinuit. Videbatur enim durum Provinciam fraudare tot adolescentibus ingenio præclaris; nam præter singularem virtutem naturæ etiam donis præstabat. Navem ingressus frequenter explanavit catechesim, obivitque cætera nostri Instituti ministeria. Dum juvat ægrotum cum perniciosa luctantem febre; malo contracto moritur sanctissimè, non vulgari apud omnes de se, suisque virtutibus relictâ opinione: nam sanctum dictitabant; nec aliud suadebant inculpati mores.

Profecti ad Brasiliam.

3. Brasiliæ subventum est exiguo manipulo. Missus ad lustrandam Provinciam cum potestate Visitatoris P. Joannes Pereira, addito Coadjutore Accensio Fernandio cum aliquot tironibus scholasticis. Illic morabatur ad annum 1706.

Obit Dominicus Antunius.

4. Ulyssipone 12. Junii ad vitæ metam pervenit in domo tironum Dominicus Antunius Coadjutor Mursensis. Cùm sartoris opificium didicisset, apparebat animi ad virtutes propensio. Diebus festis præter templa nescivit alia loca. Ingressus Societatem suas curas intendit ad sanctimoniæ studia. P. Emmanuel Fernandius ob ejus modestiam sibi socium voluit. Septem supra viginti annos comitatus est Regis Confessarium, semper eodem modestiæ, & virtutis exemplo. Confessario de vivis sublato, in tironum domo annos consumpsit.

5. Quamvis Rex demandârit thesaurario suo, daret Dominico pecuniæ quidquid, & quoties petîerit; usus est parcissimè Regis munificentiâ. Si quid flagitavit, vel erat in stipem egenorum, vel in promovendam domûs utilitatem. De lecto surgebat horâ post mediam noctem secundâ; orabat, & peragebat solita pietatis exercitia, ut aurorâ lucente foret expeditus ad imperium Superiorum. Id, quod sæpe aliis inculcavit coadjutoribus, qui propter sua munia plerumque constitutis horis nequeunt explere precandi tempora, nisi antè provideant, dein rebus aliis supervenientibus, carent animæ alimento.

6. Festis diebus adstabat pluribus missæ sacrificiis, & tempus multum impendebat orationi, quæ mente fit. Sermones de DEO cum externis & domesticis quæsitâ opportunitate avidè miscuit. Diversis macerationibus afflictaverat corpus suum. Ad obediendum promptè nutus majorum suffecit. Somnum vestitus capiebat nudis tabulis. Ne tale quid alicui pateret, habuit sub lodice involucrum simulans culcitram. Illud inter alia solitus à Deo petere, ne diuturnus esset morbus supremus, per D. Antonium Ulyssiponensem, cui erat singulariter addictus, id obtinere curavit. Auditum probabat res: nam pervigilio ejusdem Sancti abscessus illum citissimè extinxit.

Dominicus Pereira.

7. In Domo Professa Ulyssiponensi 20. Julii è vivorum contubernio expunctus est Dominicus Pereira Coadjutor Labrugensis. Annos plures navit in egit gubernatorem. Quadragenario major relinquens inter undas continua

pericula, Societati nostræ appulit animum. Bona sua largitus pauperibus, & Domui Professæ. Ingenita sinceritas monstrabat viri probitatem. Attemperavit se adolescentibus tironibus, tanquam major natu non esset. Somnum suffurabatur corpori, ut orationi vacaret. Si quid temporis supererat ab injunctis oneribus, contrivit coram Eucharistia non sine suavissimis lacrymis. Multa pertulit à molesta podagra semper animo patienti.

8. Ob rationes universæ Europæ notas fluctante Hispaniâ post mortem Caroli II. Excellentissimus Dominus Joannes Thomas Henriquius de Cabrera magnus Castellæ & Legionis Archithalassus in Lusitaniam se recepit, ubi à Serenissimo Rege Petro hujus nominis secundo magnis honoribus exceptus fuit. Secum duxerat P. Carolum Antonium Casnedum Mediolanensem nostræ Societatis, quo uti cœperat à confessionibus, ex quo Præfectus Insubriæ illum novit Mediolani, & nostrum P. Alvarum Cienfuegos, qui in Asturiis nobili genere natus, & Salmanticæ Societati adscriptus, post traditas magna cum ingenii laude, & Societatis decore litteras humaniores, Philosophiam, & Theologiam, Doctoris laureâ condecoratus in Academia Salmanticensi, vespertinam Theologiæ cathedram ibidem moderabatur. Archithalass. Castellæ migrat in Lusitaniam.

Annus 1703. Soc. 164.

1.

POst P. Michaëlem Diasium, ultimâ Maji suscepit onus regendi Provinciam P. Dominicus Nunius. Cœpit per hoc tempus sævire tempestas adversus nostra Collegia circa quindennia persolvenda de redditibus Ecclesiarum, quas de suo jure Patronatûs, tam Serenissimi Lusitaniæ Reges, quàm alii Principes Ecclesiastici, & sæculares applicaverant Collegiis à se fundatis. Origo litis inde orta, quòd Reges, & Principes annuente Pontifice multas nobis largiti sunt Ecclesias & Beneficia de suo Patronatu; quarum natura ea est, ut propter illarum provisionem nihil solvatur Reverendæ Cameræ Apostolicæ, eò quòd ad illa obtinenda, fructúsque percipiendos, satis sit Regis, aut Principis præsentatio, & Ordinarii collatio. Quod multò aliter evenit in cæteris Beneficiis, quæ etiamsi sint de jure Patronatûs laici, præsentatio fit Pontifici, Bullæque Romæ expediuntur; solvúntque provisi à tempore Bonifacii IX. solitas annatas Rev. Cameræ Apostolicæ; similia namque beneficia cùm in perpetuum uniuntur alicui Collegio, Monasterio, aut Capitulo, tenentur solvere unoquoque quindennio easdem annatas, quas novi Provisi retroactis temporibus solvere consueverant ex decreto Pauli II. Novus Provincialis, & lis de Quindenniis.

2. Videns namque Pontifex damnum, quod inferebatur Sacro Cardinalium Collegio, & Rev. Cameræ Apostolicæ, ejúsque Officialibus; inter quos annatarum pecuniæ dividi solent; ex perpetua beneficiorum unione; eò quòd per illam vacaturis, ac novis provisionibus occludebatur locus, cùm Collegia mori non possint: nec illa ditescerent ex aliena jactura, statuit anno 1469. per Bullam, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, ut deinceps per fictionem juris Ecclesiæ illi unitæ unoquoque quindennio censerentur vacare, & de novo provideri, teneretúrque Capitulum, aut Collegium, cui erant unitæ, easdem annatas solvere, quæ antea juxta taxam Rev. Cameræ Apostolicæ solvebantur; & ex isto quindecim annorum circulo species ista annatarum Quindenniorum nomen sortita est. Quam Pauli II. constitutionem labentibus annis confirmârunt, & ampliârunt Julius II. anno 1505. Paulus IV. anno 1558. Pius V. anno 1567. & Sixtus V. anno 1585.

3. Erant igitur, ut diximus, unitæ in perpetuum nostris Collegiis per Pontificia diplomata quàm plurimæ Ecclesiæ, tam ex illis, quæ taxatæ, & vacaturas habebant in Romana Curia, quàm ex illis, quæ eas non habebant. De primis nulla erat quæstio, cùm compertùm esset subjacere legi Quindenniorum, quæ à nostris exactissimè solvebantur. Circa secundas universa vertebatur con-

controversia. Contendebant Ministri Pontificii omnes Ecclesias unitas Collegiis, cujuscunque naturæ forent, absolutè, & indiscriminatim ad quindennia teneri. Semel enim, ajebant, quòd Pontifex eas sejunxit à Regio Patronatu, & conjunxit Collegiis, induunt naturam cæterorum beneficiorum, quæ in perpetuum uniuntur; & Quindenniorum legi, aliisque oneribus subjacent. Et ita decisum affirmabant à Pio, & Sixto V.

4. A Pio, dum in Bulla *Apostolicæ Sedis* ait quindennia solvenda ex omnibus Ecclesiis, & beneficiis unitis, *Etiam si manualia, & de jure Patronatûs existant*. A Sixto, dum in Bulla *Cameræ nostræ* declarat quindenniorum oneri subjacere omnia beneficia Collegiis unita etiamsi manualia, & de jure Patronatûs Laicorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & aliorum Nobilium, & Illustrium.

5. Econtra Serenissimus Rex, ejúsque Ministri asserebant Ecclesias istas immunitate suâ minimè spoliandas, nec Collegia nostra futura deterioris conditionis, quàm sacerdotes sæculares, quibus antea conferri solebant, absque ullo annatarum solvendarum onere. Quindennia introducta à Paulo II. ad resarciendum damnum emergens ex perpetua unione, & defectu provisionum, ac expeditionis Bullarum; nullum verò damnum oriebatur ex ista unione, quippe nullum unquam ex illis Rev. Camera Apostolica habuit emolumentum, ne pro illis expediebantur Bullæ; ac proinde cessante fine legis, legem ipsam quoque cessare. Quindennia successisse locò annatarum, ùt planè constabat ex allegatis Constitutionibus: Ecclesias, de quibus erat quæstio, nunquam solvisse annatas; igitur censendas immunes à quindenniis. Nec Bullas Pii, & Sixti V. contrarium evincere; quia Pontifices loquuntur de beneficiis eorum, qui habebant vacaturas in Curia, & tenebatur annatarum lege; non verò de immunibus isto onere, ùt ex contextu clarè patebat.

6. His, aliisque non minoris ponderis argumentis suffultus Serenissimus Rex Provinciali nostro injunxit sub pœna exterminii, ne quindennia ullo modo solveret, ac Regium, patriúmque jus in re tanti momenti læderet. At Illustrissimus D. Michaël Angelus de Comitibus tum Pontificius Nuncius in Lusitania, postea S. R. E. Cardinalis, & summus Pontifex sub nomine Innocentii XIII. accersit P. Provincialem, urgétque, ut solvat, minitando privandum Magistratu, si secus faciat. Provincialis, ùt erat vir litteratus, & magnanimus, modestè proponit jus, & voluntatem Regis. Quod attineret ad privationem sui muneris, illud sibi non esse quæstui, sed oneri; propterea amissionem esse favorem, non injuriam. Idem dictorum, qui succederet. Novas machinas Ministri Pontificis excogitârunt, ad obtinendum finem, quem sibi præfixêre, de quibus erit sermo annis sequentibus.

7. Nec minor metus nostro Præposito Generali, qui Romæ conterritus à Pontifice imperavit Provinciali, sine mora persolveret, quando suæ Sanctitatis severum urgeret imperium, & minæ, quæ sine gravissimo Societatis damno eludi non poterant. Ad hæc Provincialis: si obsequeretur, exterminandum se à Rege, ac de Lusitania voce præconis ejiciendum: se gravari senectute, adeóque ineptum esse ad tam duras peregrinationes subeundas; nec teneri parere cum tanto onere: proinde bono est animo; DEum, & Regem consulturos rebus nostris. Si tantisper compressum flumen.

Profecti ad Indiam, & Maranoniam. 8. Magna subsidia concessit Provincia transmarinis missionibus. Septendecim, relictâ patriâ, solverunt ad Indiam, duo tantùm Lusitani non erant. Præfuit P. Ludovicus Coëlius, qui ex India venerat de more nostro Romam accessurus Procurator. Paulò minoribus auxiliis Maranoniæ succursum est. Duodecimum explebant numerum. Uno dempto, cæteri Lusitani. Regebat Emmanuel Saraiva ex Brasilia cum potestate Visitatoris.

Missiones in regno. 9. A Patribus Emmanuele Pina, & Marcellino Costa Tertiariis excursio habita est per oppida, & pagos Tago vicinos. Contigêre præter res consuetas nonnulla narrationis digna. Factum initium ex oppido Sacavemo, perventum

tum est ad Alenquerium, inde flexa domum via. Quatuor supra triginta dictæ ad populum conciones, catecheses quatuor & viginti. Assidebant audiendis confessionibus ad primam, & secundam horam post meridiem, vespere, & noctæ. Honestissima puella à sexennio consueverat de genibus recitare Litanias, & coronam B. Virginis. Ab adolescentibus protervis sæpe incassùm tentatus ejus pudor. Vim inferre parati abdunt se noctu intra septum domûs, præstolantes egressuram quæsitum ligna accendendo igni, antelucano tempore. Non secus evenit. Ubi viderunt, exclamant: hæc est, en præda in manibus. Ad has voces cohorruit, verso corde, & vocibus ad Cœlum: O mea, inquit, matercula (sic nominant illic ob parvulam effigiem) sanctissima de Carmelo, ferto suppetias miseriæ ancillæ tuæ; adesto sanctissimum Sacramentum. Sub has voces ante se conspicit geminam facem, & inter lumina Virginem sibi dicentem: *Fac, quod facis, ne metuas, nihil nocebunt.* Territi adolescentes pavore occulto, Cedamus, ajunt, nam perdimus operam. Ligna collegit, geminâ luce, & Virgine præsente, quoadusque domum recepta, obseravit ostium.

10. Metuendus fuit obitus cujusdam viri locupletis. Erat illi consuetudo cum fæmina, quam per famulum accersiri jussit. Hic sanctis ùt erat imbutus moribus, rogo, inquit, mihi mandes alia, quæ DEum non offendunt; non exequar. Misso alio, qui paruit, fæmina domum conducta. Die sequenti herus cum famulis, domi relictâ pellice, nescio, quid acturus negotii progreditur in aliud oppidum. In itinere subitaneâ correptus morte interiit. Nigrescebat facies, & corpus totum instar æthiopis. Tetrum spectaculum famulos horrore complet. Curant nemini visum humo condi. Credunt indubii tristissimas flammas, quibus inurebatur anima, suo fumo deturpâsse corpus fædissimum. Hæc recèns contigerant, multóque usui Evangelicis erant operariiscum ad animos ex re incitandos, tum ad non parcendum labori, qui prodesset liberandis proximis ab exitu infelice. Mors funesta.

11. Multùm in oppido quodam D. Xaverius colebatur. Pulcherrimum erat Divi simulacrum; ideo Patres indignati, quòd pes dexter sic esset corrosus, ut quid indecens appareret. Rem improbantibus responsum est, totum simulacrum, nisi vigilans impediret cura, jam in pulverem fuisse conterendum; quòd talis pulvis soleret febres extinguere. Unde cum labore arcebatur populus. S. Xaverius.

12. Inter defunctos solùm inveni referendum Dominicum Riberium Coadjutorem. Illi patria fuit Turris de Avibus in Visensi diœcesi. Obivit Scalabi 22. Maji. Vivebat tam sanctè, ut affirmaret suo Confessario, sibi de salute sua æterna tantam esse securitatem, quanta apud mortales posset reperiri. Hanc sibi natam ex perseverantia in Societate; & quòd sibi S. Parens Ignatius sereno, ac læto vultu apparuerit. Hæc ille in morbo postremo. Moritur Dominicus Riberius.

Annus 1704. Soc. 165.

I.

INgredimur Europæ, & cumprimis Lusitaniæ fatalem annum. Postquam in tuto fuit Archithalassus Castellæ & Legionis, ùt antè diximus, cœpit metuendum concipi fulmen. Siquidem cum Germania, Sabaudia, Hollandia, Anglia, etiam Lusitania in Societatem armorum concessit. Omnes eò tendebant, ut Hispaniæ solio, & sceptro spoliantes Philippum V. sufficerent ejus locò Carolum Leopoldi Imperatoris filium secundogenitum. Cunctis in tantam rem dispositis, quoniam convenerat vim belli per Lusitaniam inferri, 7. Martii Ulyssiponensem tenuit portum classis potentissima, viris, & armis referta, in qua Serenissimus Austriæ Archidux Carolus, dictus hoc nomine tertius Rex Catholicus, ferebatur. Ut sibi esset à Confessionibus, secum duxit nostrum P. Andream Pauer, multi exempli virum. Accessit P. Josephus Cressa natione Bohemus, Venit Ulyssiponem Carolus filius Imperatoris Leopoldi.

mus, qui sub Carolo II. tradiderat Matriti Mathematicas disciplinas, indéque post ejus mortem in patrium solum reverti compulsus fuerat.

Indicto bello diripitur Portalegrense Collegium.

2. Rex Philippus statim, ac publicatum bellum, valido exercitu per Bejensem Provinciam invasit Lusitaniam. Cepit arces multas. Facto ad Villam veliam ponte trans Tagum exercitum traducens, consedit ad oppidum Nisam. Inde huc illuc missis copiis cum apparatu bellico Casteldevidium expugnavit, & Portalegriam, cujus extra muros domus in prædam concessæ militi. Nequivit nostrum Collegium vitare direptiones, ac primos militum furores, atque incursus. Pretiosiora in latibula sunt conjecta. Cætera liberari non poterant.

3. Cùm ingressus hostis, nostri in templo erant coram Eucharistia exposita. Ægrè pyxis sacra, in qua patebat Eucharistia, effugit manus prædantium, non sine periculo P. Fernandii Martinii, qui eam manu tenebat. P. Rector Josephus Almeida, & P. Joannes Garsamus Latinitatis Magister convenêre Regem. Proposuit Magister laborem nostri Collegii. Custodes aliquot impetravit, ut arcerent prædatores, & ne vastarent, quæ supererant. Undecimâ die Junii facta est hujuscemodi irruptio.

4. Rex Lusitanus, & Carolus III. æstivabant Scalabi, autumno proximo cum exercitu Castellam ingressuri. Nondum æstas inclinârat, cùm se Reges viæ dederunt in Provinciam Beirensem, ubi cogebatur exercitus. Ambo Reges dignati sunt invisere Conimbricense Collegium. Intravit Rex Petrus Conimbricam 8. Augusti, profectus inde mensis ejusdem vigesimâ tertiâ. Carolus vigesimâ septimâ; & 1. Septembris ad exercitum iter continuavit. In iis castris Octobri mense religiosissimè ùt vixit, obiit Caroli Confessarius P. Andreas Pauer. Ex quo inter nos fuit, omnibus sociis, qui noverunt Ulyssipone, Scalabi, & Conimbricæ, plurimùm observata, & probata illius virtus, singularis urbanitas, & prudentia. Dignissimus visus est, cui se tantus Princeps crederet.

Moritur P. Andreas Pauer Caroli Confessarius.

Lis Quindenniorum. Quid egerit Regina Gubernatrix.

5. Revixit hoc anno Quindenniorum causa. Rex Petrus II. in bellum proficiscens Reipublicæ clavum Serenissimæ sorori suæ Angliæ Reginæ gubernandum tradidit. Hâc usus opportunitate Dominus Nuncius nostrum urget Provincialem, ut quidennia sine mora persolvat. Re cognitâ, dici vix potest, quantùm intempestiva hæc cura Reginæ animum exacerbârit. Existimabat enim in sui, & Regis injuriam tali tempore negotium istud excitari, quasi hoc nihil aliud esset, quàm sexum suum aspernari, & Regis mandata parvi facere. Igitur Dominum Nuncium, quòd in se minùs reverenter (ùt judicabat, egisset, ingressu Palatii, & aliquibus immunitatibus, quibus ùt Pontificius Legatus, gaudebat, interdixit: litteras justi doloris plenas ad Pontificem dedit, & decretum de non solvendis quindenniis innovavit.

Profecti ad Indiam.

6. Paucos numero, sed præstantes dotibus vocavit ad Indiam Divus Xaverius. Septem fuêre, Germanus unus, cæteri Lusitani. P. Didacus Vidalius, qui Macao Romam Procurator venit, omnes regebat: ad oram Guineæ morbo absumptus. Multæ illum ornabant virtutes. In Tunquinensi regno propter fidem & exilium, & carcerem passus est. In Provincia Cantonensi apud Sinas diligentissimam navârat operam propagando Christiana sacra. Ipsius labores mandavi typis in opere de domo tironum Ulyssipone.

Moritur Episcopus Conimbricensis Benefactor Collegii.

7. Dignus est, qui nostris Annalibus inseratur, Joannes Mellus Episcopus Conimbricensis, obivit 28. Junii. In pauperes egregiè liberalis reditus suos nec sibi, nec consanguineis locupletandis, sed alendis Christi pauperibus impendit. Non parùm suis subsidiis juvit opus Crucis, & aræ principis nostri templi. Concessit ligna cædi in Episcopi silva ad sumptuosum pegma aræ majoris: adjecit pecuniarum mille & quingentos cruciatos. Pro ipso tanquam Benefactore Collegii singuli sacerdotes semel missæ sacro sunt operati, non sacerdotes recitârunt coronam.

Honores habiti Archiepiscopo Eborensi.

8. Ineunti possessionem Archiepiscopatûs Eborensis Domino Simoni Gamæ habita tragædia ab scholasticis Academicis in sacello magno intra Collegium. Operis materia fuêre præclara facta, & obitus pro Christo herois ejusdem

dem sanguinis Christophori Gamæ, qui apud Abassinos Æthiopiæ ad mare rubrum devictis Turcis, & Imperio Abassinorum restituto, tandem ipse captus, in odium fidei trucidatus est. In scenam dedit P. Ludovicus Alvarus Villavissosensis; Ulyssipone, & Eboræ tradiderat Rhetoricam, quam postea & Conimbricæ professus est. Nunc in eodem Collegio sacram docet Theologiam.

9. Incolæ nostri Collegii Fayalensis exercendæ charitati amplum nacti theatrum propter pestilentem morbum latè grassantem. Supra duo capitum millia, cùm insula magna non sit, lues sibi devovit. Insulæ vicinæ, ad ipsos ne malum transiret, arcebant à suis portubus Fayalenses, nec suos permittebant illò navigare. Inde crevit necessariarum rerum penuria. Nostri homines non pepercêre labori, die, noctéque morbidos audiendi, & comparandi ad supremum agonem. Sæpe erat Collegium sine ullo sacerdotum. Qui vocabant, si domi non invenêre, præstulabantur in exitu viarum, ut inde ducerent ad ægrotos. *Contagium in Fayalensi insula.*

10. Multi cursones animarum sanctissimè perierunt in exercitio sui muneris. Eò ventum est penuriâ sacerdotum, ut Episcopus Antonius Vieira nostros rogaverit, supplerent vices Parochorum: quod illi cum Hortæ, insulæ princeps est oppidum; tum in agri paræciis naviter sunt executi. Præter subsidia animas juvantia, tribuimus, quæ corpora recrearent, videlicet emendis rebus pecuniam, gallinas, saccharum, panem, & alia, quæ in rem forent. Oppidani locupletes Collegii exemplis permoti culcitras, lintea, & plurima usui egenorum liberaliter donârunt. Id non sine admiratione notatum, quòd obiverint multi sacerdotes, qui se tutati sunt antidotis contra luem; de nostris verò ne unus quidem, tametsi usi non sint hujusmodi fugando malo remediis.

11. In iis angustiis Divi Xaverii patrocinium plurimis saluti fuit. Unus è nobilioribus voto se adstrinxit celebrandi sumptu suo novendiale S. Xaverii, si nullam è numerosa sua familia personam morbus implicaret, & extingueret. Illud manifestum reddidit Xaverii tutelare præsidium, quòd cùm vicinæ domus morbis, & mortibus inundarent, familia illius ab omni contagio perstiterit immunis. Voti reus novendiale curavit magno apparatu. Porrò numos contulit, qui sustinuêre majorem partem expensarum pro fabricando pegmate Sacelli Xaveriani. *Patrocinium D. Xaverii.*

12. In Collegio Portimanensi factum initium scholæ puerorum discentium prima elementa; hanc enim inter alia onera Fundator imperaverat. Primus illius fuit moderator P. Josephus Andrada Ulyssiponensis. *Ludus Elementorum Portimani.*

13. Non pauci in Provincia desiderati sunt, quorum posthumas laudes constringo. Ulyssipone in Domo Professa 15. Aprilis senio confectus P. Dominicus Leitamus Grandolensis. Dotes illi excelsæ ad scientiarum obeunda magisteria, profundum, & perspicuum in difficultatibus enodandis, & explicandis ingenium. Philosophiam Eboræ professus, Conimbricæ Theologiam usque ad cathedram primariam. Postea rexit Bracharense Collegium. Cæteros annos transegit Ulyssipone deditus nostris exercendis ministeriis. Egit Præpositum Domûs Professæ. *Moritur P. Dominicus Leitamus.*

14. Maximi fiebant ejus consilia, & responsiones ad quæsita in rebus dubiis, & magnæ difficultatis. Idcirco plurimùm Ulyssipone ab externis consulebatur. Postremis annis non semel inter brachia è tribunali confessionum deductus in cellam, quòd impar labori, fessus, exanimato similis concideret. Quotidie per confessionem expiabat conscientiam, & flagellabat corpus. Licèt plurimi eum omnes penderent, ipse erat sui egregius contemptor, & religiosæ paupertatis amantissimus. Monachus à SS. Trinitate pro concione dicens in templo Domûs Professæ, eam P. Dominico gubernante, cùm de Societatis paupertate mentionem faceret, Nolo, inquit, aliud, quàm P. Dominici Leitami Præpositi exemplum. Cùm tantus vir sit, ejus pallium tam attritum est, ac tot centonibus munitum, ut ego sim demiratus singularem ejus amorem erga religiosam paupertatem. Ad hæc erubuit P. Leitamus. Nihil dixit concionator

alienum à veritate. Cùm debilitate non esset aliis laboribus ferendis, imbuebat fidei mysteriis mauros, aliósque baptismate lustrandos.

Emmanuel Costa.

15. Ibidem 6. Junii Emanuel Costa Coadjutor Eborensis. Annos 20. comitatus in Brasilia Procuratorem officinæ sacchari pertinentis ad templum Collegii Ulyssiponensis. Viginti ampliùs annis Professæ Domus Janitor magnâ virtutis opinione cùm apud domesticos, tum externos. Surgebat de lecto ante auroram ad fundendas in Cœlum preces. Bis quotidie flagris subigebat corpus. Ad unguem exequebatur Majorum imperia. Virginem sanctissimam peculiaribus veneratus est obsequiis; ejus iconem postremo in morbo inter complexus identidem applicans pectori dicatâ illi sabbathi die mori petiit, & impetravit.

P. Robertus Medus.

16. P. Robertus Medus Hibernus 29. Maji. Annos plures insudavit conservandis Hiberniæ Catholicis. Fidei odio conjectus in vincula gaudebat propter nomen JESU contumeliam pati. Tandem liber carcere, ab hæreticis compulsus exulare concessit in Lusitaniam. Conimbricæ 7. Martii P. Arias Almeida Scalabiranus septuagenario major. Præclarus in magisteriis, Philosophiam, & Theologiam professus Conimbricæ, primariámque moderatus cathedram. Animo prorsus immutabili tulit nonnullas adversitates: cùm essent omnibus notæ, ne unum quidem verbum ex ipsius ore auditum, vel pro se, vel contra illos, qui ipsi molestias creârunt.

P. Arias Almeida.

Emmanuel Vincentius.

17. Corucii 11. Januarii Emmanuel Vincentius Coadjutor natus in agro Eborensi. Nihil illo humilius; quidquid est abjecti ministerii, per se, suísque manibus peragebat. Nihil in labore differre voluit è mediastinis, existimans in domo Regis Regum omne ministerium esse honorificentius, quàm sint in aulis Principum illustriora. In Residentia Lapensi 25. Decembris P. Antonius de Sanctis Ansiamensis, Coadjutor spiritualis. Inerat ipsi rara mansuetudo, & magna propensio ad res spiritum foventes. Indefessus fuit in audiendis confessionibus peregrinorum maximo numero ad Divam Lapensem confluentium. Morbus instar contagii milites depopulabatur: cum alio sacerdote devovit se miserorum auxilio; quod charitatis officium Cœlo muneratus est DEus.

P. Antonius de Sanctis.

P. Antonius Moralius.

18. In Portuensi Collegio 22. Martii P. Antonius Moralius Chavesiensis. Enituit in eo singularis charitas circa fæminas prostituti pudoris reducendas. Vix ulli pepercit labori, ut perditissimas oves adinstar divini Pastoris è dumetis, quò se conjecerant, extraheret. Quoniam has plerumque agit præcipites victûs penuria, conduxit ædes, ubi receptas aluit conductis eleemosynis. Porrò ut ipsis suus labor ex parte victum præstaret, quærebat opera facienda. Ille permotus exemplo S. P. Ignatii eas comitabatur ad prædictam domum. Quas injurias devoraverit, quantam in re operam impenderit, liquet ex illius vita per me vulgata cum aliis, qui Societati adscripti sunt Conimbricæ. Perstat ad præsens tempus receptaculum conversarum à P. Moralio destinatum.

Emmanuel Nogueira.

19. Eboræ 8. Novembris Emmanuel Nogueira scholasticus. Junio proximo biennium probationis absolverat. Natus Fartelii diœcesis Guardiensis. Vel umbrâ minimæ labis vehementer turbatus, toto conatu desudaverat in augendis virtutibus. Vitæ periculo impendente, cùm Magister tironum ipsi suasit, ut quàmprimùm, dum mens esset integra, expiaret conscientiam tanquam moriturus. Cui ille: Mi Pater, hìc sum die totâ discutiendo conscientiam, nihil eam vellicat, remordétve, quod oporteat detergi. Postquam phrenesi de sede sua dejecta mens; id omnes admirabantur, quòd colloqueretur cum Deo verbis tam aptè dispositis, atque ita divino amore calentibus, ut sanâ mente vix texeret quid perfectius. Rogabat B. Virginem ad sui conspectum admitti die ipsi consecratâ. Non ea in clientem suum tam piis desiderius fraudavit.

An-

Annus 1705. Soc. 166.

1.

IN conventu Provinciæ mense Septembri Ulysipone coacto, cui præfuit P. Dominicus Nunius, electi sunt cum ipso suffragaturi P. Emmanuel Diasius, & P. Franciscus Leitamus, qui Romæ munus gerebat Revisoris, sive Censoris librorum. Rebus ita dispositis, visum est Regi non convenire, ut Romam pergeret Provincialis, ne fieret obnoxius Ministris Pontificiis, quòd non solvisset quindennia. Igitur cognito Regis decreto, Congregatio locò Provincialis nominavit per scrutinia P. Michaëlem Diasium Præpositum Domûs Professæ Ulysiponensis. Congregatio Generalis.

2. Postquam electi, conscensâ navi, de portu solverunt, allatum est Româ P. Franciscum Leitamum 11. Septembris de vivis excessisse: propterea P. Ludovicus Fragozus Eborensis Academiæ Cancellarius, qui de more fuerat electus substitutus, protinus maritimo itinere Romam contendit. Pervenerunt omnes in urbem incolumes. Antequam fieret initium comitiis, P. N. Thyrsus vitam explevit.

3. In Moderatorem totius Ordinis assumptus est A. R. P. Michaël Angelus Tamburinus Mutinensis ex Provovincia Veneta, cui jam ante duos annos vices suas cum nomine Vicarii Generalis P. Thyrsus commiserat; demoriens confirmaverat. Assistens pro Lusitania factus est P. Michaël Diasius. P. Emmanuel Correa locò P. Leitami defuncti substitit Romæ librorum Censor. Hæc fuit universæ Societatis Congregatio decima quinta. Novus Generalis.

4. P. N. Thyrsus Gonzalez natione Gallæcus inter doctissimos sui temporis locum meruit. Moderatus est primariam Theologiæ cathedram in Salmanticensi Academia. Obivit plurimas missiones maximis animarum lucris. Non paucos libros Theologicos edidit in lucem. Summâ æquitate rexit Societatem. Illius exemplum præibat subditis. In tanta dignitate vix ullus fuit, qui se magis demitteret, ac contemneret. Quamvis in Societate nullos unquam administrâsset magistratus, tantus erat vir, ut eum universo Ordini Comitia præfecerint. P. N. Thyrsus.

5. P. Franciscus Leitamus, de quo anteà, ortus Casteldevidii, Rhetoricam, Philosophiam, morales scientias, & Theologiam professus est Eboræ. Ibidem laureatus Doctoris insignibus. Plures libros & conscripsit, & vulgavit. Moribus pollebat innocentissimis, antiquâ sinceritate in tanta sapientiâ exornatis. Erat cœlestium commentationibus addictus, & multæ cum DEO familiaritati. Picturas Sanctorum, quas multas ad excitandam pietatem suffixas habuit in cubiculo, specialibus venerabatur litaniis. Inter alias fuit imago B. Joannæ Lusitanæ Principis. Nondum fuebatur cultu publico; idcirco Pater recitans preces suas ad singulas Divorum picturas, relinquebat sine hujusmodi honore Joannam. Hic ex ipsa imagine chartæ impressa vox erupit non oris sono formata, sed intellectu, quali DEus suos alloquens certiores facit, quàm si vocem aure perceptam explicet: *Cur*, ait Joanna, *me præteris insalutatam?* Cui Leitamus: *fac, ut te Pontifex inter Sanctas nominet, tunc non carebis meis precibus; sed tu oblivisceris tui, & vis, ut nos recordemur.* Id contigit non multò antè, quàm Pontifex inter Beatas recenseret. Cognita res ex eodem Patre, qui ut erat magnæ veritatis, & sinceritatis, & Joannæ internam vocem, & quid responderit, memoravit. Mihi eventum retulerat P. Hieronymus Castilius, & P. Emmanuel Mira, qui tunc fuerant Romæ. P. Mira rediens Eboram Cancellarius secum portavit eam Joannæ picturam, quæ in nostro novitiatu Eborensi habita honore speciali. P. Franc. Leitamus.

6. Hoc anno 5. Januarii nostro Provinciali traditum fuit à Domino Nuncio decretum Pontificis Clementis XI. in quo sub gravissimis pœnis illi tanquam contumaci injungebat, ne ullos tirones Societati adscriberet, tam pro Lusitaniæ Pro- Cessat tirocinum admissio.

Provincia, quàm pro reliquis ultramarinis stationibus ad Portugalliæ coronam spectantibus, donec persolveret quindennia: & cùm Provinciali liberum non esset illa persolvere contra regia mandata, eâdem die cessatum à Novitiorum receptione.

Ara major templi Collegii D. Antonii Ulyssipone patet.

7. Ulyssipone magnâ pompâ die S. Patriarchæ Ignatii princeps ara templi Collegii D. Antonii patuit populo. Plures annos, & pecunias id opus insumpserat. Pegma ex marmoribus pretiosissimè politis, & omni lapidum varietate fabricatum, ac magnis ex jaspide columnis fultum Ulyssipone par non habet. Templum argenteâ suppellectili, aliisque ornatibus mirabiliter splendebat. Pro concione verba fecit P. Emmanuel Ferreira Theologiæ Professor in scholis ejus Collegii, quod regebatur à P. Francisco Botelio, tum Principis Joannis Confessario.

Profecti in Brasiliam, Maranoniam, & Indiam.

8. Undecim navigârunt in Brasiliam. Penè omnes fuerant cooptati in Societatem ad eam expeditionem, & tirones erant, in Societatem admissi ante Pontificis decretum de non recipiendis novitiis. Maranoniam septem petivêre, Superiore P. Michaële à Costâ Conimbricensi. Præter duos cæteri Lusitani erant. Sex unicè ad Indiam profecti. Præfuit Lusitanis quinque P. Fernandus Calinius in Italia Brixiæ natus loco nobili. Vir fuit summis virtutibus ornatus. Illius vita Italo sermone lucem vidit. Piissimè efflavit animam in ipsa navigatione. Videbatur in eo revixisse B. Aloysius Gonzaga, ad cujus mores se totum composuit. Remorantibus ventis contrariis, navis coacta Bahiæ tenere portum. Id quamvis navigationi damnosum contigerit, nostris certè non accidit inutile. Nam mortuo Calinio, nullus erat sacerdos, qui nostros regeret: verùm providit DEUS, movens ad succedendum defuncto P. Laureanum Brittium Brasiliensis Provinciæ sacerdotem, qui libenter se missionibus Indicis consecravit.

Moritur P. Fernandus Calinius.

Domus tironum Ulyssipone pro missionibus Indicis.

9. Initium factum hoc anno domicilio tironum pro Indiæ Provinciis, seu potius acceptata illius fundatio à Serenissima Regina Anglicana. Ut rem à fonte ordiamur, suo loco perstrinximus, quid statuerit Joannes Serramus moriens. Ejus mens erat, ut in villa sua prope Frielas conderetur domus, ibique educarentur, qui post sumptos sacros ordines irent ad Indiæ missiones. Vitam finivit Serramus anno 1697. Adivit Societas hæreditatem. Displicuit tamen P. Francisco Sarmento Indicæ rei Procuratori ob justissimas rationes ædificium erigi loco ab Serramo destinato, Ulyssipone distante duabus leucis. Igitur examinatis ab antistete Ulyssiponensi rationibus, concessit summus Pontifex Innocentius XII. anno 1698. facultatem, ut surgeret ædificium alio commodiori loco.

10. Conquisivit P. Sarmentus spatium competens Ulyssipone: repudiatis aliis, emit villam septentrionem versus in ea urbis regione, quæ jacet ad fontem Arroyum dictum. Maximus regni ædilis posuerat fundamenta palatio condendo. Facta venditio 3. Maji anno 1704. Data sunt pro villa supra duodecim millia cruciatorum.

11. Rebus maturè perpensis, & consultis viris doctissimis, visum est Joannis Serrami legatum, solutis oneribus, sufficiens domui fundandæ, ac dotandæ non esse; ipsum proinde duntaxat numerandum inter Benefactores insignes. Igitur P. Franciscus Sarmentus, & P. Franciscus Fonseca, qui juvabat P. Sarmentum jam senem, re dispositâ cum P. Emmanuele Pirio Reginæ Anglicanæ Confessario, ipsi obtulerunt domum fundandam, & titulum, ac suffragia Fundatricis. Acceptavit, protinùsque largita est bonam summam pro incipiendo ædificio, & pro eodem promovendo destinavit aliam.

12. Non plùs duobus mensibus Regina vixit post acceptatam fundationem, ac dotem pro reditu faciendo constitutam. Cùm non essent exaratæ tabulæ ad fidem publicam; id commendavit suo Confessario, ac duobus presbyteris domesticis, quibus injunxit curas exequendi, quidquid in testamento disposuisset. Scriptura publicæ fidei à tribus subsignata est 14. Augusti anno 1706. præviis omnibus in rem necessariis. Voluit Serenissima Regina consecrari domum

mum S. Xaverio. Ut consuleretur honori, ac pietati Joannis Serrami, qui fundationi præbuerat occasionem, templum dicatum est Virgini de Nazareth, & in ara majori censuerunt locandum idem Virginis simulacrum, quod erat in sacello prope Frielas, ubi Serramus jusserat domum erigi in honorem Nazarethanæ Virginis, quem habebat titulum, & nomenclaturam illud simulacrum.

13. Cùm hæc scribuntur anno 1720. domus est majori ex parte ædificata opere liberali, & valde pulchro. Legato Joannis Serrami, ac Reginæ doti accrevêre donationes momenti non parvi ab aliquot de nostris. P. Emmanuel Pirius applicavit cruciatorum tredecim millia, & librorum copiam. P. Franciscus Sarmentus supra septem millia. Antonius Xaverius Coadjutor supra quinque millia. Dominus Antonius Eduardus de Fonseca Prior insignis Collegiatæ S. Michaëlis Cintrensis germanus frater nostrorum Patrum Francisci, & Christophori de Fonseca, præter selectam, & copiosam bibliothecam, & quàm plurima mobilia pretiosa, ultra decem cruciatorum millia.

14. Locus poscit, ut memoremus de transitu ad immortales Anglicanæ Reginæ. Postrema Decembris die vitam clausit Ulyssipone. Filia fuit Regis Joannis IV. Lusitanæ libertatis assertoris, & Reginæ Aloysiæ, digna tantis parentibus soboles. Nupsit Catharina Carolo II. Anglorum Regi. Post ejus mortem redivit in Lusitaniam. Vix explicari potest, quas in pauperes religiosos ordines, & moniales largâ manu profuderit eleemosynas. Non aliam beneficentiorem Lusitani Annales commendabunt. Egregiis insignita virtutibus, mirâ pietate DEum, ac Divos coluit. In hanc minimam Societatem maternum ostendit animum. Longum esset singula beneficia recensere. Divum Ignatium singulari affectu prosecuta quotannis suo sumptu ejus festum diem celebravit in templo domûs Professæ. Ne cum ipsius morte finirentur in Divum obsequia, reliquit annuum reditum eleemosynæ nomine ad hujusmodi expensas in perpetuum sustinendas. Porrò Domum Professam amplis donavit eleemosynis, cùm nescisset parcâ largiri manu: nec ullis temporibus, quod sciam, magis abundavit Professorum paupertas. Per totam Societatem multa pro ejus anima suffragia indicta. Cadaver tumulatum in templo Bethlehemitico ad ripam Tagi, ubi quiescunt multorum Regum cineres. *Moritur Catharina Angliæ Regina.*

15. Excellentissimus D. Joannes Thomas Henriquius de Cabrera Castellæ & Legionis Archithalassus, quem suprà diximus cessisse in Lusitaniam, hoc anno die 29. Junii apoplexiâ correptus vitam Estremotii profudit, expiatâ per confessionem animâ, & sacro inunctus oleo: per morbum non licuit muniri viatico. Corpus funebri pompâ in templo PP. Franciscanorum terræ mandatum est. Plurimi fecerat Societatem, & res nostras. Jam in Castella ante motus exortos, cùm spem nullam prolis haberet, meditatus fuerat Matriti Collegium fundare, idque suæ ex secundis nuptiis conjugi Excellentissimæ D. Annæ Catharinæ filiæ Ducis Medinæ cœli declaraverat. Convenêre, ut qui obiret posterior, bonis nexu carentibus uteretur, eáque applicaret, si moreretur sine prole, erigendo Collegio, in quo alerentur homines de Societate pro omnibus Provinciis, quas haberet in regionibus transmarinis Castellæ ditioni subditis. *Moritur Archithalassus Castellæ, & Legionis: sua bona Societati relinquit.*

16. Vix expleto à secundis nuptiis sesquianno, Excellentissima Domina lentâ febri contabuit. Interim Archithalassus non omisit curam dictæ fundationis. Nec defuerunt nodi, & moræ: ob quæ parùm abfuit, quin ille mutato priore consilio, alios sibi quæreret hæredes; neque enim arbitrabatur, earum difficultatum causam ad majorem DEI gloriam referri posse. Dum secum, & cum Confessario hæc agitat, credidit se cogi rerum, & temporum necessitate, desertâ patriâ migrare in Lusitaniam, eóque secum tulit præter pecunias, mobilia pretio Regum opes æquantia; quod ipsi haud difficile fuit, putantibus Castellanis non Lusitaniam ab eo peti, sed Gallæciam, ut inde navibus Galliam adiret.

17. Hoc anno ratus interesse suâ in castris pro Serenissimo Rege suo Carolo III. militare, quamvis id nollet Carolus, ad exercitum obsessurum Valentiam de Alcantara proficisci statuit. Antequam pergeret, ab aulæ strepitu secessit

cessit cum P. Carolo Casnedi Confessario suo ad cœnobium Fratrum sancti Petri de Alcantara prope Tagum, distans Ulysipone brevi leuca. Illic deditus rebus divinis, Deique, ac sacrosanctæ Virginis auxilio procurato, testamentum condidit in hanc sententiam.

18. Hæredem ex asse constituit Virginem à Conceptione, cui erat addictissimus, & Collegium Societatis fundandum sub ipsius nuncupatione pro Missionariis ad infidelium salutem formandis, & mittendis. In exitum belli incertum conjectis oculis, adjecit Collegium Matriti fundandum, si Rex Carolus Castellanæ rei potiretur; sin aliter res contingeret, tunc Ulyssipone condendum, pro Missionariis Indicis dominii Lusitani. Adjunxit pro domesticis suis regia legata, dum ipsi viverent; nam mortuis, erant secutura fundationis dotem.

19. Sub finem Aprilis profectus Ulyssipone ad exercitum. Cùm hìc valetudo rentari cœpisset, in Helviam urbem se recepit; inde migravit Estremotium, ubi vitâ functus. Vir, & heros fuit plenissimis cum fortunæ, tum naturæ dotibus spectandus. Ad quæque grandia animus illi celsus, & capax. Virginis illibatæ venerationem, zelúmque in procuranda animarum æterna salute monumentum, quod erexerat, dum mundus fuerit, contestabitur.

Moritur P. Antonius Nunius.

20. Ad nostros defunctos, qui non pauci sunt, calamum converto. In Domo Professa Ulysiponensi 16. Maji P. Antonius Nunius Montalvanensis. Rhetoricam Ulyssipone; Angræ, & Eboræ morales professus scientias. Ingenium illi acutissimum. Vocatus Ulyssiponem audiebatur de sacro suggesto cum plausu. Plurimùm consulebatur in dubiis conscientiæ casibus, quòd emineret in re morali. Animus illi beneficus erga omnes, qui ejus operâ uti vellent.

P. Ignatius Paiva,

21. Die 7. Februarii P. Ignatius Paiva Idaniæ natus. Eboræ Rhetoricam, Philosophiam, & morales disciplinas edocuit, divinásque paginas est interpretatus Doctor Theologus. In Domo Professa Ulyssiponensi concionatorem agens mittitur Rector ad Maderense Collegium. Reversum præfecerunt Cancellarium Eborensi Academiæ. Valetudinis causâ dein migravit Conimbricam. Id magnæ virtutis indicium est, quòd bilem, in quam propendebat, egregiè domuerit. Erga infensum sibi cùm posset vindictam sumere, generosè abstinuit.

P. Gonsalus Moralius.

22. Conimbricæ 6. Martii P. Gonsalus Moralius Collegii Rector parriam habuit Campum majorem. Professus in eâdem Philosophiam urbe, in qua vivere desiit, & regere; Eboræ morales scientias, ac Theologiam, & ornatus Doctorum laureâ; dein migrans Conimbricam moderatus est in nostro Collegio primariam Theologiæ cathedram. Postea rexit Portuense Collegium, mox permotus ad Conimbricense, cui solùm præfuit quinque mensibus. Vix dici potest, quantùm suavissimus illius genius sibi omnium devinxerit corda. Eminebat cunctis prærogativis, quæ Societas poscit in Superioribus suis. Habitus ipse corporis gravitatem sine affectatione spirabat; modestia permista vultu hilari faciles, veréque paternos præbuerat aditus. Alienissimus ambitionis, religiosè munificus. Nullus de illo vel subdito, vel moderatore quiritabatur. P. Dominicus Nunius Provincialis celebrans funeralia non poterat à lacrymis temperare.

P. Josephus Coëlius.

23. Ibidem 9. Septembris P. Josephus Coëlius Pousadensis. Rhetoricam docuit Conimbricæ, Brigantii, Bracharæ, & in Portu moralem Theologiam. Rexit Collegia Maderense, & Cetobricense, ac tirones Eboræ. Modestia, ac silentium illi virtutes innatæ. Flagra corpori, ac frequenter nudas tabulas dabat pro culcitra. Cùm gubernâsset Residentiam Lapensem, movenre lites Episcopo Lamecensi, multas ab ejus ministris tulit injurias; ne verbum quidem ullum adversus ipsos unquam protulit.

P. Joannes Ribeirus.

24. Eboræ 2. Februarii P. Joannes Ribeirus, Taviræ in Algarbiis natus, senióque consumptus. Cùm ad insulas Flandricas mitteretur, captus à piratis Gallicis, apud eos non pauca sustinuit. Vectus in Galliam, inde redivit in Lusitaniam. Ille cum P. Didaco Lobo jecit semina, unde ortum Bejense Collegium. Ut serviret Deo majori animarum lucro, merito, ac labore suo, petivit

in

in Angolam mitti. Pluribus annis illic strenuam impendit operam in nostris ministeriis. In reditu contraxit asthma importunum, quod illi fuit instar martyrii ad ultimum agonem. Dotibus ad sacras conciones erat instructissimus.

25. In eodem Collegio 20. Augusti P. Andreas Alvarus Farensis. Tradidit Ulyssipone Rhetoricam, Eboræ Philosophiam, sacras litteras explicuit Conimbricæ. Ibi syderatione dimidio corpore perculso, migravit Eboram. Post annos nonnullos malo crescente vixit afflictus: vix percipiebatur, quod loqui vellet. Læso toto corpore sola mens tenuit integritatem suam in majus Andreæ tormentum. Sæpe considerans statum suum plorabat instar pueri. Vix sine lacrymis eum conspexit aliquis, cui notæ fuerant illius præclaræ dotes. Creditum est locò flammæ lustralis ipsi diutinam fuisse calamitatem, quam æquis animis exantlavit. P. Andreas Alvarus.

26. Ibidem 2. Maji P. Maurus Fernandius anni quarti Theologus, patriâ Montalvanensis. Latinitatem docuit in diversis Collegiis. Discipuli eum suspiciebant tanquam virum justum. Nec aliud dabat conjiciendum externa vultûs modestia, & corporis compositio. Ab tirocinio combibit amorem, & propensionem in divinarum rerum commentationes. In sacellis, & coram Eucharistia videbatur frequens. Quacunque direxit gressus, eum servavit modum, ut appareret mentem gerere Deo semper affixam. Vix à terra sustulit oculos, neque hos in ullius fæminæ vultum direxit. Florem naribus admovit nunquam, aut rem ullam suaviter olentem. Omnium, qui noverant, opinio fuit, Maurum virum justum, sanctum, Deóque charum extitisse. P. Maurus Fernandius.

27. In eodem Collegio 22. Junii Franciscus Paciecus scholasticus ortus Soufelii. Ante initam Societatem corpus supprimebat veste cilicinâ; cùm est ingressus, eâdem habebat cinctum corpus. Genius illi cereus, & qui sanctas virtutum imagines facilè admitteret, ac conservaret. Martio proximo absolverat tirocinium. Morbus & mors adolescentis sanctissimos detexit mores. Ubi malignâ decubuit febri, de tota vita expiavit conscientiam, comparavitque se ardentissimis actibus. Conceperat tantam de DEI misericordia fiduciam, formaverátque in mente adeò magnam de illius amplitudine imaginem, ut quæ præsens intelligebam ex ejus verbis, calamo non possim exprimere. Quærebat ipse verba, nec reperiebat, quæ satis explicarent animi sensum. Franciscus Paciecus.

28. Ludovicus Soarius, & ipse scholasticus, 29. ejusdem mensis Franciscum sequebatur. Habitabant simul in eodem cubiculo; colebant amicitiam, qualem justi; unius mores alteri ad virtutis studium erant stimulo. Aviditate sciendi litteras, & faciendi progressum, minùs consideratè nocturno somno fraudabant corpus: hinc existimatum, morbum, quo eâdem impliciti die, traxisse originem. Natus est in Portu. Ab annis teneris in ipso apparuit ad virtutes propensio. Multus in oratione, suique corporis afflictatione, in sermone consideratus, prudentique sinceritate instructus. In humilibus domûs ministeriis libenter, & avidè se exercebat. Nactus libellum asceticum sibi gratum, assiduè volutabat, dictitans esse *fidum Achatem*. Delirans vi morbi, quidquid dixerat, de sanctis, ac divinis rebus fuit. Ludovicus Soarius.

29. Tertius è scholasticis moritur Dominicus Carrilius, ortus Povoæ. Tirocinium ingressurus Eboræ, in itinere quartanâ implicatur. Nec est cognitum morbi genus, nisi postquam intra domum fuit. Tenebat pertinax malum ab Octobri ad sequentem Julium. Illud sanctæ indolis egregium specimen, quòd, febre non permittente solitas tironum instructiones excipere, cùm extincta est post tot menses, Dominicus sic rebus omnibus attemperaverit, ut nihil ipse differret à tironibus probatis. Præcellebat ingenio, & humanioribus litteris, quibus dabat operam. Etsi viribus imbecillis, in serviendo ægrotis solers, & ardens charitate. Si tota dies habuisset fessum, & impeditum, non indulsit nocte somno, quin priùs recitâsset Virginis horas. Vicinus morti, quòd parentibus esset orbus, condidit testamentum, ne consanguineis esset litigiorum causa. Legavit sacello B. Virginis à modestia apud tirones pecuniam, quæ sufficere visa Dominicus Carrilius.

pro

pro fabricando pegmate, quo nunc est exornatum. Egerat illius sacelli æditum, idcirco non oblitus Virginis, nec illa ipsius, quæ voluit socium in triumpho suo; nam vivere desiit, quo die sanctissima DEI genitrix in Cœlos gloriosè assumpta est.

P. Felix Barbosa.

30. In Domo Probationis Ulyssipone 17. Maji phthisi consumitur P. Felix Barbosa Scalabitanus. Intimis affectibus Societatem complexus Turbantibus Conimbricæ pacem Collegii quibusdam, ut anno 1695. dictum, inter expulsos numerabatur, sive noxium eadem rapuerit procella, sive innoxium, sed existimatum turbarum participem; re non fuit: propterea facilè ruptus obex, qui posset secundum ingressum impedire. Certè tam instanter admitti rursus poposcit, ut ex DEO id videretur, præsertim cùm haberet fratres, & consanguineos locupletes. Iterum initâ Societate, absolutis studiis, Fari docuit moralem scientiam. Migrans Ulyssiponem peracturus tertium probationis annum, ibi decubuit morbo supremo. Accepturus viaticum, quamvis supra modum debilis, rogavit Præfectum valetudinarii, ut è lecto extractum sustentaret humi de genibus muniendum sacro viatico; cavit, ne Rectori fors prohibituro diceret. Id socius, inconsulto Rectore non ausus. Verùm Rector tantæ pietati libenter indulsit.

Annus 1706. Soc. 167.

1.

Profecti ad Orientem.

DEcem mare transmiserunt Indiæ populos ad fidem reducturi, unus Lusitanus, cæteri diversarum fuêre nationum. Præerat P. Gaspar Castnerius, qui ob gravissima negotia è Sina venit in Europam. Plurimus fuit in suadenda navigatione ad insulam *Timor* dictam, quam sciebat breviorem petentibus Sinam è Lusitania. Non parvas vicit difficultates; ac tandem obtinuit, ut rectà Macaum è Lusitania naves irent: cùm ad tempus, qui è Lusitania contendebant ad Sinam, priùs attingerent Goam; & non nisi secundo anno inde vela faciebant in Sinam. Hanc noxiam ambagem vitârunt Lusitani, P. Castnerii consilio annis sequentibus adhærentes. Utilissimum docet experientia. Redibat etiam P. Franciscus Noëllius, qui de Sina Romam accesserat. Uterque erat vir doctissimus.

Templum Fayalense.

2. Mense Julio usui cœpit esse templum Collegii Fayalensis dicatum sacrosanctæ Virgini à Gaudiis, quamvis Collegium D. Xaverium colat Patronum. Translatio Eucharistiæ facta solemni supplicatione. Triduo luminibus nocturnis illustratum oppidum. Diurna in templo celebritas magno populi gaudio acta. Licèt insula obnoxia sit terræmotibus, placuit construi potiùs fornicem pro tegendo templo, quàm lacunar aliud. Ex lapide adusto, seu ignea massa, quàm è visceribus terræ vomunt incendia, exigui ponderis factus est fornix. Per pagos, & vicos Hortæ vicinos duo excurrerunt sacerdotes, tanto gentis motu, ut è Collegio sint alii missi, qui eos in excipiendis confessionibus juvarent.

Misericordia DEI cum fœmina moritura.

3. Non prætereundum silentio, quod contigit Præposito Domûs Professæ Villævissosanæ. Vocatus est ad audiendam confessionem fœminæ cum morte luctantis. Absolutâ confessione aderat cum viatico Parochus. Porrigit infirmæ. Reluctatur illa, & arcet à se additis verbis injuriosis; cùmq; iterum, ac tertiò id fecisset, curio cum Eucharistia in templum revertitur. Præpositus factâ inquisitione ex domesticis, & vicinis, si quid scirent de moribus fœminæ; reperit multis ab annis iratam fratri suo, noluisse unquam ipsum ex odio alloqui: præterea caninâ linguâ vicinæ honestæ famam conspurcâsse. His cognitus, & fratrem, & vicinam convenit, deducitque in domum infirmæ: pœnitens illa facti rogat ambos veniam; condonantur injuriæ. Iteratâ confessione revocatur cum viatico Parochus. Nullâ jam difficultate, imò lacrymis affusa suavibus

bus cœlesti reficitur pane, grates persolvens DEO, quòd se eripuisset æternis ignibus.

4. Nonâ Decembris amisit hæc Natio Regem suum Petrum hujus nominis secundum. Quod commune vulnus non leviter perculit nostram Societatem: eam semper magni habuit; ex quo suscepit regni gubernacula, usus confessariis è nostra familia. Deposito à Regni Optimatibus Alphonso Rege anno 1667. gubernavit titulo Principis regentis, dum frater in vivis fuit. Pacem attulit Lusitaniæ longo, & pertinaci bello annos octo supra viginti fessæ; quamvis gloriosis victoriis domi, forisque magnum sibi peperisset nomen. Eandem pacem conservavit annos octo supra triginta; donec, ùt suprà dictum, etiam ipse cum magna Europæ parte, magno illi, ùt vocatum est, armorum fœderi pro Austriaca Domo accederet. Moritur Rex Petrus II.

5. Bis nuptias contraxit; ex secundis cum Maria Sophia genuit numerosam sobolem. Vir fuit piissimus, & modestissimus. Post mortem fratris, noluit solemni ritu coronari. Longum esset recensere pia opera, quæ gessit. Id ad nationis scriptores attinet. Ad Alexandrum VIII. Pontificem Max. cum veritate scripsit, quidquid sibi redderent transmarinæ regiones, id à se impendi alendis Ministris Evangelicis, & fidei Catholicæ propagandæ.

6. Mirificè coluit sanctissimam Deiparentem. Singulis sabbathis illius simulacrum de Necessitatibus dictum invisebat. Erga divum Franciscum Patriarcham, & ejus familiam vix alius magìs affectus. Anno integro ante mortem somnos cepit super nudis tabulis, aliisque se contrivit afflictationibus, cincto corpore asperâ veste cilicinâ, & multâ verberatione flagellato. Ferias sextas verni jejunii pane solùm & frigidâ contentus transigebat. Non potuit adduci, ut vesceretur carnibus diebus, quibus mater Ecclesia imperat abstinentiam. Quia Societatis transmarinas missiones eis subsidiis fovit, quæ subductis rationibus, æquarent dotem pro fundandis duobus Collegiis; idcirco per universam Societatem ei facta sacra & preces solita fieri pro duplicis Collegii Fundatore.

7. Funera domestica jam recenseo. Ulyssipone in Domo Professa P. Franciscus de Cruce Lourissaliensis, Philosophiam Conimbricæ, Theologiam tradidit Ulyssipone, postea librorum Censorem egit in Collegio Romano. Reversus gubernavit Collegium D. Antonii. Fulsit moribus integerrimis, magnâ modestiâ, & prudentiâ. Erat in audiendis plebis & mendicorum confessionibus indefessus. Ad regendas animas exercitationibus sanctis deditas singulare nactus donum. Primus ille fuit Magister, & Confessarius Joannis Principis, qui ab eo permotus sibi sumpsit condendum ac dotandum monasterium monialium Lourissalii, cujus initia fecerat quædam soror P. Francisci, de qua scribit Georgius Cardozus in suo Hagiologio 28. Aprilis. A multis annis impenderat curas componendæ Bibliothecæ de Scriptoribus Lusitanis, quod opus laboris immensi mors 29. Januarii interrupit. Obit P. Franciscus de Cruce.

8. In eadem domo 9. Februarii P. Vincentius Pereira Ulyssiponensis, antiquæ sinceritatis vir, & columba sine felle. Rexit Maderense, & Cetobricense Collegia, ac Ulyssipone domum tironum. Quotidie post horas Canonicas recitavit horas B. Virginis. Non sibi vel seni pepercit in laboribus nostri Instituti. Ibidem 17. Decembris senio confectus P. Franciscus Correa Massarelii prope portum natus. Conimbricæ Rhetoricam, Angræ Philosophiam, moralem scientiam professus in Portu. Ibi, Bracharæ, & Ulyssipone egit Confessarium Joannis Sousæ antistitis sanctissimi. Genius illi mitis, & prudenti sinceritate præditus. Rexit Bracharense Collegium, ac domum tironum Ulyssipone. P. Vincentius Pereira. P. Franc. Correa.

9. In divi Antonii Collegio 31. Octobris P. Franciscus Sarmentus Thiozelensis. Studio animas salvandi petivit Indiam. Ibi vixit annos triginta cum magisteria, tum magistratus, & alia Instituti obiens munia. Deinde missus Procurator Romam. Ad Orientem rediit cum multis Operariorum suppetiis, ùt suo loco memoratum. Denuo remeavit in Lusitaniam, acturus Goanum Procuratorem Ulyssipone. Fuit homo notæ virtutis, charitatis, ac propriæ demis- P. Franc. Sarmentus.

sionis æstimator. Pervigiliis Conceptionis, ac D. Xaverii solo pane & aquâ vixit. Nihil ab ipso petitum per Christi plagas, quod non concederet. Præscivit horam mortis suæ. Alloquens sacrosanctum viaticum inter alia dixit: Nemini se unquam nocuisse, benefecisse omnibus, etiam illis, quos sciebat sibi parùm amicos.

Ignatius Carvalius.

10. Eboræ 19. Decembris Ignatius Carvalius scholasticus. Ingenio felici junxit admirabilem morum innocentiam. Virium tenuitas par non erat aviditati, quâ in studia incumbebat; propterea febriculâ correptus paulatim contabuit. Innatam bilem domuit egregiè. Singulariter dilexit magnam Dei matrem. Nihil æquè atque externos annos in mente habuit multo suo emolumento. Conimbricæ 24. Julii Emmanuel Abreus scholasticus, ibidem natus. Post suscepta animæ suprema subsidia plenus effusissimâ lætitiâ, Nunc, ait ad circumstantes, veniat mors. Extentâ manu sumit Crucifixum, cum ipso suavissimè collocutus penè ad anhelitum postremum.

Emmanuel Abreus.

Annus 1707. Soc. 168.

I.

Proclamatur Rex Joannes V.

LÆtum & Regno, & Societati affulsit anni principium, cujus primâ die festivo omnium Ordinum plausu Princeps Joannes renunciatus Ulyssipone Lusitaniæ Rex hujus nominis Quintus. Applauserunt elegantissimis poëmatis tantæ felicitati, cum Ulysipone, tum Conimbricæ scholarum nostrarum Magistri, quæ juncta in unum corpus jussu novi Regis edita sunt in lucem sub hoc titulo *Lusitania coronata*.

Tollitur prohibitio recipiendi tirones.

2. Ut nube careret tanta solemnitas, extincta est prohibitio admittendi tirones, quæ duobus annis tenuerat. Laboratum est, ut aliquâ conventione factâ cum Pontificis ministris in quindenniis persolvendis finiretur importunum litigium. Tandem Dux Cadavalensis Regis nomine, & Cardinalis Nuntius convenerunt, ut Societas pro quindenniis præteritis, cujuscunque forent summæ, daret cruciatorum tria milla. Insuper pro quindecim annis proximè venturis deponeret cruciatorum quatuor millia in manu illius, qui placeret Nuncio. Et talis summa quatuor millium unoque quindennio conferretur pro Ecclesiis Societati adnexis; eâ tamen conditione, ut hujusmodi confirmatio haberetur à Pontifice.

3. In hunc modum res fuit transacta; at propter Regis Petri supremam ægritudinem hactenus dilata fuerat executio. Quòd communis lætitia posceret neminem esse tristem, visum est tollere dictam prohibitionem. Pecuniâ numeratâ, ac depositâ suffertur inhibitio, cœperúntque de novo admitti tirones mense Januario; nam obex amotus die quintâ mensis. Non tamen ea gratia diu perstitit, ùt infrà memorabitur, quòd Pontifex probare noluerit dictam conventionem.

Immanis audacia adversus nostrum Confessarium.

4. Cetobricæ primâ die Junii immane facinus admissum est contra P. Antonium Francum nostri Collegii Rectorem. Ad nonam noctis horam pulsatur ostii communis tintinnabulum: accurrenti janitori, & percunctanti, quid rei fit, respondetur, Collegii medicum animam agere correptum insultu morbi subitanei, velle Rectorem, ut expiet animum. Itur sine mora. Cùm janua est aperta, stabat contrà ad parietem templi vir ignota in veste, & parùm usitata; præseferebat viatorem, pendebat ex humero mantica, facie non omni detectâ. Id, quod animadversum laternâ discutiente noctis tenebras, quam socius coadjutor manu gerebat.

5. Auditâ rursus ex eo subiti casûs narratione, condolet Rector, atque jubet, ducat ipse. Adjungit se lateri sinistro Rectoris. Coadjutor, dum pergunt, substitit obserando portam. Ad templi nostri januam duæ sunt viæ, altera fert in oppidum, altera in agros. Utrâque adiri poterat domus Medici. Paulùm processerat in oppidum, cùm sicarius furore subito, alterâ manu firmat

appre-

apprehensum Rectoris caput super pileum, dein cultrum ad scelus paratum collo impingit. Sit propter DEum, inclamat Rector: ad hanc vocem sicarius, quantâ potest celeritate, in agros se proripit. Interim accedens Coadjutor, &, quid esset, cognoscens, exclamat: occiderunt P. Rectorem.

6. Nihil tanto scelere turbatus Rector, extractum sudarium apprimit vulneri copioso mananti sanguine, ut illum contineat, domúmque revertitur. Nonnio Ferreirâ insigni chirurgo vocato, patet atrocitas vulneris; nam ab aure sinistrâ profundo ictu ruperat totam maxillam sinistram, ac disjunxerat superiorem ab inferiori parte, scisso etiam labro superiore subter nasum. Mortem procul dubio haud vitaturus fuisset, nisi obstitisset plica gemina pilei orta ex sicarii manûs apprehsione; dein collari guttur defensum, quò minùs eò penetraret ferrum.

7. Chirurgus punctis non minùs quatuordecim acu & lineâ junxit separatam faciem, sive totam sinistram genam ad oris rictum. Crucifixus, quem ferebat pectore intra vestes, totus fuit conspersus sanguine. Plurimùm doluit oppidum Societatis amantissimum scelus immane. Rex misit Senatorem, qui in authorem inquireret, promissâ, qui eum proditurus esset, pecuniâ. Nemo ullus est inventus. Id acriùs ipso vulnere Rectorem torsit, ne scilicet inde aliquid labis inureretur bono Societatis nomini, aliis alia opinantibus, & interpretantibus in pejus. Sed secus evenit. Vulgatum fuit ob absolutionem fœminæ negatam, illius amasium promisisse Rectoris caput in mantica ad eam se laturum, ut illâ victimâ ægram animi solaretur. Nec ullus adeò perditæ fuit conscientiæ, qui probaret factum, cunctis abominantibus scelus tam noxium animarum saluti, quod posset Confessarios deterrere à nocturnis extra domum egressionibus, & etiam Medicos, aliósve bono publico utiles, ac necessarios.

8. Octo suppetias ivêre Indis, Lusitani quinque, tres ex aliis nationibus. *Profecti ad Indiam, & Maranoniam.* Præerat P. Ludovicus Natalius Bourzes natione Gallus, qui obtentâ ab A. R. P. N. facultate se jungendi Missionariis Lusitanis Madurensem navim conscendit, quæ unà cum alia bellica Ponticherium tendebat. Juxta promontorium Comorinum obvias habuit duas naves Lusitanas, acriter cum illis dimicatum; commune periculum ancipitem diremit pugnam, pactísque induciis ad navem Lusitanam Natalius transiens Goam feliciter tenuit. Prorex timens fraudem, & Patrem sub pietatis larva missum ad explorandas vires Lusitanas, eum datâ opportunitate Ulyssiponem misit. Modò probatâ ejus sanâ intentione, addictus Malabaricis missionibus Lusitanorum, ubi rem strenuè agit: cùm hæc scribuntur, iterum petit Indiam. P. Alexander Calinius, unus de externis, erat Brixiensis domo illustri natus, nostri P. Ferdinandii Calinii germanus. Septem petivêre Maranoniam: præter Michaëlem à Costa, qui venerat ex ea regione, cæteri nondum erant sacris initiati.

9. Collegii Portimanensis templum 3. Martii magnos inter plausus apertum. *Aperitur templum Collegii Portimanensis, & ossa Fundatorum, ac nostrorum transferuntur.* Ad idem templum 14. Julii sunt translata ex primario oppidi templo D. Didaci Gonsalvii Fundatoris ossa. Eodem die de cœnobio Patrum Franciscanorum convecta Elisabethæ Sousæ conjugis, & Agnetis Sousæ filiæ ossa. Fundatoris suis humeris portârunt nostri; Conjugis, & filiæ Sodales à Misericordia dicti. Utrisque habita funebria sacra, & exequiæ. Ossa condita in Mausoleo ad latus dextrum primarii sacelli. Præterea de veteri in novum templum translata ossa Ven. viri P. Bartholomæi Eduardi, Patrum Petri de Sousa, & Antonii Martinii olim Rectoris Collegii Farensis. Quod & factum cum ossibus Eleonoræ Costæ, Eleonoræ Eduardiæ, & Margaritæ Alvariæ Eduardiæ, quæ P. Bartholomæum gradu sanguinis contingebant, erántque Benefactrices Collegii. Etiam his parentatum.

10. Augusto proximo P. Gaspar Silva Almagreirensis ad id tempus post P. Bartholomæum Collegii Superior, renunciatus ejusdem primus Rector. *Primus Rector Portimanensis, & cathedra scientiæ moralis.* Gymnasium vero patuit 15. Octobris scientiæ moralis studiosis. Duo Professores erant, alter matutinis horis, pomeridianis alter; attamen ob auditorum pau-

citatem visum est unam horis vespertinis lectionem sufficere. Etenim oppidum illud celebritate maritimi commercii antiquitus multùm floruerat, sed porrò ingressum impediente arenâ majoribus navibus, & alias ob causas commercio penè extincto in dies magis attenuatur.

Diva Quiteria in Portu.

11. In Portuensi Collegio cœpit hoc anno admirabilis cultus erga divam Quiteriam Virginem & Martyrem Bracharensem. Fæmina, quæ contraxerat cæcitatem, petiit templum nostrum explicatura conscientiam, incidit in P. Antonium Garciam confitentes audientem in sacello S. Xaverii. Expiatâ conscientiâ fæmina deploravit cæcitatem suam, se plurimos rogâsse Divos, sed incassùm: sibi suaderet, qui Divorum esset implorandus: volenti inculcare D. Xaverium, occurrit S. Quiteria, cujus erat in templo simulacrum, ùt erat fama, quondam factum à fæmina, quam gangrænâ liberaverat. Adjecit aliquos Divæ favores relatos à nostro Emmanuele Fernandio in suis libris, quibus est titulus, *Anima instructa*.

12. Commendavit illi preces novendiales, quibus fecit initium ante Divæ effigiem. Cæcæ, quòd Duce careret, diebus singulis in templum accedere non posse excusanti respondit Pater, domi suæ dictas preces continuaret. Paruit, & sextâ die novennæ visum recepit, potuitque sola per urbem incedere, ac in nostrum venire templum. Re vulgatâ, cœpit fieri concursus, & augeri dona, explicarique Divæ patrocinium, ac ex Portu in alias regni urbes derivari. Plurimùm ad id juvit vita Sanctæ, quam typis vulgavit P. Garcia; hunc DEus voluit tanquam instrumentum ad propagandum Divæ cultum; cujus sacellum, eodem Patre curante, in templo nostro pretiosissimè exornatum conspicitur.

Moritur P. Franciscus Botelius.

13. Vivorum syllabo exempti sunt. Conimbricæ 8. Augusti P. Franciscus Botelius Linariensis. Eboræ tradidit Rhetoricam, & Philosophiam, Bahiæ in Brasilia Theologiam, eandémque professus Ulysipone. Rectorem Collegii D. Antonii Rex Petrus elegit, ut esset à Confessionibus Joannis Principis, fuitque ejusdem Domini jam Regis primus Confessarius. Ubi regni inivit possessionem, Confessario concessit, quidquid prærogativæ habuisset Confessarius sui Genitoris. Siquidem ex Regis imperio consuevit largiri Abbatias, & alia pinguia sacerdotia pertinentia ad Brigantinam Domum. P. Botelius à se rejecit hujusmodi curas, Regi dicens, sui muneris esse consulere ejus conscientiæ, id unicè sibi reservare, cætera commendaret aliis.

14. Vix explicari potest, quantæ afflictioni Botelio fuerit prædictus honor: angebatur supra modum; persuasio fuit inde mortem acceleratam. Amanti religiosam quietem nihil æquè grave potuit accidere. In dies valetudo pejùs habuit. Consilio Medicorum secessit Conimbricam, probaturus salutaria balnea mundæ fluminis. Sed tali curationi ferendæ jam non erat. Evolutâ quadragesimâ quintâ die, ex quo Conimbricam accesserat, sanctissimè moritur. Vir fuit religiosis virtutibus clarus. Missus in Brasiliam obsequentissimè paruit. Adversus infirmos admirabili usus charitate, Eboræ laudatus publicè ob hane virtutem. Modestus, & mitis, commercio cum DEO deditus, in verbis, ac factis præse tulit innocentem animam. Ejus funus multo, & nobilium concursu honoratum.

Laurentius Rosa.

15. Ibidem 13. Januarii Laurentius Rosa scholasticus Manteigensis. Magnam faciebat spem præclarum ejus ingenium. Nemo exactior in conscientiæ procuranda & conservanda munditie, ac nitore. Quâlibet labis umbrâ non aliter turbari solitus, ac columba viso accipitre. Eboræ 8. Maji Josephus Anchieta scholasticus Theologus natus Estremotii. Cùm ad mansuetiores, tum ad sublimiores facultates pollebat donis singularibus, quibus adjecit studium indefessum. Angue pejus odio habuit detractionem. Apices instituti nostri, ne latum unguem ab eis deflecteret, solers observabat.

Josephus Anchieta.

Emmanuel Joannes.

16. Eboræ pariter 9. Decembris Emmanuel Joannes Coadjutor Obidis natus. In ipso visa specialis DEI misericordia, & quid possent singularia quædam virtutum exercitia nunquam omissa. Emmanuelem natura ipsa rusticum fece-

fecerat: in bilem cæco more rapiebatur, sibi redditus dolebat. Apparuit, Deum illius attendisse bonis operibus. Otiosum nemo unquam conspexit. In vestiario vetusta, & lacera centone muniebat indumenta. Si non distinebatur manuum operibus, recitavit horas virginis, vel alias preces. Erga morientes mira fuit ejus charitas. Ubi primùm aliquis expiraverat, in cubiculum receptus pro defuncti anima se longo temporis spatio verberabat: quam piam praxim de nostris quidam exemplo Emmanuelis inductus exercuit.

17. In eodem Collegio 22. Decembris P. Michaël Nunius Grandolensis. Procuravit annos plures bona Residentiæ de Passo de Sousa, deinde typographiæ Eborensis Collegii. In atrio Academiæ fabricavit aulas super ostium, & primam pergulam intra ipsum atrium æquavit aliis, & ornavit marmoreis columnis. Tredecim postremis annis vixit cæcus. Diebus, quibus affluebat populus ad expiandas animas, incumbens baculo, & palpans manu parietes, concedebat ad tribunal Confessarii. Quotidie accepit panem sacrum. Cæcitate vixit contentus, quòd ita Deo placeret. Sumpto prandio, vel cœnâ, sublatis in Cœlum manibus, actis DEO gratiis, adjungebat: Infinitæ habeantur tibi, mi Domine, grates, quòd alas hoc animal inutile. Id voce clarâ pronunciârat, & quæ præ se ferret pios animi sensus. P. Michaël Nunius.

18. Fari 29. Octobris Josephus Soarius Coadjutor Cazevelii natus. Uxoratus agriculturam exercebat. Conjuge defunctâ dedit Societati nomen, cui servivit instar vilissimi, & obsequentissimi mancipii. Fari habuit curæ villam Collegii. Nullus Mercenarius sic incumbit operi, ùt Josephus omni rusticorum labori. Cibos capiebat cum ipsis operis ex eodem catino testaceo, vel ligneo. Si quid è Collegio mittebatur pro prandio, divisit inter operas, ut diligentiùs laborarent. Domum receptus, aliis vespere ante cænam studentibus, ipse orationi vacabat. Nonnunquam auditus alloqui S. Josephum in hanc sententiam: Mi Dive, mihi vires impetra, ut labore meo sustentem hos DEI servos, quorum sum mancipium; ùt tu sudoribus tuis aluisti JEsum, ac Virginem matrem. Josephus Soarius.

Annus 1708. Soc. 169.

1.

Felix, faustáque illuxit Nationi Lusitanæ, & nostræ Societati dies septima & vigesima Octobris labentis anni ob adventum Serenissimæ Reginæ Mariæ Annæ Austriacæ Leopoldi magni I. Imperatoris filiæ, quam Viennâ deduxit Excellentissimus D. Comes Villar mayor, nunc Marchio Alegratensis, qui illuc venerat titulo extra ordinem Legati decoratus ad matrimonialia pacta facienda, & sponsalia Serenissimi Regis nomine celebranda. Secum duxit Serenissima Confessarium suum P. Antonium Stieff nostræ Societatis Provinciæ Austriæ. Excellentissimus verò reduxit nostrum P. Franciscum de Fonseca, quem Comitem, & Confessarium habuerat in hac sua legatione & itinere Germanico, cujus eventus P. Fonseca typis postea vulgavit; qui non solùm conduxit secum octo egregios Missionarios pro India, sed in suo reditu iter per Monasterium Westphaliæ instituens recepit à Celsissimo S. R. I. Principe Francisco Arnoldo de Metternicht Episcopo Paderbornensi & Monasteriensi quinque millia & septingentos florenos ex fructibus legati, quod piissimus, & Celsissimus Princeps Ferdinandus de Fürstenberg fundaverat pro missionibus Sinensi, & Japonensi; qui multos annos contra piam Fundatoris mentem, ac expressam in tabulis fundationis voluntatem aliis operibus, tametsi piis, fuerant applicati. Adventus in Lusitaniam Reginæ Mariæ Annæ Austriacæ.

2. Inter innumeras lætitiæ significationes & plausus, quibus excepta Regina, jure merito cæteris anteponitur tragicomædia à nostris Ulyssiponensibus scholis exhibita, authore P. Emmanuele Ferreira Theologiæ Professore. Operi materiam præbuit S. Leopoldus Austriæ Marchio. Ter data theatro, pro Regibus, ac Regia familia, dynastisque, pro fæminis illustribus, deinde pro populo. Semper placuit, si etiam centies repeteretur.

 3. Co-

Profecti ad Indiam, labores, & mortui.

3. Conimbricense, & Eborense Collegia anno hoc accensa sunt missionum ad Indiam studiis. Constat petivisse magno animorum ardore penè octoginta in ambobus Collegiis. Necessum fuit à majoribus facultatem negari plurimis, ne Provincia maneret, ùt ita dicam deserta. P. Franciscus Laynius Ulyssiponensis è Malabarica Provincia Romam venerat Procurator. Multis annis inter labores incredibiles excoluerat, & auxerat Neophytos Madurenses. Carceres, & durissima sustinuit tormenta, non semel martyrio proximus.

4. Appulsum ad Lusitaniam Rex designavit Episcopum Maliporensem. Cùm adiisset Collegia, socios exhortatus est ad gloriosam Orientis expeditionem. Inde maximus ardor exortus. De Lusitanis facti sunt compotes sui voti supra viginti, quanquam duo defecerant, qui non diu in Societate perstitêre. Adivit Italiam, unde vexit undecim. Martii 18. inauguratus Episcopus in nostri Collegii Ulyssiponensis templo ab Illustrissimo D. Nonio de Cunea Regis Sacellano maximo, & Inquisitore Generali, qui postea numeratus est inter S. Rom. Ecclesiæ Cardinales.

5. Duo supra triginta navem conscendentes 27. Martii è Tago sunt in altum provecti. Laboriosissima contigit ea navigatio. 21. Maji ad Caput Viride duodecimo gradu ante æquatorem cœperunt morbi turbam nautarum omnem funestare. Languentium numerus æquavit sanos. Magnâ charitate à nostris subventum est. Non pauci posuerunt animas in opere pio. Ignatius à Cunea, & Innocentius Tellius scholastici: P. Blasius Estifa Neapolitanus, de quo testatus est ejus Confessarius non amisisse gratiam in fonte lustrali acceptam. Plurimi affirmârunt se illam maris partem, in quam fuisset projectum cadaver, intuitos rosis amænissimis sparsam.

6. Expirârunt etiam Henricus Pereira, & P. Emmanuel Abreus, qui cæteris præerat. Vigesimâ quartâ Junii superatus æquator. Navis erat jam gradu vigesimo secundo trans æquatorem. Nec tempus favebat ad superandum spei bonæ promontorium, nec ultrà, commeatu deficiente, licebat progredi. Igitur re in consultationem adductâ, visum est navis moderatoribus versâ prorâ Bahiam in Brasilia petere. Hanc 2. Augusti tenuêre naves, nam erant duæ.

7. Quintâ Novembris repetitâ navigatione, Januario sequenti prælatæ Caput bonæ spei: tunc ex oculis evanuit navis à S. Ludovico nuncupata, quæ prope Mossambiquium fecit naufragium, quanquam & vectores, & nautæ sospites in terram emersêre. Inter insulam D. Laurentii, & Africæ continentem, adeò navis, in qua vehebantur nostri, cum evidentibus luctata periculis, ut, qui regebant, eò desperationis devenerint, ut non semel sint meditati navem arenæ littoris impingere ad vitam salvandam. Verùm quiescentibus procellis 23. Martii jecerunt anchoras Mossambiquii. Hybernârunt in eo portu, ubi unum è nostris alienigenis sepeliêre; alter vicinus morti relictus, cùm 14. Augusti Goam solverunt; quò est perventum 25. Septembris. Per id tempus jam Goæ exonerabantur naves geminæ, quæ de Lusitania sunt profectæ sequenti anno.

Conflagrat cœnobium Trinitariorum Ulyssipone. Quid egerit Societas.

8. Insigne charitatis documentum edidit Domus Professa Ulyssiponensis, quam regebat P. Sebastianus Magalanius, Regis Petri Confessarius. Nocte diei 20. Septembris magno omnium dolore corripuit furiosum incendium magnificum cœnobium PP. Trinitariorum, quibus nullos honoratiores vicinos Domus Professa, ex quo fundata est, experiebatur. Omne cœnobium exarsit, præter templum, sacrum apodyterium, bibliothecam, & nonnullas domos inferiores, à quibus fornices arcuerunt flammam.

7. Sine mora nostri cum domesticis famulis, plaustro, scalis, & rebus, quæ usui esse poterant, accurrêre extinguendo incendio. Et ne solùm curarent humana remedia, jussit Præpositus aperto templo, & Eucharistiæ tabernaculo recitari Litanias, ut misericors DEus servis suis prospiceret. Huc è templo suo PP. Trinitarii ferebant pyxidem sacram cum venerabili Sacramento. Præstitêre nostri, quidquid operæ poterant tum servandis rebus, tum Religiosis accomodandis. Manè ipsis Provincialis obtulit in hospitium, quotquot habemus domos

domos Ulyssipone. P. Præpositus in Domum Professam, Rector in Collegium D. Antonii eos invitavit. Solùm novem è gravioribus hospitati sunt in Domo Professa.

10. P. Magalanius consulens hospitibus eâ, quâ debuit, charitate & liberalitate curavit scire, quid opus foret, providitque de omnibus. Cùm hyems instaret, jussit emi pannum, & vestes eorum more fieri ad frigus arcendum. Quia id temporis occurrebat unus ex Fundatoribus illorum solemnis dies, convivium in triclinio paratum, ùt apud nos moris est in festo S. P. Ignatii die. Denique nihil omisit Præpositus in tam religiosis, & amicissimis hospitibus tractandis, quod Societatem, quod illos deceret. Aliquot menses inter nos morati, dum reficiebatur in cœnobio habitandi commoditas. Inde crevit illa, quâ semper domum, & nostram Societatem sunt prosecuti, benevolentia.

11. PP. Simon Estevensius, & Michaël Freirius è Brigantino Collegio duobus mensibus excurrerunt per diœcesim Mirandensem magno animarum lucro. Cùm annonæ caristia premeret Brigantinam urbem, Collegium liberaliter consuluit indigentibus. Quòd Collegium recipiat decimas trium paræciarum, visum est Rectori ex æquitate non distribuere solùm intra urbem; ideóque eleemosynas plurimas pagis trium paræciarum abundè largiebatur. Non oblitus est DEus compensationis; nam eo anno tantum crevit fructuum, ut nunquam majus Collegium nostrum receperit. Res Brigantini Collegii.

12. Ibidem Rector Collegii Augustinus de Cunea plurimùm auxit cultum D. Barbaræ, cujus vix notum civibus nomen. Crebris fulminibus urbs est obnoxia, quibus amovendis multùm pollet S. Barbaræ patrocinium. Erexit illi pulchrum sacellum intra septa domûs. Primum sacrum ibi factum ab Episcopo Mirandensi. Protinus indigenæ cœperunt Virginis experiri singularem opem in abigendis atris nubibus. Per oppida vicina grassabantur fulmina non sine strage, Brigantio semper intacto. Sodalitas instituta pro famulis Collegii; quamvis cuperent adscribi cives, id non permissum; quod in septo sacellum esset, locúsque recusaret concursum externorum. Cultus D. Barbaræ.

13. Vigesimâ die Januarii deplorandum contigit naufragium navis *Alamoda* dictæ; in ea vehebatur noster Antonius Barrius sacerdos. E Sina cum mandatis Imperatoris Romam veniebat. In Brasilia quòd navis Indica non esset continuando itineri, mutatis mercibus ad navem Alamodam, eam conscendit cum aliis P. Antonius. Ad oram Interamnensis Provinciæ gravissima procella exorta. Credebat gubernator plurimis leucis à terris distare; ideò procellæ à puppe flanti expandit velum. Nox erat obscurissima. Duabus leucis, & mediâ parvus maris sinus abest Vianâ Interamnensi, eò se exonerat fluvius Anchora dictus, qui licèt parvus magnâ aquarum mole ex pluviis collectâ superbiebat; in eum se navis induit, arenæq; hæsit impacta. P. Antonius Crucifixi simulacrum manu tenens ad peccatorum dolorem exhortatur omnes. Recepêre se plerique subter foros. Navi fissâ, cunctos ea contignatio miserandum in modum oppresit, ac laceravit. Paucissimi nautæ per malum evaserunt in terram. P. Antonius natus erat in oppido *Arcos de Valdevez* dicto, quod paucis leucis distar à loco naufragii. Naufragium P. Antonii Barrii.

14. In Provincia nonnulli præstantes viri attigêre portum æternitatis. In Domo Professa Ulysiponensi 5. Januarii P. Emmanuel Pirius Estremotiensis. Magnæ eum dotes ornabant cùm ad magisteria, tum ad templi suggestum. Docuit Eboræ Philosophiam, ab sacris Bibliis exponendis se excusavit. Concionatorem agebat Ulysipone, cùm eum sibi elegit Confessarium Anglicana Regina; nec vir alius fuit, cujus præstantiam magis probaret. Inerat illi mens perspicax, & profunda, rerum grandium capacissima. Moribus erat integerrimis. Societatis amantior nullus. Quidquid apud Reginam potuit, in Societatis convertit utilitatem. Immunitates aliquot adeptus Scalabitano, & Conimbricensi Collegio. Eborensem Academiam protexit egregiè adversus Ecclesiasticum Conservatorem, à Rectore nostro exutum illo munere, & multis, ac validis patronis Moritur P. Emmanuel Pirius.

tronis conantem reponi. Author fuit Reginæ acceptandi fundationem domûs probationis pro Indicis missionibus: cui donavit ipse Cruciatorum millia tredecim residua sibi ex pecuniis in sustentationem designatis. Præter alia largitus bibliothecam Villavissosanæ domui. Cætera subsidia magni momenti, quæ Regina liberaliter aliis Collegiis, ac domibus donavit, ornatum habuêre ex Emmanuelis suasione.

P. Franc. Coëlius.

15. Ibidem 22. Aprilis P. Franciscus Coëlius, natus Villænovæ diœcesis Eborensis, vir consummatæ sapientiæ. Conimbricæ, & Eboræ professus Theologiam; in hac moderatus primariam cathedram, gradúque Doctoris insignitus. Rexit Conimbricense Collegium: post tantum magistratum morales doctrinas tradidit in scholis Ulyssiponensibus. Deinde Præpositum egit Domûs Professæ, ibique consenuit, deditus sibi, ac Deo. Irreprehensi in eo, ac sanctissimi erant mores.

Joannes Moreira.

16. Conimbricæ 19. Octobris Joannes Moreira scholasticus tiro natus Povoæ. Per calcatam matrem ad Crucis vexillum contendit, virtutémque studiosè complexus est. Phrhisi contabescens mori gaudebat. Eboræ 2. Maji

Emmanuel Diasius.

Emmanuel Diasius Coadjutor Estremotiensis. A Societate aliquando dimissus, rursum post longa experimenta receptus fidelissimè serviit in ministeriis sui gradûs. Nunquam se in lectum recepit, quin priùs in se flagellis animadverteret. Frequens idem sui castigandi genus in triclinio palàm usurpabat. Janitorem agens ostii secundi, mirâ charitate pauperes accedentes ad eleemosynam prosecutus est. Postremis annis labori jam inutilis, pietati vacavit.

Ignatius Emmanuel.

17. In Eborensi pariter Collegio 8. Decembris Ignatius Emmanuel scholasticus Setensis. Studebat Theologiæ, cùm paulatim irrepens phthisis ad mortem rapuit. Singulariter addictus fuit intemeratæ Virginis Conceptioni, SS. Josepho, & Xaverio. Existimatum est suæ mortis diem præscivisse; nam socio dicturo postridie orationem Latinam suasit, ut eam sibi legeret, se in sacello non auditurum. Ita contigit; nam paucis horis, antequam orator suggestum conscenderet, ipse tranquillissimè egit animam.

P. Michaël Furtadus.

18. In Bracharensi Collegio 7. Martii P. Michaël Furtadus Rector natus Massanii. Philosophiam, moralem scientiam, & Theologiam Eboræ professus, ac Conimbricæ moderatus primariam cathedram. Excellens ingenium, & perspicuitas constituêre Magistrum optimum. Ubicunque fuit, sibi vendicavit munus explicandi catechesim, cùm festis diebus nostri Magistri ducunt discipulos suos ad audiendam hujusmodi explanationem. Rector effectus Bracharensis Collegii multa sustinuit ex podagra. Ibidem instituerat sodalitium B. Virginis à bona morte, cujus exercitia sine sodalitate solebant peragi ex eo tempore, quo rexit idem Collegium P. Petrus Amaralius.

Gonsalus Coëlius.

19. Ibidem 5. Aprilis Gonsalus Coëlius Coadjutor ortus in pago S. Joannis de Covis. Singulari præditus modestiâ, plures annos agens æedituum, nunquam oculos fixit in vultu fœminæ. Quintâ majoris hebdomadæ feriâ post sumptum cœlestem panem cœpit inundare lætitiâ, quæ vaticinium fuit, eum brevì migraturum ad cœlestem patriam. Quando vespere recitabantur matutinum, & laudes, Gonsalus ex eo munere extinguebat cereos, durantéque eâ hilaritate repetebat ipse versiculos in choro dictos, adjiciebátque: *Re, Re* (puncta sunt musices) *mei Patres venite omnes mecum ad Cœlum.* Non multò pòst vertigine impetitus subitâ in solum exanimis corruit.

P. Gaspar Silva.

20. Portimani 25. Augusti P. Gaspar Silva primus Rector, natus Almagreiræ. Humaniores litteras Ulyssipone, Rhetoricam professus Eboræ, hujusmodi facultatem, & Poëticam calluit egregiè. Ingeniosus ad opera manualia, suâ ipse manu tum in templo, tum in ejus fronte nonnulla pulcherrimè elaboravit. Grato, & amabili genio à natura formatus, munificus in pauperes; propterea egeni multum doluerunt ejus mortem. Angræ 15. Junii P. Stephanus

P. Stephanus Francus.

Francus Sintrensis religiosus notæ virtutis, & modestiæ singularis. Multas obivit

ivit missiones sacras. Illius sanctos mores Antonius Vieira Episcopus Angrensis, & ipse vir sanctimoniâ præclarus maximi æstimavit.

21. Romæ amisit Provincia P. Emmanuelem Corream ortum Loandæ. Rhetoricam, Philosophiam, moralem scientiam, & Theologiam usque ad primariam cathedram professus Eboræ, ibique Doctoris condecoratus insignibus. Egit Rectorem Conimbricensem, Provincialem, Assistentem P. Thyrsi; & post ejus mortem librorum generalem Censorem in Collegio Romano. Exornavit pretiosissimè intra Collegium Eborense sacellum B. Virginis à Conceptione, illúdque dotavit reditu perpetuo, tanquam amoris sui erga Virginem, & erga Collegium, in quo fuerat educatus, monumentum sempiternum. Plurimum in se, & in aliis religiosam observantiam procuravit; modestissimus ipse, & observantissimus, in rebus agendis vix ullus animosior. Rectorem Conimbricensis Academiæ adversus nostras scholas aliquid insuetum audentem obvio ejus conatibus diplomate sic absterruit, ut progredi refugeret. E sacro suggesto ad populum conciones habuit par præstantissimis, & ornatissimis in omni dicendi genere. Reliquit paratam typis *Ideam Consiliarii*, quòd opus post illius mortem Romæ donatum publicâ luce. *P. Emmanuel Correa.*

Annus 1709. Soc. 170.

I.

RENascitur hoc anno quindenniorum controversia. Noluit Pontifex approbare Conventionem à Cardinali Nuntio factam 5. Januarii anni 1707. majorémque pecuniæ summam petens minabatur privanda Collegia nostra Ecclesiis sibi unitis juxta tenorem Bullarum Pauli II. & Pii ac Sixti V. quæ cùm sint præcipua illorum dos, & fundamentum, illo amoto, procul dubio corruerent. Ut hunc fatalem vitaret ictum P. Emmanuel Diasius tum temporis Provincialis, nemine consulto solvit Romæ universam pecuniam, quæ à Pontificis Ministris petebatur. Id Rex contra suum honorem factum reputans vehementer iratus est Provinciali, & Generali: illi, quia solverat contra ipsius mandata; isti, quia solutionem urserat: ideóque Provincialem in exilium misit, & P. Francisco Tavario, quem is in suo discessu Vicarium Provincialem renuntiaverat, injunxit, ne ullam P. N. Generalis ordinationem exequeretur, nec permitteret, ut ullum jus in sibi subditos Patres Lusitanos exerceret. *Ob quindennia quæ de novo passi sumus.*

2. Septem Indicas missiones aggressi sunt, Lusitani quatuor, tres Germani. Præerat P. Emmanuel Sà Tansmontanus, qui proximo anno Goâ venit: revertebatur à Serenissimo Rege Lusitaniæ nominatus Patriarcha Æthiopiæ. De Lusitanis erat Alexius Pintus scholasticus tiro Ulyssiponensis, qui, cùm hæc scribuntur, naviter incumbit excolendis neophytis regni Madurensis. Ad Maranoniam duo navigârunt P. Thomas Linchius alienigena, & Emmanuel Silva Coadjutor Lusitanus. *Profecti ad Indiam, & Maranoniam.*

3. Villævissosæ Patres domûs Professæ tum labente, tum superiore anno utilissimi fuêre Anglis militibus. Animabant orthodoxos, ac in templo nostro foribus clausis audiebant confitentes. Nam si Ductores hæretici deprehenderent præsentes sacris, crudelissimè flagellabant, aliísque afficiebant suppliciis; unde non pauci mortem subière. Unus aliquis Robertus Noaton comprehensus interesse sacro, flagellis dirè cæditur, dein humi strati pectus, & ventrem pedibus premunt hæretici, inclamantes, *Ejice foras Papam, quem gestas intus.* Sic penè interemptum projiciunt in viam publicam, è qua ereptus à nostris, ac omnibus munitus sacris præsidiis animam martyrio laureatam efflavit. *Nostrorum opera circa Anglos.*

4. Angli Octobri mense suspenderunt è resti desertores octo, quinque Germanos orthodoxos, Belgas duos, & unum Batavum, qui tres erant hæretici, nostrorum operâ ad fidem reducti. Vitam omnibus promiserunt Angli, ampla insuper dona, & honores militares, si Romana sacra desererent: sed omnes constantes ad ultimum anhelitum perstitêre, nostris eos adversus tot insultus

mali dæmonis tutantibus. Funera tanto honore procurata, ut hæretici sint mirati nostrorum pietatem, charitatem; eos posteà obvios multâ urbanitate salutabant.

Obit P. Antonius Regus

5. Nostrorum jam felices obitus, bonáque exempla commemoro. Romæ decessit P. Antonius Regus Carvalliensis. Finitis Theologiæ studiis Romam vocatus ibi vixit cæteram vitam diversis distentus occupationibus. Egit Assistentem. Plures annos curæ habuit munus Residentis Lusitani Regis. Dona, quæ fungentibus tali honore solent mitti propter expedita negotia, consumpsit tum impertiendo eleemosynas, tum ornando in Domo Professa pulcherrimo sacello Mariano, expensis in id supra viginti millibus cruciatorum.

6. Præterea donavit ampla legata missionibus transmarinis, Collegio Conimbricensi, ac domo probationis Ulyssiponensi. Ut in perpetuum vigeret cultus Marianus, instituit singulis sabbathis cantandas litanias, & referendum B. Virginis miraculum, relicto ad sustinendas expensas arsuræ ceræ annuo reditu. Porrò typis dedit libellum precum pro diebus prævijs festo S. Ignatii, quibus narratur Divi aliquod factum: ad talem expensam constituit pariter reditum stabilem.

7. Quamvis Rex concessisset illi, de regiis pecuniis sumeret, quidquid ipsi videretur, & opus foret, nihil voluit. Usus erga se ipsum multâ severitate. Victus erat communis, solum admisit, qui aleret. Potionibus peregrinis abstinuit, quanquam ipsi erant necessariæ ad vires habendas, quæ sufficerent labori obeundi pedibus per urbem tractando Regis negotia. Curru enim, licèt id Romæ tolerabilius, quàm in Lusitania, ejus humilitas uti non est passa.

P. Ludovicus Alvarus.

8. In Domo Professa Ulysiponensi 13. Februarii P. Ludovicus Alvarus nonagenario major. Rhetoricam, Philosophiam, & sacras litteras exposuit Conimbricæ. Rexit Collegia Angrense, Portuense, Eborense, Domum Professam Ulyssiponensem, ac tandem universam Provinciam. In lucem edidit aliquos libros asceticos, & alios concionum, præterea Latinè *Josephum illustratum*. Obivit sacras missiones. Dum per vires licuit, nunquam se laboribus Instituti nostri denegavit

P. Sebastianus Magalanius.

9. Ibidem 23. Julii P. Sebastianus Magalanius Domûs Præpositus. Natus est in urbe Tingi quondam Lusitanorum colonia in ora maris Atlantici. Tradidit Eboræ Philosophiam, Theologiam Ulysipone. Gubernavit Collegium D. Antonii, Domum Professam, ac totam Provinciam. A Confessionibus erat Regi Petro II. quo de vivis sublato iterum factus Præpositus Domûs Professæ. In tot muneribus nihil transgressus terminos religiosæ modestiæ & demissionis. Vix Rex ullum habuit ad latus suum, cui æquè fideret, ac Sebastiano.

10. Annuum reditum ab Rege ad sustentationem Confessarii destinatum jubebat colligi à Procuratore domûs Professæ, in ejúsque usus expendi. Mortuo Rege à se rejecit hujusmodi pensionem; sed jubente continuari novo Rege, eidem domui colligendum reliquit. Illud mirabile erat, quòd monetæ nesciret valorem. Si largiturus erat, rogabat socium, ut computatam, & numeratam sibi dandam summam traderet. Si mutuam petivit pecuniam, poposcit, justâ computatione committerent. Cubiculum omni caruit ornatu, solùm ibi apparebant, quæ usui necessaria sunt cuilibet religioso pauperrimo.

11. Nullus magis assiduus in sella confessionum diebus, quibus fit populi concursus. Ajebat Confessario religioso non curandum, an alii ad tribunalia venirent, sed solum DEum laboris remuneratorem attendendum. Ille primus erat, qui cum aliis adibat carceres ad excipiendas confessiones. Victu communi, & obvio contentus. Plurimùm favit missionibus transmarinis. Curabat, ut nostri Concionatores studiosi forent movendi corda, non placendi auribus. Corpus suum domabat jejuniis, ciliciis, & flagellis. Ex animo virtutum studiosum probat vita per me typis excusa.

12. In

12. In eadem Domo 11. Decembris octogenario major P. Emmanuel Silva Egensis. Docuit Conimbricæ Rhetoricam. Ad sacras conciones singularibus instructus donis, mandavit typis aliquot volumina, quæ magni fiunt. Rexit Collegia Maderense, Portuense, Eborense, totam Provinciam, & postea domum Professam. Postremos annos transegit cæcus, se totum divinis rebus addicens. P. Emmanuel Silva.

13. Conimbricæ 24. Aprilis P. Joannes Coutinius Pombalensis natus annos sex & sexaginta. Rector fuit Collegii Cetobricensis, unde retulit tremorem manuum, ob quem deinceps nequiit frequentare sacrum suggestum, ubi cum plausu audiebatur. Vulgavit tria volumina, quæ dicit *stomata concionatoria*. Mores hominis pleni erant religione. P. Joannes Coutinius.

14. In eodem Collegio Emmanuel Brandamus septem menses vixit post biennium, obivitque Augusti nonâ. Cùm phthisis apparerent indicia ante nuncupata vota, plurimùm affligebatur timore Societatem amittendi. Ajebat enim, se mille mortes velle potiùs, quàm perdere tantum bonum. Visentem matrem & amplecti conantem, tangi non sustinuit, nec potuit adduci, ut apertis eam oculis intueretur. Tandus pudor, modestia, & verecundia innocentes mores exornabat. Augusti 10. Emmanuel Silva annos quatuor humaniores litteras docuerat, cùm phthisi cœpit contabescere. Mira in eo morum probitas. Pomeridianas horas ferè conterebat orans in templo. Emmanuel Brandamus. Emmanuel Silva.

15. In Residentia Passo de Sousa 23. Septembris P. Joannes Rocha domo Portuensis. Conimbricâ eò missus, ut Cœlum vicinum patrio mederetur phthisi. Conimbricæ Rhetoricam tradiderat. Insanum absque necessitate studium extenuavit vires; dabat jam operam Theologiæ. Vitæ integritatem vel ante initam Societatem inde noscas, quòd semel ad turpia allectus, virum potentem horruit castissimus adolescens, & ab eo tanquam à serpente aufugit. Apud nos DEO, ac libris impensè vacaverat. P. Joannes Rocha.

16. In Collegio Insulano Michaëlensi 5. Februarii P. Josephus Barretus Cantanediensis. A teneris apparuerunt in eo quædam sanctarum propensionum argumenta. Trimulus erat, cùm nutricem indusio nudare conantem, applicitis utrique lateri manibus, prohibuit, ne exueretur. Id casu non factum constitit ex aliis occasionibus, quibus infans nudari non sivit. Quamvis esset naturæ vividæ, inutiles æqualium confabulationes, & ludos refugiebat, deditus adeundis templis, & audiendis Missæ sacrificiis. Apud nos vixit instar hominis Angelici. Existimatum est retinuisse ad vitæ extremæ agonem primam gratiam. Ejus mores fecerant tam spectabilem, ut post mortem de rebus, quibus est usus, peteretur aliquid à quàm plurimis, tanquam reliquias servaturis. In ea insula morales scientias tradiderat; deinde rexit Fayalense Collegium: modò redibat in Lusitaniam, sed appulsus ad insulam Michaëlensem occubuit morti ex calculo subortæ. P. Josephus Barretus.

Annus 1710. Soc. 171.

1.

AD Augustum mensem anni hujus communem rem Provinciæ administravit P. Franciscus Tavarius Vice-Provincialis, stante Regis prohibitione, quâ jusserat, ne mandatum ullum Generalis executioni daretur: eâ tandem irâ 10. Julii temperatâ, permissa est communicatio cum Generali, & facultas legendi patentes litteras, quas dederat pro novo Moderatore; in eis constituebat Provinciæ Visitatorem, & simul Vice-Provincialem P. Joannem Pereiram Collegii Conimbricensis Rectorem; de quo suprà memoravimus, Brasilicam Provinciam gubernâsse. Fuit hujus Provinciæ decimus quintus Visitator, nec illi defuerunt labores sequentibus annis explicandi. P. Joannes Pereira Visitator.

2. Vigesimâ quintâ die Martii è Gaditano portu solverunt in Americam Castellanam naves duæ divitiis onustæ, vehebantur in eis octoginta de Socie- Octoginta de nostris Castellanis capti à Batavis.

tate. Vix erant egressæ, cùm obvias habuêre Batavorum naves piraticam exercentes, à quibus comprehensæ, & Ulysiponem deductæ. Nostri pro Societatis charitate adeunt naves, atque 80. nostros educentes hospitio excipiunt, partitos per domum Professam, Collegium, & Probationis domum. Ibi benignè, & liberaliter tractati ab 7. Aprilis usque ad octavam decimam Maji, quâ pars mari rediit Gades, pars itinere terrestri Bæticam petivit.

Profectus ad Indiam. 3. Unicus de nostris, nec is Lusitanus, sed Italus P. Constantinus Josephus Beschius ad Malabaricas missiones hoc anno transiit, absolutis jam Theologicis studiis.

Duo peccatores ad Deum convertuntur. 4. Contigit in uno ex oppidis, ubi Societas habet Collegium, res satis admiranda. Vir nobilis à multis annis rapuerat domo materna puellam spectabilis formæ; tenebat domi suæ, sed tam secretam, ut solus ipse eam annos octo alloqueretur, solus ferret alimenta. Vix id notum erat obstetrici fidæ. Sex filios ex ipsa susceperat. Cùm rapuit, cœlibatu gaudebat: uxore ductâ, retinuit puellam: factus viduus eâdem utebatur. Ex sexto partu in mortis discrimen conjectæ miseræ status innotuit sacerdoti nostro. Hominem convenit, efficaciter suadet, eam sibi jungat conjugem, quod antea ob ignobilitatem puellæ nunquam in animum induxerat. Pater per confessionem expiat puellæ conscientiam, certámque facit de matrimonio contrahendo, ac expedit sine mora facultates ad rem necessarias.

5. Sub hæc canis venaticus capit impetum in fores, tanquam latratu, ac dente aliquem petiturus. Fores clauduntur subitò, auditur ibi insolitus, & metuendus strepitus instar sclopeti explosi; dissiliêre forium vertebræ. Ex quibus intellexit vir ille dæmonem, quòd ab antiquis sedibus migrare cogeretur, signis insolitis manifestam fecisse indignationem, ac fugam suam. Id deinceps est expertus, quòd cùm hactenus ob consanguineos intus senserit ad nuptias repugnantem animum, post illos abeuntis dæmonis strepitus excesserint pariter omnes difficultatum larvæ.

Missio in saltu Barrozo. 6. Novem integris mensibus duo sacerdotes nostri excurrerunt per Interamnensem provinciam, & saltum Barrozum; hic ab oriente ad occasum solis extenditur per leucas septendecim, latitudo continet octo leucas. Populus est supra modum rusticus; montes, & itinera aspera, & nive plena. Hujusmodi excursio cœpit Octobri hujus anni, & sequenti est continuata. Abusus nonnulli exterminantur, quos inter sequens. Curiones aliquot post collatum baptisma, humi ponebant in medio templi recèns baptismo ablutum infantem. Interrogati cur insolitam rem facerent, respondêre; id esse, ut adeat Ecclesiæ possessionem, ostendátque in eam se ingredi. Nam viri simplices audientes per baptisma quemque ingredi Ecclesiam, crassè nimiùm id intelligentes putabant eam iniri possessionem templi solo ab infante contacto, ùt moris est, prædii, aut fundi possessionem adeuntibus. Cætera, quæ peragi solent in similibus excursionibus, cum magno proventu animarum sunt exercita.

In sacello Residentiæ Pernensis locatur Eucharistia. 7. Pernesii 19. Februarii emoritur Elisabetha Sousa vidua exquisitæ virtutis. Annuum legavit reditum Pernensi Residentiæ, ut in ejus sacello S. Sylvestri locaretur Eucharistia ad commodiorem populi usum. Jusserat poni super tabernaculum Eucharistiæ Crucifixum sibi relictum à sorore sua moniali, fæmina tam sancta, ut eam, quemadmodum fama est, sit allocutus idem Crucifixus. Ipsamet Elisabetha afflictatione vexata fundens preces ante sacram effigiem, ex ipsius oculis sanguineas guttas cadentes vidit, quibus conspectis evanuit ingens animi mæror. Id narravit suo Confessario. Eucharistia locata in sacello magnâ solemnitate 24. Junii hujus anni. Ibidem Elisabetha fuerat consepulta.

Moritur P. Gonsalus Sequeira. 8. Tribus Conimbricæ præcisum est vitæ filum. Aprilis die quartâ P. Gonsalo Sequeiræ Castelvidensi, viro multæ prudentiæ, & virtutis. Rexit Portalegrense Collegium, domum probationis Ulysiponensem, & Collegium Conimbricense. Illud mihi anno ante mortem dixit, quod tam grande est, ut plurimas indicet virtutes; se nempe triennio, quo gubernâsset Conimbricense Collegium,

legium, nunquam à Generali, vel Provinciali reprehensum, quòd muneri suo in aliquo defuisset. Nihil etiam levissimum, quo nôsset, conscientiam lædi posse, commiserat. Angebatur supra modum scrupulis. In rebus agendis ab omnibus est habitus rectissimus. Nec ullus tam audax inventus, qui censeret contrarium. Non ille curavit hominum respectus, sed merita. Huic prudentiæ adnexuit in re temporaria administranda tam diligentem industriam, ut nunquam Collegii reditus sint visi magis aucti, & cumulati.

9. Scholastici duo phthisi contabuêre. Januarii 10. Matthæus de Canto Angrensis ex primaria insulæ nobilitate. Eminuit ingenio ad scientias. Vitavit semper vel umbram detractionis; comis, modestus, humilis, & virtutis studiosus ab omnibus, qui eum novêre, reputabatur. Dum Latinas docet litteras, phthisi rentatus, annos quatuor id morbi sustinuit heroâ patientiâ, suum credens theatrum animæ purgandæ. Vigesimâ septimâ Maji Felix Carvalius Redinensis. Studebat Theologiæ. Nactus cereum genium, aptissimum recipiendis cunctarum virtutum imaginibus. Tempus orandi transigebat ante SS. Eucharistiam. Nemo illo modestior, aut mansuetior. Matthæus de Canto. Felix Carvalius.

Annus 1711. Soc. 172.

I.

Nuncio jam Domino Bichio, qui successerat Cardinali de Comitibus, quinquenniorum toties jactata litigia recruduerunt. Nomine Pontificis denunciavit Visitatori, ne tirones adscriberet, dum non solverentur repetitæ pecuniæ. Id Rex sciens misit, qui nomine suo denunciaret, hujusmodi negotium non ad Societatem, sed ad se pertinere, cujus feriebatur jus in Ecclesias regii patronatûs. Dum Nuncius certum facit Pontificem, non desistitur ab tironibus acceptandis. Hæc sunt transacta Aprili mense, quod animadvertere opus est ob eandem molestiam anno sequenti vehementiùs emersuram. Tirones admitti prohibetur à Pontifice.

2. Ad Indiam gentium saluti procurandæ novem Lusitani è Tago solverunt, quinque ex Eborensi Collegio, tres è Conimbricensi, Coadjutor unus è domo probationis. Multis incommodis navigatio obnoxia: Mossambiquii hybernârunt, mense decimo quarto post relictam Ulysiponem appulsi Goam. Profecti ad Indiam.

3. Diem festam S. P. Ignatii Ulysipone condecorârunt suâ præsentiâ Serenissimi Reges. Pervigilio horis pomeridianis venit in templum Rex multo comitatu: Ipsâ die Regina cum Infantibus Regis Fratribus; omnes ibi refecerunt animas sacro pane, & audierunt sermonem de S. Patriarchæ laudibus. Serenissima Regina 4. Decembris primogenitam suam enixa est prolem Mariam Principem. Sequenti Januario post puerperium in templo Domûs Professæ Serenissima mater primitias suas inter sacrificium obtulit Deo, ac divo Xaverio. Dono dederat ornamenta pro vestiendo altari, & alia pro sacerdote sacrum facturo præter planetam. Adjecit regalium æreorum centum millia ad paupertatem domûs sublevandam. Ad idem templum processit supplicatio haberi solita pro gratiarum actione. Reges in festo S. P. Ignatii. Nascitur Princeps Maria.

4. Julio mense habitus est Ulyssipone Provinciæ conventus ad mittendum Romam Procuratorem, ùt moris est unoquoque triennio. Elegêre P. Joannem Riberium Ulyssiponensem. Cùm Romanæ litteræ primo ab itinere excusâssent, quòd aliæ Provinciæ non mitterent suos; venerunt secundæ litteræ, quibus ille jubebatur Romam ire. Verùm quia opportunitas navis deerat, omissa profectio. In quo tempus ipsum ostendit maximam DEI providentiam adversus hanc suam Societatem. Nam contra P. Riberium magnopere exacerbaverant Ministri Pontificem. Hujus indignationis causas, ac Patris dimissionem è Societate referam anno sequenti. Timendum fuit, ne, si Romam accessisset, in eum Pontifex gravius aliquid statueret. Conventus Provinciæ.

5. Scalabitani Collegii scholæ novis auctæ cathedris. Cœpit doceri moralis scientia, ac Philosophia. Scientiam moralem jussit explicari A. R. P. Nova cathedra Scalabi.

Generalis, nemine juvante Magistri sustentationem, quòd reditus Collegii ferant. Philosophiam erigi poposcerat Senatus Scalabitanus promittens annuum reditum, unde Magistro provideretur. Sed Rector Collegii P. Fructuosus Correa nihil aliud voluit, quàm ut Senatus Collegio donaret emphyteusim, quam habebat in prædio Gorjamo ad Collegium pertinente. Qui reditus licèt exiguus, magni momenti erat Collegio, prædium exinde possessuro ab emphyteusi liberum. Primus illic P. Josephus Borgius Ulyssiponensis tradidit morales quæstiones, Philosophicas P. Dominicus Giraldius Idaniensis.

Prædium Labugrense terminis distinguitur.

6. Idem Rector Labrugense prædium prope Tagum lapideis terminis distinxit ab agris alienis, easque juris mensuras curavit mandari tabulis fidei publicæ; quod magnopere desiderabatur ad conservandam indemnem, & absque litibus Collegii dotem in nobilissimo, & feracissimo situm prædio.

Ærumnæ trium nostrorum.

7. Septembri mense advenerunt Ulyssiponem Joannes Teixeira, Joannes Sampayus, & Michaël Castrius, scholastici Missionis Maranonensis. Etenim, ut sacris ordinibus initiarentur, è Maranonia navigârunt in Brasiliam. Raptum procellis navigium post immensos errores captum est à Gallæcis. Verùm navis Batavorum Gallæcis obvia, ipsis eripuit navigium Lusitanum, atque perduxit Ulyssiponem. Eò penuriæ alimentorum devenerant, ut vel à Mauris capi non horrerent, vitam, de qua jam conclamatum, servaturi.

Opera in Collegiis.

8. Eboræ factum initium redigendo in melius sacello domestico: roborati parietes ab imis fundamentis ad sustinendos fornices. Domus est ampla, sed hactenus inornata. Bracharæ inauratum pegma supremæ aræ templi nostri. Conimbricæ fornicibus tectæ sunt Collegii pergulæ.

Missiones.

9. Missiones sacræ quà in oppidis assistendo per Quadragesimam, quà excurrendo per pagos & vicos, habitæ sunt quam plurimæ, Grandolæ, Obidi, Abruntii, & Leiriæ. Per diœceses Bracharensem, Portuensem, & Leiriensem itum à præconibus Evangelicis. In Leiriensi, ex quo eam regit Ill^mus. & Rev^mus D. Alvarus Abranchius, semper de nostris per vernum jejunium in templo maximo bini verba fecerunt. Interim quatuor Tertiarii discurrêre per diœcesim. Duo sacerdotes per insulam Fayalensem DEI verbum seminârunt, magno animarum bono.

Mors Martini Georgii.

10. Vitâ defunctorum nomina sunt. Conimbricæ 28 Julii sexagenario major Martinus Georgius Coadjutor Samsomanensis. Optimis exemplis, & utilitate multâ servivit Societati in diversis Residentiis. Nihil illic vel minimum largitus est sine Majorum facultate. In alloquendo fœminas nemo circumspectior. Idcirco viventem tot annos in prædio non fuit, qui carperet. Sesqui anno postremo adjuvit Procuratorem Collegii; & non parùm laboravit in disponendo tabulario. Quotidie diutino tempore flagris corpus suum conscripsit.

P. Laurentius Costa.

11. Ibidem 19. Octobris P. Laurentius Costa Covillanensis. Societatem inivit futurus Maranoniæ operarius. Tiro cum aliis petivit Bachiam; inde reversus Philosophiæ vacabat Eboræ. Iterum navem conscendens ad Maranoniam iturus, vi procellarum conjicitur in æstuaria Gallæciæ. Propter bellum cum Castellanis capta est navis. Benignè cum aliis exceptus à nostris Collegii Pontisvedriæ. Rediens ad Lusitaniam substitit Conimbricæ. Novem menses ægrotavit, phthisi tandem consumptus. Mores illi, quales poscebat munus, in quod vocatus à DEO fuerat.

P. Dominicus Ferreira.

12. In eodem Collegio 23. Octobris septuagenario major P. Dominicus Ferreira ortus in oppido à S. Petro *de Sul*. Socium egit Præpositi Provinciæ. Rexit domum Villævissosæ, Scalabitanum, & Portuense Collegium. Plurimùm auxit villavissosanam domum, adeptus ad septum ampliandum bonam agri communis partem, & insuper eleemosynam stabilem è bonis Domûs Brigantinæ, ad quam pertinet fundatio domûs nostræ. Præse tulit bonitatem antiqui moris, solidarum virtutum indicem. Etiam senex morbis gravatus non omisit orandi quotidianum pensum, nec audiendum sacrum, posteaquàm ob attenuatum visum nequivit ad aras operari. Frequens invisebat SS. Eucharistiam.

13. In

13. In Domo Professa Ulyssiponensi 29. Decembris venerabilis senex P. Petrus Amaralius, nonagenario major, natus Azuraræ. Philosophiam Conimbricæ docuit, annósque quindecim exposuit divinam scripturam. Rexit Bracharense Collegium. In habendis sacris concionibus æquavit singulares sui temporis. Nec fuit alius vel ad eas promptior, vel magis indefessus. Octies millies conscendit sacrum suggestum. Quatuor annis magisterii Philosophici habuit ad populum conciones octoginta. Lucebat in ejus vita nostrorum primorum Patrum veneranda sanctimonia. Plurimas missiones egregiè obivit. Non semel per Quadragesimam manè, & vespere concionatus in nostro templo. Nihil eo humanius, nihil misericordius. Vita per me typis vulgata plura prodit. P. Petrus Amaralius.

14. In Sanfinensi Residentia 9. Maji Julianus Georgius Coadjutor Sam-Romani ortus, major octogenario. Annos quatuor & quadraginta vixit in ea Residentia, quam ditavit non minùs optimi Religiosi virtutibus, quàm rerum temporalium incrementis. Ad postremam senectutem stata religiosæ vitæ exercitia sancta sic peregit, ut exactiùs nemo. Pendebat totus à nutu superioris; absque ejusdem facultate nihil ab ullo mortalium acceptavit. Maximi fecit sui contemptum. Mechanicum opificem verbo se declaravit, & opere, nam instrumenta omnia, quæ juvant agriculturam, suis ipse parabat manibus. Ponè victu communi, & rustico contentus, affabilis & prudens. Verbo, vix aliquid est, quod in suis Coadjutotibus cupiat Societas, quod in Juliano non fuerit. Julianus Georgius.

Annus 1712. Soc. 173.

1.

PRæclata subsidia hoc anno tum ad Indiam, tum Maranoniam expedita sunt. Indiam petivêre tredecim. In navi Pro-regis, quòd ipse postularet, ivit P. Petrus Xaverius cum Joanne Baptista scholastico. Cæteri vehebantur in alia navi. Ipsis præerat P. Gaspar Estibeirus natus Mouræ. Ad Maranoniam tredecim pares Indicis numero contenderunt. Hos inter duo, de quibus anno superiore dictum perpessos longos maris errores, & tandem tenuisse Ulyssiponem, PP. Joannes Teixeira, & Sampayus, nullis periculis territi se rursus ponto tradidêre; tertius initiatus jam sacris, horrens casus, quos evaserat, à Societate defecit. Verùm, quæ DEI providentia est, ejus loco substitutus P. Philippus Luisius Eborensis. Venerat ex magisterio Latinitatis apud Insulas, studebátque Theologiæ. Etsi tentabatur crebris, & acutis doloribus capitis, paruit vocanti Deo. Ad me postea dedit litteras, in quibus retulit; se, ex quo attigisset Maranoniam, esse liberum ab capitis importunissimo dolore, obiréque tria, vel quatuor munia non sine sui ipsius admiratione. P. Sampayus fassus est voto se obstrinxisse redeundi ad Maranoniam, ut referret DEO acceptam vitæ incolumitatem. Profecti ad Indiam, & Maranoniam.

2. Mense Martio jussu summi Pontificis è Societate dimissus est P. Joannes Riberius Professus quatuor votorum. Tradiderat Rhetoricam, Philosophiam, ac Theologiam, Eboræ Doctoris insignitus gradu moderabatur primariam cathedram. Ejus scientia magni fiebat Ulyssipone. Arserant nonnullæ controversiæ inter Regem, & Pontificem tum ob quindennii pecunias, tum ob Serenissimi Regis Indicum, & Sinensem patronatum. Vocatus in harum rerum consultationes dicebat apertè, quæ sentiret pro Rege suo, illiúsque jure, ac potestate. Dimittitur è Societate P. Joannes Riberius.

3. Ob hæc Ministri Pontificii hominem apud Papam Clementem XI. detulerunt. Hic nostro Generali sub præcepto injunxit, ut è Societate pelleret. Scribitur ad P. Joannem Pereiram Visitatorem, sine mora mandaret executioni præceptum Pontificis. Id fulmen jam prævidens Riberius poposcerat Secretarium ab statu, Regis nomine daret mandata ad Visitatorem, ne quid Rege inscio, adversus ipsum auderet. Id omnino oblitus est Secretarius. Visitator, acceptis Româ litteris, dat executioni. Nocte clauso jam domûs ostio, posi-

tus

tis ad fenestras, unde posset foras emitti scheda aliqua, custodibus, per Socium suum, ac domûs Ministrum denunciat P. Joanni Riberio, ipsum dimitti è Societate. Hæsit vir religionis amans, nec sibi defuit, licèt incassùm.

4. Respondit appellare se à Pontifice sinistrè edocto ad ipsum Pontificem rectiùs edocendum: Cùm Visitator non acquiesceret; *Quoniam*, inquit, *sic læditur jus meum; recurro ad Regis coronam, cujus est à subditis suis omnem arcere vim, ut rei veritas examinetur, conservatis quibusque in sua possessione.* Nihil hujusmodi clamores curavit Visitator. Cùm videret Riberius, nullam sibi viam relinqui ad sui defensionem, rémque ad violentiam suæ personæ indecoram spectare; sumptâ sæculari veste abiens è domo Professa, se recepit in palatium unius ex præcipuis Regis ministris prope domum nostram habitantis. Re vulgatâ, vix dici potest, qui fuerit adversus Societatem fremitus, cumprimis contra Visitatorem. Pater magno in honore habitus apud Regem, & Regni Magnates: horum alii ob veterem necessitudinem, alii ad præstandum obsequium Regi eum invisère, significatâ adversus authores animi indignatione.

5. Ut vitam honestissimam duceret, Rex eum constituit Deputatum tribunalis à conscientia, quod est è gravissimis totius Regni. Fruitus deinde reditu pingui vixit ad 13. diem Aprilis anni 1718. Sepultus in templo domûs Professæ inter nostros homines, ut petiverat. Nunquam ipse reputavit se dimissum è Societate: idcirco in recitandis horis Canonicis usus privilegiis nostris dicendi horas singulis hebdomadis de S. Ignatio, & mensibus singulis de S. Xaverio. Reliquit annuum reditum pro quotidiano sacro Sodalitati B. Virginis à doctrina in templo domûs Professæ. Ad sumptum apodyterii sacri ejusdem domûs legavit regalium æreorum centum millia, ducenta pro instauranda pictura fornicis templi domûs tironum, in qua exornavit polito marmore locum, ubi colitur vera effigies D. Xaverii Ven. M. Mastrillo apparentis depicta à nostro Dominico de Cunea.

Pellitur in exilium P. Visitator.

6. Vocatus jussu Regis ab ejusdem Ministris P. Visitator, facti rationem dare jubetur. Imperium Pontificis, ac Generalis deprompsit. Nihil attendêre hujusmodi rationum momentis, sed reprehensum dimiserunt è conspectu. Ocyùs expeditum Regis mandatum, quo pulsus est in exilium, nudatus omni jure hominis Lusitani. Profectus in Gallæciam, habitavit in Collegio Pontevedrensi ad mensem Decembrem hujus anni. Tum precibus multorum placatus Rex concessit reditum in Lusitaniam.

Novus Provincialis.

7. Augusto mense Provinciæ gubernaculum traditum novo Provinciali P. Emmanueli Andradæ Ulyssiponensi, fessam senectutem in Domo Professa degenti, & nihil minùs, quàm hujusmodi onus cogitanti. Non defuit illi patientiæ exercendæ materia; nam illustrisimus D. Nuntius significat Pontificem non acquievisse informationi anno præterito datæ; imò decernere ejiciendos è Societate omnes novitios, qui ab antecedente Aprili contra ipsius decreta nostræ fuerant militiæ adscripti; nósque Bullarum pœnas incurrisse; ac proin nec Collegia Ecclesiarum fructus licitè percipere, nec Provincialem tirones recipere posse, donec toties petitas pecunias non solveret. Non defuêre, qui Provinciali suaderent, posse ipsum validè ac licitè tironum vota excipere, & novos Societati adscribere; quia interposita Regis supplicatio, & appellatio ad sanctam Sedem istius sententiæ effectum suspendebat; nec poterat executioni mandari, quin priùs audiretur Serenissimus, qui per suum Legatum Romæ negotium istud sedulò tractabat. Sed Provincialis, ùt erat reverens mandatorum Pontificis, tutiorem viam elegit; & nec novitios recepit, nec permisit jam receptos vota sua simplicia emittere, sed absoluto biennio illos in Collegia misit, ubi more Juniorum scientiis operam darent.

Episcopus Portalegrensis conatur dominari in nostro Collegio.

8. Luctabamur cum prædicto labore, quando subortus alius non minoris curæ. Episcopus Portalegrensis meditatus est rem insolitam. Nescio, quo suadente, permotus aliquot Pontificum decretis, quæ nusquam sunt executioni mandata, conatus est nostrum Collegium lustrare potestate Episcopali, legésq.

ipsi dare, quòd numerum duodecimum non explerent Religiosi. Ad avertendam procellam missus Eborâ P. Doctor Franciscus Salgueirus Theologiæ Professor. Strenuè rem egit, & possessionem exemptionis retinuit. Super eodem negotio adiit Ulyssiponem, quò vocatum fuerat à Nuntio.

9. Rectore jam P. Doctore Laurentio Ferreira, anno 1714. idem Episcopus indixit diœcesanam synodum, in qua multa disponebat circa Regularium disciplinam, & observantiam: aliis omissis, nominatim in multis jus nostri Collegii feriebat. Id Rector indignum putans, chartam scriptam in ipsa synodo legit, quâ declarabat percelli non posse jus Collegii, séque dictæ synodo non assentire. Nihil è tali synodo præter litigia exortum. Cùm Romæ synodus esset mandata typis, velletque Episcopus eam promulgare; Regulares obstitêre, & Regiæ Coronæ Procurator, quòd non paucis offenderetur jus regium, ac potestas legum Regni. Propterea hactenus est velut suppressa, & consopita. Sed progrediamur ad lætiora.

10. Octobris decimâ nonâ in lucem editus Ulyssipone Princeps Petrus Regum filius, & hæres Regni. Ipsâ die Rex Serenissimus DEO, ac S. Xaverio gratias habuit in templo domûs Professæ. Die festo ejusdem Indiarum Apostoli Regina piissima eodem in templo, Deo, ipsique persolvit grates pro, sibi, & Regno dato Principe, sumpsit sacrosanctam Eucharistiam, audivitque concionem. Decimâ Decembris supplicatio in actionem gratiarum habita est ab Ulyssiponensi Senatu apud nostrum D. Rochi templum. *Nascitur Princeps Petrus.*

11. Conimbricæ auro obductum est nostri templi pegma ligneum, quo exornatur princeps ara. Id fecerat P. Gonsalus Sequeira: hoc autem anno P. Dominicus Nunius iterum Rector perfecit opus. Idem Rector curavit fieri egregias picturas, & tabulas, quibus cingitur intra Collegium S. Francisco Borgiæ dicatum sacellum. Depinxit Josephus Castelonius Mediolanensis, qui ex Italia venerat iturus ad Sinam, & post opus perfectum eò navigavit. Erat Coadjutor indolis mitissimæ, & multæ virtutis. Ejusdem manu facta pictura Circumcisi Domini, quæ cernitur in summa templi ara. Augusti 19. addita manus suprema fornicibus omnium pergularum superiorum ejusdem Collegii. Intra menses viginti tantum opus vidimus inceptum, & absolutum, quod vix credet posteritas. *Opera in Collegio Conimbricensi.*

12. Collegium Ulyssiponense D. Antonii augeri cœpit nobili ædificio januæ communis, in quo factum initium amplæ scalæ ducenti ad superiores pergulas. Opus à fundamento erigendum fuit, & antiqui dejiciendi parietes, quòd minùs idonei sint inventi. Regebat Collegium P. Antonius Correa Estremotiensis, qui Provinciam moderatur, cùm hæc litteris commendamus. *Scala princeps Collegii D. Antonii.*

13. Habitæ sacræ excursiones per insulas Flandricas. Episcopus Angrensis adeptus facultatem necessariam ad instituendas in honorem SS. Virginis Rosarii sodalitates, cum ipse per se, tum per nostros id procuravit. Nostro Josepho Riberio, dum missionem habet, obtulit se fœmina, quæ ab annis plurimis Eucharistiam non sumpserat; nam recipiendæ paratam continuò dæmon insidens impedivit. Illi Pater injungit, teneat secum Virginis rosarium, fidentérq; ad sacram mensam accedat, non ausurum interpellare dæmonem. Dicto audiens potuit refici pane Angelorum. Quod non parùm juvit Rosarii Mariani propagationem. *Missiones.*

14. Episcopus secum habens P. Dominicum Cabum, & P. Antonium Freirium ex insula Fayalensi navigavit ad insulas Flores, & Corvum. Non constabat eas unquam aditas ab ullo Episcopo. Parvæ sunt, sed montosæ, adeóque itinera superatu difficilia. In excolendis indigenis, & Rosario propagando dies consumpsêre operi necessarios. Redeuntes insulæ Fayalensi ministeria sacra impenderunt.

15. Vitam caducam cum perennatura mutârunt. In Domo Professa Ulyssiponensi 13. Decembris P. Simon de Sanctis Conimbricensis, Regis Confessarius. Profitebatur moralem scientiam in scholis Ulyssiponensibus, cùm ad *Moritur P. Simon de Sanctis.*

illud munus est assumptus post mortem P. Francisci Botelii. Singularis eum exornabat modestia, & mores religiosissimi.

P. Gregorius Costa. 16. Eboræ 22. Februarii P. Gregorius Costa Padernensis. Docuit Conimbricæ, Rhetoricam, Philosophiam, & Theologiam; hanc etiam tradidit Eboræ, fuitque substitutus cathedræ primariæ. Nam declaravit P. N. Generalis neminem, qui Doctor non foret, posse illam moderari cathedram; & si eo gradu careret, conscenderetque cathedram, non reputandum Professorem, sed substitutum. Gubernavit Bracharense, & Eborense Collegium. Ubi & degebat annis postremis patienter ferens ægritudines suas.

P. Emmanuel Sousa. 17. Ibidem mense Augusto P. Emmanuel Sousa Collegii Rector, natus Scalabi. Vir fuit suavi, & amabili genio. Rexit tirones Conimbricæ, & Ulyssipone, & Elvense Collegium. Viscera paterna, & humanissima conversatio tum nostris reddidere gratum, tum externis. Mores fuere, quales decebant dictos obeuntem magistratus. Conimbricâ Eboram profectus tam debilis, ac fractis viribus, ut omnes dicerent eum ad tumulum potiùs ire quàm ad gubernium. Nec ipsos fefellit opinio.

Emmanuel Almeida. 18. In eodem Collegio 29. Novembris Emmanuel Almeida scholasticus patriâ Ulyssiponensis. Antequam ad nos veniret, vehementer est tentatus, & provocatus ad turpia, sed horrens tantum malum, non sine facie vulnerata se proripuit impudicissimis manibus. Apud nos vixit justus adolescens inculpatis moribus. Dum singulari charitate servit, assistitque Emmanueli Suario scholastico malignâ febre de vivis sublato, eâdem ipse implicatur, maximo sibi solatio dictitans gravem dierum 19. ægritudinem ex opere charitatis contractam.

P. Josephus Garcia. 19. Bracharæ mense Augusto P. Josephus Garcia Barcellensis. In ipso eluxit spectanda charitas, quando navigans in Angolam appulsus est ad Madeiram, cùm navis ferret aliquot morbis perniciosis infectos, nec esset, qui vellet exportare de scaphis in terram; erant enim per aquam prope littus in terram vehendi; P. Garcia vestitus, & calceatus aquam ingrediens, quemque infirmorum humeris suis excipiens posuit in littore. Promptissimus erat in juvandis animam agentibus. Vix alius erga D. Antonium Lusitanum obsequiosior. Nunquam pro concione dixit, quin de ipso mentionem intexeret.

P. Josephus Barrius. 20. Conimbricæ 25. Septembris P. Josephus Barrius Lamecensis. Articularem morbum martyrii instar patiebatur. Sic afflictus aderat tribunali confessionum, & alienis incumbens brachiis conscendebat suggestum templi ad conciones habendas. Hydropisi tandem occubuit. Multùm promoverat Conimbricæ Sodalitatem D. Xaverii, cujus fuit protector.

P. Emmanuel Eduardus. 21. Ibidem 6. Novembris P. Emmanuel Eduardus, Fermoseliæ natus. Rhetoricam Conimbricæ, Philosophiam Eboræ, moralem scientiam, & Theologiam professus Conimbricæ. Moderabatur vespertinam, ùt vocant, cathedram, cùm maligna febris eum extinxit paucis diebus. Medicus Collegii non dubitavit dicere charitatis martyrem: nam dum continuus ægrotum eâdem ardentem febri ad supremum agonem præparat, eodem malo involvitur. Vitam omnem degebat sine querela. Inter virtutes plurimùm coluit religiosam paupertatem.

Annus 1713. Soc. 174.

1.

Regum in Societatem benevolentia. MUltis honoribus cumulârunt hoc anno Serenissimi Reges minimam Societatem nostram. Serenissima Regina, & Infans Francisca festo Theophorico adivêre domum tironum, ceream facem accensam manu tenentes sequebantur umbellam, sub qua die illâ per domus pergulas circumferri solet Eucharistia. Octobri mense, quo Princeps Petrus annum explebat, jussit Regina ipsi fieri tunicam talarem, & pileum more nostro. Sic indutum habuit in gremio 22. Octobris, cùm Regni Optimates gratulati sunt Regi diem natalitium, atque etiam manum Principis osculati.

2. Per

2. Per novendiale S. Xaverii diebus singulis adibat Regina templum domûs Professæ, semel, aut bis allato secum Principe suo, quem summâ benevolentiâ nostris ostendit conspiciendum. Nec extra Ulysiponem caruêre aliquæ domus Principum collatis in Societatem honoribus. Dum Januario Reges accedunt Scalabim, nostrum Collegium ingredi dignabantur. Litterariis quibusdam plausibus felicitati nostræ gratulati sumus. Dialogo Reginam intra domesticos parietes recreârunt scholastici. Præsente Rege Magister Rhetoricæ Latinam habuit orationem in aula Philosophica. Cuncta ad votum successêre. Jussit Regina fieri D. Xaverio in templo nostro solemne missæ sacrificium.

3. Infans Franciscus Serenissimi Regis Frater, dum venatum exercet Villævissosæ, spectare avebat aliquem Doctoris gradu insigniri apud Eborensem Academiam; nam transigi rem more gravissimo, dignóque, quem videret Princeps, intelligebat. Rector cum alio è gravioribus Patribus convenit eum gratias habens amplissimas, quòd vellet suâ præsentiâ dignari Academiam nostram; simul declaravit diem, quo cuncta ad lauream conferendam uni de nostris Theologicis Professoribus erant in promptu futura.

4. Maji 17. intravit Eboram, hospitatus in palatio Comitis Bastensis, quod imminet Collegio nostro. Die sequenti præsens ex abside tironum omnem inspexit pompam, quâ Doctorum laureâ insignitus est noster Antonius Moreira. Post eam celebritatem visu digniora in Collegio lustravit. Alterâ die post sumptum prandium ad nos venit, ut in aulis Academicis intueretur modum, quo Magistri scientias explicabant, & quisque obibat munus suum. Solus cum nostris, suísque domesticis in singulis facultatibus unum ex Magistris audierat. Eodem vespertino tempore in Valboniam Collegii suburbanam villam, quò Rector invitaverat, festinavit. Ibi præsens nostris colludentibus, sedere eos jussit, & caput tegere. Discedens gratias habuit Rectori. Villavissosâ, ubi summam nostris affabilitatem exhibuit, profectus Mouram venationis causâ; inde revertens Ulysiponem pernoctavit in Eborensi Collegio, honorificè exceptus antelucano tempore sequentis diei festinavit Ulyssiponem.

5. Indiam petiverunt octo, Lusitani quinque, & tres Itali sacerdotes. Ad Hiberniam è Collegio Conimbricensi P. Michaël Morphius ejusdem nationis profectus est. In Lusitania se junxit Societati, ac studuit Philosophicis, & Theologicis disciplinis, quarum curriculo absoluto, vitam dicavit juvandis in salute animarum suis indigenis. *Profecti ad Indiam, & Hiberniam.*

6. Conimbricæ mense Januario Senatus tabulis fidei publicæ concessit Collegio nostro portionem aquæ de civitatis aquæ ductu nocte solùm ad utilitates domesticas derivandum per canalem subterraneum. Multum eo in negotio sudavit P. Raphaël Mendesius Collegii Procurator, cum adversus externas, tum domesticas contradictiones, utrasque feliciter superavit. Nam Collegium ex Regum indulto jus habuerat, ne quis uni ex siphonibus vicini fontis applicaret dolium, aut lagenam, si Collegii plaustrum cum dolio adesset: inde fiebat, ut totâ die vix pateret hujusmodi sipho, nisi nostris usibus. *Aqua ex publico aquæ ductu Conimbricæ.*

7. Igitur rogatur Senatus, concederet, ut noctu illius siphonis aqua decurreret in Collegium, die verò urbs eo frueretur. Id, quod urbi erat commodissimum, non caruit vincendis difficultatibus. Ubi facta concessio, gubernante Collegium P. Dominico Nunio, obices alii sunt paulatim remoti usque ad Octobrem hujus anni, quo P. Franciscus Riberius successit Rector. Cùm negotium hæreret ob Episcopum, cui suaserant opus esse ejus fonti noxium, P. Riberius Episcopum dedocuit. Statim Decembris die 3. adjicitur manus longæ rupi scindendæ, per quam ducendus erat canalis.

8. Insudârunt labori tot operæ, tantóque calore, ut mense Junio sequentis anni esset apertus canalis, & aqua posset per illum ad Collegium fluere. Tum temporis surrexit nova procella à Canonicis Regularibus D. Augustini, afferentibus ad tribunalia quædam jura in aquam nobis concessam. Igitur omni vi curant turbare nostram pacem. Subornant nonnullos de plebe, qui nomine

boni communis rem impediant apud urbanum Prætorem amicum ipsis Religiosis: ùt erant omnia cum ipso meditatè composita, profert sententiam, non curatâ nostrâ possessione, jubétque mandari executioni.

9. Ut erant paratissimi, seditiosè multi de plebe se colligunt, quos comitabantur duo laici dicti Ordinis, & 11. Julii frangunt, obturántque nostrum canalem, nostris eam vim inspicientibus; quorum modestia summopere ab omnibus laudata non parùm contulit ad felicem apud Judices litis exitum. Cùm enim domi plerumq; sint ducenti de nostris, & pro tanto Collegio ingens famulorum numerus, ne levis quidem motus è Collegio factus ad vim arcendam. Obtulerunt se pleni justâ irâ famuli, ut vim vi repellerent; & fecissent, nisi ferocientes continuisset Procurator. Sæculares quàm plurimi, ùt fassi sunt, nihil præter levem è Collegio motum expectabant, ut ipsi nudatis gladiis seditiosos invaderent.

10. Recurrimus ad Regis tribunalia, in urbe Portuensi, deinde Ulyssipone, quò lis fuerat compulsa. Evicta denique causa. Jussu Senatorum Prætor ille urbanus, qui per suos disjecerat canalem, venit cum operis, ipso mandante, & nobis videntibus, purgata fossa, canalisque refectus. Quamvis res hujusmodi hoc anno cœpta duraverit per alios sequentes, duxi commodiùs lectori summatim adjungere primordiis progressum, & exitum, qui fuit die 5. Aprilis anni 1715.

Sodalitas Ulyssipone D. Quiteriæ.

11. In templo Domûs Professæ Ulyssiponensis instituta est Sodalitas D. Quiteriæ Bracharensis: ejus effigiem curavit fieri Antonius Soveralius Coadjutor, & locari in altari SS. Virginibus sacrato. Cœpit Diva favere opem suam implorantibus. Infans Emmanuel filius Regis Petri frequenter solitus laborare fluxu humoris in facie ferri solùm cæsurâ exonerando. Cùm non siccaretur fons humoris, sed iterum recideret in faciem; divæ Quiteriæ popofcit auxilium; applicata serica fascia, quæ Divæ tetigerat simulacrum. Inde factum, ut sine cæsura humor noxius evanuerit. Adivit templum nostrum, Divæ gratias egit, jussítque, ut arderent semper cerei coram simulacro, quod illius expensis fit hactenus: quamvis cupidine videndi diversa mundi regna anno 1715. navigaverit in Bataviam, indéque Viennam Austriæ, ubi contra Turcas egregia edidit facinora circa Petrovaradinum, Belgradum, & Temesvarium: ob quæ ab Augustissimo Cæsare Generalis fuit renunciatus. Sodalitium, cujus Serenissimus Infans voluit esse perpetuus Patronus, habuit initium Septembri mense. Ipse primus Albo Sodalitatis nomen inseruit. Anno sequenti mense Majo, cùm celebrata Divæ festa dies, censebantur sodales nonaginta supra septingentos.

Emmanuel Infans.

Terræ motus in insula Michaëlensi.

12. Insula Michaëlensis per dies plures Novembri mense concussa terræ motibus tremore omnes complevit. Vix erat aliquis tam improbus, qui non expiaret conscientiam ceu moriturus. Nostri cum scholasticis instituêre diversas supplicationes ad urbis templa: ibant nudatis pedibus viri summi, infimique; habitæ conciones ad magis commovendum populum, strenuéque per eos dies laboratum, ùt res poscebat.

Moritur P. Dominicus Nunius.

13. A laboribus desiverunt mercedem recepturi. Conimbricæ 30. Martii P. Dominicus Nunius Collegii Rector, natus Idaniæ. Rhetoricam, & Philosophiam Conimbricæ, rursus Eboræ duobus annis Philosophiam professus, dein Theologiam usque ad primariam cathedram, & Doctoris gradu insignitus. Rexit domum Professam & Collegium Ulyssiponense, bis Conimbricense, totámq; Provinciam. Eboræ promovit multùm sodalitatem Virginis à bono morte. Fulsit integris moribus, plurimâ ad magistratus prudentiâ, & zelo ad continendos intra limites observantiæ subditos.

P. Emmanuel Ferreira.

14. In Ulyssiponensi Collegio 11. Martii P. Emmanuel Ferreira Ulyssipone ortus. Ibi Rhetoricam, Eboræ Philosophiam, & in patria sua modò Theologiam edocebat. Ponè dotibus pulcherrimis ad conciones instructus, id muneris exercuit in insulis, cùm dæmonis insultum generosè repulisset. Inviserat urbanitatis gratiâ civem nobilem, ejúsque familiam; dum perditissimè illum amare

amare cœpit civis filia. Impos celandæ flammæ datâ occasione honestissimum virum ad turpia provocat. Miratus ille tantam impudentiam in tam nobili puella, severo vultu, & verbis nervosis increpat amentem. Sic erubuit misera, ut ampliùs ausa non sit apparere coram Emmanuele; qui ut illius famæ consuleret, non omisit solitas ad ejus parentes salutationes.

15. Ibidem 29. Maji P. Paulus Pereira Angrensis. Profitebatur moralem Theologiam, & verba ex ambone sacro faciens audiebatur magno plausu. In adversis, quæ non defuerunt, constantem ostendit animum, & religiosam patientiam. Ejus mores fuère integerrimi. In Domo Professa Ulyssiponensi 8. Septembris P. Sebastianus Barradius in castro viridi natus. Provincialis socius fuit, & Rector Portuensis. Cum splendore frequentavit sacrum suggestum. In nostro Villævissosæ templo corrogatis eleemosynis ornavit sacellum D. Barbaræ consecratum. Dono dedit plurima Collegio Villænovæ, & quidem magni pretii. Societatem, illiúsque res ex animo dilexit. P. Paulus Pereira. P. Sebast. Barradius.

16. Villævissosæ 14. Octobris P. Andreas Viana Penechiensis. Ubique templi suggestum plausu sequente conscendit. Eboræ illius matutinas conciones Dominicis Quadragesimæ tam numerosus excepit auditor, ut nunquam in eo genere quid majus visum sit. Amotus à cathedra, missúsque Scalabim patienter tulit. Subinde restitutus pulpito æquâ populorum existimatione usq; ad mortem auditus est. Vir erat sinceris moribus, doli omnis alienus. P. Andreas Viana.

17. Ulyssipone in Collegio D. Antonii 17. Martii P. Adrianus Petrus octogenario major. Rexit Conimbricense, & Ulyssiponense Collegium, singulari prudentiâ, & mansuetudine. Bonitas illi velut innata fecit verum Israëlitam. Collegiis, ubi vixit, donabat singulis annis ad communem bibliothecam augendam æreorum regalium quadraginta millia. Eam pensionem sibi de bonis suis reservavit, cùm testamentum condidit ante nuncupatam solemnem professionem, ùt olim permissum erat, quamvis postea Societas aliud statuerit. Postremos annos consumpsit scribendo de excellentiis Ulyssiponis patriæ suæ, nihil tamen typis mandavit. P. Adrianus Petrus.

18. Eboræ 24. Novembris P. Antonius Carrilius septuagenario major, Povoënsis. Pluribus annis habitavit Villævissosæ, eúmque omnes suspiciebant tanquam Patrem. Gaudebat cunctis benefacere. Exornavit in templo sacellum Virginis à succurrendo dictæ. Postremis vitæ annis senectutem transegit Eboræ. Magna illi erga morbidos charitas; quam & ipse expertus penè duobus mensibus lecto affixus. Vix fuit in Collegio sacerdos, cui per id tempus non aperuisset totius anteactæ vitæ conscientiam, & absolutionem accepisset. Post mortem apparuit Joanni de Sanctis tironum Magistro. Quærenti, quonam esset loco? respondit, se Dei conspectu frui, quò breviter & ipse venturus esset. Res dicti veritatem probavit; nam Magister apud mortales non diu fuit. P. Antonius Carrilius.

19. Angræ 8. Augusti septuagenario major P. Thomas Arnaus Mirandæ de Corvo natus. Apud eas insulas vir Apostolicus habebatur. Præclarissimas instituit missiones, magno labori fructu pari respondente, nactus opinionem herois sancti apud eas gentes, quæ noverunt. Secum nullâ unquam usus indulgentiâ: asperrimè etiam in debili senectute castigavit flagello suum corpus: victu subrustico, & communiori contentus delicatas non attingebat epulas. Præstò semper ægris fuit, etiam semel nocte, morione evocante, cùm stropha putaretur, Angeli Custodis monitum fuisse apparebat. Vita typis data plura ejuscemodi refert. P. Thomas Arnaus.

20. Postremâ anni die, quemadmodum in multis aliis regionibus laudabiliter inductum, in templis etiam nostris cantatur hymnus Ambrosianus in gratiarum actionem pro receptis à DEO beneficiis. Quæ sancta consuetudo jussu A. R. P. Generalis cœpit, deinceps quotannis die prædictâ continuanda. Hymnus, *Te Deum* in fine anni.

Annus 1714. Soc. 175.

1.

Benevolentia Regum.

REgum in nos benevolentiam plurimis significationibus testatam habuimus. Adventante Ulysiponem P. Felice Josepho Pereira Procuratore Japonensis Provinciæ, magnam Rex cepit voluptatem, viso Patre, & statu Ecclesiæ Tunquinensis audito. Mittebant neophyti, apud quos P. Felix operam impenderat, Regi non ingrata suæ regionis munera. Vix aula potuit tenere pias lacrymas, cùm Pater, ut præberet spectandum modum, & habitum, quem illic gerunt præcones Evangelici, sumpsit vestem Tunquinensem, & excalceatis pedibus, ùt apud eos operarios fieri assolet, procubuit ante Reges ceremoniâ in ea regine solitâ. Postulabant neophyti, rebus ipsorum patrocinaretur, ac prospiceret, ùt fecerat Rex Petrus, pro quo defuncto singuli neophyti recitâssent tria rosaria. Gratias Rex habens promisit favores.

2. Non minore à Serenissimis Regibus & Principibus est exceptus benevolentia P. Michaël Diasius. Assistentem agens Romæ, cùm sinistra valetudo oneri fecisset imparem, & parùm faveret Romanum Cœlum, se recepit Ulysiponem. E Bœtica terrestri itinere profectus, advenit 23. Januarii. Cùm vellet Regiam manum de more osculari, Rex non admisit. Imò, inquit Rex benevolentissimus, ego tuam debeo exosculari manum, quòd inter accipiendum chrisma tetigisti me tanquam spiritualis Pater. Ita quidem evenerat. Lis terminata, P. Michaële Regi levatâ in altum manu hunc in modum benedicente: Benedictio Dei omnipotentis, S. Ignatii, & S. Xaverii veniat super vestræ Majestatis personam, eâmque plurimis cumulet incrementis. Cùm accessisset pedes scipioni incumbens, atque iter esset longum, ac arduum usque ad Professam domum; imperavit Rex lecticâ, vel curru sedens reverteret. Cui Michaël: Mi Domine, hujusmodi ego jussis nequeo parere. Sic redivit pedes, ut teneret exemplum laudabile, quod agens Reginæ Confessarium observavit sanctè pertinax, nempe non utendi lecticâ, vel curru. Sequenti die non dissimili honore habitus à Regina, & Infantibus, secessit in domum tironum. Cùm hæc anno 1720. scribuntur, antiquissimus totius Provinciæ degit illic supremam senectutem.

Cultus D. Quiteriæ.

3. In templo domûs Professæ fieri cœpit mense Majo novendiale divæ Quiteriæ. E suggesto semper memorabat concionator de Diva vel virtutem, vel miraculum aliquod, præsente quotidie Infante Emmanuele Sodalitatis perpetuo Patrono. Reges etiam diebus aliquot suâ præsentiâ solemnitatem auxêre.

Nascitur Infans Josephus.

4. Die sexta Junii natus est Serenissimus Infans Josephus Regum secunda proles mascula. Post puerperium, & Infantem Augusto mense aquis ablutum lustralibus, eum mater serenissima tulit in templum domûs Professæ, stititque DEO, ac D. Xaverio. Octobri mense Eadem Serenissima Principem Petrum regni hæredem ab nutricis amotum ubere in eadem Ecclesia DEO obtulit, ac

Moritur Princeps Petrus.

D. Francisco Borgiæ, quòd Princeps illius erat consanguineus. Non diuturnum fuit hocce gaudium; nam 29. dicti mensis immaturâ morte sublatus Princeps, cœpit frui regno non perituro.

Infans Franciscus.

5. Patres domûs Professæ Villævissosanæ condecoravit suâ præsentiâ benevolentissimâ Serenissimus Franciscus Infans, dignatus totam domum nostram intueri, atque in triclinio pomeridianis horis de paratis cupediis aliquid degustare. Illud erat in hoc Principe omni dignum commendatione, quòd, quâcunque noctis horâ se de venatu domum referret, priùs, quàm se recepisset in palatium, SS. Virginis à Conceptione templum adibat.

Profecti ad Indiam.

6. Quanquam Provincia videbatur à concedendis operariis pro transmarinis missionibus libera propter ostium ingressuris clausum; tamen non est visum Deo vocanti resistere; ipsum rebus inspecturum nostris, si rationibus aliis

præ-

præhaberetur animarum salus. Igitur ad Indiam solvêre septendecim, unus Germanus P. Philippus Sibimius, tres sacerdotes Itali, ex eadem natione duo Coadjutores, undecim Lusitani, præter unum scholasticum alii sacris ordinibus initiati. Conscendêre navem à Virgine de Spe dictam, cujus erat Navarchus Emmanuel Andreas de Sanctis. Aprilis 12. exiêrunt Tagum. 17. Septembris Goæ jecerunt anchoras sospites, ac salvi.

Missiones.

7. Nec defuerunt intra Provinciæ limites utilissimæ populo excursiones. Leiriensem Episcopatum quatuor, Conimbricensem sex peregrârunt collecto è suis laboribus fructu non pœnitendo. Per Bracharensem diœcesim alii sacerdotes verbi divini sementem sparserunt. Hoc anno jussit A. R. P. Generalis, ut Collegia Conimbricense, Eborense, Bracharense, Portuense, & Scalabitanum, alerent singula binos sacerdotes unicè ad obeundas missiones temporibus commodis, eâ lege, ut in Collegia recepti vacarent à quocunque onere præter confessionum audiendarum, séque compararent ad sequentes missiones. Quod etiam postea pro Collegio Brigantino demandatum est.

Conventus Provinciæ.

8. Mense Julio habitus est Provinciæ conventus Ulyssipone. Electus Romam Procurator P. Antonius Veiga Sancombadensis, olim in Eborensi Academia primarius Theologiæ Professor. Romam profectus Augusto mense cum P. Emmanuele Monterio ad Vaticani futuro Pœnitentiario.

Benefactores duo moriuntur.

9. Eodem Augusto de vita migravit Ulyssipone Fernandus Martinius Mascarenius, Indiæ quondam Gubernator, & Fluminis Januarii, Societatis amantissimus, ùt plerúmque sunt hujus familiæ dynastæ. Sepultus in templo domûs Professæ, cui legavit quatuor cruciatorum millia. Quotidiana sacra instituit quatuor eodem in templo, præter alia pia opera. Nam copiosas, quibus fruebatur, divitias reliquit integras DEO. Voluit sui testamenti perpetuos executores Præpositum Domûs Professæ, & Procuratorem Provinciæ. Pariter vitâ functus est Joannes Furtadus Mendossa, qui pluribus annis egerat Præfectum urbis Elvensis, & rexerat exercitus Lusitani Regis, amicissimus Societatis. Magnam vim pecuniæ reliquit insumendam in pia opera. Quod rogavit fieri per nostros, qui morientem juverunt; Domui Professæ etiam largitus pingue legatum.

Gymnasium in Residentia Lapæ.

10. In Residentia Virginis de Lapa cœpit uno Gymnasio doceri Latinitas, primo Magistro P. Hieronymo Diasio. Ad hujusmodi opus tenue legatum applicavit vir pius. Conabatur Episcopus Lamecensis Gymnasium impedire, quòd ejus facultatem, ùt nobis minimè necessariam, non requisiêrimus. Idem antistes perturbavit antiquam possessionem Societatis. Ajebat curionem Quintelensem de jure habiturum quædam privilegia, & certam potestatem in æde sacra Virginis à Lapa. Multùm dein Episcopus litigavit contra jus nostrum cum apud Senatores regios in Portu, tum Ulyssipone; donec, Virgine suæ domui favente, amisit litem, júsque Societati adjudicatum.

Nostri liberantur evidenti periculo.

11. In Eborensi Collegio experiebamur specialem Custodis Angeli curam. Calendis Novembris post sumptum prandium vix nostri è triclinio exierant, cùm è laqueari solvitur quadratum fragmentum multi ponderis factum ex calce hærente cannis intertextis, & ad trabes affixis plurimo clavo. Ipsâ die, putrescentibus cannis, incrustatio in solum ruit magno strepitu, nemine omnino læso. Similis ruina contigerat annis superioribus in villa analectis mense colligendis destinata; ubi plerumque tirones sunt, cùm parant triclinium. Extulerant pedem omnes ad unum è limine, cùm totum laqueare ex eadem materia factum decidit. Hujusmodi ruinis admonitus Rector, dejecto priori opere, totum lacunar contabulavit.

Opus Bracharensis Collegii.

Bracharense Collegium, Rectore P. Emmanuele Furtado, crevit plurimùm ædificatâ pergulâ, quæ respicit aream urbis Austrum versus.

Moritur P. Ignatius Pimentelius.

12. Nonnulli virtutibus ornatissimi hoc anno vivendi tempus explevêre. Conimbricæ 25. Februarii P. Ignatius Pimentelius Fermoseliensis, quem obiisse testatus est Confessarius non amissâ gratiâ in fonte lustrali acceptâ. Equidem illius

illius mores tam puri, ac sancti fuêre, ut veritati dubium non reliquerint. Studens Conimbricæ duo solùm noscebat itinera, aliud in scholas, aliud quod in templum ferret. Societati adjunctus anxiè virtutibus augendis studuit, sui egregius inimicus vel ardenti oleo cremavit brachium, & partem superiorem manûs. Imprudens fervor severè prohibitus, ne quid tale deinceps auderet.

13. Ornabat illius vultum modestia prorsus Angelica, index animæ purissimæ. Primarium illi ad scientias ingenium. Humaniores litteras, Græcam linguam, Philosophiam, & Theologiam sic ipse calluit, ut optimos æquaverit. Nec facto, nec dicto ullum mortalium offendit. Adeò demissionis studio incaluit, ut secum decreverit petere gradum Coadjutoris spiritualis, & petiisset, nisi dissuasissent viri prudentes ab eo consulti. Post studia Theologica missus ad Lapensem Residentiam, valetudini parùm favente Cœlo, regreditur Conimbricam jam phthisi affectus. Ingentem de suis virtutibus reliquit opinionem, quas typi jam etiam oculis subjecerunt.

P. Joannes de Sanctis. 14. Eboræ 18. Junii P. Joannes de Sanctis, tironum Magister, natus Massarelii. Addictissimus fuit B. Virginis obsequiis. Morabatur in Fayalensi Collegio, cùm sensit intus se moveri ad recitandum Virginis rosarium, quo carebat, cui tamen assuetus erat; igitur de die in diem differebat, ajebâtque secum: cùm in Lusitaniam revertar, emam rosarium. Navem conscensurus valedixit fœminæ virtutis notæ; quæ rosarium dedit Patri, hæc adjiciens verba: En habe; jam non poteris comperendinare in non obeundis rosarii precibus. Stupuit Joannes; mortalium nemini suam mentem aperuerat. Acceptis globulis usus est ad vitæ finem. Tirones docebat suis exemplis efficaciùs, quàm verbis. Corporis afflictationibus, orationi, cæteræq; cum DEO communicationi erat valde deditus. Ipsa modestia, & verba Deo plenum indicabant.

P. Sebastianus Vidigalius. 15. Vigesimâ quintâ Julii P. Sebastianus Vidigalius Eborensis Doctor Theologus. Ulyssipone, & Eboræ usque ad primariam cathedram professus Theologiam. Vixit Angelicis ornatus moribus, semper æquabilem tenuit modum in studiis virtutum. Non sibi persuadebat religiosum hominem mentiri posse. Qui novêre penè totius vitæ decursu, nil observârunt in dictis, factisve Sebastiani, quod levis culpæ arguerent. Si Rector petenti facultatem negavit, abiit è conspectu tam læto vultu, atque si concessisset. Cùm orabat, situs ipse corporis, ac sensuum in se collectio monstrabant animi contentionem, sive applicationem singularem ad res divinas commentandas. Quodvis opus solitus peragere, tanquam foret vitæ suæ postremum. Omnibus instar innocentis pueri se, mentémque suam submittere non solùm non erubuit, sed gestivit. Otii desidiam præprimis abominatus. Scrupulis totâ vitâ sic torquebatur, ut in eis tolerandis martyr sit habitus. Prope mortem tamen evanuêre.

P. Ludovicus Fragosus. 16. Julii decimâ septimâ P. Ludovicus Fragosus Doctor Theologus, & Academiæ Cancellarius, natus Grandolæ. Ulyssipone Rhetoricam, Eboræ Philosophiam, morales scientias, & Theologiam professus. Ab omnibus, qui novêre, reputatus est vir justus, & æqui observantissimus. Orationis tempus ab instituto præscriptum signabat arenario horologio. Illius charitas socios omnes æqualiter complexa. Quotidie aderat infirmis. Ante quietem nocturnam artus suos castigavit flagello. Singulariter devotus passioni Dominicæ, & divæ matri Annæ. Expletis, quæ decent sanctum hominem, verba protulit ultima: *Gratia Dei in me vacua non fuit.*

P. Emmanuel Vidigalius. 17. Octobris 19. P. Emmanuel Vidigalius Odivore natus. Vir fuit sapientiæ præclarissimæ, & ad scientiarum sublimiorum magisteria nulli sui temporis secundus. Uno tantùm anno docuit Conimbricæ Philosophiam, ad eam cathedram vocatus, quòd Magister anni Philosophici tertio curriculo ad Indiam contenderit. Cùm instarent sequenti anno Philosophicæ, ùt vocant, mensæ, tam bene actus illos aleæ plenissimos ipse peregit, ut nullus magis. Deinde professus Eboræ scientias morales, & Theologiam usque ad primariam cathedram, post acceptum gradum Theologici Doctoris.

18. Tot

18. Tot excellentes dotes podagra, chiragraque contrivit. Nonnunquam ibat ad cathedram baculo sub axilla nixus. Dicebant Academici, similem Nabuchi Regis statuæ pedibus fultæ luteis, & habenti caput aureum. Urgente malo coactus est relinquere magisteria. Receptus in Collegii valetudinarium ibi inter acerbissimos dolores, quos læta fronte, & penè ridens tolerat, reliquam transegit vitam. Præter alias rationes æquanimis tolerabat morbum, quòd se liberaverit ab ordinis magistratibus: quantùm enim amavit parere, tantùm exosus imperare. In pervigiliis solemnitatum sæpe eum conspeximus cinericiâ indutum veste triclinium subire: corpus acclinans columnæ, cùm aliter non posset, flexis genibus in se flagello sæviebat. Suprema illius verba fuêre: *Veniat mors, illam non timeo.* Horum quatuor Eboræ defunctorum vitas typographia expressit.

19. Lameci in patria 24. Martii P. Antonius Teixeira Theologus ingenio singulari, ac dotibus spectandis. Missus in Residentiam Carquerensem ad habendas Quadragesimæ conciones, ægrotavit. Cùm deessent commoda adhibendæ curationi, Lamecum delatus est in domum sui fratris. Morbo in dies crescente, & nequidquam proficientibus remediis, totum animum convertit in æternitatis iter, expiatâ conscientiâ, & aliis matris Ecclesiæ communitus auxiliis. Nunquam permisit se inter curationes ab ulla domesticâ famula, aut alia tangi fæmina. P. Antonius Teixeira.

20. In Conimbricensi Collegio 24. Julii P. Franciscus Riberius Rector, natus Eboræ. Cum magno splendore ibidem Rhetoricam, quam & Conimbricæ, Philosophiam, morales scientias, sacras litteras, & Theologiam professus ad primariam usque cathedram, Doctorisque illustratus laureâ. Ad tanta magisteria æquavit præceptores excellentes. Cùm Riberius lethaliter ægrotâsset, P. Benedictus Lemius heros litteris & virtute præstans, consideratâ Societatis jacturâ sic ingemuit, ut vitam suam DEO obtulerit pro vita Riberii. Viri religiosissimi apparuit auditas preces; nam ægrotavit, & est mortuus: at P. Riberius citra spem mortem evasit. P. Franciscus Riberius.

21. Absoluto magisterio, rexit Bracharense Collegium, posteà præfectus Conimbricensi. Laborabat crure à multis annis: Conimbricæ aggravatum malum. Cùm deesset chirurgus peritus, vix credi potest, quàm atroces, & damnosas ab imperitis curationes pertulerit à Decembri mense ad Julium. Per id tempus, quod mirabantur omnes, sic rexit Collegium, ut præberet speciem horologii exactè temperati. Tantùm apud omnes poterat moderatoris respectus, & authoritas tum rei temporali promovendæ, tum subditis in observantia continendis, ut vel in media morte par cunctis fuerit, aut potiùs superior. Benefecit plurimùm templo nostri Eborensis Collegii. Ejus curæ debentur pegmata inaurata Virginis à Succurendo dictæ, & Crucifixi; ac etiam ornamenta tumuli, in quo sub ara jacet effigies Christi consepulti.

22. In eodem Collegio 8. Septembris P. Antonius Moreira Ulyssiponensis. Eborâ, ubi Philosophiam, ac Theologiam professus, Doctoris accepit insignia, de novo Conimbricam accesserat, traditurus Theologiam; sed correptus malignâ febre brevi de medio tollitur. Ibidem 25. ejusdem mensis P. Antonius Dinisius Lamecensis. Peragebat annum tertiæ probationis: dum prope Sacrum apodyterium audit confitentes, impetu morbi subitanei ruit in solum, alienatus ab omni sensu. Delatus ad valetudinarium, octo, vel plures dies eodem modo jacuit. Unicè, facto lucido intervallo, expiavit conscientiam, & accepit viaticum. Iterum paulò pòst spoliatur usu mentis. Ejus mores irreprehensi optimo fuerant omnibus exemplo. PP. Antonii Moreira, & Dinisius.

Annus 1715. Soc. 176.

1.

Regum & Principum in nos benevolentia.

Denuo à Regum in nos honoribus collatis ordior. Novemdiale S. Xaverii auxêre suâ præsentiâ in templo domûs Professæ. Quo die Regina celebravit plausus genethliacos, inter solitam magnatum gratulationem, tenuit in gremio suum Principem Josephum togâ Societatis indutum. Octobri mense cùm Rex admisit osculantes manum die natalitio, id quoque peregit ejus frater naturalis Dominus Josephus, de quo mox plura, etiam habitu nostro vestitus.

2. Franciscus Infans venatui desudans, se Ulyssiponem collecturus jussit significari Rectori nostro Eborensi, velle se hospitari in Valbonia Collegii villa. Eò pervenit 3. Januarii sole cadente; Subsequam diem humanissimè transegit cum nostris. Pomeridianis horis unus è magistris elementorum aliquot sui ludi pueros induxit coram Infante bellè exornatos, qui vocibus alternis dialogum repræsentârunt, gratulantes sub figura pastorum suis montibus, arbustis, & armentis, quòd tantus Princeps dignatus sit lupos inde, & alias feras pepulisse. Mirati sunt omnes, quomodò tam brevi tempore pro re natâ adeò gratiosum drama sit paratum, cùm duo vix dies essent, ex quo Princeps se venturum significâsset. Tertio die antelucano tempore iter direxit Ulyssiponem, habitis amplissimis gratiis, quòd se, suósque tam liberaliter exceperint Patres.

Dominus Josephus Regis frater studet in Eborensi Academia.

3. Septembri mense scripsit Rex nostro Rectori Eborensi, velle se, ut Dominus Josephus naturalis ipsius frater daret operam litteris in Eborensi Academia, habitarétque intra Collegium nostrum. Habitatio pro tanto hospite parata super aulas Academiæ. Novembri mense intravit Eboram. Studuit in secundo Gymnasio, & sequenti anno in primo Rhetorices. Ex cum ipso servatæ cæremoniæ cum domi, tum foris, quas Rex præscripsit. Citra dubium est, ex quo sunt Academiæ in Lusitania, neminem Josepho æqualem frequentâsse publicas aulas. Concertationes domesticas de rebus humanioris litteraturæ habuit simul cum nostris, suis condiscipulis.

Profecti ad Maranoniam.

4. Pro temporum angustiis non contemnenda subsidia missionibus transmarinis communicavimus. Quatuor Sacerdotes solverunt in Maranoniam, P. Emmanuel de Regibus, P. Josephus Gama, P. Emmanuel Carvalius, P. Antonius Pimentelius. Secum vexêre quatuor Scholasticos, ibi, cùm in Lusitania non liceret, Societatis togâ induendos.

Profecti ad Indiam.

5. Octo petiverunt Indiam, sex Lusitani, Bavari duo P. Josephus Riedler, & P. Franciscus Xaverius Mitermayr: ad Maranoniam ituri venerant è patria. Verùm Reginæ placuit, ad Sinam potiùs navigarent. Valde laboriosum hujusmodi iter contigit. Alimentorum penuria compulerat Bahiam in Brasilia cogitare. Sed metuenda tempestas id non permisit; detulit navem ad quadragesimum gradum trans æquatorem in austrum, quò nunquam Lusitanæ naves accesserant. Post varios rerum casus Octobri mense appulsi sunt Goam.

Moritur P. Joannes Antonius Arnedus.

6. Naves ex India Ulyssiponem profecta pervenit mense Octobri, cùm Goâ solvisset 23. Januarii. Vehebat P. Joannem Antonium Arnedum natione Aragonensem, virum Apostolico spiritu præclarissimum in regno Cochinchinensi. Veniebat Legatus Regis illius ad Lusitanum Regem, ferebátque mandata magni momenti. Arduum iter eâ potissimum ratione susceperat, jam senex, ut impetraretur libertas prædicandi Evangelium apud eas gentes. Aliud visum est Deo; nam postremâ die Martii venerabilis senex ad promontorium Bonæ Spei res mundanas deseruit. Erat Regis Cochinchinen-

sis Mathematicus, magnique factus ab eo quanquam nostræ fidei jurato hoste. Patrem comitabatur Coadjutor Emmanuel Botelius, qui feliciter Ulyssiponem tenuit.

7. In diversis diœcesibus institutæ sunt missiones. In Eborensi PP. Joannes Figueiredus, & Josephus Barrocas plurimùm laborârunt in alia ex aliis oppidis migrando. Exceperunt supra sex millia confessionum, ex his nongentæ fuerant totius anteactæ vitæ. P. Figueiredus tradidit Eboræ Philosophiam; sed relictis, ad quæ erat promovendus, magisteriis, se totum dicavit obeundis missionibus: quanquam tempus ostendit vires non fuisse tanto labori commensuratas. Sex in Leiriensi, duo in Visensi diœcesi strenuè rem gesserunt. Missiones.

8. Furtum abominandum 10. Aprilis contigit in templo nostro Cetobricensi. Nocte mediâ per fenestram parùm munitam vestiarii sacri fur intrans reperit ibi venerandi tabernaculi clavem; illo reserato sacræ pyxidis particulas excutit super aram, rapitque hanc pyxidem argenteam cum duobus calicibus, & patenis. Audacia tam execranda populum ad justam movit indignationem. Factæ supplicationes cum Cetobricæ, tum Ulyssipone ad Numen placandum. Misit Rex senatorem, qui in authorem delicti inquireret; sed omnis irrita fuit diligentia; nec sciri potuit, quis se tam detestando facinore contaminaverit. Sacrilegium Cetobricæ.

9. Mense Augusto P. Franciscus Caeirus Theologiæ moralis Professor adivit oppidum Averium cum nostris Theologis initiandis ab Episcopo Conimbricensi. Reversis in Collegium aliis, ipse remansit cum uno illic facturo primum sacrum in solatium consanguinei. Die celebrationis affuerunt prandio cum nostris aliquot amici invitati, atque inter eos Anglus hæreticus mercator locuples. P. Caeirus, ùt erat perdevotus S. Antonio Ulyssiponensi, de ipsius miraculis sermonem injecit. Cùm ad manum forent pocula vitrea, ait unus è convivis, nunquam Divus miraculum patravit in poculis vitreis. Ad hæc P. Caeirus: Falleris mi Domine. Retulit deinde duo in vitro miracula, quibus aliquot hæretici sunt conversi. Cuncta audiebat Anglus. Tum arripuit vitreum poculum vino plenum, ac de more convivantium propinat: deinde exhaustum retro, quantâ vi potest, conjiciens impingit parieti. At vitrum, quamvis subtile, integrum, illæsúmque in solum cadit, rei novitatem inspectatam vel ipso stupente hæretico. Ad quem P. Caeirus: Oh si hujusmodi poculum ageret in te, quod aliud quondam in hæreticis. Verùm nihil ipse prodigio tam evidenti est commotus, viditque, tanquam non vidisset. Caeirus secum vexit poculum ad rei memoriam. Miraculum D. Antonii.

10. Præpositus Provinciæ 24. Augusti renuntiatus est P. Antonius de Sousa. Rexerat Scalabitanum, & Eborense Collegium. Calendis maji Ulyssipone publicata pax inter Lusitaniam, & Castellam, quæ ab anno 1704. bello flagraverant. Scalabi die festo S. P. Ignatii cœpit esse usui pegma majoris aræ, quod constat politissimo marmore, & jaspide, pretio viginti cruciatorum millia excedente. Suo triennio incepit, & absolvit P. Antonius Vieira Arrayolensis. Tectum templi nobili exornârat picturâ P. Antonius de Sousa. Novus Provincialis. Pax promulgatur. Ara princeps Scalabi.

11. Vigesimâ Julii in Germaniam discessit P. Alvarus Cienfuegos, qui annos tredecim apud nos fuerat, egeràtque Plenipotentiarium Augustissimi Imperatoris Josephi I. & Serenissimi Hispaniæ Regis Caroli III. postea Romanorum Imperatoris, tantâ approbatione Serenissimorum Regum Petri II. & Joannis V. universæq; Nobilitatis Lusitanæ, ut omnibus sui reliquerit immortale desiderium. Erat namque omni litterarum genere ornatissimus, quas æquabant, aut superabant egregiæ virtutes, & animi dotes. Vitam duxit inter tot negotiorum turbas religiosissimam. Comitas, demissio, & liberalitas erga omnes, cumprimis egenos quos copiosis ditabat eleemosynis, charum omnibus reddidêre. Exigua temporis spatia à negotiorum curis relicta utilissimè sacravit componendo aureo illi libro de SSS. Trinitate, quem sub titulo *Ænigmatis Theologici* Viennæ in Austria vulgavit. Augustissimus Imperator, P. Alvarus Cienfuegos pergit Viennam, & creatur Cardinalis.

tum quia (compositâ jam Lusitaniæ pace) ejus operâ apud aulam nostram non indigebat; tum quia ipsius consiliis frui præsens desiderabat, illum Viennam evocavit, quam ingressus fuit 22. Octobris, & maximo honore, ac benevolentiâ à Cæsare exceptus.

12. Post annos quinque eâdem vitæ integritate in Domo Professâ Viennensi exactos Augustissimus illum nominavit Cardinalem. Nullum lapidem non movit vir modestissimus, ut Cæsarem ab hac mente deterreret; nihil tamen profuerunt iteratæ, & importunæ preces, ac industriæ. Igitur Sanctissimus D. Clemens XI. 30. Septembris anno 1720. illum in sacrum purpuratorum Patrum Collegium cooptavit. Dum hæc typis committuntur, Eminentia sua Romæ agit Plenipotentiarium Imperatoris cum magna Sanctæ Sedis, & Imperii utilitate, Societatis nostræ decore, & universæ almæ urbis plausu.

P. Fonseca recepit ab Imperatore pecuniam Societati debitam.

13. Cum P. Alvaro Viennam perrexit P. Franciscus de Fonseca ad repetendam ab Imperatore magnam illam pecuniarum summam, quam ex pecunia sibi à Patribus Testamentariis tradita, & ex gemmis, ac pretiosis picturis, quas ab ipsis emerat, debebat fundationi Archithalasii. Difficile, imò impossibile quibusdam videbatur, Imperatorem solvere posse tantam pecuniarum summam tempore, quo, ingruente bello Turcico, innumeras expensas pro bellico apparatu facere cogebatur. Vicit tamen omnes difficultates pissimus Cæsaris animus, & P. Fonsecæ dexteritas, ac intra duorum annorum spatium tam in numerata pecunia, quàm in solidis, & securis assignationibus universum debitum plenè fuit solutum.

Moritur P. Joannes Pereira.

14. Ad defunctos intra Provinciam digredior. Ulyssipone die 23. Aprilis decessit Præpositus Domûs Professæ P. Joannes Pereira, natus apud insulam D. Michaëlis. Decimâ octavâ die Martii proximi designatus fuerat Præpositus: mensem, ac dies paucos in eo vixit magistratu, parùm gratus Regni magnatibus ob dimissionem è Societate P. Joannis Riberii de qua dictum anno 1712. Creditum fastidia Procerum, &, cùm ipsos adibat, severos vultus ob memoratam dimissionem sic ipsum confixisse, ut sit aucta valetudinis affectio, ac maturata dies postrema. Typis mandavit unum suarum concionum volumen, cujus pretium voluit applicari sacello, ubi Conimbricæ habitaverat Ven. P. Josephus Anchieta. Porrò rexit Angrense, Elvense, Scalabitanum Collegium. Fuit Provincialis Socius, Brasilicæ Provinciæ Visitator, Rector Conimbricensis, hujus Provinciæ Visitator, & Vice-Provincialis.

Emmanuel Pinerius.

15. Conimbricæ 26. Aprilis Emmanuel Pinerius coadjutor natus Cortozæ. Annos supra viginti egit æditiuum templi. Admirabili usus circumspectione in fæminis ad crates alloquendis, non nisi necessario respondebat sermone, verbis admiscens modum severum. Maji 27. Ludovicus Ferreira scholasticus, Cedofeitæ prope Portum exortus, morum innocentum, phthisi decubuit multos menses invictâ patientiâ.

P. Emmanuel Mansus.

16. Septimâ Novembris P. Emmanuel Mansus Avillariensis. Eboræ Philosophiam, moralem Scientiam, & Theologiam edocuit, hanc & Conimbricæ usque ad primariam cathedram. Nunquam adduci potuit, ut susciperet curas gubernandi Collegia. Animus illi Sincerus, ac fastidiens omnem dolum. Paupertatem religiosam tulit in oculorum pupillis. Sibi persuaserat, optimo Religioso solum omne patriam esse; propterea hic, aut illic potiùs vitam ducere non curavit. Exutus affectu carnis & sanguinis, ajebat: *horrori sibi esse dormire in Consanguineorum domibus.* Vita P. Emmanuelis circumfertur impressa.

P. Dominicus Fernandius.

17. Eboræ 24. Aprilis P. Dominicus Fernandius Portalegrensis. Rexit Elvense, Farense, & Eborense Collegium. A regenda domo Professâ Ulyssiponensi se excusavit. Cùm jussus est gubernare Conimbricense Collegium, tanto eum onere mors liberavit. Post Theologiæ studia Masagoniam missus est. Magnis ille, & insanis agitatus procellis: vix fuit portus in Algarbiis, in quem tempestates non conjecerint. Compulsus denique repetere Ulyssiponem.

nem. Sed iterum, obedientiâ imperante, suscipiens idem iter, brevi, & faustâ navigatione superavit mare inter Lusitaniam, & Africam.

18. Eloquentiâ suâ mirùm animos perculit. Rerum divinarum contemplationi erat deditissimus. A quo læsus est, hunc prosequebatur singularibus benevolentiæ signis. Nunquam apud Majores questus de subdito, per quem offensus fuisset. Plures in Societate conservavit hujusmodi utili silentio. E morbo nondum bene convaluerat, cùm est ingressus S. Patris exercitia. Secessit in habitationem tironum, elegitque cubiculum, ubi quondam hospes fuerat S. Franciscus Borgia. Per eos dies semel tantùm reficiebat cibis corpus, idque peregit nocte, utens victu cæteris pro cæna poni solito. Matutinas horas insumpserat orans ante Eucharistiam. Ita se comparavit ad migrandum de vivis. Illius vitam præclarissimis ornatam exemplis jam vulgavit typographia.

Annus 1716. Soc. 177.

1.

Tandem mense Junio finitum est permolestum de quindenniis litigium. Crescebat indies Provinciæ, & missionum damnum irreparabile non admissis tironibus, quorum ingressus cessaverat ab anno 1712. Cùm nôsset Serenissimus Rex communem jacturam, per suum Romæ Legatum Marchionem Fontensem, nunc Abrantiensem, curavit negotium concludi. Adsunt Româ litteræ, quibus Pontifex tirones admitti concedebat, negotio in hunc modum composito, ut singulis quindecim annis Collegia pro controversis Ecclesiis Apostolicæ Cameræ persolverent cruciatorum quinque millia. Pro Ecclesiis monasterii Pedrosi, & S. Joannis à longis vallibus, de quibus non fuerat controversia, solveret Conimbricense Collegium, quod solebant ante motam litem. *Terminatur lis de quindennii pecuniis.*

2. Ea se difficultas objecit, quòd non declaratis Ecclesiis, de quibus lis suborta est, Ecclesiæ spectantes ad patronatum regium manebant sub eadem pœna, unà cum aliis. Multum negotii nobis hujusmodi exhibuit nodus, & mora. Res commissa est Senatorum consilio. Censuerunt viri juris peritissimi, non admittendam eo modo compositionem. Declarandum priùs has & illas Ecclesias pertinentes ad Regis patronatum non subesse oneri pecuniæ solvendæ.

3. Cùm Rex juberet idem negotium perpendi etiam à Consiliariis, ut vocant, Status; in eam ivêre sententiam, pietate eorum mentes gubernante, ut quæcunque incommoda censerent postponi debere Societatis bono, quod esset conjunctum cum bono communi. Curandum unicè de tollendo obice, qui tendebat in Societatis extinctionem; alias rationes contemnendas. Scire Lusitaniam, quàm utilis sit Societas juventutis educationi, & animarum bono: tum intra Lusitaniæ fines, tum extrà in transmarinis regionibus, in quibus majori ex parte per Societatem stat, & extenditur ditio Regis Lusitani. Multus fuit in cumulandis rationibus, quæ favebant, Eminentissimus Cardinalis Acunea Generalis Inquisitor, Excellentissimi senes Marchio Minensis, & Comes Castelmeliorensis, aliique heroes, nationis columnæ, sunt amplexi faventem sententiam, & honorificentissimis elogiis Societatem nostram exornârunt. Quisque est visus non nostram causam, sed suam agere. His adhæsit Rex Serenissimus.

4. Decimâ Junii per Secretarium ab Statu scripsit Rex ad nostrum Provincialem, à se tolli prohibitionem, quâ vetuerat, ne Societas quindennii solveret pecunias; id se facere, ut Nuntius tollat impedimentum admittendi tirones. Eodem manè, quo litteræ sunt allatæ, Regina venit in templum domûs Professæ ad offerendum S. Xaverio Infantem Carolum, qui natus fuerat calendis Maji. Pomeridianis horis Provincialis, & graviores Patres convenerunt Reges, habuêreque gratias quàm maximas pro singularibus in hanc minimam Societatem beneficiis. *Nascitur Infans Carolus.*

5. Injunxit Provincialis in actionem gratiarum singulis sacerdotibus unum sacrum, sociis aliis coronam Virginis. Jussit præterea, ut Juniores, qui post biennium non emiserant religionis vota, ea cuncti tum Eboræ, tum Conimbricæ nuncuparent B. Aloysii Gonzagæ festo die. Id fecêre præter Coadjutores novem supra triginta scholastici. Nec ex tanto numero, præter unum, defecit alius à Societate. Hactenus huic parem Provincia tempestatem non tulit.

Nuncupant vota scholastici nostri.

6. Venerabilis P. Joannes Franciscus Regis, natione Gallus, heros præclarissimæ sanctimoniæ, 24. Maji inter Beatos adscribitur. Magni plausus per omnia Collegia sunt habiti. Ulyssipone mense Augusto pompâ prorsus regiâ hujusmodi solemnitas concelebratur in Domo Professâ. Suis aulæis pretiosissimis jussit Rex nostrum vestiri templum. Ipse triduo, quo solemnitas durabat, non solùm interfuit in templo nostro manè, ac vespere, sed etiam dignatus est domi nostræ prandium sumere: illi pro cænaculo fuit amplum conclave ædificatum à Sodalitio Virginis bonæ mortis super apodyterium sacrum.

Beatus declaratur, & celebratur noster Joan. Franciscus Regis.

7. Nusquam solemnitas excessit pompam Eborensis Collegii. Præter triduum habita supplicatio, sive sacra processio multimodis distincta ferculis ornatissimis. Quidquid pretiosum in urbe erat, vel in templi ornatu, vel in processione visum. Additus porrò plausus Academicus, sive tragicomædia de B. Joanne, quæ ob diversas rationes in sequentem annum dilata: Author fuit P. Antonius Almeida. Conimbricæ puer duodecim annorum, qui à tribus annis syderatione visum perdiderat, orans in templo nostro primâ die solemnitatis B. Joannis Francisci visum recuperavit.

8. Sub finem Octobris Rex Villavissosam contendit ad colendam B. Virginem à Conceptione Regni tutelarem Patronam. Iter fecit Eborâ. Postremâ die mensis pomeridiano tempore urbem ingressus in palatio Archiepiscopi hospitatur. Eodem vespere adivit nostrum Collegium; dicens, per summam benevolentiam, esse primum, quod invisebat, cùm apud se Societas habuisset semper locum primum. Sequenti die Doctores, ac Magistri cum sui gradûs ornamentis, & omnes Academiæ scholastici longo, & bene ordinato agmine processêre ad palatium. Magnâ voluptate inspexit Rex pompam Academicam, excepítque illos summâ benevolentiâ, ac regiæ manûs osculum præbuit. Post meridiem villam Collegii suburbanam adierat. Cùm significâsset se per Eboram rediturum, paravit Academia Doctorem laureâ insigniendum, ac tragicomædiam in theatro exhibendam; verùm urgente ratione compulsus, omni relictâ ambage, rectâ proficisci Ulyssiponem, Eboram non attigit.

Rex accedit Eboram.

9. Serenissima Regina denuo post amotionem à lacte Josephi Principis Regni hæredis in templo domûs nostræ Professæ sistit eum DEO, ac divo Xaverio. Nolebat enim ullam prolem suam adolescere nisi sub patrocinio magni Xaverii, quem suis rebus elegerat singularem Patronum.

Reginæ pietas.

10. Hoc anno Patriarchatus Ulyssiponensis erigitur die natalis Domini. Cùm enim Rex instanter peteret, annuit Pontifex, inque duas divisa est Diœcesis Ulyssiponensis: urbs ipsa duplici donata nomine. Quæ pars novo Patriarchæ data, vocatur Occidentalis Ulyssipo; quæ relicta est Archiepiscopo, Ulyssipo Orientalis. Patriarcha primus Thomas Almeida Avintensis Comitis filius. Inde secuta mutatio in habitu Clericorum, & alia plurima, quæ persequi mei Instituti non est.

Patriarchatus Ulyssiponensis.

11. Ad Sinam rectâ Macaum egregia manus est profecta: constabat quatuordecim sacerdotibus; præter duos Germanos reliqui fuêre Lusitani. Præerat P. Felix Josephus Pereira, qui venerat Japonensis Provinciæ Procurator. Decimâ tertiâ Martii conscendêre navem ab S. Anna nuncupatam. Sequenti die egressi Tagum. Navigatio ad votum contigit. Ultimâ Augusti jecerunt anchoram in portu Macaënsi. Res Sinensis Ecclesiæ supra modum invenêre turbatas propter Bullam Pontificis prohibentem ritus Sinicos.

Profecti ad Sinam.

12. In Brasiliam missus est Visitator P. Josephus Almeida Ulyssiponensis: regebat Portuense Collegium. Cùm P. N. Generalis ostendisset qualemcunque

Visitator in Brasiliam.

cunque difficultatem in ea obedientia injungenda, fertur respondisse P. Almeida, non esse, cur sibi homini religioso molestum id iter propter DEum accideret; cùm Marchio Engeijensis Brasiliæ Pro-rex, ætatis magis provectæ, post aditam Indiam ad serviendum suo Regi, non depulerit à se, sed libens susceperit iter Brasilicum, ut morem gereret Regi, & novo merito faceret illustriorem domum suam.

13. P. Petrus Mambius Conimbricâ patriam suam Hiberniam petivit. Illic sæcularis fuerat odio fidei missus in carcerem. Liber vinculis navigavit in Lusitaniam, ubi se conjunxit nostræ Societati. Modò absolutis scientiarum studiis revertitur, ut suos juvet indigenas. Ad Hiberniam P. Petrus Mambius.

14. Per Regni dioeceses excurrêre quàm plurimi. Per Ulyssiponensem ex Domo Professa duo senes P. Joannes Oliveira, & P. Petrus Andrada. Ex Collegio Scalabitano PP. Dionysius de Sanctis, & Raphaël Oliveira. Per Farensem dioecesim P. Josephus Carvalius cum Vincentio Seixio Latinitatis Magistro. Per Bracharensem P. Eugenius Ferreira cum alio sacerdote. Per Portuensem PP. Joannes Brandamus, & Franciscus Barrius. Per Eborensem Joannes Figueiredus, & Hieronymus Madeira sacerdotes. Per Leiriensem discurrêre quatuor sacerdotes quadragesimæ tempore, & duo pro concione dixerunt in templo maximo. Missiones.

15. Conimbricæ die 8. Aprilis primus lapis positus pulcherrimo sacello tironum prope cisternam. Pauci dies abierant, cùm advolitans apum examen ibi consedit, ut forent hujus sacelli primordia Collegii Conimbricensis ex parte similia initiis; nam cùm incepêre illius excavari fundamenta, ex ipsis erupit apum examen. Interpretabantur significari examina præconum Evangelicorum eo de Collegio in diversas orbis regiones itura. Sacellum tironum Conimbricæ.

16. Collegium Conimbricense 5. Aprilis suum Rectorem amisit P. Petrum Quadrium domo Fayalensem. Gubernavit Collegium Michaëlense, lustravit Angolanum, instruxit tirones Ulyssipone. Solidæ micabant in eo virtutes. Zelus observantiæ vix habuit majorem: ut eam intra leges nostras conservaret, nullo hominum respectu inclinatus est. Petrus Diasius Coadjutor 25. Maji Superiorem suum sequitur, vir pius, ac multùm deditus orationi, & lectioni sacræ, doli nescius, antiquæ mansuetudinis, ac bonitatis. Vigesimâ primâ Junii angelicus adolescens Michaël Riberius Alcaynienfis, Theologiæ studiosus. Non erat, quod in ejus vita, & moribus posset quis reprehendere. Plurima & fecit, & ante mortem tam apertè dixit, ut appareret conscius temporis, quo relicturus erat mortales. Moritur P. Petrus Quadrius. Petrus Diasius. Michaël Riberius.

17. In Domo Professâ Ulyssiponensi 14. Junii vitæ cursum consummavit P. Emmanuel Mexia Benavillensis. Magno Societatis honore in præcipuis regni urbibus egit concionatorem. Ad hujusmodi munus dotibus, quas illud poscit, ornatus erat. Accedebant mores verè religiosi. Cubiculi & librorum amicus, nullos cum sæcularibus miscuit sermones, nisi de rebus divinis. P. Emmanuel Mexia.

18. Farense Collegium deflevit 28. Octobris P. Antonium Vieiram Arrayolensem, socium Provincialis: dum id Collegium lustratur, violentus morbus Antonium corripit nullis domandus remediis. Philosophiam Ulyssipone, moralem scientiam erat professus Eboræ. Tirones instruxit Conimbricæ. Rexit Collegia Maderense, Cetobricense, & Scalabitanum. Affabilis suprà, quàm dici potest, omnibus charus, citra religiosæ modestiæ offensionem. P. Antonius Vieira.

Annus 1717. Soc. 178.

1.

NUllæ fuerunt missiones transmarinæ, quibus suppetiæ non venissent. In Sinam rectà Macaum navigârunt P. Balthasar Miller Italus ex Provincia Austriaca, & Franciscus Albertus Lusitanus scholasticus. Goam profecti P. Bernardus Garcia, & novem tirones, Lusitani omnes. Solverunt 17. Aprilis, Profecti ad Sinam, Indiam, Brasiliam, & Maranoniam.

Aprilis. Non faventibus ventis, coacti sunt Bahiam se recipere, dum commoda non esset opportunitas iter repetendi.

2. Memorandum hic venit, quid contigerit quibusdam, qui superioribus duobus annis ad Sinam profecti sunt. Dixi anno 1715. ivisse P. Franciscum Xaverium Mitermayr Bojum. Anno sequente successit P. Antonius Freirius, qui fuit Rector Fayalensis, & peregerat tum apud insulas Assorum, tum in Lusitania plurimas missiones. Comites habuit P. Thomam Araneam, & P. Romanum Sequeiram, ambos præclaros ingenio. Hi quatuor 19. Aprilis an. 1717. Macao in Cochinchinam solvêre. Vehebantur in navi Sinica plena cultoribus falsorum Numinum. Puppem ornabat idolum, cui cremabant thura, ut faveret itineri, ac placaret procellas immaniter furentes. Videbantur enim spiritus tempestatum adversus Evangelicos præcones conspirâsse. Post famem, sitim, & continuatam mortem tolerata die 7. Maji ad Chumoium in littore Cochinchinensi fecêre naufragium. Præter 15. Ethnicos periêre PP. Xaverius, & Aranea, quos ad littus ejecit mare. PP. Freirius, & Sequeira tenentes tabulam evasêre sospites, rerum tamen omnium egeni. Terræ mandârunt Sociorum cadavera. Post quinque dies sub tugurio illic transactos venit è nostris P. Joannes Baptista Sanna, qui duos in urbem regiam conduxit.

3. In Brasiliam rediit P. Franciscus Machiadus cum Societate novem tironum, quos in Collegio Portuensi recepit eruditos à P. Antonio Giamo Collegii Rectore. Habuit etiam suum Maranonia subsidium. Eò Visitator missus P. Emmanuel Seixius, qui apud insulas Tertias annos penè viginti nostra obiverat ministeria, haud à multo tempore redux in Lusitaniam. Comitem sumpsit Coadjutorem, addidit tirones octo, qui ad serviendum Domino in ea vinea fuerant Societati adscripti. Hoc anno cœpit Maranonia habere Ulyssipone suum specialem Procuratorem, cùm hactenus Brasiliæ Procurator illius rebus consuluisset.

Nascitur Infans Petrus, Regiam pietas. Josephus Regis frater.

4. Infans Petrus in vitam primùm introivit 5. Julii. Serenissima mater transacto puerperio adivit templum Domûs Professæ, ibique avito more suo gratias egit DEO, & D. Xaverio; cujus quoque solemnitatem in novendiali devotione præsentiâ suâ constanter auxit. Martio mense Dominus Josephus Regis frater, qui Rhetoricæ studebat Eboræ, reversus Ulysiponem ad valetudinem curandam: nec ampliùs in Academiam redivit.

Missiones.

5. In pluribus diœcesibus habitæ sacræ missiones. In Bracharensi laboravit P. Emmanuel Nogueira cum alio sacerdote; in Portuensi Joannes Brandamus, & Franciscus Barrius; alii in Eborensi, in Scalabitano agro alii, sex in Leitiensi.

Senes Domûs Professæ.

6. Divisâ Ulysipone in geminam diœcesim, senes Professæ domûs, quæ est in Ulysipone Occidentali, sese libentissimè, & officiosissimè Canonicis veteris Sedis obtulerunt ad serviendum ipsis, & concionandum, ut erant soliti ante divisionem. Id tam gratum accidit Canonicis, ut integram eleemosynam, sicut antea, donarent Professæ Domui, quamvis aliis sacris familiis solùm dimidiam sint largiti; quoniam partitâ diœcesi, & reditus partiti sunt.

Supplicatio ad templum Domûs Professæ.

7. Prima supplicatio è templo Patriarchali prodiit in honorem D. Sebastiani, die ipsi dicatâ, ad nostrum Professæ Domûs templum; quod singulis annis Rex continuari jussit. In litaniis majoribus eadem pompa terminata in templo nostri Collegii. At in celeberrima Corporis Christi supplicatione de Sede Patriarchali primò circumlatâ Eucharistiâ, voluit Rex, ut se comitarentur de nostris sacerdotibus Joannes Secus, & Ludovicus Gonzaga, quibus olim usus fuerat Magistris.

Offertur, & rejicitur fundatio Vianæ.

8. Viana Interamnensis Provinciæ oppidum est è Lusitaniæ præcipuis. A nostræ Societatis exordio incolæ desiderant illic Societatis Collegium. Hoc anno Senatores triumviri, & cæteri nobiles rogârunt nostrum Provincialem, eorum votis subscriberet. Offerebant in Collegii dotem aliquam summam pecuniarum;

niarum; verùm præterquàm, quòd tanto operi minimè sufficeret, tot erat obnoxia casibus, ut, gratiis habitis, petitio rejecta sit.

9. In Domo D. Rochi 3. Septembris senio conficitur septuagenario major P. Emmanuel Andrada Ulyssiponensis. Antecedenti triennio rexit totam Provinciam. Inerat illi quædam bonitas alienissima à fictionis & doli versutiis. Amantissimum paupertatis probabat pallium centonibus munitum, quo utebatur, antequàm designaretur, & postquam fuit Provincialis. Ejus modestia, & sincerus agendi modus indicabant animam plurimis ornatam virtutibus. Rex Serenissimus, qui tunc rusticabatur in villa prope Tagum, illius auditâ morte, jussit in cunctis cœnobiis fluvio vicinis fieri sacra omnia ipsâ die pro Patris anima, persolvitque stipendium solito majus. Moritur P. Emmanuel Andrada.

10. Scalabi 16. Junii vixit P. Franciscus Bortalius Terenensis, vir moris sincerissimi, & sanctissimi. Non novi hominem Superiorum dicto magis audientem. Quocumque miserunt, ivit promptissimè; navigavit in Angolam, & Masagoniam, quin ullum verbum ad se liberandum injecerit. Et si centies missus esset, ivisset centies. Sive conspicuum, sive humile munus injunxerint, obivit sine mora. Solitus dicere, res difficillimas obedienti esse palearum instar, non obedienti quæque levia apparere similia trabibus immensis. Ad hanc tam sublimem obedientiam cæteræ virtutes mensurandæ. P. Franciscus Bortalius.

11. Ulyssipone puniti à sacræ fidei Quæsitoribus ejusdem fidei desertores, vel corruptores: hos inter fuit monachus alienigena, qui stultissimis plenus erroribus, quos fovebat ad saginandam luxuriam, in Lusitaniam venerat. Se non esse, ajebat, quod appareret, sed Christum sub speciebus hominis, ùt in Eucharistia latet sub panis specie. Quos tangeret, ipsos reddi sibi similes. Hoc stultitiæ velo imposuit simplici fœminæ, quæ paret hominis libidini; at hæc diu latere non poterat. Raptus ad carceres ab Quæsitoribus in stultitia perstitit. Sanæ tandem menti per P. Carolum Casnedium Mediolanensem restitutus, eidem carceri, dum viveret, addicitur; ne, si libertatem assequeretur, sus ad volutabrum rediret. Monachus hæreticus reducitur.

12. P. Franciscus de Fonseca 14. Julii Viennâ Salisburgum ex Serenissimi Regis voluntate discessit, negotia non levis momenti tractaturus: quibus ex voto confectis Monachium se contulit ad urgendam apud Serenissimum Bavariæ Ducem & Electorem solutionem pinguis legati, quod in suo testamento Serenissima Mauritia Febronia missioni Sinensi reliquerat. Res erat penè deplorata ob sententiam latam in Concilio Imperiali Aulico, quod defectu, nescio, quarum solemnitatum testamentum nullum, & cassum declaraverat: Verùm cùm dispositio esset ad pias causas, & etiam labente testamento immobilis permanere deberet juxta doctorum hominum placitum; Serenissimo placuit huic piæ opinioni se conformare; & Patri Fonsecæ Procuratori generali Indiæ Orientalis legatum solvi imperavit. Re feliciter transactâ, P. Fonseca per Neoburgum, ubi aliqua negotia missionum Indicarum cum Serenissimo Electore Palatino composuerat, Viennam secundo Danubio remeat. Tres annos ex præscripto A. R. P. Generalis Viennæ substitit P. Fonseca negotia missionum procurans, donec ab Eminentissimo Cardinale Alvaro Cienfuegos Romam, inde in Sicililiam missus esset. Romam, ut illi palatium, rèsque alias pararet. In Sicilia, ut Procuratorio nomine Catanensis Episcopatûs ipsi collati possessionem caperet, illúmque gubernaret. Utrumque egit P. Fonseca strenuè, & ad votum Eminentissimi, donec tentatâ valetudine, de qua penè conclamatum fuerat, Romam revocaretur. P. Fonseca in Germania & Italia utiles labores.

Annus 1718. Soc. 179.

1.

Profecti ad Indiam.

EX Italia duodecim nostri ad transmarinas regiones ituri exscenderunt Lacobrigæ in Algarbiis. Hospitati in Collegio Portimanensi, terrestri dein itinere Cetobricam venêre, ac Ulyssiponem. Aprilis decimâ sextâ solverunt ad Indiam sexdecim, novem Itali, reliqui Lusitani. Major Italorum pars ex iis erat Siculis, qui in exilium pulsi fuerant, quòd noluissent contra edictum Pontificis communicare in sacris cum excommunicatis ob læsam immunitatem Clericorum. Die 25. Februarii, nocte se intendente, navem pulcherrimam ex duabus, quæ ad Indiam parabantur, corripuit ignis: ardebat instar ignei montis, summo totius urbis dolore. In ejus locum suffecta alia: 16. Aprilis in altum sunt ambæ profectæ. Multi morbi nostros vexârunt. Duo tirones Itali vitâ exuti sunt. Qui valebant, aliorum succurrêre necessitatibus, cæteráq; Instituti nostri ministeria obiêrunt. Post quinque menses, & septendecim dies Goanum portum assecuti.

Profecti ad Maranoniam. Missiones.

2. Ad Maranoniam quatuor fecerunt vela, tres Itali sacerdotes, unus Lusitanus Coadjutor: nempe PP. Hannibal Mazolaninus, Aloysius Bucharelius, Marcus Antonius Arnolfinius, & Emmanuel Estevius. Per plures regni diœceses non pauci sacerdotes, per Conimbricensem duo, duo per Eborensem, alii per alias excurrerunt, multo sui laboris lucro.

Opera in Eborensi Collegio.

3. Operibus novis sunt illustrata diversa Collegia. In atrio scholarum Eborensium imposita manus ultima propyleo aulæ præcipuæ totius Academiæ, quod est è marmore polito. Additæ statuæ geminæ marmoreæ, altera Regiæ Majestatis sceptrum, ac solem, altera sacerdotalis dignitatis sustinet manu pastorale pedum, ac Lunam. Utraque adumbrat Fundatoris Henrici tum regalem, tum Pontificiám dignitatem. Totum hujusmodi opus & pulcherrimum, & majestate plenum est. Data nova forma spectabilior fonti marmoreo in atrii medio. Locata in fontis vertice statuæ sapientiæ ex jaspide Genuensi laborata. Cœperunt ornari tessellis atrii parietes. Facies externa portæ principis hinc inde columnis marmoreis reddita pulchrior. Complanata ingens area ante atrium, in quam per gradus descenditur. His, aliisque ornamentis nihil est in urbe Academico atrio spectabilius.

Opera in Bracharensi, Brigantino, & Fayalensi Collegiis.

4. In sacello domestico Collegii Bracharensis 27. Decembris locatum Eucharistiæ tabernaculum, Rectore P. Antonio Veiga, qui sacellum idem ampliârat, exornarâtque. In multis quoq; auctum est templum. Brigantii inauratum est pegma majoris aræ, sumptu sexcentos aureos superante. Collegii Fayalensis templum diversis nobilitatum incrementis. Insulâ mense Januario metuendo terræ motu concussâ, cuncti ejus habitatores ad expiandas conscientias affluxêre.

Hymnus Te Deum in Domo Professa.

5. In templo Domûs Professæ Ulyssiponensis magno totius urbis concursu, Regibus præsentibus, solemni ritu cantatus est hymnus Ambrosianus die postremâ anni. Supra modum omnium affecit animos concors vox populi Choro respondens. In id scholasticos optimè ex Regis voluntate instruxerant nostri præceptores. Illustrissimus D. Patriarcha senatum suum voluit juvari ab aliquo Theologo de nostris. Id Præposito Provinciæ significaverat. Res erat magni momenti, spectatis Instituti nostri legibus, quæ certa munera sæcularia excludunt. Negotio in consultationem adducto, visum est, rem proponendam Generali, ut, quod optimum factu, ipse decerneret. Responsum ejus fuit, Senatoris Ecclesiastici munus non convenire nostris legibus, ideo nec admmittendum. Quâ ratione Domino Patriarchæ satisfactum. Habitæ tamen illi gratiæ pro singulari de nostra Societate existimatione, & animo in eam honorandam propenso.

Rejicitur munus honorificum.

6. Por-

6. Portalegriæ natalem simul, & 5. Augusti fatalem habuit locum P. Franciscus Garcia. Magnam virtutem cum magno ingenio conjunxit. Rhetoricam professus Eboræ, morales scientias Portalegriæ. Valetudo afflicta obstitit, quò minùs iniret altiora in Academiis magisteria. Corpori affecto morbis addita scrupulorum intemperies. Externos, internósque dolores tulit patientissimè. Dum per vires licebat, labore in ministeriis nostris neutiquam abstinuit. Ajebat felices, quos paratos raperet mors subitanea; eam se poscere, quòd ob scrupulos timeret hostem, cúmque eo luctam in supremo agone. Auditæ preces; nam inter manus socii juvantis, ut sederet, tranquillissimè expiravit. Obitus P. Francisci Garciæ.

7. Ulysipone 30. Octobris in Domo Professa octogenario major finem vitæ imposuit P. Antonius Cardozus prope Lamecum natus. Tradidit Rhetoricam, & Philosophiam Conimbricæ. Rexit Brigantinum Collegium. Rem Conimbricensis Collegii procurabat diligentissimè, quemadmodum & totius Provinciæ negotia, nulli parcens labori, & sudori, ut cuncta, quæ fuêre sui muneris, naviter administrarentur. Postea moderatus est Eborense Collegium, & universam Provinciam. Stranguriâ acerbissimè per multos dies contortus, tulit conformis cum divino placito. Singulis diebus vel antequam lecto affigeretur, expiavit per homologesim conscientiam. P. Antonii Cardozi.

8. P. Dionysius Simonius natus Marmeleiræ diœcesis Conimbricensis in Residentia Sanfinensi obivit piissimè. Matri roganti, ut Societatem deſereret, respondit: ampliùs nec vocaret filium, nec à se litteras ullas expectaret, si rursus tale quid scriptura esset. Vel à teneris in virtutem propensus. Novendiali devotione Virginem à Salvatore, ad quam Conimbricæ multus concursus, instanter flagitavit: sibi adipisceretur à Filio aditum in Societatem. Dum inter nos fuit, non vixit dissimilis sibi tironi. Multa charitas illi adversus languentes, multa in adversis patientia. Aliquando in tuenda virginitate illibata vicavit fortiter fœminæ petulantis incursum. Refugit tanquam inutiles, & noxias sæcularium confabulationes. Religiosum in vocatione sua nutantem ad pristinum propositum revocavit. Minimi fecerat honorem suum. Etiam offensus de venia roganda consulebat. P. Dionysii Simonii.

9. Eboræ in loco patrio 27. Decembris septuagenario major cessit è vivis P. Emmanuel Fialius. Profuit multùm Collegio Farensi, dum patrimonii sui pecuniâ fructiferum reddidit uliginosum campum Collegii: nam fossas magno sumptu, quibus aqua emitteretur, aperuit, ac solum agriculturæ capax effecit. Inculpatis fulsit moribus, addictissimus cubiculo, & volutandis libris, cibi & somni parcus, infensus otio. Plures annos curæ habuit sodalitium Virginis bonæ mortis. Dominicis diebus jejunus semper obivit solita ejus sodalitatis exercitia. Sermone patrio scripsit quatuor grandia volumina, quæ titulum in fronte præferunt: *Ebora illustrata.* Texuit inde compendium Latino, & vernaculo idiomate. In tabulario nostri Eborensis Collegii sex ista volumina conservantur. P. Emmanuelis Fialii.

Annus 1719. Soc. 180.

1.

SExta & vigesima dies Augusti pretiosâ morte P. Joannis Villarii est veneranda. Primam vidit lucem in oppido *Tancos* ad ripam Tagi. Nomen dedit Societati Ulysipone postremâ die Martii anni 1683. ætatis suæ anno vigesimo. Studebat litteris Eboræ, cùm anno 1688. compulsus desideriis animas salvandi, ardenter petivit, & obtinuit ad Maranoniam mitti. In ea Domini vinea tum socios rexit, tum desudavit egregiè in convertendis Ethnicis, & excolendis neophytis. Præter multa, quæ peregit, nationem Guanaream è silvis deduxerat in loca mitiora, & magìs commoda, ut instrueretur fidei Christianæ dogmatis. Gloriosa mors P. Joannis Villarii.

2. Incumbebat huic labori, cùm cœpêre diffundi variolæ morbi genus apud eas gentes par pestilentiæ. Huic malo accessit rumor ipsis imminere Lusitanos, ut servituti addicerent. Sine mora Patrem deserentes ad latibula silvarum redeunt, magno Villarii dolore. Post annos aliquot meditati sunt Lusitani alteri nationi bellum inferre. Volunt Guaranenses belli socios. Id intelligens natio alia invadenda pacem firmat cum Guaranensibus, quos rogat, Lusitanos interimant, tanquam hostem communem. Facturos promittunt.

3. Igitur mittuntur aliquot Guaranenses ad Patrem Villarium, quasi natio baptismo ablui desideraret. Suspicio fuit latere dolum. Sine mora Villarius, spretis periculis, scapham conscendit, & ad earum gentium regionem festinat. Egressus in terram, ab obviis excipitur benevolè. Agit cum illis de loco constituendo, & tempore, quo sint instruendi. Respondent, consulendum cum Majoribus. Paulò pòst apparet magnus armatorum numerus. Dato signo hospites invadunt. Unus Villarii fronti clavam impingit, occiditque. De cæteris aliqui ægrè se recipiunt in Scapham, alii trucidantur. Die tertio ivêrunt Lusitani milites ad colligenda, & humanda cadavera. Reliqua putruerant: Villarii cadaver integrum erat, recenti manabat sanguine, non exhalans tetrum odorem. Corona in capitis vertice splendorem effundere videbatur. Jacebat in flumine prope littus, vultu in fundum verso, tanquam modestiæ consuleret: erat enim nudum. Sepeliêre in æde sacra vicini pagi. Floruit magnis virtutibus, quas illustravit mortis causa prorsus invidenda.

Moritur P. Antonius Paiva.

4. In Provincia supremæ necessitati concesserunt. Eboræ 9. Februarii P. Antonius Paiva, domo Elvensis. Saluti allaturus ethnicos petivit Indiam anno 1677. Studiis Goæ absolutis ivit ad propagandam fidem in Maissurensi regio, quod in Malabaricis regionibus distat a littore trium dierum itinere. Annos duodecim inter neophytos, & ethnicos passus carceres, & ærumnas sine numero. Semel pro carcere unà cum PP. Antonio Riberio & Luca Menesio habuit Pagodum: ita vocant idolorum fana. Ex quo illic fuêre, nullum responsum falsum Numen, uti solebat, consulentibus præbuerat.

5. Antonius vinculis egressus, laboribus fractus, visu multùm hebetato Goam vocatur, ut attritas vires reciperet. Ubi ex parte convaluit, rursus instanter poposcit Maissurensi vineæ restitui; eam iterum sex annos excoluit. Non minùs tredecim mensibus addictus fuit angusto carceri, tulitque propter fidem, quæ facilè conjici possunt ex immanitate Ethnicorum. Tres alii sacerdotes nostri jacuêre in iisdem tenebris, scilicet Lucas Menesius, Emmanuel Sousa, & Joannes Rodericius. Illic abluerunt sacro baptismate supra trecentos, quos mysteriis fidei bene instructos per dissimulationem Catechistæ ducebant in carcerem.

6. His afflictatos ærumnis Rex jussit abire liberos, prius monitos, ne Christianam legem indigenas docerent; quod mandatum, ut æquum erat, nihili fecêre. P. Paiva oculis iterum caligantibus reverti Goam cogitur. Collegio divi Pauli post gubernatum Diense, ac Damense præficitur Rector. Missus Romam Procurator substitit in Brasilia duobus annis tum bellorum causâ, tum quòd ventis à prora importunè flantibus Bahiam repetere sit compulsus. Anno 1711. tenuit Lusitaniam. Post reditum Româ, obedientiæ jussu substitit Ulyssipone Goani Procuratoris munus agens: sed cùm se podagrâ sentiret inutilem muneri laborioso, quòd egeret manibus, & pedibus expeditis, eo relicto, secessit Eboram, ubi post annos aliquot obdormivit in Domino.

P. Michaël Vittus.

7. In Collegio Madcrensi 8. Martii deseruit mortales P. Michaël Vittus natione Hybernus. In Lusitania junctus Societati. Scientiarum absolutis studiis missus in Madeiram insulam, ibi degebat ad vitæ finem. Modestus, ac mansuetus, viri Religiosi idea. Multus erat in contemplando res divinas. Cùm Anglorum naves plurimæ illuc veniant mercaturæ causâ, vix potest explicari, quantùm profuerit tum occultis Catholicis, tum à fide nostra alienis, quos reduxit. Exemplo suo & externos, & nostros ad virtutis amorem pellexerat. Omnes eum suspexêre tanquam virum DEI amicissimum.

8. Cùm

8. Cùm aliquàndo exiisset ambulatum extra urbem comite alio sacerdote, accessit ad flumen. Tum ait Michaël: hoc olim veni cum uno de nostris sacerdotibus, dum transimus, unus in aquam mersus, sed evasit in ripam vestitu tam sicco, ut credi non posset in flumen mersum. Interrogatum, uter fuisset? nihil respondit. Unde patebat ipsum, qui narrabat, fuisse.

9. Converterat virum hæreticum paulò antè initium morbi supremi. Quo tempore Michaël lecto est affixus, & vir ille morbo corripitur. Inter ægrotationem injecit sermonem de Michaële: percontatus, ubi esset? responderunt, in Collegio. Quibus ille: modò eum hic inspexi multâ micantem luce. Postea cognitum est, eâ horâ, quâ visus esset inter splendores, ac lucis radios, de vivis excessisse.

10. In Collegio divi Antonii 12. Januarii diem obivit P. Josephus Ferreira Ulyssiponensis. Olim docens Conimbricæ Latinitatem profectus ad Indiam; deinde Macaum, & valetudinis causâ Goam. Aliquot annos excoluit regionem Salsetanam. Inde missus Ulyssiponem Procuratorem Goanum acturus. Nondum, ex quo venerat, effluxêre anni duo; cùm lethalis eum febris extinxit. Arce illi, ac vividum ingenium, & ad conciones sacras promptissimum. P. Josephus Ferreira.

11. In eodem Collegio 12. Aprilis vitæ dies explevit Antonius Xaverius Coadjutor, natus ad S. Petri de Turre in Bracharensi diœcesi. Mercatori erat ab ærario, ejúsque bona fidelissimè administrabat. Perditis suis navibus, existimavit mercator se creditoribus satisfaciendo non esse, idcirco mærore contabuit. Heram viduam Antonius, rebus ad calculum perpensis, firmavit spe bonâ: suscepto in se tanto onere, debita solvit creditoribus, heræ tradidit multa aureorum millia residua, quibus honestissimè vitam duceret. Illa verò, quando, inquit, tuis industriis cuncta debeo, eas pecunias, & me conjugem tibi habeto. Gratias egit, vitâmque sacravit Societati JESU. Antonius Xaverius.

12. Nobis adscriptus, non minùs fideliter Societati, quàm dominæ servivit. Goanum Procuratorem juvit tam diligenter, ut nemo magis. Illius mores integerrimi fuêre. Munera, quæ per tot annos ad eum ex India sunt missa, non præbuit consanguineis, nec consumpsit in usus suos, sed habitâ Superiorum facultate vendidit, & pecuniam donavit domui, quæ Ulyssipone consurgit pro tironibus ad Indiam educandis. Ea summa excessit cruciatorum sex millia. Propterea jure merito inter domûs benefactores recenseri debet.

13. Æquissimum est meminisse Mariæ Annæ Brumiæ Pimenteliæ, quæ nos dilexit instar matris. Ulysipone Januario mense longo senio consumpta ad immortales transivit. Multæ virtutis fæmina cuncta sua DEO, qui largitus erat, libentissimè reddidit. Eo in nostros ferebatur affectu, ut invisentes semper aliquo dono muneraret; ægrè habuit, si non acceptarent. Bona sua stabilia divisit inter D. Xaverii Collegium, & tironum domum. Amplas domos vendendas dedit Domui Professæ, quæ parte pretii aliquot debitis satisfecit, partem suos in usus convertit. Præterea distribui jussit inter domûs incolas aureos centum æquâ portione in singula capita. Reliquit publico carceri legatum administrandum à nostro captivorum Procuratore. Moritur Maria Anna Brumia benefactrix.

14. Duo solùm ad transmarinas ivêre missiones, in Sinam videlicet P. Antonius Franciscus Provana natione Sabaudus; jussu Sinensis Imperatoris Romam venerat acturus negotium de ritibus Sinensibus: secum duxit Ludovicum Fanum adolescentem Sinensem, qui Romæ se junxit Societati, & sacris Ordinibus initiatus revertebatur cum Provana. Ventis non faventibus, coacta navis adire portum S. Catharinæ, ibique expectare navigandi opportunitatem. In navigatione obiit P. Provana. Profecti ad Sinam.

15. Serenissimus Rex 25. Martii honore novo cumulavit nostram Societatem, nominando filiæ suæ Mariæ Instructorem & Confessarium P. Emmanuelem Oliveiram Ulyssiponensem, quondam primarium Theologiæ Professorem Conimbricæ. Infans Franciscus ex agro Mourensi, ubi tempus aliquod venatu contri- Honores in nos Regis, & Infantis Francisci.

contriverat, repetens Ulyssiponem pernoctavit in Eborensi Collegio, quod & prædæ sylvestris particeps fecit, nostrósque solitâ benevolentiâ admisit.

Initium ædificii Fayalensis. Ruina Portalegrensis.

16. Quàm felix annus Fayalensi Collegio, cujus ædificii 17. Aprilis primus lapis positus est; tam infaustus Portalegrensi contigit. Decimâ Januarii collapsus fornicum duplex ordo pergulæ, quæ urgebatur ad imponendam manum supremam. Pila præcipua in operis medio, cùm esset facta è lapide cæmentario, & necdum, quantum res poscebat, calx obduruisset, premente pondere, hinc inde lapide dissiliente, tota corruit, ejus ruinam sequente opere desuper imposito. Illud est habitum Numinis speciale beneficium, quòd vir nullus sit periclitatus. Ad vocem Magistri operum, quâ significavit instare periculum, vix erant egressi omnes, cùm ruina est facta. Civitas universa doluit. Episcopus dono dedit quinquaginta monetas aureas, ut erigendo collapso operi adhiberetur manus. Nequaquam territus tanto damno P. Joannes Correa Collegii Rector diligenter insudavit tum ruderibus amovendis, tum operi rursus inchoando, ac reficiendo, quod non ciciderat.

Septum Collegii Scalabitani.

17. Collegium Scalabitanum nonnihil molestiæ patiebatur à Comite Unensi. Nam illustrissima mater in filii sui minore ætate Collegio vendiderat majorem domestici septi partem. Filius jam adultus, etiam matre vivente, arreptâ levi causâ, litem movit, causans, nullius momenti fuisse venditionem, & apud Judices evicit. Citatus Rector, ut septum dimitteret: datis pro septi incrementis solvendis fidejussoribus, Comes suo jure usus vendicavit septum 18. Novembris. Verùm anno 1722. generoso, & verè regio, quo est præditus, animo, cessit nostro Collegio jus omne suum in id solum, eâ conditione, ut illic in monumentum tam insignis munificentiæ poneremus incisum marmori Excellentissimæ suæ familiæ scutum gentilitium. Cùm hæc scribuntur, agit summum Præfectum regni Algarbiensis, summis, infimisque evehentibus in Cœlum ejus in regendo prudentiam, integritatem, & ad quæque maxima excelsum animum.

Lis Lapensis evicta.

18. Lapensis Residentia terminavit hoc anno satis importunam litem motam ab Episcopo Lamecensi. Conabatur antistes nos dejicere ab immemoriali possessione Eremitorii Lapensis. Vix alius in Lusitania locus magis frequentatur à Christi fidelibus. Idcirco censetur Residentia missio continuata propter numerum confitentium. Nec tam locus venerabilis illuc magnam partem invitat, quàm sub eo prætextu studium expiandi conscientias. Lite intentatâ, ampliùs noluit Episcopus nostros ibidem confessiones audire. Unde à multis annis ad præsentem, quo hæc litteris mando, ne fideles in domum suam redeant tristes, nostri sacerdotes migrant ad Visensem diœcesim, cujus confinia parùm distant à domo nostra, ibique sub aperta aura sedentes in saxis detergunt pœnitentium animas. Etsi Episcopus causâ cecidit, tamen hactenus flecti non potuit ad nostros sacerdotes approbandos.

Portimanense Collegium.

19. Portimanense Collegium 6. Martii concussum formidando terræ motu aliquot fecit labes. Crux lapidea magnæ molis è vertice propylei in tectum conjecta dissilüit. Fornices diversis locis sunt fissi. Damnum stetit intra communem timorem. Pegma Principis aræ illius templi suo loco positum. Hoc anno primùm supplicatio de passibus Domini Crucem bajulantis è nostro templo Portimanensi est egressa; id omnibus volentibus, ac Domino Episcopo Josepho Pereira Lacerda, nunc S. R. E. Cardinali. Ex eodem Collegio bis, térve sacerdotes bini excurrerunt per aliquot pagos, & oppida populum edocendo, & per confessiones expiando. Idem à diversis Collegiis præstitum.

Academia Eborensis acceptat Bullam *Unigenitus.*

20. Eborensis Academia 23. Novembris, quanto potuit apparatu, jurejurando testata est se complecti Bullam Clementis XI. cœptam *Unigenitus DEI filius*, eodem sensu, quo jussit eam promulgari summus Pontifex. Academiam nostræ Professores imitatæ sunt, quotquot sacræ familiæ habitant Eboræ. Vulgatus typis ea de re libellus admodùm cultus, qui per orbem Christianum spargitur. Regebat Collegium nostrum, & Academiam P. Fructuosus Correa Bracharensis, qui omnes curas impendit, ut cuncta fierent maxima cum dignitate.

Asse-

Assecutus est feliciter, nam actus omnium explevit vota. Finis pompæ impositus perleganti oratione habita à P. Stephano Sequeira in artium facultate Magistro, quæ cum libello jurisjurandi tanquam ipsius pars in lucem edita.

21. In insula Madeira noster Ignatius Marsius Coadjutor Transmontanus mirâ felicitate introduxit usum recitandi alternis vocibus diebus singulis tertiam partem Rosarii, ut in majori parte sacratum ædium urbis Funchalensis quotidie hujusmodi obsequio honoretur Virgo sanctissima. Ex urbe manavit pia consuetudo in alia oppida, & insulam, quam dicunt Portum sanctum. Idem socius fieri fecit decem Virginis Deiparæ simulacra, quæ magnâ pompâ diversis in templis locabantur. Additæ solemnes supplicationes. Res tanta digna visa est, ut referretur ejus initium, & author, in libros fidei publicæ. Devotio Rosarii.

22. Anni postremâ die hymnus *Te DEum* decantatus eò magnificentiæ crevit, ut hæc in majus non videatur augeri posse. Figurato Cantu hymnum compofuit P. Christophorus Fonseca nostræ Societatis musices peritissimus. Qui in arte erant excellentiores Ulysipone, fassi sunt insignis Magistri opus esse. Nec ullus fuit, qui tot choros (erant enim quindecim) manu suâ auderet moderari. Necessum est visum ipsum P. Christophorum agere moderatorem in eo templi loco, unde posset ab omnibus observari. Concursus in templo nostro Domûs Professæ nunquam visus augustior, Reges, Infantes, Cardinalis Inquisitor Generalis, Nuncius, Patriarcha, Legati Regum, Duces, Marchiones, Comites, & quidquid Ulysipone grande erat. Accessêre ex aliis capita sine numero. Studiosi nostrarum scholarum à multo tempore musicis instructi numeris suo loco respondebant choris. Quidquid vocis, & instrumenti musici exquisitum erat Ulyssipone, in templo audiebatur. Sumptum Patriarcha sustinuit. Hymnus Te DEum.

Annus 1720. Soc. 181.

1.

ANnis quinque secuturis, non sine consilio, summa tantùm rerum capita attingam; aliàs fortè, si hinc opus novum ordiri lubeat, ampliùs deducenda. Et quidem anno labente deponunt socii Lusitani pileos rotundos, quibus hactenus usi fuerant, & sumunt quadratos, quales habent Itali nostri. Duodecim ad Indiam proficiscuntur, uno pauciores ad Maranoniam. Adventant ex India P. Antonius Guizenrot Procurator Goanus, & P. Brolias Antonius Brandolinius Procurator Malabarensis. Inter alias missiones duo comitati sunt Illustrissimum Patriarcham in lustratione diœcesis. Dux Banensis, qui causâ obtinendi Ducatum Averiensem venit hoc anno Ulysiponem, tributâ bonâ pecuniæ summâ, benefacit Missioni Maranonensi. Fabricatur ampla domus in prædio Eborensis Collegii dicto Castello ventoso. Molinistæ sacerdotes capti in urbe Visensi, & puniti ab Inquisitoribus suos, suásque edocebant, nostros Confessarios fugerent, ut detegeretur pestilens doctrina. Collegium Portuense evincit litem magni momenti motam ab viris importunissimis contra Collegii villam prope Durium. Stephanus Pirius janitor scholarum Conimbricensium obiens legat sua bona nostro Collegio Eborensi, cui fidelissimè servierat. Concessum ab A. R. Patre posse aperiri Gymnasia in Domo Professa Villavissosana, ut fit Viennæ, Pragæ, & Venetiis: sed non fuit, qui daret necessarios reditus. Vitam perituram cum perenni commutârunt, Conimbricæ Petrus Machadus Coadjutor, Emmanuel Madureira, sacerdos; Bracharæ P. Stanislaus Oliveira; in Residentia Labrugensi P. Martinus Sylva.

Annus 1721. Soc. 182.

1.

INfans Dominicus Franciscus rediens Mourâ hospitatur in Eborensi Collegio, editis in nos suæ regiæ benevolentiæ præclaris significationibus. Mortui sunt, Ulyssipone P. Antonius Sousa Rector Seminarii, P. Joannes Oliveira, P. Joannes Seco olim Principum Magister, Antonius Rodericius Coadjutor, P. Georgius Gelartius; Romæ 11. Februarii P. Franciscus Caetro Revisor; Eboræ

Michaël Avelar scholasticus, Didacus Ribeiro novitius, Martinius Rodericius Coadjutor, P. Simon Dinisius; Conimbricæ Josephus Salazar scholasticus, Gregorius Pintus tiro; in Portu P. Sebastianus Parada; Bracharæ Joannes Baptista, & Antonius Fernandius Coadjutores; in Fayalensi Collegio P. Emmanuel Faria; in Madeira Bartholomæus Xaverius Grammaticæ Magister; Scalabi P. Josephus Borgius. In Madeira sanctimoniales divæ Claræ de suo cœnobio exeuntes invadunt possessionem villæ nostræ suburbanæ ob canalem casu ruptum, per quem aqua fluebat in monasterium; at jussu Regis Collegio sua possessio restituitur. Centenario major Scalabi obit Joannes Henriquius Rosa nostri templi benefactor. Eminentissimum Cardinalem Josephum Pereiram ad electionem novi Pontificis euntem Romam duo è nostris sacerdotibus comitantur. Franciscus Coutinius olim de Societate donat Conimbricensi Collegio bonam pecuniæ summam ad exornandum sacrum vestiarium. Calendis Novembris Eboræ collocatur in sacello Juniorum sacrum tabernaculum cum Eucharistia reditu ad flammam perpetuam, & lampade argentea ab uno de nostris sacerdotibus datâ. Die 30. Decembris renunciatur hujus Provinciæ Visitator, & Vice-Provincialis P. Carolus Casnedius Mediolanensis, olim Legionis & Castellæ magni Archithalassi Confessarius, ut suo loco narratum.

Annus 1722. Soc. 183.

I.

VItam expleverunt, Eboræ P. Joannes Sousa, P. Franciscus Ramalius, P. Josephus Amorimus; Ulyssipone P. Antonius Cordeirus; Conimbricæ P. Franciscus Borgius, Josephus Antunius, & Emmanuel Camellus, scholastici; Angræ P. Gaspar Velius; Pontedelgadæ P. Melchior Pintus; in Portu P. Joannes Correa; Fari P. Eduardus Oliveira; Pace-Juliâ P. Josephus Acunea. Ad Indiam transiverunt octodecim, ad Maranoniam duo, totidem ad Brasiliam, sed unus inde venerat Procurator. Bracharæ rursis pro templi campanis instauratur, additâ prægrandi campanâ. Eboræ, & Conimbricæ tirones deponunt vestes, vulgò sotanas, fusci coloris, & assumunt nigri. Ulyssipone idem jam erat factum anno 1719. In Collegio D. Antonii sunt locata in specialibus sacrophagis cum suis inscriptionibus ossa Ven. P. Joannis Fonsecæ, & Ven. socii Coadjutoris Antonii Homem. Legati tres Theocasi Regis Fulanecensis in insula D. Laurentii jussu Serenissimi Regis hospitantur in nostra Domo Professa. Octobri cœpta consuetudo ter pulsandi æs templi ad salutandam Virginem horis matutinis, & novies vespertinis ad commendandas DEO animas purgatorii. Venit è Maranonia P. Philippus Luisius Procurator, è Sina P. Antonius Magalanius Imperatoris Legatus ad Serenissimum Regem. Didacus Tinocus Presbyter donavit Collegio Ulyssiponensi D. Xaverii annuum reditum ad habendum alterum Latinitatis Magistrum. Mense Octobri apertum est Bracharæ aliud Gymnasium Philosophiæ.

Annus 1723. Soc. 184.

I.

CUm Januario mense extractum de flumine fuisset monstrum marinum tantæ magnitudinis, ut longitudo æquaret 87. palmos; id omni Ulysiponi spectaculum fuit prorsus admirandum. Nonnullis persuasum præsagiisse acutos morbos, qui funestârunt eam urbem; in illis multùm eluxit nostrorum charitas diu, noctùque; DEO cunctis prospiciente, ne uni quidem adhæsit pestilens malum. Cùm Mauri plurimi essent è Mazagonia vecti Ulyssiponem, ex ipsis fœmina morbo lethali implicatur: existimante plebe pestem esse, jubet Rex Serenissimus deferri Mauros ad stationem dictam *Trafaria*, simul imperat significari Moderatori nostro, opus esse sacerdote de nostris, qui miserrimis consulat. E plurimis, qui se libenter obtulerunt, designatur unus. Interim compertum est, mauræ morbum à peste diversum. Idcirco Regis nomine Marchio Abrantensis per litteras, collaudatâ amplis verbis charitate Societatis, admonet,

monet, ne mittatur sacerdos. Multis operibus de novo factis illustratur ædificium Eborensis Collegii. Conimbricæ inaurata pegmata altarium ad latera majoris aræ. Ibidem introducta devotio B. Virginis à bona morte. Infans D. Franciscus eligit unum de nostris Magistrum filii sui D. Petri. Abluuntur baptismo Legati Regis Theocasi, de quibus anno superiore; eos nostri sacris mysteriis instruxerunt. Quarta & vigesimâ Septembris Regina Serenissima in lucem edit Infantem D. Alexandrum. Ad Indiam profectus P. Joannes Antunius cum aliis octo. Conjux Archithalassi, desperatâ jam corporis salute, se unà cum Archithalasso obstrinxit voto erigendi suo sumptu D. Xaverii Collegium, si valetudini restitueretur: meliùs habere cœpit, votúmque nuncupatum innovavit. Mortem cum vita commutârunt, Conimbricæ P. Gaspar Ribeiro, P. Antonius Veiga Collegii Rector, P. Ludovicus Ferrazius, Antonius de Sanctis coadjutor, Georgius Figueiredus tiro; Ulysipone P. Antonius Simonius, P. Philippus Luisius Procurator Maranoniæ, Antonius Luisius coadjutor; Bracharæ P. Antonius Leitamus; Portalegriæ P. Josephus Ribeiro Collegii Rector. Ulysipone mense Augusto extremum vitæ anhelitum edit Dominus Antonius Figueiredus domo Goveensis in diœcesi Conimbricensi, sua bona legat Societati ad fundandum Collegium Goveæ. Eboræ rapitur immaturâ morte Josephus Saldania Albuquerquius adolescens de primaria Regni Nobilitate, Convictor Collegii Purificatæ Virginis, præditus sanctis moribus; sepelitur magnâ pompâ in templo nostro in sacello D. Francisci Borgiæ, cujus erat consanguineus.

Annus 1724. Soc. 185.

1.

REge offenso, Præpositus Domûs Professæ, & Visitator Provinciæ coacti sunt deponere magistratus suos. Fit Vice-Provincialis locò Visitatoris P. Antonius Galvam Rector Conimbricensis. Rebus non paucis patescit Regem non iratum Societati, sed duobus, quos dixi. Rex, & Regina honestant suâ præsentiâ novendiales preces D. Xaverii in templo Domûs Professæ. Rex Serenissimus studentium fautor egregius donat in perpetuum reditum quingentorum aureorum singulis annis nostro Collegio Ulysiponensi, ut bis quotannis habeantur litteraria certamina ab scholasticis externis. Mense Julio habito primo litterario certamine, Rex interfuit dramati, ac distributioni præmiorum. Idem consulens scholasticorum siti, jussit in atrio scholarum fieri marmoreum receptaculum aquæ, ubi adolescentes sitim placarent. Idem Professæ Domui largitus fuerat aureorum tria millia, ut typis vulgaret libros de restitutione P. Emmanuelis Pereiræ nostræ Societatis, quondam in Eborensi Academia Theologiæ primarii Professoris. Excusi hoc anno tomi duo. Decrevit Rex, ut Conimbricæ omnes, quibus studium Philosophiæ esset computandum pro uno anno Juris Pontificii, aut Civilis, antequam admitterentur in aulas earum facultatum, apud nostros è Logica examinarentur. Regina cum suo Infante Serenissimo Alexandro adest in templo Collegii festivo dramati in obsequium ejusdem Infantis habito. Didacus Tinocus presbyter sæcularis donat Collegio D. Xaverii Ulysiponensi reditum pro Magistro scientiæ moralis. In Collegio Portuensi duplici Latinitatis Gymnasio additur tertium propter multitudinem studentium. Duo adolescentes Comitum filii legitimi egregiè vicerunt à suis oppositos obices, & se Societati mancipârunt. Eborense Collegium novis operibus venustatur; ornamentis pretiosissimis dicatur templum. In nostro Farensi templo locavimus magnâ solemnitate simulacrum D. Barbaræ ad abigendas tempestates, & terræ motus. Regis placito introducuntur novendiales preces D. Josephi in majorum Collegiorum templis. Decimâ nonâ Novembris fœdissima procella grandem Ulysipone stragem edit, ad centum viginti naves aut mergit undis, aut lacerat, aut conjicit in terram, alliditque. Lembi, & minores naviculæ sine numero confractæ, ac undis raptæ. Nec in terra parva calamitas; nostræ domus damni haud modicum sunt perpessæ. Octavâ Aprilis Ulysipone explevit ætatem in domo tironum P. Michaël Dias, ejusdem domûs insignis benefactor, olim Reginæ Confessarius, Provincialis, & Assistens, multis clarus virtutibus. In Domo Professa Ulysiponensi 26. Novem-

bris adscriptus est æternitati P. Joannes Tavares primi Patriarchæ Ulyssiponis Occidentalis primus Confessarius, vir in re morali expertissimus, & religiosâ modestiâ spectabilis. Tredecim de nostris concessêre in Maranoniam. Indiam petunt naves duæ, una de portu egressa, in qua nostri vehebantur, sic est vehementi concussa tempestate, ut ægre tenuerit sinum Lacobrigensem in Algarbiis, incapax ad iter continuandum. Tandem vitæ periodum clausit septimâ & decimâ septembris die in Portimanensi Collegio, cum quo & ego finem impono Annalibus, P. Franciscus Salgueiro Tingitanus Doctor Theologus præclarissimus, qui virtutis regulam sibi statuit mala pati, bona facere; nam in adversitatibus tolerandis illustre erat exemplum, charitate erga miseros, infirmos, & morientes apud Portimanenses omni major commendatione.

Hactenus, quæ egit Lusitana Societas à primordiis suis in annum octogesimum quintum supra centesimum. Quæ deinceps socii gesserint, scribent alii. Non minora futura putem. Mihi aliud nihil superest, quàm æterno Numini, quas possum, habere gratias, quòd animos, ac vires dederit, torque annos conservârit, ut illi præstarem hujuscemodi obsequium; tenuissimum, si spectetur ejus, cui offertur magnitudo: non parvum, si respiciatur offerentis tenuitas, & paupertas. Faxit idem Numen, sit in Ejus majorem gloriam.

Annus 1725. Soc. 186.

I.

Quatuor ætate, & meritis graviores è sociis vitam fluxam cum perenni commutârunt. Ulyssipone 4. Januarii P. Benedictus Oliveira, per Maranoniam olim Visitator, vir multæ bonitatis, & charitatis. Eboræ 25. ejusdem mensis P. Antonius Correa Estremotiensis; præter alia munera egit Provincialem; in eo micabat moris antiqui probitas. Quartâ Maji in Domo Professa Ulyssiponensi P. Franciscus Tavarius ætatis octogesimo octavo; præter alios magistratus bis rexerat Provinciam vicariâ potestate; omnes agnoscebant nescium doli Israelitam. Undecimâ mensis ejusdem vitam explevit Pace-Augusta octogenario major P. Antonius Carolus Carnedius Mediolanensis, olim Archithalassi Legionis, & Castellæ Confessarius; cum ipso migravit in Lusitaniam anno 1702. His postremis annis egit Vice-Provincialem, & Visitatorem. Nullâ suâ culpâ compulsus est se Magistratu abdicare, &, ut tempori serviretur, de curia secedere. Abiit Pacem-Augustam, quæ est urbs jam ditionis Regis Castellani; ibi intra decimum sui adventûs diem emoritur. Splenduit multâ religione, & sapientiâ.

Jussu Regis sacratum multâ cæremoniâ altare Divæ Quiteriæ in templo Domûs Professæ Ulyssiponensis. Profecti Goam undecim, duo in Malabaricas Missiones, novem sacerdotes ad Sinam cum Legato Regis Lusitani ad novum Imperatorem Sinensem. Redivit P. Antonius Magalanius, qui venerat Imperatoris defuncti Legatus ad Lusitanum Regem.

Eboræ nobilitatum novis operibus Collegium. In templo totum Sacellum divi Francisci Xaverii auro obductum sumptibus immodicis. Ubi decussantur pergulæ, sive transitus in medio Collegii, ædificatur aula spectandis architecturis, sumptu P. Antonii Franco. Ambulacra duo sternuntur quadrato lapide. In villa suburbana de novo effoditur tertius puteus successu optato propter aquæ saluberrimæ, & ad irriganda pomaria fœcundissimam venam. Post theses, ut ajunt, habitas in solemnitate divi Spiritûs Collegii Purificationis alumnus æque audax, ac inurbanus, quòd apparitor Academicus inter dictas theses observâsset imperium Rectoris, eum intra Collegium nostrum tractavit indecorè. Idcirco carceri Academico mancipatus: & Convictores, pueri primariæ nobilitatis, quòd Collegæ fecissent animos, in suis cubiculis, tanquam in carcere, diebus aliquot clausi. In illum denique, post menses tres duri carceris, prolata sententia, prout merebatur, ab Academico Conservatore.

Ulyssipone 13. Junii renunciatur Provincialis P. Josephus Almeida, & Præpositus Domûs Professæ P. Laurentius Ferreira Doctor Theologus, eosq; in suum conspectum benigne admisit Rex. Placito ejus, qui poterat, in supplicatione Theophorica Domûs Professæ omnes nostri processêre loco statui accommodo: Coadjutores linteati Cruci agmen præeunti hærebant, mox tirones, socii minoribus initiati, Coadjutores spirituales, demum Professi.

S. Parentis Ignatii cultus incrementum sumpsit Portalegriæ, Vix domus est, in qua non legantur hæc verba: *Sanctus Ignatius de Loyola Societatis JEsu Fundator.* Id factum ad abigendos lemures, & præstigias. In prædio nostri Collegii *Pego escuro* dicto sic larvæ stygiæ infestârunt domos, ut nullis exorcismis arceri possent. Verum ubi parietibus inscripsêre dicta verba, omnis vis, & astus mali hospitis evanuit. Hæc ad finem Augusti. Cum quo Synopsis Annalium Lusitanorum Societatis JESU explicit.

Cata-

Catalogus

Virorum Societatis JESU, qui ad propagandam fidem ex Lusitania ad Indiæ regiones navigârunt ab anno 1541. ad annum 1725. qui notantur hoc signo † sunt passi martyrium.

Anno 1541.
4.
S. Franciscus Xavier. Navar.
P. Paulus Camerte. Ital.
P. Franciscus Mansilhas. Luf.
P. Didacus Rodrigues. Luf.

Anno 1545.
3.
† P. Antonius Criminal. Ital.
P. Nicolaus Lancilotus. Ital.
P. Joannes Beira. Galæc.

Anno 1546.
9.
P. Nicolaus Nunes, Luf.
- Alfonsus Cypriano. Castel.
- Henricus Heoriques. Luf.
† P. Nooius Ribeiro. Luf.
P. Emmanuel Morais. Luf.
- Balthasar Nunes. Luf.
- Franciscus Heoriques. Luf.
- Fraocifcus Peres. Luf.
Adamus Francisco. Luf.

Anno 1548.
10.
P. Gaspar Berceo. Zel.
† P. Melchior Gonsalves. Luf.
- Balthasar Gago. Luf.
- Antonius Gomes. Luf.
Joannes Fernandes. Bœtic.
Franciscus Gonsalves. Luf.
† Paulus de Valle. Luf.
Martialis Vas. Luf.
Ludovicus Froes. Luf.
Ægidius. Barreto. Luf.

Anno 1551.
13.
P. Emmanuel Morais. Luf.
- Melchior Nunes. Luf.
- Antonius Dias. Luf.
- Gonsalus Rodrigues. Luf.
- Christophorus Costa. Luf.
- Melchior Dias. Luf.
- Alexius Madeira. Luf.
Antonius Dias. Luf.
Emmanuel Teixeira. Luf.
Petrus Almeida. Luf.
Georgius Nunes. Luf.
Thomas. Luf.
Guilielmus. Belg.

Anno 1553.
3.
P. Urbanus Fernandes. Luf.
- Balthasar Dias. Castel.
- Alexius Dias. Luf.

Anno 1554.
2.
P. Franciscus Vieira. Luf.
- Didacus Soveral. Luf.

Anno 1555.
9.
P. Antonius Quadros. Luf.
- Emmanuel Fernaodes. Luf.
- Michael Baralo. Cast.
- Andreas Gonsalves. Cast.
Alfonsus Lopes. Cast.
Antonius Costa. Luf.
Marcus Nunes. Luf.
Josephus Ribeiro. Luf.
P. Melchior Carneiro Luf. unus è primis Episcopis.

Anno 1556.
14.
P. Joannes Nunes, Patriarcha. Luf.
- Andreas Oviedus Episc. Cast.
† Gonsalus Sylveira. Luf.
P. Franciscus Rodrigues. Luf.
† P. Andreas Gualdames. Bœt.
- Joannes Mesquita. Luf.
- Laurentius - - -
Franciscus Lopes. Luf.
Bartholomæus Sanctos. Luf.
Bartholomæus Carrilho. Luf.
Joannes Gonsalves. Luf.
† Gonsalus Cardozo. Luf.
Joannes Rodrigues. Luf.
Joannes Bustamante. Cast.

Anno 1558.
2.
P. Marcus Pancrudo. Bœt.
Andreas Fernandes. Luf.

Annus 1560.
4.
P. Emmanuel Alvres. Luf.
- Antonius Arboleda. Cast.
- Franciscus Vieira. Luf.
Joannes Roxo. Cast.

Anno. 1561.
6.
P. Franciscus de Pina. Luf.
- Didacus Pereira. Bœt.
- Gonsalus Rodrigues. Castel.
- Stephanus Dinis. Luf.
Joannes Baptista. Ital.
Joannes Mendones. Ital.

Anno 1562.
8.
P. Sebastianus Gonsalves. Luf.
P. Fernandus Tenreirus. Luf.
P. Vincentius Tonda. Valent.
Gonsalus Vas. Luf.
Antonius Fernandes. Luf.
† Emmanuel Lobo. Luf.
Michael Beltram. Valent.
Vincentius. Ital.

Anno 1563.
6.
P. Emmanuel Cabral. Luf.
- Andreas Cabreira. Cast.
- Marcus Machil. Belg.
- Franciscus Dionsio. Cast.
Petrus de Crus. Cast.
Jacomius de Braga. Luf.

Anno 1554.
6.
P. Petrus Ramires. Cast.
- Petrus Merecido. Sic.
- Petrus Parra. Valent.
- Martinus Fuisquita. Cantab.
- Gomius Vas. Luf.
- Stephanus Leam. Cast.

Anno. 1565.
6.
P. Fernandus Alcaras. Cast.
- Gabriel Olivier. Cast.
- Alexander. Ital.
- Petrus Arier. Catal.
- Joannes Baptista. Cast.
- Petrus Argudo. Valent.

Anno 1567.
10.
P. Joannes Francisco. Ital.
- Dominicus Alvres. Luf.
- Gaspar Tavares. Luf.
- Gaspar Dias. Luf.
- Dominicus Lopes. Luf.
- Organtinus Gneco. Ital.
- Joannes Roderigues. Cast.
- Petrus Texeda. Cast.
- - - Vehoa. Cast.
- - - Ribera. Diaconus. Catal.

Anno 1568.
3.
P. Gonsalus Alvres. Luf.
- Emmanuel Lopes. Luf.
Gaspar Fernandes. Luf.

Anno 1569.
4.
P. Francisco Monclaro. Luf.
- Stephanus Lopes. Luf.
Didacus Gonsalves. Luf.
Gonsalus Dinis. Luf.

An. 1571.

8.

P. Dominicus Cardozo. Luſ.
P. Fernandus Navarro. Navarr.
- Fulgentius Freire. Luſ.
Balthaſar de Araujo. Luſ.
Hieronymus Coelio. Luſ.
Emmanuel Paiva. Luſ.
Balthaſar Lopes. Luſ.
Lazarus Lopes. Luſ.

An. 1574.

39.

P. Alexander Valignanus. Ital.
- Ruyſius Vicente. Luſ.
- Martialis Vaſ. Luſ.
- Franciſcus Riero. Catal.
- Julius Pianus. Ital.
- Petrus Fonſeca. Luſ.
- Antonius Velles. Luſ.
- Nonius Rodrigues. Luſ.
- Fernandus Menezes. Luſ.
- Bartholomæus Valon. Sic.
† P. Gomius Amaral. Luſ.
P. Antonius Suno. Ital.
- Antonius Monſerrate. Valent.
- Franciſcus Vieira. Ital.
- Alfonſus Gonſalves. Galæc.
- Petrus Bamon. Caſt.
- Joannes Luiſ. Caſt.
- Alfonſus Hernandes. Caſt.
- Joannes de Villia. Caſtel.
† P. Alfonſus Pacheco. Caſtel.
Onufrius Rodrigues. Luſ.
Hieronymus Rebello. Luſ.
Chriſtophorus Leon. Caſt.
Joſephus Rufina. Bœt.
Gaſpar Eſteves. Valent.
Melchior de Mono. Caſt.
† P. Franciſcus Hernandes Caſt.
Franciſcus Laguna. Caſtel.
Franciſcus Vergara. Bœt.
† P. Franciſcus Carrian. Caſtel.
Damianus Martin. Arag.
Joannes Salanova. Navar.
Gregorius Ceſpedes. Caſt.
Gregorius Toſcanel. Ital.
Fernandus Dias. Caſt.
Petrus Hurtado. Caſt.
Joannes Sanches - - -
Joannes Baptiſta Lofrida. Ital.
Andreas Labeyoalo. Lombard.

An. 1575.

4.

P. Georgius de Caſtro. Luſ.
- Emmanuel Chaves. Luſ.
- Bernardinus Ferraro. Ital.
Thomas Anglus - - -

An. 1576.

9.

P. Dominicus Soares. Luſ.
- Chriſtophorus Soeiro. Luſ.
- Laurentius Mexia. Luſ.
- Matthæus Lopes. Luſ.
- Marcos Palacios. Ital.
† P. Joſephus Furnaleto. Ital.
P. Antonius Nigri. Ital.
- Alfonſus Lucena. Luſ.
- Amator Coſta. Luſ.

An. 1577.

2.

P. Chriſtophorus Caſtro. Luſ.
P. Melchior Dias. Luſ.

An. 1578.

14.

P. Martinus Silva. Luſ.
† P. Georgius Carvalhal. Luſ.
P. Eduardus Sande. Luſ.
- Balthaſar Sequeira. Luſ.
- Lupus de Avreu. Luſ.
† P. Georgius Fernandes. Luſ.
† P. Rudolphus Aquaviva. Ital.
P. Franciſcus Paſſio. Ital.
- Gregorius Reubos. Belg.
- Michael Rogerio. Ital.
- Nicolaus Spinola. Ital.
Dominicus Fernandes. Luſ.
- - - Gerandino. Ital.
Matthæus Riccio. Ital.

An. 1579.

12.

P. Petrus Gomes. Bœt.
- Ruyſius Barreto. Luſ.
- Petrus Globus. Belg.
- Franciſco Ricio. Ital.
- Didacus Lemos. Luſ.
- Fernandus Vaſ. Luſ.
Didacus Antones. Luſ.
Albertus Laercio. Ital.
† Petrus Bernus. Ital.
Lambertus Racius. Belg.
Thomas Stepheno. Ang.
Nicolaus Palud. Belg.

An. 1581.

14.

P. Franciſcus Martins. Luſ.
† Alphonſus Pacheco. Caſtel.
P. Hieronymus Xavier. Navar.
- Simon Paes. Luſ.
- Antonius Rodrigues. Luſ.
- Hieronymus Rebello. Luſ.
- Emmanuel Carvalho. Luſ.
† P. Antonius Franciſco. Luſ.
P. Franciſcus Vieira. Luſ.
P. Dominicus Ferreira. Luſ.
Joannes Nicolao. Neap.
Marcus Antonio. Ital.
Valerio Parada. Luſ.
Ludovicus Fernandes. Luſ.

An. 1583.

15.

P. Petrus Silva. Luſ.
- Antonius Marta. Ital.
- Joannes Craſſo.
- Chriſtophorus Viega. Caſt.
- Joannes Mapolis. Venet.
† Theodorus Montelis. Fland.
Joannes Rodrigues. Luſ.
Jacomius Fenicio. Ital.
Fulvius Gregori. Ital.
Gabriel Rengifo. Caſt.
P. Hieronymus Coſt. Caſt.
- Franciſcus Calderon. Caſt.
- Sylveſtre Pacificus. Neap.
- Magavaro. Neap.
- Petrus Nunes. Luſ.

An. 1584.

10.

P. Franciſcus Gomes. Luſ.
P. Celſo. Ital.
† P. Antonius Critana. Caſt.
P. Triſtanus Coſta. Luſ.
- Ægidius Martins. Caſt.
- Franciſcus Roz. Arag.
Franciſcus Rodrigues. Luſ.
† Petrus Paulo. Ital.
Marcus Ferram. Ital.
Antonius Almeida. Luſ.

An. 1585.

12.

P. Petrus Martins. Luſ.
- Petrus Alvres. Luſ.
- Joannes Gonſalves. Luſ.
- Vincentius Zapata. Caſt.
- Antonius Correa. Luſ.
- Gaſpar Cerqueira. Luſ.
- Antonius Eſquipano. Ital.
- Franciſcus Polaſco. Ital.
Emmanuel Ferreira. Luſ.
Emmanuel Dias. Luſ.
Fauſtinus Mayorga. Luſ.
Joannes Franciſco. Ital.

An. 1586.

31.

P. Nonius Rodrigues. Luſ.
† P. Didacus Meſquita. Luſ.
P. Arias Souſa. Luſ.
- Ruyſius Colaſſo. Luſ.
- Annibal Anatis. Neap.
- Alexander Leni. Ital.
- Michael Monſerrate - - -
- Franciſcus Martins. Caſt.
- Petrus Crus. Caſt.
- Nicolaus de Villa. Caſt.
Georgius Japonenſis.
Dionyſius Fernandes. Luſ.
Antonius Machado. Luſ.
Antonius Cordeiro. Luſ.
Joannes Ceroige. Luſ.
Hieronymus Gomes. Luſ.
Simon de Sâ. Luſ.
Sebaſtianus Gonſalves. Luſ.
† Matthæus Couros. Luſ.
Joannes Soeiro. Luſ.
Balthaſar Cerveira. Luſ.
Bartholomæus Gomes. Luſ.
Joannes Rocha. Luſ.
Joannes Jeronimo. Luſ.
Franciſcus Petri. Ital.
Joannes Manfrida. Ital.
† Balthaſar Torres. Caſt.
Petrus Morejon. Caſt.
P. Britius Fernandes. Luſ.
P. Michael Gil. Caſt.

An. 1588.

10.

P. Sebaſtianus Morais. Epiſc. Luſ.
P. An-

P. Antonius Rodrigues. Luf.
- Emmanuel Veiga. Luf.
- Lafarus Catanius. Ital.
- Laurentius Martinios. Ital.
Antonius Luis. Luf.
† Gafpar Caftro. Luf.
Emmanuel Pires. Luf.
Garcia Garces. Luf.
Petrus Paes. Caft.

An. 1589.

5.
P. Emmanuel Gafpar. Luf.
P. Joannes Rebelio. Luf.
Antonius Rocha. Luf.
Petrus Francifco. Luf.
Gafpar Afcuren. Caft.

An. 1590.

6.
P. Emmanuel Pinheiro. Luf.
- Theophilus. Ital.
- Angelus Marii. Ital.
Didacus Gonfalves. Luf.
Andreas Nabais. Luf.
Francifcus Paiva. Luf.

An. 1591.

P. Petrus Rodrigues. Luf.
P. Theophilus - - - Ital.
- Emmanuel Pinheiro. Luf.
- Anello Marcelli. Ital.
- Francifcus Andrada. Luf.
- Gafpar Garces. Luf.
- Ludovicus Pinto. Luf.
- Didacus Guerreiro. Luf.
Gafpar Soares. Luf.
Emmanuel Barradas. Luf.
Didacus Gonfalves. Luf.

An. 1592.

15.
P. Francifcus Monclaro. Luf.
- Chriftophorus Caftro. Luf.
- Emmanuel de Lis. Luf.
- Emmanuel Carvalho. Luf.
† P. Francifcus Georgio. Maro.
P. Ludovicus Coelho. Luf.
P. - - - Lombardo. Ital.
Emmanuel Bernardes. Luf.
Antonius Varejam. Luf.
Balthafar Berges. Luf.
† Francifcus Pacheco. Luf.
Francifcus Lopes. Luf.
Ludovicus Azevedo. Luf.
Melchior Coutinho. Luf.
Andreas Bucerio. Ital.

An. 1593.

6.
P. Sebaftianus Gonfalves. Luf.
- Balthafar Garces. Luf.
- Nicolao Levanto. Gen.
Andreas Novais. Luf.
Dominicus Pereira. Luf.
Gafpar Ferreira. Luf.

An. 1594.

4.
P. Ludovicus Cerqueira. Epifc. Luf.
P. Valentinus Carvalho. Luf.
Francifcus Paiva. Luf.
Emmanuel Joam. Luf.

An. 1595.

4.
P. Gomius Ferreira. Luf.
- Melchior Fonfeca. Luf.
- Ludovicus Cardozo. Luf.
Hieronymus Rodrigues. Luf.

An. 1596.

18.
P. Nicolaus Pimenta. Luf.
- Didacus Pantoja. Caftel.
- Bernardus Gonfalves. Caft.
P. - - - Longobardo. Sic.
P. Gafpar Alfonfo. Luf.
P. Jacomius de Vicatiis. Neap.
† P. Carolus Spinola. Gen.
P. Ægidius Mata. Caftel.
P. Petrus Alvres. Luf.
Antonius Veiga. Luf.
Hieronymus Rodrigues. Luf.
Antonius Gomes. Luf.
Hieronym. Marincheli. Neap.
† Hieronymus de Angelis. Sic.
Georgius Pereira. Luf.
Bartholomæus Sanch. Caft.
Gabriel de Matos. Luf.
Joannes Dias. Caft.

An. 1597.

17.
P. Emmanuel Veiga. Luf.
- Emmanuel Rodrigues. Luf.
- Francifcus Fernandes. Luf.
- Laurentius Almeida. Luf.
- Joannes Pomerio. Ital.
- Vincentius Torrentino. Ital.
- Blafius Nunes. Luf.
Emmanuel Rodrigues. Luf.
Mucius Rhodio. Ital.
Petrus Forticio. Ital.
Andreas Boves. Ital.
Joannes Maria Campori - - -
Joannes Ferreira. Luf.
Sebaftianus Fernandes. Luf.
Emmanuel Almeida. Luf.
Joannes Coelho. Luf.
Emmanuel Alvres. Luf.

An. 1599.

20.
P. Petrus Marcam. Luf.
† P. Carolus Spinola. Gen.
P. Alfonfus Alvres. Luf.
- Blafius Cardozo. Luf.
- Sebaftianus Barreto. Luf.
† P. Hieronymus de Angelis. Sic.
P. Felicio Augerio. Ital.
- Marcus Antonio Luf.
- Chriftophorus Joam. Luf.
- Francifcus Locee. Sard.
- Paulus Oliveira. Luf.
- Bernardinus Ferreira. Luf.
- Petrus Bexiano. Ital.
- Andreas Vina. Ital.
Manoel Cabral. Luf.
Andreas Montemajor. Ital.
Dominicus Gonfalves. Afric.
Valerius Botelho. Luf.
Hieronymus Cota. Luf.
Emmanuel Fonfeca. Luf.
† Vincentius Alvres. Luf.
Emmanuel Paes. Luf.

An. 1600.

20.
P. Petrus Almeida. Luf.
- Francifcus Silveira. Luf.
- Emmanuel Lameira. Luf.
- Joannes Baptifta Margues. Flor.
- Simon Forte de Vigone - - -
- Joannes Greco. Sic.
- Emmanuel Cabral. Luf.
- Francifcus Coelho. Luf.
- Luis Remigio. Tofc.
- Nadal Salerno. Sicul.
† P. Chriftophorus Ferreira. Luf.
† P. Antonius Andrada. Luf.
Thomas Barreto. Luf.
Bartholomæus Tudesque - - -
Jofephus Miranda. Luf.
† Didacus Carvalho. Luf.
Georgius Pereira. Luf.
Petrus Margues. Luf.
Petrus Ribeiro. Luf.
Vincentius Carruba. Sic.

An. 1601.

15.
P. Triftanus Fernandes. Luf.
- Francifcus Soares. Luf.
- Antonius Fernandes. Luf.
- Emmanuel Cofta. Luf.
- Emmanuel Mendes. Luf.
- Joannes Lobo. Luf.
- Francifcus Rego. Luf.
- Balthafar Garcia. Luf.
Antonius Cabral. Luf.
Emmanuel Dias Luf.
Felicianus Sylva. Luf.
† Joannes Baptifta Machado. Luf.
Joannes Moura. Luf.
Joannes Alberto. Luf.
Emmanuel Fernandes. Luf.

An. 1602.

58.
P. Albertus Laertius. Ital.
- Joannes Borges. Luf.
- Antonius Cabral. Luf.
- Ambrofius Soeiro. Luf.
- Joannes Lobo. Luf.
- Joannes Clemente. Ital.
- Gulielmus Portico. Ital.
- Camillus Benedicti. Ital.
- Joannes Baptifta. Venet.
- Joannes Matthæus. Ital.
- Joannes Francifcus David. Ital.
- Emmanuel Cofta. Luf.
- Antonius Zubo. Ital.
- Cafpar Andrada. Luf.
- Paulus Jovio. Ital.
- Vincentius Joanni. Ital.

P. Francifcus Velardita. Ital.
- Francifcus Antonius de Angelis. Ital.
- Julius Cefar. Ital.
- Francifcus Soroldino. Ital.
- Antonius de Faria. Ital.
- Francifcus de Rego. Ital.
- Aurelius Mambio. Ital.
- Zacharias Campione. Ital.
- Sebaftianus Andriocio. Ital.
- Vefpafianus Bonamici. Ital.
† P. Sebaftianus Vieira. Luf.
P. Antonius Dias. Luf.
- Joannes Sene. Ital.
- Salvator Canoel. Ital.
- Laurentius Romano. Ital.
- Antonius Fernandes. Luf.
Joannes Alberto. Luf.
Francifcus Seco. Luf.
Ludovicus Fernandes. Luf.
Jofephus Caftro. Luf.
Bartholomæus Fenteboa. Ital.
Alarcus Aurelio. Ital.
† Antonius Rubino. Ital.
Antonio Albertino. Ital.
† Joannes Baptifta Zola. Ital.
Bernardus Pexe. Ital.
Roque Vieira. Luf.
Antonius Soeiro. Luf.
† Michael Carvalho. Luf.
† Benedictus Fernandes. Luf.
Francifcus Garcia. Luf.
Petrus Rebello. Luf.
Joannes Paulus Alexo. Ital.
Joannes Vicente. Ital.
Antonius de Abreu. Ital.
- Antonius de Almeida. Luf.
Marquinius Agnes. Ital.
Stephanus de Crus. Luf.
Petrus Martins. Luf.
- Simon Antunes. Luf.
Joannes Vicente. Ital.
Fabianus de Urfis. Ital.

An. 1603.

15.

P. Antonius Proenfa. Luf.
- Jacobus Lucarenti. Ital.
- Alfonfus Vanhori. Ital.
- Ignatius Bruno. Ital.
- Victorius Gradi. Ital.
† P. Camillus Conftantinus. Ital.
- Emmanuel Ribeira. Luf.
Antonius Simoës. Luf.
Andreas Gomes. Luf.
† Joannes Metella. Luf.
Joannes Clemente. Luf.
Simon Ribeiro. Luf.
Petrus Jorge. Luf.
Joannes Baptifta. Mediol.
Marius Esquadrino. Florent.

An. 1604.

12.

P. Emmanuel Paes. Luf.
P. Robertus Nobili. Ital.
Paulus Campelo. Luf.
Petrus Gonfalves. Luf.
Emmanuel Fernandes. Luf.
Ludovicus Barreira. Luf.
Hieronymus Borges. Luf.
Francifcus de Aragam. Luf.
Jacomius Antonio. Ital.
Bartholomæus Simino. Ital.
Petrus Nochita. Ital.

An. 1605.

13.

P. Joannes Avreu. Luf.
- Gonfalus Mendes. Luf.
- Antonius Dias. Luf.
- Paulus Soeiro. Luf.
- Michael de Faria. Luf.
- Antonio Rico. Ital.
Joannes Alvres. Luf.
Georgius Soeiro. Luf.
Gafpar Rodrigues. Luf.
Blafius Pereira. Luf.
Joannes Baptifta Efcala. Ital.
Andreas Sina. Ital.
† Ludovicus Belingoto. Ital.

An. 1607.

11.

P. Petrus Gomes. Luf.
- Didacus Rodrigues. Luf.
- Nicolaus Trigaucius. Belg.
- Sebaftianus Minolfi. Ital.
- Ludovicus Mariano. Ital.
Antonius de Matos. Luf.
Hieronymus Froes. Luf.
Francifcus Mendonfa. Luf.
Blafius Ficaval. Ital.
Julius Cefar. Ital.
Joannes Dias. Luf.

An. 1608.

8.

P. Nicolaus Vieira. Luf.
- Francifcus Rodrigues. Luf.
† P. Emmanuel Borges. Luf.
P. Emmanuel Lopes. Luf.
Alvarus Semedo. Lufit.
Francifcus Pina. Luf.
Bernardinus Luis. Luf.
Francifcus Ferraz. Luf.

An. 1609.

24.

P. Francifco Bolono. Neap.
- Francifcus Canola. Ital.
- Vincentius Pacheco. Ital.
- Nicolaus Calico. Fland.
- Joannes Hieronymo. Ital.
- Francifcus Bafil. Ital.
- Fulvius Caputo. Neap.
- Scipio Delecto. Neapol.
Julius Cefar. Gen.
Julius de Clonis - - -
Petrus Efpira. - - -
Petrus Corceto - - -
Emmanuel Coelho. Luf.
Antonius de Figueiredo. Luf.
† Antonius Soufa. Luf.
Stephanus Coelho. Luf.
Didacus de Sottomajor. Luf.
Emmanuel de Avreu. Luf.
Bartholomæus Gonfalves. Luf.
Michael Ribeiro. Luf.
Antonius Freire. Luf.
Emmanuel Alvres. Luf.
Emmanuel Tinoco. Luf.

An. 1611.

22.

P. Francifcus Veiga. Luf.
- Antonius Rodrigues. Luf.
- Francifcus Dias. Luf.
- Antonius Quaresma. Luf.
- Antonius Pereira. Luf.
- Joannes Valafco. Caft.
- Francifcus Nunes. Luf.
- Petrus Francifco. Luf.
- Jacomius Medeiros. Luf.
- Petrus Freire. Luf.
- Bonaventura de Abreu. Luf.
† P. Ludovicus Cardeira. Luf.
P. Chriftophorus Bruno. Mediol.
Hieronymus Martins. Luf.
Dominicus Pereira. Luf.
Melchior Fernandes. Luf.
Georgius Almeida. Luf.
Cyprianus de Caftro. Luf.
Gonfalus de Soufa. Luf.
† Francifcus Machado. Luf.
Antonius Ribeiro. Luf.
Gafpar Mendonfa. Luf.

An. 1612.

12.

P. Georgius Figueiredo. Luf.
- Stephanus Velho. Luf.
- Joannes Baptifta. Armen.
- Francifcus Leam. Luf.

An. 1614.

14.

P. Andreas Machado. Luf.
- Emmanuel de Azevedo. Luf.
- Sebaftian. Dias. Luf.
- Fernandus Lopes. Luf.
Stephanus Cacella. Luf.
Gafpar Ferreira. Luf.
Emmanuel Dias. Luf.
Andreas Lopes. Luf.
Simon de Figueiredo. Luf.
Andreas Cofta. Luf.
Didacus de Oliveira. Luf.
Pantaleon Freire. Luf.

An. 1615.

12.

P. Emmanuel Rodrigues. Luf.
- Laurentius Ribeiro. Luf.
- Francifcus Gonfalves. Luf.
- Flameus Colca. Ital.
- Chriftophorus Berro. - - -
- Paulus Vemano. - - -
- Julius Cefar. Ital.
- Joannes Baptifta. Mediol.
- Joannes Fruma. Fland.
- Antonius de Fontes. Luf.
Petrus Pedrofa. Luf.
Stephanus Fernandes. Luf.

An.

An. 1616.

2.

P. Augustinus Costa. Lus.
P. Petrus Dias. Lus.

An. 1617.

12.

P. Andreas Palmeiro. Lus.
- Didacus Rebelo. Lus.
- Ægidius Fonseca. Lus.
- Dionisius Pereira. Lus.
- Faustinus Vasconcellos. Lus.
- Simon Rijo. Lus.
- Antonius Bruno. Sic.
- Melchior de Seixas. Lus.
- Antonius de Oliveira. Lus.
- Emmanuel Nunes. Lus.
- Bartholomæus Freire. Lus.
- Hieronymus Landina. Sicul.

An. 1618.

31.

P. Didacus Valente. Episc. Lus.
- Gabriel de Matos. Lus.
- Gaspar Luis. Lus.
- Rodericus Figueiredo. Lus.
- Antonius Leite. Lus.
- Josephus Alfiere. Sicul.
- Nicolaus Trigaucius. Fland.
- Franciscus Furtado. Lus.
- Simon de Cuncha. Lus.
- Joannes Froes. Lus.
- Mattheus Gago. Lus.
- Joannes Celes. Fland.
- Umbertus de S. Lourenço. Fland.
- Quintino Cussino. Fland.
- Paulus Cavallino. Bolon.
- Jacomius Roz. Mediol.
- Joannes Falencio. Constan.
- Venceslaus Pantaleon. Austri.
- Joannes Adam. Alem.
- Joannes Alberico. Alem.
Antonius Cardim. Lus.
Emmanuel Mendonsa. Lus.
Joannes Azevedo. Lus.
Emmanuel Figueiredo. Lus.
Cesar Ruelaste. Alem.
† Hiacinthus Francisco. Mediol.
Alvarus Cabral. Lus.
Joannes Ferreira. Lus.
Joannes Veiga. Lus.
† Ægidius de Abreu. Lus.
Goosalus Dias. Lus.
Philippus Trigaucius. Fland.
Joannes Dominicus. Ital.
Athlathias de Sousa. Lus.

An. 1619.

6.

P. Didacus Martins. Lus.
- Hieronymus Mayorica. Ital.
- Alexander Rhodes. Mediol.
Antonius Fernandes. Lus.
Fraocifcus Godioho. Lus.
Didacus Camassa. Neap.

An. 1620.

2.

P. Sebastianus Soares. Lus.
P. Antonius Pereira. Lus.

An. 1622.

4.

P. Petrus Morejon. Castel.
- Hieronymus Lobo. Lus.
- Julianus Baldinote. Ital.
- Hieronymus Raina. Lus.

An. 1623.

23.

P. Alfonsus Mendes, Patriarcha Æthiopiæ. Lus.
D. Didacus Seco. Episc. Lus.
P. Joannes Rocha Episc. Lus.
- Alfonsus Sambrachere. Gal.
- Simon de Lima. Lus.
† P. Petrus Cassui. Japon.
P. Gaspar de Amaral. Lus.
- Ludovicus Orlandino. Lus.
- Antonius de Gouvea. Lus.
- Bartholomæus Bergencio. Flan.
- Antonius Ferreira. Lus.
Nicolaus Jorge. Ungar.
Ludovicus de Sanctis. Ital.
Joannes Barrozo. Lus.
Ludovicus Gonsalves. Lus.
Martialis Leiva. Lus.
Emmanuel de Maya. Lus.
Didacus Cardozo. Lus.
- - - Marancio. Ital.
Emmanuel Coelho. Lus.
Franciscus Marques. Lus.

An. 1624.

16.

P. Albertus Laercio. Ital.
- Franciscus Barreto. Lus.
- Emmanuel Martins. Lus.
- Dominicus Sequeira. Lus.
- Raphael Arnao. Lus.
- Joannes Camello. Lus.
- Giraldus da Rocha. Lus.
- Antonius Henriques. Lus.
- Antonius Saraiva. Lus.
- Antonius Veloso. Lus.
- Emmanuel Albuquerq. Lus.
- Joannes Cabral. Lus.
- Sebastianus Fonseca. Lus.
- Antonius Pereira. Lus.
Albertus Laercio. Ital.
Franciscus Barreto. Sic.

An. 1625.

12.

P. Emmanuel Mendes. Lus.
- Andreas Rodomina. Polon.
- Gregorius Domingues. Lus.
- Joannes Correa. Lus.
Joannes Ferreira. Lus.
Nonius Quaresma. Lus.
Joannes Sousa. Lus.
† Joannes Rodrigues. Lus.
† Joannes Pereira. Lus.
Joannes Monteiro. Lus.
Emmanuel Couto. Lus.

An. 1627.

9.

P. Martinus Alfonso. Lus.
- Joannes Marques. Lus.
- Franciscus Bajardo. Ital.
- Guilielmus Arnaldo. Fland.
Franciscus Ferreira. Lus.
Petrus Fonseca. Lus.
Sub finem anni in tribus navibus profecti,
P. Emmanuel Barreiros. Lus.
- Raymundus Govea. Catal.
- Bartholomæus Ruboth. Catal.

An. 1628.

3.

P. Octavius Falconi. Ital.
- Michael Minois. Japon.
- Michael Rodrigues. Lus.

An. 1629.

41.

† P. Apollinaris Almeida. Episc. Lus.
† P. Sebastianus Vieira. Lus.
P. Dominicus de S. Nicolao. Gallus.
P. Chrysostomus Gast. Alem.
- Dominicus Capeche. Neap.
- Josephus Girnco. Ital.
- Bernardino de Lire. Neap.
- Mansius Camillio. Japon.
- Franciscus Morando. Ital.
- Scipio Consulini. Ital.
- Joannes Pereira. Lus.
- Ignatius Nunes. Lus.
- Michael Bonastre. Mediol.
- Hieronymus Alexandre. Neap.
- Didacus Viva. Neap.
- Stephanus Fabio. Gall.
- Tranquiline Garcete. Lomb.
- Michael Trigaucio. Fland.
- Petrus Canevare. Gen.
- Antonius Vivas. Lus.
- Ignacio Chaparde. Ital.
- Nicolaus Coelho. Lus.
Raphael Carvalho. Lus.
Emmanuel Freire. Lus.
Emmanuel de Mattos. Lus.
Franciscus Pereira. Lus.
Antonius Correa. Lus.
Martinus Coelho. Lus.
Antonius Barbosa. Lus.
Emmanuel Costa. Lus.
Joannes Brito. Lus.
Ludovicus Cortea. Lus.
Joannes Aranha. Lus.
Andreas Vieira. Japon.
Antonius Domingues. Lus.
Emmanuel Correa. Lus.
Josephus de Almeida. Lus.
Franciscus Rebello. Lus.
Christophorus Peixoto. Lus.
Ludovicus Pinheiro. Lus.
Franciscus Rangel. Lus.

An. 1630.
27.
P. Antonins Rodrigues. Luf.
- Alvarus Tavares. Luf.
- Antonius Magalhans. Luf.
- Julianus Monteiro. Luf.
- Didacus Areda. Luf.
- Paulus de Brito. Luf.
- Ambrofius Correa. Luf.
- Francifcus Simoes. Luf.
- Antonius Ferreira. Luf.
- Francifcus Carvalho. Luf.
- Antonius Mota. Luf.
- Dominicus deMagalhans. Luf.
- Joannes Dias. Luf.
Emmanuel Lima. Luf.
Bartholomæus Roboredo. Luf.
Dominicus Pacheco. Luf.
Antonius Carvalho. Luf.
Petrus de Freitas. Luf.
Dionyfius de Paffos. Luf.
Sebaftianus de Cofta. Luf.
Antonius Salvador. Luf.
Ludovicus de Gama. Luf.
Gonfalus Botelho. Luf.
Fauftinus Barreiros. Luf.
Andreas Simiano. Gall.
Antonius Domingues. Luf.

An. 1631.
In regreffu navis obivit Petrus de Soufa. Luf.

An. 1632.
5.
P. Antonius Ferreira. Luf.
- Francifcus Volha. - - -
- Francifcus Lanfranque. - - -
- Francifcus Salu. - - - -
Emmanuel Freitas. Luf.

An. 1633.
6.
P. Sebaftianus Alvres. Luf.
† P. Albertus Menchisque. Polon.
P. Thomas Silveira. Luf.
Chriftophorus Silva. Luf.
Thomas Rodrigues. Luf.
Joannes Tori. - - -

An. 1634.
P. Francifcus Ferreira. Luf.
P. Antonius Mafcarenhas. Luf.
Gabriel de Magalhans. Luf.
Petrus Ferreira. Luf.
Antonius Pereira. Luf.
Antonius Henriques. Luf.

An. 1635.
33.
† P. Marcellus Maftrilli. Neap.
P. Joannes Maria Leiria. Ital.
- Balthafar Citadela. Ital.
- Jofephus Chiara. Ital.
- Joannes Morachi. Ital.
- Joann Philippe Grande. Ital.
- Hieronymus Gravina. Ital.
- Francifcus Branati. Ital.
- Antonius Capechi. Ital.
- Stanislaus Malpica. Ital.
- Ludovicus Buglo. Ital.
- Michael Uvalta. Bavar.
- Didacus Avreu. Ital.
- Felix Moreli. Ital.
- Jofephus Toldado. Ital.
- Francifcus Carolo. Ital.
- Antonius Bonani. Ital.
- Joannes Francifcus Ferrari. Ital.
- Bartholomæus Zarlatino. Ital.
- Jofephus Mauro. Ital.
- Martinus Almada. Luf.
- Balthafar Cofta. Luf.
Antonius Pereira. Luf.
Emmanuel Rodrigues. Luf.
Joannes de Maya. Luf.
Nicolaus Viva. Germ.
Jofephus Agnefe. - - -
Gafpar Antonius. - - -
Mathias Fernandes. Luf.
Fernandus Queiros. Luf.
Antonius Madeira. Luf.
Andreas Palmeiro. Luf.
Francifcus Rebello. Luf.

An. 1636.
Regreffæ naves, quæ fex vehebant.

An. 1637.
14.
P. Petrus Paulo. Luf.
- Hiacinthus Maeftro. Ital.
- Petrus Francifcus Jaqua. Caft.
- Matthæus Francifcus Cypriano. Caft.
- Sebaftianus Maya. Luf.
- Paulus Mercurio. Ital.
- Andreas Falconi. Ital.
Ludovicus Vieira. Luf.
Emmanuel Silva. Luf.
Emmanuel Leam. Luf.
Dominicus Gomes. Luf.
Blafius Azevedo. Luf.
Joannes Godinho. Luf.
Joannes de Torres. Luf.

An. 1638.
5.
P. Georgius Gouvea. Luf.
P. Antonius Fernandes. Luf.
Emmanuel Ferreira. Luf.
Antonius Coelho. Luf.
Emmanuel de Soufa. Luf.

An. 1639.
Regreffa naves, quibus feptem de noftris vehebantur.

An. 1640.
25.
P. Hieronymus Lobo. Luf.
- Francifcus Figueira. Luf.
- Joannes Borges. Luf.
- Georgius Magalhans. Luf.
- Mathias de Maya. Luf.
- Ambrofius Abreu. Luf.
- Emmanuel Cardozo. Luf.
- Didacus Areda. Luf.
- Dominicus Fonfeca. Luf.
- Joannes Ignacio. Polon.
- Vanslaus Torrentes. - - -
- Paulo Calopreffi. Neap.
- Joannes Baptifta Brando. Neap.
- Francifcus Advodato. Neap.
- Thomas Valcarneras. Sic.
- Andreas Xavier. Auftr.
- Philippus Marino. Neap.
- Andreas Eftrelo. Neap.
- Onufrius Borges. Germ.
- Martinus Martines. Trident.
Simon de Baftos. Luf.
Antonius Cardozo. Luf.
Francifcus de Aguiar. Luf.
Joannes Nunes. Luf.
Gafpar Carvalho. Luf.

An. 1641.
6.
P. Antonius Rebello. Luf.
- Lucas Correa. Luf.
- Joannes Pedrofa. Luf.
- Ignatius Correa. Luf.
- Hyacinthus Urandi. Roman.
- Antonius Velafco. Neap.

An. 1643.
15.
P. Francifcus Riva. Ital.
- Francifcus Afcanius Rulda. Sabaud.
- Joannes Baptifta Fofchi. Ital.
- Carolus Roca. Ital.
- Conftantinus Maria. Ital.
- Metellus Secano. Ital.
- Michael Boin. Polon.
- Francifcus Antonius Moncefufe. Ital.
- Gonfalus Fonfeca. Luf.
- Adrianus Peftana. Luf.
- Petrus Mesquita. Luf.
Felicianus Pacheco. Luf.
Emanuel Jorge. Luf.
Michael Silveira. Luf.
Michael Barboza. Luf.

An. 1644.
5.
P. Ludovicus Moura. Luf.
- Joannes Raphael. Ital.
- Hieronymus Phinocaro. - - -
- Joannes Nicolaus Sgomolefchi. - - -
Henricus Vanurliden. Holland.
Bartholomæus Sequeira. Caft.
P. Alvarus Semedo. Luf.
- Francifcus Sinamo. Ital.
- Ignatius Lagote. Fland.

An. 1645.
11.
P. Petrus Zuzarte. Luf.
- Fulgentius Ferreira. Luf.
- Francifcus Balde. Luf.
- Bartholomæus Velho. Luf.
- Joannes Valhat. Gall.

P. Ser-

P. Sertorius Interverio. Ital.
- Fortunato Seraphino. Ital.
- Ignatius Arcamoni. Ital.
- Torquatus Parisiano. Ital.
- Joannes Chespue. Germ.
- Jacobus Pavo. Fland.

An. 1647.

15.

P. Franciscus Carvalho. Lus.
- Henricus Busseo. Fland.
- Emmanuel Pinto. Lus.
- Dominicus Dias. Lus.
- Antonius Carvalho. Lus.
- Antonius Cordeiro. Lus.
Franciscus Sousa. Lus.
Antonius Vieira. Lus.
Antonius Proensa. Lus.
Gaspar Alfonso. Lus.
Simon Freire. Lus.
Julianus Palmeiro. Lus.
Emmanuel Bernardes. Lus.
Emmanuel Rodrigues. Lus.
Joannes Centenus. Lusit.

An. 1648.

Regressi cum navibus.

An. 1649.

3.

P. Antonius Cardim. Lus.
- Antonius Franciscus. Lus.
- Joannes Cardozo. Lus.

An. 1650.

7.

P. Nonius Quaresma. Lus.
- Emmanuel Coelho. Lus.
- Balthasar de Sâ. Lus.
- Dominicus de Rego. Lus.
- Emmanuel Barreto. Lus.
- Dominicus de Lima. Lus.
- Emmanuel Carvalho. Lus.

An. 1652.

14.

P. Blasius Mendes. Lusit.
- Joannes Mesquita. Lus.
- Emmanuel de Sousa. Lus.
- Franciscus Paes. Lus.
- Andreas Freire. Lus.
- Franciscus Mendes. Lus.
- Josephus Franciscus Arcolino. Ital.
- Ignatius Marinus Ital.
- Josephus Corina. Ital.
- Ludovicus Sassi. Ital.
Josephus Morais. Lus.
Joannes Caldeira. Lus.
Joannes Pessoa. Lus.
Josephus de Mello. Lus.

An. 1653.

3.

P. Franciscus Barreto. Lus.
P. Antonius Machado. Lus.
P. Luis de Silva.

An. 1654.

4.

P. Antonius Sanctos. Lus.
- Sebastianus Berni, Ital. Ital.
- Thomas Vas. Lus.
- Emmanuel Temudo. Lus.

An. 1655.

25.

P. Antonius Freire. Lus.
- Emmanuel Soares. Lus.
- Emmanuel Godinho. Lus.
- Antonius de Brito. Lus.
- Balthasar de Rocha.
- Didacus Abreu. Lus.
- Franciscus Gomes. Lus.
- Franciscus Spinola. Ital.
- Joannes Domingo Gabiani. Ital.
- Dominicus Fuciti. Ital.
- Claudius Motel. Gall.
- Nicolaus Motel. Gall.
- Ludovicus Gouvel. Gall.
- Joannes Ferget. Gall.
- Josephus Tissanier. Gal.
- Petrus Albier. Gall.
- Edmundus Poncet. Gall.
- Germanus Macret. Gall.
- Ignatius Baudet. Gall.
- Christophorus Cloxi. Gall.
- Gonsalus Oliveira. Lus.
- Petrus Morato. Lus.
- Antonius Freire junior. Lus.
- Petrus de Lis. Lus.
- Luis Gonsalves. Lus.

An. 1656.

9.

P. Michael Buim. Pol.
- Philippus Couplet. Belg.
- Franciscus Rugemont. Belg.
- Ignatius Hertesgult. Hol.
- Georgius Keiner. Ang.
- Antonius Saldanka. Lus.
- Andreas Gomes. Lus.
- Franciscus Velho. Lus.
- Joannes Abreu. Lus.

An. 1657.

37.

P. Antonius Veloso. Lus.
- Gabriel Lente Koski. Pol.
- Petrus Araujo. Lus.
- Antonius Oliveira. Lus.
- Dominicus Novais. Lus.
- Antonius Morais. Lus.
- Emmanuel de Brito. Lus.
- Josephus Magalhans. Lus.
- Christophorus Torres. Lus.
- Franciscus Ribeiro. Lus.
- Franciscus Alvres. Lus.
Joannes Barbosa. Lus.
Joannes Silva. Lus.
P. Hyacinthus de Magistris, Venet.
- Carolus Joseph Velho. Ital.
- Valeriano Catanio. Ital.
- Mathias Fernandes. Lus.
- Franciscus Carvalho. Lus.
- Josephus Abreu. Lus.
- Martinus Martines. Trid.
- Christianus Henriques. Germ.
- Franciscus Xavier. Germ.
P. Jacomius Domer. Germ.
- Fernandus Verbist. Belg.
- Joannes Maria Guisardi. Ital.
- Gregorius Parisi. Ital.
- Prosperus Intorcheta. Ital.
- Andreas Ferram. Lus.
- Joannes Conceiro. Lus.
- Joannes Figueiredo. Lus.
- Alfonsus Ayres. Lus.
- Antonius Preto. Lus.
- Franciscus Clemente. Gall.
Amator Fernandes. Lus.

An. 1658.

6.

P. Emmanuel Ferreira. Lus.
- Emmanuel Pereira. Lus.
- Gonsalus Costa. Lus.
- Petrus Paulus Arigoni. Ital.
- Leonelus Aynscon. Belg.
- Christophorus Torne. Gall.

An. 1660.

3.

P. Ludovicus Vas. Lus.
P. Alexander Philipuchi. Ital.
Antonius Fernandes. Lus.

An. 1661.

3.

P. Franciscus Pimentel. Lus.
P. Didacus de Valle. Lus.
P. Didacus Sotomayor. Lus.

An. 1664.

2.

Retrogressi cum nave.

An. 1665.

20.

P. Andreas Furtado. Lus.
- Mathias Andrade. Lus.
- Didacus Carneiro. Lus.
- Franciscus Costa. Lus.
- Eduardus Almeida. Lus.
- Emmanuel Matos. Lus.
- Antonius Magalhans. Lus.
- Antonius Azevedo. Lus.
- Sebastianus Almeida. Lus.
- Silvester Franco. Lus.
- Antonius Barros. Lus.
- Theotonius Rebello. Lus.
- Josephus Freire. Lus.
- Emmanuel de Valle. Lus.
- Emmanuel Cassela. Lus.
- Sebastianus Sâ. Lus.
- Josephus Antunes. Lus.
- Franciscus Sarmento. Lus.
- Alfonsus Mendes. Lus.
- Franciscus Azevedo. Lus.

An. 1666.

18.

P. Philippus Marino - - -
- Darius Aliata. Ital.
- Franciscus Veiga. Lus.
† P. Josephus Candoni. Ital.
- Emmanuel Sequeira. Lus.
- Joannes Baptista Maldonado. Belg.
- Philippus Fiesqui. Gen.

P. Ludovicus Affi. Roman.
- Claudius Grimaldo. Gen.
- Reginaldo Borges. Luf.
- Franciscus Castilho. Parm.
Antonius Duarte. Luf.
Thomas Pereira. Luf.
Nicolaus Fonseca. Sinenf.
P. Hyacinthus de Magistris, qui venerat Procurator. Ven.
P. Josephus Alvres. Luf.
P. Thomas de Cunha. Luf.
Jacomius Ferreira. Ital. sed navis in qua ferebatur
P. Hyacinthus retrogressa.

An. 1667.

7.

P. Hyacinthus de Magistris. Ven.
- Joannes Aiffim. Belg.
- Josephus Machareli. Ital.
- Emmanuel Rodrigues. Luf.
- Joannes Sequeira. Luf.
- Antonius Almeida. Luf.
- Ludovicus Cardeira. Luf.

An. 1668.

6.

P. Sebastianus Almeida. Luf. Venerat Procurator.
P. Marcus Antonius. Ital.
- Philippus Libertofi. Ital.
- Antonius Ribeiro. Luf.
- Hyppolitus Manfredo. Lomb.
Franciscus Simoea. Luf.

An. 1670.

11.

P. Emmanuel Barbosa. Luf.
- Antonius Magalhaens. Luf.
- Franciscus Carandini. Ital.
- Joannes Leitam. Luf.
Alvarus Rodrigues. Luf.
Ignatius Gomes. Luf.
Petrus Silva. Luf.
Joannes Silva. Luf.
Josephus Rodio. Luf.
Petrus Silva Luf.

An. 1672.

11.

P. Alexius Coelho. Luf.
P. Hyacinthus Castro. Luf.
P. Valerius Sextini. Ital.
Joannes Nunes. Luf.
Emmanuel Vas. Luf.
Emmanuel Saraiva. Luf.
Petrus Moura. Luf.
Alvarus Ferreira. Luf.
Antonius Carvalho. Luf.
Petrus Gomes. Luf.
Ambrosius Vidigal. Luf.

An. 1673.

27.

P. Balthasar Costa. Venerat Procurator. Luf.
P. Claudius Pamey. Burg.
- Laurentius Tanalha. Rom.
- Joannes Antonius. Ital.
- Joannes Teixeira. Luf.
† P. Joannes Brito. Luf.

P. Ignatius Costa. Luf.
Josephus de Silva. Luf.
Emmanuel Dias. Luf.
Josephus Amaral. Luf.
Hieronymus Telles. Luf.
Emmanuel Magalhans. Luf.
Didacus Leitam. Luf.
Emmanuel Pereira. Luf.
Joannes Semedo. Luf.
Ignatius Xavier. Angl.
Antonius Pereira. Luf.
P. Prosperus Intorceta. Sic. Venerat Procurator.
P. Beatus Amrhim. Bavar.
- Adamus Agenler. Trident.
- Franciscus Maria Gatinara. Sabaud.
- Thomas Vaderelst. Belg.
- Joannes Vanmol. Belg.
- Didacus Garces. Hybern.
- Simon Rodrigues. Luf.
Joannes Fernandes. Luf.
- Franciscus Bergoder. Corsic.

An. 1674.

5.

P. Antonius Potateri. Sic.
- Nicolaus Besfiua. Melit.
- Emmanuel Laurifici. Sic.
- Alexander Ciceri. Mediol.
- Silvester Sousa. Luf.

An. 1675.

4.

P. Andreas Furtado. Luf. Venerat ex India.
P. Franciscus Mendes. Luf.
P. Michael Gomes. Luf.
P. Josephus Franciscus. Arag.

An. 1677.

18.

P. Gaspar Alfonso. Luf. Venerat Procurator, redibat nominatus Episcopus Malipurensis.
P. Josephus Dominicus Communi. Pedemont.
P. Philippus Fayra. Ital.
- Emmanuel Proensa. Luf.
- Ignatius Sousa. Luf.
- Philippus Leal. Luf.
- Petrus Costa. Luf.
- Emmanuel Almeida. Luf.
Joannes Morato. Luf.
Antonius Paiva. Luf.
Emmanuel Godinho. Luf.
Ignatius Carvalho. Luf.
Georgius Ongarete. Ital.
P. Petrus Teixeira. Luf.
- Benedictus Nogueira. Luf.
- Sebastianus Sanches. Luf.
- Emmanuel Silveira. Luf.
- Josephus Monteiro. Luf.

An. 1680.

19.

P. Petrus Arouche. Luf.
- Bartholomæus Costa. Luf.
- Julianus Pereira. Luf.
- Dominicus Garcia. Luf.
- Antonius Pereira. Luf.

- Ignatius Almeida. Luf.
- Emmanuel Marques. Luf.
- Antonius Landim. Luf.
- Emmanuel Sà. Luf.
- Joannes Francisco. Luf.
- Joannes Costa. Luf.
† P. Ludovicus Mello. Luf.
P. Antonius Thomas. Belg.
- Adamus Uncidenfeld. Germ.
- Theodorus Villare. Belg.
- Dominicus Alvres. Luf.
- Emmanuel Mendes. Luf.
- Josephus Soares. Luf.
- Dominicus Ribeiro. Luf.

An. 1681.

16.

P. Franciscus Sarmento. Luf. Venerat Procurator.
P. Emmanuel Carvalho. Luf.
P. Emmanuel de Cunha. Luf.
Franciscus Rodrigues. Luf.
Alexander Sousa. Luf.
Ignatius Martins. Luf.
Franciscus Pereira. Luf.
Franciscus Pinto. Luf.
Alfonsus Mendes. Luf.
Antonius Guerreiro. Luf.
Simon Carvalho. Luf.
P. Franciscus Laynes. Luf.
P. Ludovicus Fernandes. Luf.
P. Carolus Colanus. Hybern.
P. Antonius Proença. Luf.
P. Josephus Carvalho. Luf.

An. 1682.

16.

P. Michael Amaral. Luf.
- Joachimus Calmes. Hamb.
- Antonius Fernandes. Luf.
- Antonius Dias. Luf.
Antonius Mesquita. Luf.
- Mathias Fernandes. Luf. Venerat Procurator.
- Hieronymus Morais. Luf.
- Franciscus Sampayo. Luf.
- Alfonsus Ribeiro. Luf.
- Antonius Simoes. Luf.
Franciscus Monteiro. Luf.
Franciscus Veiga. Luf.
Ludovicus Silva. Luf.
† Joannes Sequeira. Luf.
Balthasar Martins. Luf.
P. Josephus Gilmonte. Luf.

An. 1683.

4.

P. Balthasar Rocha. Luf. Venerat Procurator.
Dominicus Gonsalves. Luf.
P. Xavier Maria Burguese. Gen.
P. Joam. Antunes. Luf.

An. 1684.

6.

P. Philippus Solosses. Belg.
- Franciscus Noel. Belg.
- Joannes Antonius Arnedo. Arag.

P.

P. Raymundus Arxus. Arag.
P. Didacus Vidal. Luf.
Emmanuel Martins. Luf.

An. 1685.

4.

P. Antonius Pacheco. Luf.
P. Emmanuel Cruz. Luf.
Emmanuel Ozorio. Luf.
- Dominicus Nunes. Luf.

An. 1686.

3.

P. Josephus Pereira. Luf.
P. Emmanuel Pimenta. Luf.
Franciscus Almeida. Luf.

An. 1687.

6.

P. Josephus Coutinho. Luf.
- Philippus Felix Carrocio. Sabaud.
- Emmanuel Bravo. Luf.
- Josephus Pires. Luf.
- Josephus Ribeiro. Luf.
Stanislaus Machado. Luf.

An. 1688.

12.

P. Ignatius Manoel. Luf.
P. Michael Alvelos. Luf.
P. Emmanuel Saraiva. Luf.
Emmanuel Campos. Luf.
Franciscus Pacheco. Luf.
Petrus Reys. Luf.
P. Bernardus Sâ. Luf.
P. Josephus Miranda. Luf.
Joannes Ferreira. Luf.
Antonius Dias. Luf.
Emmanuel Silva. Luf.
Ludovicus Rodrigues. Luf.

An. 1689.

12.

P. Ludovicus Coelho. Luf.
P. Ludovicus Castro. Luf.
Emmanuel Fonseca. Luf.
Josephus Manoel Luf.
Franciscus de Mira. Luf.
Joannes Martins. Luf.
P. Michael Silva. Luf.
P. Emmanuel Rocha. Luf.
Josephus Villasboas. Luf.
Josephus Pinheiro. Luf.
Franciscus Lopes. Luf.
P. Hieronymus Ptolomei. Ital.

An. 1690.

26.

P. Alexander Liceri. Mediol. venerat Procurator.
P. Franciscus Capachi. Ital.
† P. Petrus Belmonte. Ital.
P. Joannes Staubacc. Tulden.
P. Gaspar Costa. Luf.
P. Josephus Almeida. Luf.
Mathias Correa. Luf.
- Emmanuel Costa. Luf.
Paulinus Ribeiro. Luf.
Leonardus Teixeira. Luf.
- Joannes Baftos. Luf.

† P. Joannes Brito. Luf. Venerat Procurator.
P. Emmanuel Faria. Luf.
Emmanuel Madeira. Luf.
P. Franciscus Xenodofen. Germ.
Emmanuel Figueiredo. Luf.
Gregorius Silva. Luf.
Joannes Brito. Luf.
P. Augustinus Bareli. Ital.
P. Paulus Grofano. Ital.
P. Lucas Adorno. Gen.
Carlos Mamiano. Ital.
Joannes Laureati. Ital.
Isidorus Lucio. Roman.
P. Vincentius Pavolo. Venet.
Mathias Tavares. Luf.

An. 1691.

10.

P. Bernardus Viut. Germ.
P. Kelianus Estum. Germ.
P. Jacobus Moeft. Germ.
Michael Alfonso. Sinenf.
Sylvester Furtado. Luf.
Antonius de Matos. Luf.
Theodofius Moreira. Luf.
P. Franciscus Oliveira. Luf.
Emmanuel Goofalves. Luf.
Emmanuel Pinto. Luf.

An. 1692.

16.

P. Franciscus Maria Spinola. Gen.
- Philippus Couplet. Belg.
- Marcellus Blanco. Borgon.
- Guilielmus Vandei. Bel.
- Simon Bayard. Gall.
- Antonius Falha. Ital.
- Nicolaus Furt. Belg.
- Alexander Cealio Pedemont.
Joannes Lopes. Luf.
Bernardus Ozorio. Luf.
Christophorus Brac. Suev.
Gabriel Minachi. Sic.
Josephus Baudino Pedemont.
Petrus Dori. Borgon.
Christophorus Fiori. Ital
P. Joannes Baptista Charandi. Helv.

An. 1693.

2.

Retrogressa navis, qua vehebantur tredecim, sed mortui
P. Antonius Murfia. Luf.
Emmanuel Villasboas. Luf.

An. 1694.

19.

P. Franciscus Barbofa. Luf.
P. Emmanuel Ferreira. Luf.
Antonius Xavier. Luf.
† P Josephus Candoni. Sic.
P. Andreas Carneiro. Luf.
- Simeon Pinto. Luf.
- Antonius Franciscus Provana Pedemont.
- Joannes Baptista. Luf.
- Emmanuel de Marta. Luf.
- Dominicus Magalhans. Luf.

- Antonius Silva. Luf.
- Andreas Costa. Luf.
- Antonius Barros. Luf.
- Ignatius Lopes. Luf.
Antonius Rozado. Luf.
Antonius dantas. Luf.
Franciscus Rodrigues. Luf.
Maurus Monteiro. Luf.
Josephus Xavier. Luf.

An. 1695.

18.

P. Carolus Refende. Luf.
- Joannes Pereira. Luf.
- Luis de França. Luf.
- Antonius Costa. Luf.
- Antonius Lopes. Luf.
- Josephus Pacheco. Luf.
Stephanus Colasso. Luf.
P. Petrus de Mattos. Luf.
Josephus Pereira. Luf.
Antonius Ferreira. Luf.
Antonius Quental. Luf.
Emmanuel Ribeiro. Luf.
Mathias Rodrigues. Luf.
Christophorus Napoles. Luf.
Gregorius Martins. Luf.
Emmanuel Ayres. Luf.
Franciscus Oliveira. Luf.
Lucius Virgilio. Neap.

An. 1696.

11.

P. Joannes Duarte. Luf.
P. Emmanuel Ribeiro. Luf.
P. Gaspar Cafner. Bav.
Antonius Magalhans. Luf.
Emmanuel Marques. Luf.
Emmanuel Xavier. Luf.
Emmanuel Sousa. Luf.
Salvator Correa. Luf.
Dominicus Paramino. Gen.
Franciscus Amorim. Luf.
Michael Vasconcellos. Luf.

An. 1697.

10.

P. Carolus Bertoldus. Sabaud.
P. Camillus Gozadino. Ital.
Emmanuel Reys. Luf.
Simon Mascarenhas. Luf.
Josephus Figueiredo. Luf.
Petrus Brito. Luf.
Ignatius Xavier. Luf.
Emmanuel de Cunha. Luf.
P. Hyacinthus Serra. Genef.
Antonius Xavier. Luf.

An. 1698.

16.

P. Stephanus Prenincel. Germ.
- Sebastianus Savelit. Germ.
- Franciscus Nemesdt. Saxon.
- Antonius Guizanrode. Luf. ex Braf.
Antonius Pimentel. Luf.
Silvester Garcia. Luf.
Emmanuel Carneiro.
Antonius de Cunha. Luf.

Antonius Rolim. Luſ.
Antonius Santiago. Luſ.
Carolus Angelo. Ital.
Emmanuel Nunes. Luſ.
Antonius Pires. Luſ.
Petrus Duarte. Luſ.
Joſephus Gonzaga. Luſ.
Alexius Rodrigues. Luſ.

An. 1699.

20.

P. Michael Amaral. Luſ. Venerat Procurator.
P. Dominicus Brito. Luſ.
Emmanuel Telles. Luſ.
Antonius Zuzarte. Luſ.
Joannes Boria. Luſ.
Gabriel Caſtro. Luſ.
Joannes Mouram. Luſ.
Antonius Soares. Luſ.
Emmanuel Pinto. Luſ.
Franciſcus Silva. Luſ.
P. Daniel Boſcheto. Ital.
- Vigilius Xavier. Trident.
- Joſephus Kephet. Bamberg.
- Federicus Zech. Breſlenſ.
- Nicolaus Miſſoni. Ital.
Emmanuel Azevedo. Luſ.
Joannes Andrade. Luſ.
P. Franciſcus Rodrigues. Luſ.
Melchior Reys. Luſ.

An. 1700.

19.

P. Joannes Olivares. Luſ.
P. Emmanuel Pimenta. Luſ.
Emmanuel Carvalho. Luſ.
Didacus Antunes. Luſ.
Dominicus Alvres. Luſ.
Joannes Quaresma. Luſ.
P. Carolus Cavazi. Ital.
- Georgius Emerich. Ital.
- Benedictus Fruileber. Ital.
- Franciſcus Uvens. Germ.
Franciſcus Lopes. Luſ.
Andreas Coſta. Luſ.
Emmanuel Nunes. Luſ.
Joſephus de Cunha. Luſ.
Philippus Jacomius. Luſ.
Joannes Gonſalves. Luſ.
Emmanuel Rodrigues. Luſ.
Ignatius Coſta. Luſ.
Theotonius Leitam. Luſ.

An. 1701.

17.

P. Joannes Coſta. Luſ. Venerat Procurator.
P. Franciſcus Vaſconcellos. Luſ.
Franciſcus Ferraz. Luſ.
Franciſcus Cardozo. Luſ.
Veriſſimus Mattos. Luſ.
Petrus Meireles. Luſ.
Petrus Gil. Luſ.
Joannes Carvalho. Luſ.
Joſephus Tavares. Luſ.
Joannes Nogueira. Luſ.
Antonius Mello. Luſ.
Emmanuel Pinto. Luſ.
Emmanuel Camello. Luſ.
Emmanuel Ribeiro. Luſ.
Franciſcus Barros. Luſ.
Emmanuel Souſa. Luſ.

An. 1702.

10.

P. Franciſcus Furtado. Luſ.
P. Ignatius Rodrigues. Luſ.
Joſephus Baptiſta. Luſ.
Joannes Baptiſta. Luſ.
Joannes Marques. Luſ.
Joannes Chaves. Luſ.
P. Joannes Rocha. Luſ. ex Braſ.
Joannes Baſto. Luſ.
Emmanuel Vellez. Luſ.
Vincentius Amaral. Luſ.

An. 1703.

17.

P. Ludovicus Coelho. Luſ. Venerat Procurator.
P. Andreas Campos. Luſ.
P. Bartholomæus Forti. Luſ.
Antonius Maria Platis. Venet.
Dominicus Barrozo. Luſ.
Gabriel Nunes. Luſ.
Alfonſus Coſta. Luſ.
Sebaſtianus Paes. Luſ.
Antonius Gonzaga. Luſ.
Ludovicus Cardozo. Luſ.
Hieronymus Pimentel. Luſ.
Joſephus Franciſco. Luſ.
Joſephus Cardozo. Luſ.
Joſephus Antunes. Luſ.
Petrus Dias. Luſ.
Antonius Souſa. Luſ.
Joannes Franciſcus Quadro. Sabaud.

An. 1704.

7.

P. Didacus Vidal. Luſ. Venerat Procurator.
P. Hieronymus Lopes. Luſ.
- Joſephus Pereira. Luſ.
- Joſephus Ferreira. Luſ.
- Joſephus Anſelmus. Luſ.
Blaſius Ferreira. Luſ.
- Xavier Emberto. Germ.

An. 1705.

6.

P. Fernandus Calini. Ital.
Joannes Martins. Luſ.
Dominicus Fernandes. Luſ.
Joannes Magalhans. Luſ.
Dominicus Madeira. Luſ.
Antonius Vaſconcellos. Luſ.
P. Laureanus. - - - qui, mortuo P. Calinio ex Braſilia ivit præfectus ſociis non ſacerdotibus.

An. 1706.

10.

P. Franciſcus Noel. Belg.
P. Gaſpar Caſner. Germ. ambo venerant ex Sina.
P. Leopoldus Liebſtain. Boem.
- Romanus Hederer. Germ.
- Ludovicus Gonzaga. Ital.
Ludovicus Stadelm. Helvet.
Michael Vieira. Luſ.
P. Joannes Baptiſta Meſſane. Venet.
- Auguſtinus Capelli. Ital.
- Joannes Baptiſta Bakowski. Polon.

An. 1707.

8.

P. Ludovicus Natas. Gall.
P. Alexander Joſephus Calini. Ital.
P. Ludovicus Franco. Luſ.
P. Joannes Banhaſco. Genue.
P. Franciſcus Sanches. Luſ.
Joſephus Couceiro. Luſ.
Joſephus Carvalho. Luſ. ex Braſ.
P. Emmanuel Zuzarte. Luſ.

An. 1708.

31.

P. Franciſcus Laynes. Luſ. Venerat Procurator. Redibat Epiſcopus Malipurenſis.
P. Emmanuel Abreu. Luſ.
- Franciſcus Cardozo. Luſ.
- Ignatius Cardozo. Luſ.
- Joannes Cerqueira. Luſ.
- Joannes Tavares. Luſ.
- Luis Vaſconcellos. Luſ.
- Antonius Tavares. Luſ.
- Petrus Correa. Luſ.
- Franciſcus Dinis. Luſ.
Caetanus Barreto. Luſ.
Emmanuel Rodrigues. Luſ.
Henricus Pereira. Luſ.
P. Joannes Brito. Luſ.
Bernardus Gomes. Luſ.
Innocentius Telles. Luſ.
Ignatius de Cunha. Luſ.
Joſephus Vieira. Luſ.
Emmanuel Botelho. Luſ.
Emmanuel Simoës. Luſ.
P. Onufrius Monterio. - - -
- Ignatius Tuzon. - - -
- Paulus Mutoni. - - -
- Franciſcus Antonius Ricardi.
- Joſephus Antonius Martineti. - - -
- Brolias Antonius Brandolini, Ital.
- Bernardinus Tamburini. - - -
- Nicolaus Ricio. - - -
- Blaſius Schypha. - - -
- Germanus. - - - -
P. Paulus Æmilius Cateno. Ital.

An. 1709.

7.

P. Emmanuel de Sâ. Luſ. Venerat ex India, rediit nominatus Æthiopiæ Patriarcha.
P. Franciſcus Borgia. Germ.
Chriſtophorus Mater. Germ.

P. Fran-

P. Franciscus Filiscus. Germ.
Alexius Pinto. Lus.
Joachimus Dias. Lus.
Bernardus Correa. Lus.

An. 1710.

1.
P. Constantinus Josephus Besch. Ital.

An. 1711.

9.
P. Ignatius de Almeida. Lus.
P. Antonius Velles. Lus.
Bartholomæus Correa. Lus.
Emmanuel Thomas. Lus.
Balthasar Pereira. Lus.
Andreas de Moura. Lus.
P. Franciscus Rodrigues. Lus.
P. Antonius Chaves. Lus.
Antonius Morais. Lus.

An. 1712.

13.
P. Petrus Xavier. Lus.
P. Gaspar Estibeiro. Lus.
Franciscus Xavier. Lus.
Joannes Baptista. Lus.
Petrus Alfonso. Lus.
Theodosius Pereira. Lus.
Giraldus Pereira. Lus.
Emmanuel Crus. Lus.
Emmanuel Dinis. Lus.
Emmanuel Almeida. Lus.
Custodius Alvres. Lus.
Emmanuel Fernandes. Lus.
Ignatius Machado. Lus.

An. 1713.

8.
P. Joannes Baptista Fana. Sard.
P. Emmanuel Pereira. Lus.
Mathias Pereira. Lus.
P. Irdebrandus Grapi. Ital.
P. Hyppolitus Desiderio. Ital.
P. Franciscus Maria. Ital.
Josephus Costa. Lus.
Joannes Rodrigues. Lus.

An. 1714.

17.
P. Philippus Sibim. Germ.
P. Franciscus Maria Bucareli. Ital.
P. Nicolaus Campriano. Ital.
P. Ramirus Conucinti. Ital.
Josephus Costa. Ital.
Josephus Castiloni. Mediol.
P. Emmanuel Quintam. Lus.
- Romanus Pereira. Lus.
- Sebastianus Duarte. Lus.
- Joannes Queiros. Lus.
- Franciscus Telles. Lus.
- Ludovicus Laldas. Lus.
- Antonius Taborda. Lus.
Stephanus Lopes. Lus.
- Caetanus de Abreu. Lus.
- Ignatius Franco. Lus.
- Francisco Costa. Lus.

An. 1715.

8.
P. Antonius Mello. Lus.
- Anastasius Capelli. Lus.
- Josephus Bidler. Navar.
- Franciscus Xavier Mittermayo. Bav.
- Franciscus Alvres. Lus.
Joannes Rocha. Lus.
Joannes Almeida. Lus.
Sebastianus Pires. Lus.

An. 1716.

14.
P. Felix, Josephus Pereira. Lus. Venerat Procurator.
P. Antonius Freire. Lus.
- Franciscus Cordes. Lus.
- Franciscus de Lima. Lus.
- Emmanuel Pinto. Lus.
- Caetanus Lopes. Lus.
- Franciscus Moreira. Lus.
- Franciscus Alvres. Lus.
- Emmanuel Varela. Lus.
- Thomas Aranha. Lus.
- Andreas Pereira. Lus.
- Carolus Slawiezek. Germ.
- Ignatius Nogler. Germ.
- Petrus Figueredo. Lus.

An. 1717.

13.
P. Balthasar Miller. Germ.
Franciscus Alberto. Lus.
P. Bernardus Garcia. Lus.
Antonius Pires. Lus.
Antonius de Couto. Lus.
Franciscus Crus. Lus.
Antonius de Trindade. Lus.
Matthæus Rodrigues. Lus.
Josephus Gomes. Lus.
Philippus Ramos. Lus.
Ascensus Mendes. Lus.
Franciscus Xavier. Lus.

An. 1718.

14.
P. Jacobus Philippus Simoneli. Ital.
- Antonius Trigona. Sic.
- Litterio Celona. Sicul.
- Antonius Xavier Morabito. Sic.
- Antonius Maria Belefai. Sic.
Stephanus Maria, Mutin. Florent.
Salvator Xavier Marino. Ital.
Fernandus Bonaventura. Florent.
Alexandre Grupino. Parmens.
Ludovicus Lopes. Lus.
Simon Ferreira. Lus.
Matthæus Mendes. Lus.
Josephus Baivros. Lus.
P. Simon Silveira. Lus.

An. 1719.

2.
P. Antonius Provana. Sabaud. Venerat Procurator. Obivit in reditu.
P. Ludovicus Fan. Sinensis.

An. 1720.

12.
P. Emmanuel Sardinha. Lus.
Antonius Stanislao. Lus.
Emmanuel Abreu. Lus.
Joannes Pereira. Lus.
Emmanuel Joseph. Lus.
Gonsalus Pinto. Lus.
Franciscus Coelho. Lus.
Thomas Villanova. Lus.
Theotonius Joseph. Lus.
Paulus Marques. Lus.
Fernandus Bonaventura. Magi. Florent.
Franciscus Folleri. Florent.

An. 1722.

18.
P. Joannes Baptista Fidrici. Sic.
Joannes Luis. Lus.
Christophorus Nunes. Lus.
Antonius Rodrigues. Lus.
Emmanuel Barradas. Lus.
Josephus Marques. Lus.
Salvator Dias. Lus.
Marcellinus Lopes. Lus.
Antonius Sousa. Lus.
Emmanuel Pinheiro. Lus.
Seraphinus Cotta. Lus.
Stephanus Peixoto. Lus.
Clemens Joseph. Lus.
Emmanuel Dias. Lus.
P. Franciscus Pereira. Lus.
P. Franciscus Homem. Lus.
P. Nicolaus Longo. Neap.
Antonius Gonsalves. Lus.

An. 1723.

9.
P. Joannes Antunes. Lus.
P. Joannes Baptista Bigallia. Neap.
P. Josephus Antonius Testori. Ital.
P. Vincentius Maria Guerreiro. Sic.
Joannes Lopes. Lus.
Blasius Almeida. Lus.
Franciscus Xavier. Lus.
Josephus Ferreira. Lus.
Philippus Leal. Lus.

An. 1724.

5.
P. Thomas Lopes. Lus.
P. Joannes Brito. Lus.
P. Martinus Correa. Lus.
P. Joannes Alexandre. Lus.
Benedictus Abreu. Lus.

Catalogus

Martyrum, sive Virorum Societatis JESU vel omnino, vel ex aliqua ratione ad Lusitanam Provinciam, tamquam matrem, spectantium, qui martyrio sunt illustrati. Clariorem de ipsis notitiam habet Lector in nostro *Anno glorioso Societatis JESU in Lusitania*, typis vulgato Viennæ in Austria.

P. Ægidius Abreus. Bataviæ apud Indos. an. 1622.
P. Alexius Delgadus. in mari. 15. Iul. 1570.
Alfonsus Baena. 15. Iul. 1570.
Alfonsus Fernandius. 14. Sept. 1571.
Alvarus Mendius. 15. Iul. 1570.
Andreas Gonsalvius. 15. Iul. 1570.
P. Andreas Gualdamius.
Andreas Paes. 15. Sept. 1571.
P. Antonius Andradius. 19. Mart. 1634.
Antonius Correa. 15. Iul. 1570.
Antonius Fernandius 15. Iul. 1570.
P. Antonius Franciscus. 15. Iul. 1583.
Antonius Soarius. 15. Iul. 1570.
P. Antonius Sousa. 26. Oct. 1633.
Antonius Vasæus. 15. Iul. 1570.
P. Apollinaris Almeida. Episc. 9. Iun. 1638.
Benedictus Castrius. 15. Iul. 1570.
P. Benedictus Fernandius. 2. Oct. 1633.
Blasius Ribeirus 15. Iul. 1570.
P. Christophorus Ferreira. 1652.
P. Didacus Andrada. 15. Iul. 1570.
P. Didacus Carvallius. Brachar. 22. Feb. 1624.
Didacus Carvallius; diversus. 14. Sept. 1571.
Didacus Pirius. 15. Iul. 1570.
Dominicus Fernandius. 15. Iul. 1570.
Emmanuel Alvarus. 15. Iul. 1570.
P. Emmanuel Borgius. 1633.
P. Emmanuel Cunha. 1. Iun. 1711.
P. Emanuel Fernandius Tingitanus. 18. Feb. 1555.
Emmanuel Ferandius. 15. Iul. 1570.
Emmanuel Lobus. 28. Oct. 1568.
Emmanuel Pachecus. 15. Iul. 1570.
Emmanuel Rodericius. 15. Iul. 1570.
Fernandus Alvarus. 14. Sept. 1571.
Fernandus Sancius. 15. Iul. 1570.
Franciscus Alvarus. 15. 1570.
P. Franciscus Castrius. 14. Sept. 1571.
P. Franciscus Machadus. 28. Sept. 1625.
Franciscus Magalanius. 15. Iul. 1570.
P. Franciscus Pachecus. 20. Iun. 1626.
Franciscus Paulus. 13. Sept. 1571.
Franciscus Perius Godoyus. 15. Iul. 1571.
P. Franciscus Rodericius. 9. Iun. 1638.
Gaspar Alvarus 15. Iul. 1570.
P. Gaspar Castrius. 1626.
P. Gaspar Ferracius. 5. Mart.
Gaspar Goes. 13. Sept. 1575.
P. Georgius Fernandius. 24. Sept. 1580.
Gomius Amaralius. 24. Sept. 1580.
P. Gonsalus Cardosus. 1574.
Gonsalus Henriquius. 15. Iul. 1570.
P. Gonsalus Leitius, veneno in odium Virtutis inblatus. 19. Apr. 1603.
Gonsalus Silveira. 15. Mart. 1561.
Gregorius Escrivanus. 16. Iul. 1570.
P. Ignatius Azebedius. 15. Iul. 1570.
Joannes Alvarus. 14. Sept. 1571.
P. Joannes Baptista Machadus. 22. Maji. 1617.
P. Joannes Brittus. 4. Feb. 1693.
Joannes Fernandius Ulyssiponensis. 15. Iul. 1570.
Joannes Fernandius Bracharensis. 15. Iul. 1570.
Joannes Mayorga. 15. Iul. 1570.
Joannes de S. Martino. 5. Iul. 1570.
Joannes Metella. 6. Dec. 1616.
P. Joannes Pereira. 2. Maji. 1635.
Joannes Safra. 15. Iul. 1570.
P. Joannes Sequeira. 21. Aug. 1696.
P. Joannes Villar ex oppido Tancos occisus ab ethnicis in Maranonia 26. Augusti. an. 1719.
P. Josephus Carvallius. 14. Nov. 1701.
P. Laurentius Cardimius. 7. Feb. 1585.
P. Ludovicus Alvarus. 25. Nov. 1590.
P. Ludovicus Cardeira. 13. Ap. 1640.
Ludovicus Correa. 15. Iul. 1570.
Ludovicus Mellus. 4. Feb. 1691.
Ludovicus Rodericius. 15. Iul 1570.
Marcus Caldeira. 15. Iul. 1570.
Maurus Vasæus. 15. Iul. 1570.
Matthæus Courus. 29. Oct. 1633.
P. Mauritius Serpius. 4. Aug. 1578.
P. Melchior Gonsalvius. 6. Oct. 1551.
Michael Aragonius. 13. Sept. 1571.
Michael Carvalius. 25. Aug. 1624.
Nicolaus Dinisius. 15. Iul. 1570.
Nonius Riberius. 22. Aug. 1549.
P. Paulus de Valle. 4. Mart. 1552.
P. Petrus Berna. 15. Iul. 1583.
P. Petrus Cassus. 31. Iul. 1639.
P. Petrus Dias. 13. Sept. 1571.
Petrus Dias. 14. Sept. 1571.
Petrus Fernandius. 14. Sept. 1571.
Petrus Fontoura. 15. Iul. 1570.
Petrus Nunes. 15. Iul. 1570.
Sanjoanninus, seu Joannes adauctus. 15. Iul. 1570.
Sebastianus Vieira. 6. Iun. 1634.
Simon Costa. 16. Iul. 1570.
Simon Lopius. 15. Iul. 1570.
Stephanus Zurara. 15. Iul. 1570.
Vincentius Alvarus. 28. April. 1606.
P. Vincentius Paiva. 23. Oct. 1649.

Quos Martyres natione Lusitanos Lector inveneris in nostris Scriptoribus, & non fuerint in hoc Catalogo, sciat adjunctos Societati in provinciis ultramarinis ad Lusitanam ditionem pertinentibus; idcirco hic ipsis locus non est.

Ca-

◆ ✝ ◆

Catalogus

Virorum Societatis JESU vel omnino, vel ex aliqua ratione ſpectantium ad Luſitanam Provinciam, quorum pia mors eſt orta ex charitatis exercitio contagioſis ſerviendo, vel ex naufragio, ad proximorum ſaluti conſulendum navigatione ſuſcepta, vel labore alio.

P. Alfonſus Caſtilho. 29. Mart.
- Alfonſus Freire. 29. Mart.
- Alfonſus Gil. 22. Iul.
Alfonſus Lopes. 3. Ian.
- Alfonſus Vaſ. 4. Nov.
- Auguſtinus Coſta. 16. Iun.
Alexander Coelius. 27. Feb.
- Alexander Vallaregius. 1. Ian.
- Alexius Alvarus. 20. Iul.
- Ambroſius Rodericius. 21. Oct.
Andreas Annes. 3. Apr.
- Andreas Carvalho. 3. Feb.
- Antonius Abreu. 16. Ian.
Antonius Alfonſo. 2. Sept.
- Antonius Barros. 20. Ian.
- Antonius Brito. 1. Feb.
Antonius Carvalho. 30. Ian.
- Antonius Machado. 27. Aug.
- Antonius Mendes. 2. Aug.
Antonius Pinto. 13. Oct.
- Antonius Pires. 8. Ian.
Antonius Rebello. 24. Sept.
- Antonius Sanctos. 22. Dec.
- Antonius Sequeira. 24. Iul.
Anton. Vaſ. 16. Ian.
- Antonius Veras. 4. Oct.
- Antonius Vivas. 10. Maj.
- Arnaldus Crus obit ſerviendo contagioſis.
- Balthaſar Eſteves. 24. Martii.
Barnabas Dias. 1. Iul.
Bartholomæus Alvres. 11. Mart.
- Blaſius Eſtifa. 11. Iun.
- Calixtus Mota. 11. Feb.
- Carolus Silveira. 15. Iun.
Coſmus Vas. 26. Aug.
Chriſtophorus Pimenta, 24. Nov.
Didacus Dias. 6. Mart.
Didaeus Gomes. 20. Nov.
- Didacus Vivas. 10. Maj.
- Dominicus Araujo. 6. Iul.
Dominicus Brito. 1. Iul.
- Dominicus Cardozo. 7. Maj.
Dominicus Carilho. 15. Aug.
- Dominicus Freire. 6. Iul.
- Dominicus Joam. 19. Nov.
Dominicus Rebello. 23. Iun.
- Emmanuel Abreu, 20. Iun.
Emmanuel Almeida, 24. Nov.
Emmanuel Alvres. 11. Mart.
- Emmanuel Dias, 13. Nov.
- Emmanuel Duarte. 6. Nov.
Emmanuel Ferreira, 8. Oct.
Emmanuel Gomes. 19. Dec.
Emmanuel Lima. 1. Iul.
- Emmanuel Lopes. 21. Iul.
- Emmanuel Lourenſo. 31. Dec.
- Emmanuel Nogueira. 9. Oct.
- Emmanuel Pinto. 6. Iul.
Emmanuel Pires. 9. Sept.
Emmanuel Rocha. 1. Iul.
- Emmanuel Rodericius. 13. Aug.
Emmanuel Semedo. 17. Aug.
- Emmanuel Tavares. 1. Dec.
Emmanuel Vicente. 1. Iul.
- Fernandus Carvalho. 11. Iun.
- Fernandus Martinius. 7. Iun.
- Fernandus Calini. 18. Jun.
- Fernandus Navarrus. 7. Iul.
- Fernandus Prado. 21. Aug.
Franciſcus Almada, 30. Oct.
Franciſcus Alvres. 31. Aug.
- Franciſcus Goſta. 26. Feb.
- Franciſcus Faria. 6. Iul.
- Franciſcus Fernandes. 30. Aug.
- Franciſcus Gonſalves. 30. Iul.
- Franciſcus Nogueira. 30. Sept.
- Franciſcus Nunes. 10. Oct.
- Franciſcus Rego. 1. Iul.
- Franciſcus Rodrigues. 30. Ian.
- Franciſcus Rodrigues. 7. Iul.
- Franciſcus Vaſ. 10. Aug.
- Franciſcus Velho. 30. Nov.
- Garcia Gonſalves. 12. Mar.
- Gaſpar Alvres. 30. Sept.
- Gaſpar Azevedo. 27. Maj.
Gaſpar Correa. 28. Aug.
Gaſpar Cunha, 20. Apr.
Gaſpar Domingues. 22. Iun.
P. Gaſpar Nunes, 17. Iul.
- Gaſpar Plano. 12. Aug.
- Gaſpar Rodrigues, 26. Iun.
- Gonſalus Alvres. 21. Iul.
Gonſalus Barreira, 11. Aug.
- Georgius Alvres. 13. Aug.
Georgius Fernandes. 31. Aug.
- Georgius Nunes. 3. Ian.
- Georgius Rebellus. 23. Oct.
- Georgius Tavora. 4. Apr.
Hieronymus Mendes. 10. Mart.
- Ignatius Rodrigues. 3. Maj.
Ignatius Sande. 28. Oct.
- Ignatius Xavier. 30. Sept.
- Joannes Coſta, 15. April.
- Joannes Cota. 18. Aug.
- Joannes Gonſalves. 22. Oct.
- Joannes Leite. 1. Iul.
- Joannes Moura. 24. Aug.
Joannes Nunes. 13. Ian.
Joannes Nunes. 30. Apr.
- Joannes Olingo. 31. Dec.
- Joannes Ozorio. 21. Oct.
- Joannes Peres. 24. Maj.
Joannes Semedo. 10. Maj.
- Joannes Vinha. 11. Mart.
Joſephus Amaral. 18. May.
- Joſephus Antunes. 26. Feb.
Joſephus Arede. 14. Mar.
- Joſephus Prero. 6. Iul.
- Leo Henriquius. 8. Apr.
- Laurentius Fonſeca. 24. Maj.
- Laurentius Freitas. 28. Iun.
- Laurentius Hortoge. 31. Dec.
Ludovicus Antunes. 18. Iun.
Ludovicus Bravos. 29. Iul.
- Ludovicus Figueira. 1. Iul.
- Ludovicus Henriques. 1. Apr.
- Ludovicus Souſa. 26. Iul.
Martinus Alvres. 7. Iun.
- Mathias Andrada. 26. Feb.
Melchior Dias. 4. Maj.
Melchior Franciſcus. 27. Iun.
- Melchior Teixeira. 3. Aug.
Michael Alvres. 27. Iul.
- Michael Eſteves. 8. Aug.
- Michael Lemos. 11. Febr.
Michael Ribeiro. 11. Mart.
- Michael Vas. 31. Mart.
- Paulus Jeronimo. 11. Mar.
- Petrus Albuquerquius. 31. Aug.
- Petrus Alvres. 22. Oct.
- Petrus Correa. 30. Mar.
- Petrus Figueira. 1. Iul.
- Petrus Figueiredo. 1. Iul.
Petrus Franciſcus. 23. Maj.
- Petrus Maſcarenhas. 20. Sept.
Petrus Nunes. 22. Aug.
Petrus Pereira. 1. Iul.
Ruyſius Gomes. 11. Iun.
P. Scipio Liron. 11. Mar.
- Sebaſtianus Morais. 19. Aug.
- Silveſter Franco. 26. Feb.
- Theodorus Hom. 10. Aug.
- Theodorus Villari. 19. Iul.
- Vaſcus Baptiſta. 2. Sept.
- Vincentius Zapata, 8. Oct.
- Urbanus Fernandes. 8. Maj.

Sunt omnes 156. Non dubito plures alios fuiſſe, ſed hos collegi, quos inveni.

Catalogus

Virorum Societatis JESU, qui causa fidei propagandæ de Lusitania navigarunt ad Brasiliam.

An. 1549.
6.

P. Emmanuel Nobrega. Lus.
P. Emmanuel Pires. Lus.
P. Leonardus Nunes. Lus.
P. Joannes Aspiscueta. Navar.
- Vincentius Rodrigues. Lus.
- Didacus Jacome. Lus.

An. 1550.
4.
P. Alfonsus Vas. Lus.
- Salvator Rodrigues. Lus.
- Emmanuel Paiva. Lus.
- Franciscus Pires. Lus.

An. 1553.
7.
P. Ludovicus de Grã. Lus.
P. Blasius Laurenço. Lus.
P. Ambrosius Pires. Lus.
Gregorius Serram. Lus.
Josephus Anchieta. Canar.
Joannes Gonsalves. Lus.
Antonius Blasques. Castel.

An. 1559.
7.
P. Joannes de Mello. Lus.
P. Joannes Dicio. Belg.
Georgius Rodrigues. Lus.
Josephus - - - -
Ruysius Pereira. Lus.
- - - - Crasta. Lus.
Vincentius de Mattos. Lus.

An. 1560.
2.
Antonius Gonsalves. Lus.
Ludovicus Rodrigues. Lus.

An. 1561.
2.
P. - - - - Viegas. Lus.
& quidam Italus.

An. 1563.
4.
P. Quiricius Caxa. Cast.
Balthasar Alvres. Cast.
Sebastianus de Pina. Lus.
Ludovicus Carvalho. Lus.

An. 1566.
7.
† P. Ignatius Azevedo. Lus. Visitator.
P. Michael de Rego. Lus.
P. Antonius Rocha. Lus.
P. Balthasar Fernandes. Lus.
Antonius Andrade. Lus.
Petrus Dias. Lus.
Stephanus Fernandes. Lus.

An. 1569.
3.
Ludovicus Fonseca. Lus.
Franciscus Leitam. Lus.
Franciscus Gonsalves. Lus.

An. 1570.
† Vener. P. Ignatius Azevedus Provincialis cum felicissima Martyrum cohorte; quorum pars anno sequenti cum P. Petro Dias martyrio coronata.

Eodem An. 1570.
3.
Alfonsus Gonsalves. Lus.
Joannes Martins. Lus.
Et quidam Tiro Valentianus.

An. 1572.
6.
P. Ignatius Tolossa. Provincialis. Castel.
P. Christophorus Ferram. Lus.
- Antonius Ferreira. Lus.
- Gonsalus Leitam. Lus.
- Melchior Cordeiro. Lus.
- Martinus de Rocha. Lus.

An. 1574.
3.
P. Ludovicus Mesquita. Lus.
P. Emmanuel Dias. Lus.
P. Joannes Saloni. Catal.

An. 1575.
6.
P. Josephus Morinelus. Ital.
- Franciscus Lopes. Lus.
- Joannes Baptista. Lus.
- Leonardus Arminio. Lus.
Emmanuel de Tavora. Lus.
Hieronymus Rodrigues. Lus.

An. 1576.
4.
P. Augustinus Castilho. Castel.
P. Petrus de Toledo. Castel.
P. Franciscus Ortiega. Castel.
Michael Garcia. - - -

An. 1578.
17.
P. Gregorius Serram. Lus. Verat Procurator.
P. Simon Travassos. Lus.
P. Petrus Soares. Lus.
P. Petrus Andre. Lus.
Vincentius Gonsalves. Lus.
Emmanuel Barros. Lus.
Franciscus Teixeira. Lus.
Simon Gonsalves. Lus.
Gonsalus Viegas. Lus.
Joannes Baptista. Fland.
Thomas Filde. Ital.
Joannes Yar Vicente. - - -
- - - Ventedio. Ital.
Gedeon Lobo. Fland.
Adrianus Joam. Ital.
Franciscus Alvres. Lus.
Franciscus Dias. Lus.

An. 1582.
5.
P. Christophorus Gouvea. Lus. Visitator.
P. Fernandus Cardim.
P. Rodericus de Freitas. Lus.
Barnabas Telo. Lus.
Martinus Vas. Lus.

An. 1587.
10.
P. Martialis Beliarte. Lus. Provincialis.
P. Franciscus Soares.
- Henriques Gomes. Lus.
- Marcus Costa. Lus.
- Emmanuel Fernandes. Lus.
Melchior Paulo. Lus.
Ascanius Bonajuto. Lus.
Didacus Martins. Lus.
Augustinus Lisarelo. Neap.
Dominicus Coelho. Lus.

An. 1588.
3.
P. Fernandus Oliveira. Lus.
P. Bartholomæus Abreu. Lus.
Petrus Correa. Lus.

An. 1591.
4.
P. Petrus Coelho. Lus.
P. Gaspar Lobo. Lus.
Simon Pinheiro. Lus.
Emmanuel Oliveira. Lus.

An. 1594.
3.
P. Petrus Rodrigues. Lus. Provincialis.
P. Petrus Barreira. Lus.
Antonius Gonsalves. Lus.

An. 1595.
6.
P. Raphael Carneiro. Lus.
P. Joannes Fernandes. Lus.
Emmanuel Gomes. Lus.
Emmanuel Tenreiro. Lus.
Joannes Baptista. Lus.
Franciscus Gonsalves. Lus.

An. 1598.
4.
P. Antonius Matos. Lus.
P. Melchior Alvres. Lus.
P. Hieronymus Peixoto. Lus.
Joannes Gomes. Lus.

An. 1601.
P. Joannes Madureira. Lus. ibat Visitator captus cum aliis à piratis.

An. 1602.
11.
P. Antonius de Abreu. Luſ.
- Ludovicus Figueira. Luſ.
- Vincentius Lopes. Luſ.
- Antonius Dias. Luſ.
Petrus Fernandes. Luſ.
Balthaſar Fernandes. Luſ.
Michael Rodrigues. Luſ.
Dominicus Rodrigues. Luſ.
Franciſcus Leite. Luſ.
Franciſcus Ferreira. Luſ.
Melchior Pires. Luſ.
An. 1604.
8.
P. Fernandus Cardim. Luſ. Venerat Procurator.
P. Gaſpar Alvres. Luſ.
- Emmanuel Fernandes. Luſ.
- Franciſcus Fernandes. Luſ.
- Emmanuel de Sâ. Luſ.
- Emmanuel Vallada. Luſ.
Benedictus Lopes. Luſ.
Sebaſtianus Cruz. Luſ.
An. 1607.
6.
P. Emmanuel Lima. Luſ. Viſitator.
P. Jacomius Monteiro. Luſ.
Matthæus Gonſalves. Luſ.
Emmanuel Sanches. Luſ.
Antonius Lobo. Luſ.
Antonius Simoes. Luſ.
An. 1609.
6.
P. Marcus Coſta. Luſ. Venerat Procurator.
Benedictus Lopes. Luſ.
Antonius Gomes. Luſ.
Lupus de Couto. Luſ.
Franciſcus Pires. Luſ.
Bartholomæus Carvalho. Luſ.
An. 1619.
11.
P. Henricus Gomes. Luſ. Venerat Procurator.
P. Salvator Coelho. Luſ.
- Gaſpar Silva. Luſ.
- Nicolaus Botelho. Luſ.
- Benedictus Gama. Luſ.
Joſephus Silva. Luſ.
Ruylius Goes. Luſ.
Joannes Barreira. Luſ.
Chriſtophorus Chaves. Luſ.
Joannes Hermes. Hamburg.
Raphael Cardozo. Luſ.
Eodem anno. 3.
P. Paulus Carvalho. Luſ.
P. Benedictus Amadei. Sic.
P. Fabius Moyo. Neap.
An. 1620.
2.
P. Leonardus Mercurio. Sic.
P. Joſephus Coſta. Sic.
An. 1622.
4.
P. Antonius Bellavia. Sic.
P. Conradus Arici. Sic.
P. Franciſcus Oliveira. Sic.
P. Antonius Forti. Sic.
An. 1628.
8.
P. Antonius Mattos. Luſ. Provincialis.
P. Dominicus Coelho. Luſ.
- Emmanuel Tenreiro. Luſ.
- Joannes Oliva. - - -
- Auguſtinus Coelha. Luſ.
- Auguſtinus Luis. Luſ.
Emmanuel Martins. Luſ.
Ignatius Lagot. Fland.
An. 1633.
1.
P. Franciſcus Geatino. Sic.
An. 1639.
3.
P. Petrus Moura. Luſ. Viſitator.
P. Ludovicus Lopes. Luſ. ejus ſocius.
Michael Gonſalves. Luſ.
An. 1642.
7.
P. Franciſcus Carneiro. Luſ.
Antonius Carneiro. Luſ.
Antonius Vaſ. Luſ.
Antonius Sequeira. Luſ.
Melchior Vieira. Luſ.
Petrus Figueiredo. Luſ.
Laurentius Teixeira. Luſ.
An. 1652.
8.
P. Franciſcus Gonſalves. Luſ. Venerat Procurator.
Simon Faria. Luſ.
Emmanuel Coutinho. Luſ.
Petrus Velho. Luſ.
Matthæus Souſa. Luſ.
Petrus Correa. Luſ.
Franciſcus Mattos. Luſ.
Auguſtinus Carvalho.
An. 1655.
9.
S. Joannes Paiva. Luſ.
P. Franciſcus Morato. Luſ.
P. Gaſpar Martins. Luſ.
Joannes Baptiſta Berò. Ital.
Antonius Godinho. Luſ.
Emmanuel Rebello. Luſ.
Antonius Couto. Luſ.
Hieronymus Mattos. Luſ.
Rochus Pereira. Luſ.
An. 1663.
11.
P. Hiacinthus de Magiſtris. Ital. Viſitator.
P. Ludovicus Nogueira. Luſ. ejus ſocius.
P. Theodorus Ons. Ital.
P. Joannes Maria. Ital.
Alfonſus Martins. Luſ.
Paulus Camillo. Ital.
Joſephus Selemboi. Ital.
P. Valentinus Eſtancel. Germ.
P. Chriſtophorus Colaſſo. Luſ.
P. Laurentius Craveiro. Luſ.
Joſephus Torres. Luſ.
An. 1664.
2.
P. Jacobus Rolando. Belg.
P. Matthæus de Moura. Luſ.
An. 1665.
3.
P. Franciſcus Morato. Luſ.
Emmanuel Cortês. Luſ.
Balthaſar Duarte. Luſ.
Eodem anno diverſa occaſione. 7.
P. Antonius Gonſalves. Luſ. Commiſſarius.
P. Emmanuel Zuzarte. Luſ. ejus ſocius.
P. Gaſpar Alvres. Luſ. Provincialis.
P. Antonius Fonſeca. Luſ. ejus ſocius.
Franciſcus Souſa. Luſ.
Franciſcus Silva. Luſ.
Joannes Silva. Luſ.
An. 1667.
3.
P. Dominicus Barboſa. Luſ. Venerat Procurator.
Emmanuel Figueiredo. Luſ.
Emmanuel Rodrigues. Luſ.
An. 1668.
3.
Antonius Rodrigues. Luſ.
Mendus Pacheco. Luſ.
Raphael Salgado. Luſ.
An. 1669.
2.
P. Emmanuel de Pina. Luſ.
Gaſpar Barros. Luſ.
An. 1670.
P. Bernardus Antunes. Luſ.
Dominicus Araujo. Luſ.
Emmanuel Pacheco. Luſ.
Emmanuel Saraiva. Luſ.
Petrus Antonius Natalini. - - -
An. 1691.
9.
Andreas Gama. Luſ.
Raphael Machado. Luſ.
Franciſcus Coſta. Luſ.
Joannes Pereira. Luſ.
Franciſcus Carvalho. Luſ.
Baptiſta Ribeiro. Luſ.
Joſephus Antunes. Luſ.
Benedictus Ribeiro.
Emmanuel Coſta. Luſ.
An. 1692.
17.
P. Emmanuel Correa. Luſ. Provincialis.
P. Ludovicus Severim. Luſ.
P. Franciſcus Botelho. Luſ.
Alfonſus Peſtana. Luſ.
Franciſcus Machado. Luſ.
Carolus Figueiroa. Luſ.
Bartholom. Martins. Luſ.

Antonius Franco, Rrr An.

Antonius Ferreira. Luf.
Benedictus Soares. Luf.
Petrus Taborda. Luf.
Josephus Oliveira. Luf.
Antonius de Valle. Luf.
Emmanuel Ferreira. Luf.
Josephus Neves. Luf.
Antonius Fonseca. Luf.
Emmanuel de Sanctos. Luf.
Emmanuel Ramos. Luf.

An. 1693.
I.
P. Philippus Bourel. Germ.

An. 1694.
18.
P. Joannes Ginzel. Germ.
Emmanuel de Cruz. Luf.
Sebastianus Simoes. Luf.
Emmanuel Sousa. Luf.
Emmanuel Nogueira. Luf.
Emmanuel Sanches. Luf.
Thomas Aquino. Luf.
Thomas Simoes. Luf.
Josephus Silveira. Luf.
Felicianus Vasconcellos. Luf.
Antonius Fonseca. Luf.
Franciscus Xavier. Luf.
Antonius de Sousa. Luf.
Simon Barros. Luf.
Martinus Borges. Luf.
Dominicus Andrade. Luf.
Ludovicus Botelho. Luf.
Antonius Pereira.

An. 1702.
P. Joannes Pereira. Luf. Visitator.
Ascensus Fernandius. C.

An. 1705.
12.
P. qui venerat è Brasilia. Luf.
Joannes Dias. Luf.
Laurentius Costa. Luf.
Felix Capelli. Luf.
Josephus de Regibus. Luf.
Josephus Lopius. Luf.
Felix Ribeirus. Luf.
Julianus Xavier. Luf.
Emmanuel Garcia. Luf.
Josephus Cardosus. Luf.
Josephus Rodericius. Luf.
Emmanuel Luisius. Luf.

An. 1716.
P. Josephus Almeida Visitator. Luf.
Petrus Guilelmus. C. Fland.

An. 1717.
P. qui è Brasilia venerat dictus Franciscus Machadus.

9.
Antonius Pementelius. Luf.
Antonius Mousinius. Luf.
Emmanuel Rodericius. Luf.
Emmanuel Moralius. Luf.
Emmanuel Alvarus. Luf.
Dominicus Araujus. Luf.
Antonius Pereira. Luf.
Marcus Tavora. Luf.
Dominicus Villola. Luf.

An. 1722.
P. Ludovicus Tavares. Luf.

Hic Catalogus est defectuosus præsertim ab anno 1670. Scio multos ivisse in Brasiliam: quos non reperio, nec inveni, quot sint, nec quo anno. Non hic est P. Josephus Seixas, qui illo navigavit missus Visitator, non Joannes Antonius Andreonius, non Ludovicus Mamiani, & alii.

Catalogus

Virorum Societatis, qui causâ fidei propagandæ, & conservandæ navigarunt ex Lusitania ad Maranoniam ab anno 1643.

An. 1643.
15.
P. Ludovicus Figueira. Luf.
P. Emmanuel Monis. Luf.
P. Barnabas Dias. Luf.
P. Simon Florim. Luf.
Petrus Figueira. Luf.
Joannes Leite. Luf.
Emmanuel Lima. Luf.
Franciscus de Rego. Luf.
Nicolaus Teixeira. Luf.
Antonius Carvalho. Luf.
Dominicus de Brito. Luf.
Emmanuel Rocha. Luf.
Emmanuel Vicente. Luf.
Petrus Pereira. Luf.
Gaspar Fernandes. Luf.
Major pars naufragio periit in ostio fluvii Amazonum.

An. 1652.
10.
P. Antonius Vieira. Clarissimus concionator. Luf.
P. Emmanuel Lima. Luf.
- Franciscus Veloso. Luf.
- Matthæus Delgado. Luf.
- Thomas Ribeiro. Luf.
- Joannes Sotomayor. Luf.
- Emmanuel Sousa. Luf.
- Gaspar Fragosus. Luf.
- Joannes Soares. Luf.
Antonius Soares. Luf.
Augustinus Gomes. Luf.
Franciscus Lopes. Luf.
Simon Luis. Luf.

An. 1655.
P. Antonius Vieira, qui è Maranonia venerat, eodem rediit, cum duobus, quorum expressa non inveni nomina.

An. 1659.
8.
P. Gonsalus Veras. Luf.
- Petrus Monteiro. Luf.
- Joannes Maria. Ital.
- Petrus Luis. Luf.
- Bernardus Almeida. Luf.
Dominicus Costa. Luf.
Marcus Vieira. Luf.
P. Richardus Careu. Hybern.
Hi duo postremi se aliis adjunxerunt in Pernambuco.

An. 1660.
4.
P. Petrus Ludovicus Gonsalves. Ital.
P. Gaspar Uvisch. Fland.
P. Joannes Philippus. Fland.
Balthasar Campos. C. Fland.

An. 1663.
10.
P. Franciscus Veloso. Luf.
- Benedictus Alvres. Luf.
- Antonius Soares. Luf.
- Petrus Silva. Luf.
Joannes Fernandes. Luf.
Sebastianus Teixeira. Luf.
Dominicus Costa. Luf.
Emmanuel Rodrigues. Luf.
Joannes Almeida. Luf.
Antonius Ribeiro. Luf.

An. 1674.
3.
P. Antonius Pereira. Luf.
P. Franciscus Ribeiro. Luf.
Simon Luis. Luf. Venerat è Maranonia cum P. Emmanuele Zuzarte Visitatore.

An. 1681.
I.
P. Emmanuel Nunes. Luf.

An. 1687.
5.
P. Jedocus Peres. Ital.
P. Antonius Coelho. Luf.
P. Emmanuel Borba. Luf.

P. An-

P. Antonius Fonseca. Luf.
Franciscus Xavier. Luf.

An. 1688.

15.

P. Joannes Philippus, qui Procurator. Fland.
P. Josephus Ferreira. Luf.
P. Michael Antunes. Luf.
† P. Joannes Villar. Luf.
P. Joannes Silva. Luf.
- Ignatius Ferreira. Luf.
- Balthasar Ribeira. Luf.
- Franciscus Pedrosa. Luf.
- Emmanuel Costa. Luf.
Joannes Valladam. Luf.
Marcus Vieira. Luf.
Ignatius Luis. Luf.
Emmanuel Sancto. Luf.
Petrus Oliveira. Luf.
Emmanuel Lopes. Luf.

An. 1690.

5.

P. Justus Joannes Luca. Ital.
- Emmanuel Amaral. Luf.
- Emmanuel Galvam. Luf.
- Emmanuel Rebello. Luf.
Dominicus de Crus. Luf.

An. 1693.

P. Benedictus Oliveira. Visitator.
Antonius Alfonso. C.

An. 1695.

14.

P. Josephus Ferreira. Luf.
- Emmanuel Galvam. Luf.
- Silvester Mattos. Luf.
- Eduardus Galvam. Luf.
- Emmanuel Sanctos. Luf.
Josephus Vidigal. Luf.
Antamus de Britto. Luf.
Joam Mufcot. Luf.
Antonius Baptista. Luf.
Franciscus Ferreira. Luf.
Hyacinthus Carvalho. Luf.
Manoel Brandam. Luf.
Laurentius Homem. Luf.
Josephus Moura. Luf.

An. 1696.

2.

P. Fructuosus Correa. Luf.
P. Michael Silva. Luf.

An. 1698.

2.

P. Franciscus Andrada. Luf.
P. Joannes Valladam. Luf.

An. 1699.

1.

P. Josephus Ferreira. Luf.

An. 1703.

12.

P. Emmanuel Saraiva. Luf.
P. Franciscus Xavier. Boem.
P. Emmanuel Britto. Luf.
Thomas Pereira. Luf.
Franciscus Gaya. Luf.
Joannes Xavier. Boem.
Joannes Sampayo. Luf.
Joannes Teixeira. Luf.
Antonius Seco. Luf.
Antonius Neves. Luf.
Andreas Gonsalves. Luf.
Michael Lopes. Luf.

An. 1705.

7.

P. Michael Costa. Luf.
P. Federicus Ingram. - - -
Joannes Gruber. - - -
Franciscus Xavier. Luf.
Philippus Santiago. Luf.
Emmanuel Vieira. Luf.
Coadjutor. - - - Luf.

An. 1709.

2.

P. Thomas Linch. - - -
Emmanuel Silva. Luf.

An. 1712.

13.

P. Philippus Luis. Luf.
- Hieronymus Gama. Luf.
- Josephus Sousa. Luf.
- Franciscus Soares. Luf.
- Josephus Lopes. Luf.
- Antonius Sampayo. Luf.
- Emmanuel Mota. Luf.
- Joannes Sampayo. Luf.
- Michael Lopes. Luf.
Alexander Camellus. Luf.
Dominicus Correa. Luf.
Emmanuel Rodrigues. Luf.

An. 1715.

2.

P. Emmanuel Carvalho. Luf.
P. Emmanuel Pementel. Luf.

An. 1712.

10.

P. Emmanuel Seixas. Visitator Luf.
Emmanuel Bernardes. Luf.
Emmanuel Silva. Luf.
Antonius Simoës. Luf.
Emmanuel Coelho. Luf.
Josephus Lopes. Luf.
Franciscus Thomas. Luf.
Antonius Gonsalves. Luf.
Laurentius Duarte. Luf.
Caetanus Ferreira. Luf.

An. 1718.

Annibal Mazolani. Ital.
Aloysius Buearelli. Ital.
Marcus Antonius Arnolfini. Ital.
Emmanuel Esteves. Luf.

An. 1720.

11.

P. Rodericus Homem. Luf.
P. Sebastianus Fusco. Neap.
Benedictus Fonseca. Luf.
Emmanuel Ferreira. Luf.
Ludovicus Alvres. Luf.
Benedictus de Crus. Luf.
Dominicus Pinto. Luf.
Antonius Macedo. Luf.
Emmanuel Gonsalves. Luf.
Ludovicus Oliveira. Luf.
Franciscus Freire. Luf.

An. 1722.

2.

P. Hyacinthus Carvalho. Luf.
P. Simon Henriques. Luf.

An. 1724.

13.

P. Josephus Cunha. Luf.
Emmanuel Bernardes. Luf.
Franciscus Machado. Luf.
Antonius Fernandes. Luf.
Josephus Martins. Luf.
Franciscus Silva. Luf.
Emmanuel Fernandes. Luf.
Laurentius Fernandes. Luf.
Joannes Costa. Luf.
Josephus Tavares. Luf.
Emmanuel Morato. Luf.
Emmanuel Gomes. Luf.
Antonius Roldam. Luf.



Catalogus

Religiosorum vel omnino, vel ex aliqua ratione pertinentium ad Lusitanam Provinciam, qui libros, opus, aut opusculum typis mandarunt, vel reliquerunt ad typographiam paratum. Notatos hoc signo. † habet jam Lector in Bibliotheca Societatis, qui illo carent, exhibebit sequens ejusdem Bibliothecæ editio. Alii sunt nostræ nationis in Bibliotheca, sed adjuncti. Societati in aliis Provinciis, aut Regnis. Singulis subjicio patriam.

A.

P. Adrianus Petrus. *Ulyssipo.*
† P. Alfonsus Mendez Patriarcha ex oppido *S. Alexio* diœcesis Eborensis.
† P. Alvarus Lobus. *Chaves* diœcesis Bracharensis.
† P. Alvarus Semedus, *Nisa* diœcesis Portalegrensis.
† P. Amator Rebellus. *Mesamfrio* diœcesis Portuensis.
P. Andreas Cardosus. *Conimbrica.*

† P. An-

† P. Andreas Gomius. *Conimbrica.*
† P. Andreas Luis. *Ebora.*
† P. Andreas Gualdames. *Xeres de la frontera* in Hispania.
† P. Antonius Almeida. *Trancozo* diœcesis Visensis.
† P. Antonius Andrada. *Oleiros* Prioratus Cratensis.
P. Antonius Carneiras. *Ulyssipo.*
† P. Antonius Carvalius. *Ulyssipo.*
† P. Antonius Colassus. *Vidigueira.*
P. Antonius Cordeirus. *Angra.*
† P. Antonius Fernandius. *Conimbrica.*
† P. Antonius Fernandius. *Ulyssipo.*
P. Antonius Ferreira. *Ulyssipo.*
† P. Antonius Franciscus Cardimus. *Viana* trans Tagum Eborensis diœcesis.
P. Antonius Franco. *Montalvam* diœcesis Portalegrensis.
P. Antonius Garcia. *Barcellos* diœcesis Bracharensis.
† P. Antonius Gonvea. *Cazal* diœcesis Visensis.
† - Antonius Leite. *Ulyssipo.*
† - Antonius Macedo. *Conimbrica.*
† - Antonius Morais. *Certam* Prioratus Cratensis.
- Antonius Morim. *Conimbrica.*
† - Antonius Silva. *Aveiro* diœcesis Conimbricensis.
† - Antonius Sousa. *Amarante* diœcesis Bracharensis.
† - Antonius Vasconcellus. *Ulyssipo.*
† - Antonius Vellesius. *Portalegria.*
- Antonius Vellosus. *Brachara.*
- Arias Almeida. *Scalabis*, diœcesis Ulysiponensis.
- Augustinus Laurentius. *Terena* diœcesis Eborensis.

B.

† P. Balthasar Alvres. *Chaves* diœcesis Bracharensis.
† - Balthasar Gago. Lusit.
† - Balthasar Telles. *Ulyssipo.*
† - Bartholomæus Pereira. *Monsam* diœcesis Bracharensis.
† - Bartholomæus Guerreirus. *Almondovar* diœcesis Eborensis.
† - Baptista Fragosus. *Alagoa* diœcesis Sylvensis, nunc Farensis.
† - Benedictus Fernandius. *Borba* diœcesis Eborensis.
† - Benedictus Macedo. *Borba* diœcesis Eborensis.
- Benedictus Oliveira. *Conimbrica.*
† - Benedictus Pereira. *Borba* diœcesis Eborensis.
- Benedictus Rodericius. *Olivensa* diœcesis Helviensis.
† P. Benedictus Sequeira. *Arronches* diœcesis Portalegrensis.
† - Blasius Viegas. *Ebora.*
Bracharense Collegium.

C.

† P. Christophorus Ferreira. *Zevreira* diœcesis Ulysip.
† - Christophorus Gilius. *Barganſa* diœcesis Mirandensis.

† Conimbricense Collegium.
† - Cosmus Magalhans. *Brachara.*

D.

† P. Didacus Antunes. *Cratus.*
† - Didacus Areda senior. *Arrayolos* diœcesis Eborensis.
† - Didacus Areda. *Arrayolos* diœcesis Eborensis.
- Didacus Lobo. *Tingi* in Africa.
† - Didacus Lopes. *Beringel* diœcesis Eborensis.
† - Didacus Monteirus. *Ager Eborensis.*
- Dominicus Nunes. *Idanha* diœcesis Guardiensis.

E.

† Eborensis Academia.
† P. Emmanuel Almeida. *Viseu* urbs, ac diœcesis.
† - Emmanuel Alvres. *Ribeira Brava* diœcesis Funchalensis.
- Emmanuel Campos. *Ulyssipo.*
† - Emmanuel Cordeiro. *Abrantes* diœcesis Guardiensis.
- Emmanuel Corea. *Loanda* in Angola.
† - Emmanuel Costa. *Ulysipo.*
† - Emmanuel Dias. *Castelbranco* diœcesis Guardiensis.
† - Emmanuel Dias. *Alpalham* diœcesis Portalegrensis.
† - Emmanuel Dias junior. *Alpalham* diœcesis Portalegrensis.
- Emmanuel Fagundes. *Viana* diœcesis Bracharensis.
- Emmanuel Fernandes. *Fermoxelhe* diœcesis Conimbricensis.
- Emmanuel Ferreira. *Ulysipo.*
- Emmanuel Fialho. *Ebora.*
† - Emmanuel Goes. *Portel* diœcesis Eborensis.
- Emmanuel Gomes. *Cortissa* diœcesis Conimbricensis.
- Emmanuel Luis. *Pax-Julia* diœcesis Eborensis.
- Emmanuel Martins. Alvito diœcesis Eborensis.
† - Emmanuel Mascarenhas. *Ulysipo.*
† - Emmanuel Monteiro. *Monforte* diœcesis Helviensis.
- Emmanuel Morais. *Portel* diœcesis Eborensis.
- Emmanuel Oliveira. *Ulysipo.*
- Emmanuel Pereira. *Arruda* diœcesis Ulysiponensis.
† - Emmanuel Pimenta. *Scalabis* diœcesis Ulysiponensis.
† - Emmanuel Pinheiro. *Insula D. Michaelensis.* diœcesis Angrensis.
- Emmanuel Pires. *Estremos*, diœcesis Eborensis.
- Emmanuel de Reys. *Loures* diœcesis Ulysiponensis.
† - Emmanuel de Sà. *Villa de Conde* diœcesis Bracharensis.
- Emmanuel Sà. *Torre de Moncorvo* diœcesis Bracharensis.
- Emmanuel Silva. *Ega* diœcesis Conimbricensis.
† - Emmanuel Veiga. *Villarissosa* diœcesis Eborensis.

P. Eduar-

† - Eduardus Sande. *Guimaraens* diœcefis Bracharenfis.

F.

† P. Fernandus Rebellus. Prado diœcefis Lamecenfis.
† - Fernandus Guerreirus. *Almendovar* diœcefis Eborenfis.
- Fernandus Guiroz. *Canavezes* diœcefis Portuenfis.
† - Francifcus Adornus. *Genua* in Italia.
† - Francifcus Aires. *Amieira* in Prioratu Cratenfi.
† - Francifcus Amaralius. *Ulyfsipo.*
† - Francifcus Antonius *Ulyfsipo.*
† - Francifcus Aranha. *Arronches* diœcefis Portalegrenfis.
† - Francifcus Barretus. *Monte moronovo* diœcefis Eborenfis.
- Francifcus Caeiro. Monfaràs, diœcefis Eborenfis.
- Francifcus de Cruce. *Louriſſal* diœcefis Conimbricenfis.
- Francifcus Fonfeca. *Ebora.*
† - Francifcus Freirus. *Eſtremos*, diœcefis Eborenfis.
† - Francifcus Furtadus. *Fayal* diœcefis Angrenſ.
- Francifcus Gomes. *Ulyfsipo.*
† - Francifcus Henriques. *Ulyfsipo.*
- Francifcus Laynius Epifc. *Ulyfsipo.*
- Francifcus Leitam. *Caſteldevide* diœcefis Portalegrenſ.
† - Francifcus Macedo. *Conimbrica.*
† - Francifcus Machadus. *Villapouca* diœcefis Bracharenſ.
† - Francifcus Mendonfa. *Ulyfsipo.*
† - Francifc. Pinheirus. *Gouvea* diœceſ. Conimb.
- Francifcus Ribeirus. *Ebora.*
† - Francifc. Rodericius. *Monte more velho* diœcefis Conimbricenfis.
- Francifcus Salgueiro. *Tingi* in Africa.
- Francifcus Sande. *Veiros* diœceſ. Helvienſ.
† - Francifcus Soarius Lufitanus. *Torres vedras* diœcefis Ulyfsiponenfis.

G.

† P. Gabriel Mattos. *Vidigueira* diœcefis Eborenfis.
† - Gafpar Cardozus. *Fronteira* diœcefis Helvienfis.
† - Gafpar Correa. *Olivenſa* diœcefis Helvienfis.
† - Gafpar Fernandius. *Beja*, feu *Pax-Julia* diœcefis Eborenfis.
† - Gafpar Ferreira. *Villa de Fornos* diœcefis Vifenfis.
† - Gafpar Gonfalves. *Conimbrica.*
† - Gafpar Luis. *Portel* diœcefis Eborenfis.
† - Gafpar Villela. *Avis* diœcefis Eborenfis.
† - Georgius Cofta. *Azeitam* diœcefis Ulyſſip.
† - Gonfalus Rodericius. *Calheiros*, diœcefis Bracharenfis.
- Gregorius Barretus. *Cantanhede* diœcefis Conimbricenfis.

H.

† P. Henricus Henriques. *Villaviſſoſa* diœcefis Eborenfis.
† P. Hieronymus Alvres. *Ebora.*

I.

P. Ignatius Carvalho. *Montemoronovo* diœcefis Eborenfis.
- Ignatius Emmanuel. *Sam Pedro* in agro Brigaorino diœcefis Mirandenfis.
† - Ignatius Martinius. *Gouvea* diœcefis Conimbricenfis.
- Joannes Britto martyr. Ulyſſipo.
- Joannes Cardimus. *Viana*, Eborenfis diœcefis juxta leges Regni, licet in lucem editus in oppido *Torre* de *Moncorvo* diœcefis Bracharenfis.
- Joannes Carvalho. *Monte morovelho* diœcefis Conimbricenfis.
- Joannes Cofta. *Beringel* diœcefis Eborenfis.
- Joannes Coutinius. *Pombal* diœcefis Conimbricenfis.
† - Joannes Fernandius Socius S. Xaverii Cordubenfis.
- Joannes Fonfeca. *Viana* diœceſ. Eborenſ.
† - Joannes Freirius. Ulyſſipo.
- Joannes Furtadus. Ulyſſipo.
† - Joannes Lucena. *Trancozo* diœceſ. Vifenfis.
† - Joannes Mattos. *Ulyfsipo.*
† - Joannes Monteiro. *Mejamfrio* diœceſ. Portuenfis.
† - Joannes Paiva. *Ulyfsipo.*
† - Joannes Pedrofa. *Coimbram* diœceſ. Leirienſ.
† - Joan. Pereira. *Pontadelgada* diœceſ. Angrenſ.
† - Joannes Rocha. *Brachara.*
† - Joannes Rebellus. *Prado* diœceſ. Lamecenſ.
† - Joannes Ribeirus. *Tavira*, feu *Balſa* diœcefis Silvenfis.
† - Joannes Rodericius Giram. *Alcobochete* diœcefis Ulyſſiponenſ.
† - Joannes Soeirus. *Montemorovelho* diœceſ. Conimbricenſ.
† - Joannes Vafconcellus. *Leiria* urbs, & diœcefis.
† - Jofephus Anchieta. *Tenarife* in Canariis.
- Jofephus Murfia. *Ulyſſipo.*
† - Jofephus Soarius. *Cetobrica*, feu *Setuval* diœceſ. Ulyſſiponenſ.

L.

P. Leopoldus Fues Germanus de nobis immortaliter meritus, apud nos mortuus.
† - Lucas Vellofus. *Ulyſſipo.*
- Ludovicus Alvres. *Ulyfsipo.*
† - Ludovicus Alvres. *Sam Romam* diœcefis Conimbricenfis.
† - Ludovicus Azevedus. *Chaves* diœceſ. Bracharenfis.
- Ludovicus Brandanus. *Ulyfsipo.*
† - Ludovicus Cardeira martyr. *Beja*, feu *Pax-Julia* diœceſ. Eborenſ.
- Ludovicus Cardeira. *Alvito* diœceſ. Ebor.
† - Ludovicus Cerqueira Epifc. *Alvito* diœceſ. Eborenfis.
† - Ludovicus de Cruce. *Ulyfsipo.*
† - Ludovicus Fernandius. *Ulyfsipo.*
† - Ludovicus Figueira. *Almondovar* diœcefis Eborenfis.
† - Ludovicus Froes. *Beja*, feu *Pax-Julia* diœcefis Eborenfis.
- Ludovicus Gonzaga. *Ulyfsipo.*
† - Ludovicus Molina. *Cuenca* in Caſtella.
- Ludovicus Nogueira. *Fermoſelhe* diœcefis Conimbricenſ.

- Lodovicus Pereira. *Lowes* diœceſ. Ulyſſip.
† - Ludovicus Pioheirus. *Aveiro* diœceſis Conimbricenſis.

M.

† P. Marcus Georgius. *Nogueira* diœceſis Conimbricenſ.
† - Mathias Sâ. *Brachara.*
- Mathias Sangermanus. *Monſarâs* diœceſ. Eborenſ.
† - Matthæus Souſa. *Amarante* diœceſis Bracharenſis.
- Matthæus Cardoſus obiit in Angola.
† - Matthæus Courus. *Ulyſsipo.*
† - Melchior Nunius. *Portus* urbs, & diœceſis.
- Michael Dias. *Ulyſsipo.*
- Michael Furtadus. *Anſiam* diœceſ. Conimb.
- Michael Tinocus. *Helvia* urbs, & diœceſis.

N.

† P. Nicolaus Godinius. *Ulyſsipo.*
† - Nicolaus Pimenta. *Scalabis* diœceſ. Ulyſſip.
† - Nonius Cunha. *Ulyſsipo.*

P.

P. Paulus Meodes. *Montemoronovo* diœceſ. Eborenſ.
- Paulus Pereira. *Angra* orbs & diœceſis.
† - Paulus Rodericius. *Lanhoſo* diœceſ. Brachar.
- Petrus Almeida. *Ebora.*
- Petrus Amaralius. *Azurara* diœceſ. Viſenſ.
† - Petrus Fonſeca. *Cortiſſada*, ſeu *Proenſa nova* in Prioratu Cratenſi.
- Petrus Gerardus Coadjutor Belga, ſed ingreſſus Societatem in Luſitania.
† - Petrus Gomes. *Antiquera* diœceſis Hiſpalenſis.
† - Petrus Joannes Perpinianus. *Elche* diœceſ. Valentinæ.

R.

† - Rodericus Figueiredus. *Coruche* diœceſ. Eborenſ.

S.

† - Sebaſtianus Abreus. Crato Prioratus.
† - Sebaſtianus Barradas. *Ulyſsipo.*
- Sebaſtianus Barradas. *Caſtro Verde* diœceſ. Eborenſ.
† - Sebaſtianus Barretus. *Aveiro* diœceſ. Conimbricenſ.
† - Sebaſtianus Coutus. *Olivenſa* diœceſ. Ebor.
† - Sebaſtianus Gonſalvius. Poote *de Lima* diœceſ. Bracharenſ.
† - Sebaſtianus Morais Epiſc. *Funchal* urbs, ac diœceſis.
† - Sebaſtianus Novais. *Brachara.*
† - Sebaſtianus Vieira. *Caſtrodairo* diœceſ. Lamecenſis.
- Simon Gam. Ulyſſipo.
- Simon Fernandius. *Gouvea* diœceſ. Conim.
- Stephanus Cardeira. *Alvito* diœceſ. Ebor.
† - Stephanus Caſtro. *Ulyſsipo.*
† - Stephanus Fagundius. *Viana* diœceſ. Brach.
- Stephanus Sequeira. *Ulyſsipo.*

U.

† - Vaſcus Pirius. *Helvia* urbs, & diœceſis.
† - Valentinus Carvalho. *Ulyſsipo.*
Ulyſſiponenſe Collegium D. Antonii.

Ad ſingulas diœceſes ſpectant.

Ad Ulyſſiponenſem	52
Ad Bracharenſem	17
Ad Conimbricenſem	32
Ad Eborenſem	50
Ad Helvienſem	8
Ad Portalegrenſem	8
Ad Silvenſem	2
Ad Leirienſem	2
Ad Portuenſem	4
Ad Guardienſem	3
Ad Mirandenſem	2
Ad Lamecenſem	3
Ad Viſenſem	6
Ad Cratenſem	6
Ad Angrenſem	5
Ad Funchalenſem	2
Ad Tingitanam	2
Ad Angolanam	2
Exteroi	9.

Catalogus
Congregationum Luſitanæ Provinciæ.

1.

ALmeirini anno 1556. ſuffragatores ituri Romam P. Michael Turrianus Provincialis, P. Ludovicus Gonſalvius Camara, P. Gonſalus Vaſæus Mellus. Procurator Provinciæ P. Emmanuel Godinius. Braſiliæ, & Indiæ Procurator P. Georgius Serranus. Electus Generalis P. Laynius. Aſſiſtens P. Ludovicus Gonſalvius.

2.

Almerini an. 1565. Ivit Romam P. Didacus Miro Vice Provincialis, & electi P. Michael Turrianus, & Franciſcus Henriquius. Procurator Provinciarum P. Ignatius Azebedius. Electus Generalis S. Franciſcus Borgia. Aſſiſtens P. Didacus Miro.

3.

Almeirini an 1568. fuit prima triennalis. Electus Franciſcus Henriquius, ſed eo ægrotante, ivit P. Georgius Serranus.

4.

Conimbricæ an. 1571. electus P. Marcus Georgius.

5.

Eboræ 1572. mortuo S. Borgia. Ægrotante P. Georgio Serrano Provinciali, vadit Romam ipſius P. Leo Henriquius, & ſuffragaturi P. Michael Turrianus, & P. Petrus Fonſeca. Indiæ, & Braſiliæ Procurator P. Ignatius Martinius. Electus Generalis P. Everardus Mercurianus. Aſſiſtens P. Petrus Fonſeca.

6.

6. Ulyssipone an. 1576. electus Procurator P. Ludovicus Vasconcellius.

7. Ulyssipone an. 1579. electus idem, qui in proximo P. Ludovicus Vasconcellius.

8. Ulyssipone 1580. mortuo P. Everardo. Ivit P. Sebastianus Moralius Provincialis, & electi P. Emmanuel Rodericius, & Petrus Silva. Electus Generalis P. Claudius Aquaviva. Assistens P. Georgius Serranus absens, admissa illius excusatione deputationi Inquisitionis, designatus P. Emmanuel Rodericius.

9. Ulyssipone an. 1584. electus Procurator P. Petrus Martinius.

10. Ulyssipone an. 1587. electus Procurator P. Franciscus Gouvea.

11. Ulyssipone an. 1590. electus Procurator P. Nicolaus Pimenta.

12. Ulyssipone an. 1593. Ivit Romam P. Joannes Alvarus Provincialis, & electi P. Petrus Fonseca, & Joannes Correa. Electus Assistens P. Joannes Alvarus.

13. Conimbricæ an. 1597. Electus Procurator Ruyfius Martinius, obiit Romæ.

14. Ulyssipone an. 1600. Electus Procurator P. Joannes Correa, qui jam egerat Provincialem.

15. Ulyssipone an. 1603. Electus Procurator P. Franciscus Pereira.

16. Ulyssipone an. 1606. Electus Procurator P. Fernandus Rebellus.

17. Ulyssipone an 1607. Ivit ad Novenalem Congregationem P. Antonius Mascarenius Provincialis, & electi P. Franciscus Gouvea, & P. Franciscus Pereira. Electus Assistens P. Mascarenius.

18. Ulyssipone an. 1611. Electus Procurator P. Petrus Novalius.

19. Ulyssipone an. 1614. Electus P. Nonius Mascarenius, qui propter obitum Generalis regressus è Barcinone.

20. Ulyssipone an. 1615. ivit Povincialis Franciscus Pereira, & electi P. Nonius Mascarenius, & P. Joannes Alvarus. Electus Generalis P. Mutius Vitellefchius. Assistens P. Nonius Mascarenius.

21. Ulyssipone an. 1619. Electus Procurator P. Antonius Castelbrancus.

22. Ulyssipone an. 1622. Electus Procurator P. Antonius Abreus.

23. Ulyssipone an. 1625. Electus Procurator P. Franciscus Mendonsa.

24. Ulyssipone an. 1628. Electus Procurator P. Jacomius Monteirus.

25. Ulyssipone an. 1633. Electus P. Antonius Moralius.

26. Ulyssipone an. 1636. Electus Procurator P. Simon Alvarus.

27. Ulyssipone an. 1639. Electus P. Nonius Cunha.

28. Ulyssipone an. 1642. Electus Mathias Sousa.

29. Ulyssipone an. 1645. ivit Romam P. Hieronymus Vogadus Provincialis, & electi P. Nonius Cunea, & Benedictus Sequeira. Electus Generalis P. Vincentius Carafa. Assistens P. Nonius Cunha.

30. Ulyssipone an. 1649. Electus Procurator P. Franciscus Tavora.

31. Ulyssipone eodem an. 1649. Iverunt electi Romam P. Franciscus Tavora, P. Ludovicus Brandanus, P. Bernardinus Sampayus. Noluit Rex, iret P. Petrus Rocha Provincialis. Electus P. Franciscus Picolominius. Assistens P. Ludovicus Brandanus. Anno 1652. mortuo P. Picolominio, non habitus in Provincia conventus, ob rationes dicto anno memoratas. Electus P. Alexander Gottifredus, quo intra non multos dies emortuo, electus P. Gozavinus Nikelius, qui vocavit in Assistentis munus P. Franciscum Tavoram. Nikelius divisit Provinciam in duas, nempe Transtaganam, & Lusitanam. Hæ sunt Congregationes utriusque, dum stetit divisio facta anno 1653.

In Transtagana.

1. Ulyssipone an. 1555. Electus Procurator P. Michael Tinocus.

2. Ulyssipone an 1658. Electus P. Ludovicus Lopius.

3. Ulyssipone an. 1660. designantur ituri Romam cum P. Provinciali Francisco Manso P. Nonius Cunha & P. Ignatius Mascarenius.

In Lusitana.

1. Conimbricæ an. 1655. Electus P. Joannes Cabralius.

2. Conimbricæ an. 1658. Electus P. Ludovicus Britus.

3. Conimbricæ an. 1660. designantur ituri ad Congregationem Generalem cum P. Balthasare Tellio Provinciali P. Joannes Lopius, & Antonius Silva. Sed neutrius Provinciæ Patres interfuere Congregatione Generali. Vocatus Romam ad munus Assistentis P. Gaspar Gouvea.

Facta unio duarum in unam Provinciam an. 1665.

Continuantur Congregationes cum antecedentibus divisionem.

32. Ulyssipone an. 1665. Electus P. Emmanuel Luisius Bejensis.

32. Ulyssipone an. 1669. Electus P. Martinus Leitamus.

34. Ulyssipone an. 1672. Electus P. Antonius Almeida.

35. Ulyssipone an. 1675. Electus P. Antonius Macedo.

36. Ulyssipone an. 1678. Electus P. Franciscus Lopius.

37. Ulyssipone an. 1681. Electus P. Joannes Carvalius.

38. Ulyssipone an. 1682. Ivit Romam P. Provincialis Josephus Seixas, & P. Emmanuel Pereira, & P. Simon Teixeira. Electus Generalis P. Carolus Noyelius; Assistens P. Franciscus Almada.

39. Ulyssipone an. 1685. Electus P. Dominicus Leitamus.

40. Ulyssipone an. 1687. Ivit Romam P. Provincialis Andreas Vas. & P. Emmanuel Silva, & P. Joannes Fonseca. Electus Generalis P. Thyrsus Gonsalvius. Assistens P. Antonius Regus.

41. Ulyssipone an. 1690. Electus P. Benedictus Lemius.

42. Ulyssipone an. 1693. Electus P. Emmanuel Correa.

43. Ulyssipone an. 1696. Redivit Romam P. Provincialis Emmanuel Correa, & electi P. Franciscus Coelius, & P. Vincentius Lis, sed eo mortuo P. Franciscus Correa iit. Electus Assistens P. Emmanuel Correa.

44. Ulyssipone an. 1700. Electus P. Franciscus Tavarius.

45. Ulyssipone an. 1701. Non iit Provincialis P. Dominicus Nunius impeditus decreto Regis. Ivit ejus loco P. Michael Dias, & cum eo P. Emmanuel Dias. P. Franciscus Leitamus Romæ librorum Revisor absens electus, interim emortuus; tunc vocatus P. Ludovicus Fragosus. Electus Generalis P. Michael Angelus Tamburinus. Assistens P. Michel Dias.

46. Ulyssipone an. 1711. Electus P. Joannes Ribeirus. Non tamen ivit, quod è Roma sit scriptum, non futuram ibi Procuratorum Congregationem.

47. Ulyssipone an. 1714. Fuit electus P. Antonius Veiga. Hactenus, id est ad hunc annum 1724. quo fit Catalogus, aliis atque aliis de causis non est vocata Congregatio ulla.

Catalogus

Assistentium Lusitanæ Assistentiæ.

P. Ludovicus Gonsalvius. Camara. an. 1558.
S. Franciscus Borgia. an. 1564.
P. Didacus Miro. 1565.
P. Petrus Fonseca. 1572.
P. Emmanuel Rodericius. 1580.
P. Joannes Alvarus. 1593.
P. Antonius Mascarenius. 1607.
P. Nonius Mascarenius. 1615.
P. Joannes Mattius. 1637.
P. Nonius Cunha. 1646.
P. Ludovicus Brandanus. 1650.
P. Franciscus Tavora. 1652.
P. Gaspar Gouvea. 1660.
P. Antamus Gonsalvius. 1672.
P. Franciscus Lopius. 1678.
P. Franciscus Almada. 1680.
P. Antonius Regus. 1683.
P. Emmanuel Correa. 1696.
P. Michael Dias. 1705.
P. Joannes Baptista de Valle an. 1714.

Catalogus

Visitatorum, & Commissariorum.

P. Michael Turrianus. an. 1552.
P. Hieronymus Natalis Commissarius. an. 1553.
P. Ludovicus Gonsalvius Camara. 1556.
S. Franciscus Borgia Commissarius, an. 1559.
P. Hieronymus Natalis. 1560.
- Michael Turrianus. 1566.
- Didacus Miro. 1572.
- Michael Sousa. 1580.
- Petrus Fonseca annis quatuor.
- Martinus Mellus. an. 1599.
- Joannes Alvarus. an. 1610. annis quatuor.
- Antonius Mascarenius annis quatuor. an. 1625.
- Joannes Mattius. 1646.
- Joannes Brissasierus Gallus ad dividendam in duas Provinciam. an. 1653.
- Hieronymus Claramontius Venetus, an. 1660.
- Joannes Pereira. 1710. & Vice Provincialis.
P. Carolus Casnedius Mediolanensis Visitator, & Vice Provincialis. 1721.

Catalogus

Provincialium, & Vice-Provincialium.

Vener. P. Simon Rodericius rexit annis 12. ab anno 1540. ad Majum anni 1552.
P. Gonsalus Medeirus Viceprov. 1550.
P. Didacus Miro. an. 1552.
P. Michael Turrianus. 1555.
P. Ignatius Asebedius. Vicep. 1558.
P. Gonsalus Mellus, obiit Provincialis. an. 1563.
P. Didacus Miro Vicep. 1563.
P. Leo Henriquius Vicepr. 1665.
- Leo Henriquius 1566.
- Georgius Serranus. 1570.
- Emmanuel Rodericius. 1574.
- Sebastianus Moralius. an. 1580. per annos octo.
- Michael Sousa Vicep. 1580.
- Joannes Carvalius. Vicep.
- Joannes Correa. 1588.
- Joannes Alvarus. 1592.
- Emmanuel Sequeira. Vicep.
- Franciscus Gouvea. 1594.
- Christophorus Gouvea. 1597.
- Martinus Mellus. 1599.
- Joannes Correa secundo. 1602.
- Antonius Mascarenius. 1604.
- Martinus Mellus Vicep.
- Hieronymus Dias. 1608.
- Joannes Alvarus secundò. 1612.
- Franciscus Pereirs. 1614.
- Franciscus Gouvea. Vicep.
- Antonius Mascarenius secundò. an. 1618.
- Petrus Novalius. 1621.
- Emmanuel Fernandius. 1624.
- Antonius Abreus. 1627. obiir.
- Antonius Mascarenius. Vicep.
- Didacus Monteirus. 1629.
- Didacus Lobus. 1633. obiir.
- Antonius Mascarenius. Vicep.

P. Pe-

P. Petrus Rocha. 1635.
- Simon Alvarus. 1638. ægrotat graviſſime.
- Antonius Maſcarenius Vicepr.
- Antonius Souſa. 1641. obiit.
- Antonius Maſcarenius Vicepr.
- Antonius Maſcarenius Provincialis tertiò.
- Hieronymus Vogadus. 1645.
- Franciſcus Tavora. Vicepr.
- Petrus Rocha. 1648. ſecundò.
- Hieronymus Vogadus. Vicep. an. 1651. obiit.
- Franciſcus Tavora. Vicep. 1652.

Dividitur in duas Provincia. Transtaganæ Provinciales.

P. Benedictus Sequeira.
- Michael Tinocus.
- Franciſcus Manſus.
- Franciſcus Tavora. Vicept.
- Antonius Barradius.

Luſitanæ

P. Joannes Cabralis Vicep.
- Antonius Barradius. 1654.
- Gaſpar Gouvea. Vicep. 1657.
- Balthaſar Tellius. 1658.
- Michael Tinocus Vicep. 1662.
- Ludovicus Lopius. 1662.

Redactis in unam duabus Provinciis continuantur Provinciales cum antecedenti bus diviſionem.

P. Antonius Barradius an. 1665.
- Antamus Gonſalvius.
- Emmanuel Monteirus.
- Ludovicus Alvarus. 1675.
- Pantaleon Carvalius. 1678.
- Joſephus Seixas. 1681.
- Dominicus Luſadus. Vicep.
- Andreas Vas. 1685.
- Ludovicus Alvarus Vicep.
- Emmanuel Silva. 1689.
- Sebaſtianus Magalanius. 1692.
- Emmanuel Correa. 1694.
- Andreas Vas Vicep.
- Antonius Cardozus. 1697.
- Michael Dias. 1700.
- Dominicus Nunius. 1703.
- Emmanuel Dias. 1706.
- Franciſcus Tavarius Vicep.
- Joannes Pereira Viſitator Vicepr. 6. Aug. 1710.
- Franciſcus Tavarius Vicep.
- Emmanuel Andrada. 1712.
- Antonius Souſa. 1715.
- Antonius Correa. 1718.
- Carolus Caſnedius Viſitator Viceprov. 3. Dec. 1721.

Catalogus

Rectorum Collegii Conimbricenſis, cujus initium fuit anno 1542.

Didacus Miro nondum ſacerdos. 1542.

P. Martinus de S. Cruce. 1544.

P. Ludovicus Gonſalvius. 1547.
- Ludovicus Grana. 1548.
- Urbanus Fernandius. 1550.
- Emmanuel Godinius. 1552.
- Leo Henriquius. 1554.
- Ignatius Dias. 1558.
- Gonſalus Alvarus. 1558.
- Gonſalus Alvarus. 1561.
- Michael Souſa. 1567.
- Petrus Fonſeca. 1569.
- Georgius Serranus. 1570.
- Michael Turrianus. 1571.
- Emmanuel Rodericius. 1574.
- Michael Souſa ſecundò. 1577.
- Petrus Silva.
- Joannes Correa.
- Nicolaus Pimenta. 1588.
- Joannes Correa ſecundò. 1595.
- Hieronymus Dias. 1598.
- Antonius Maſcarenius. 1601.
- Petrus Lopius. 1604.
- Hieronymus Dias ſecundò. 1607.
- Nonius Maſcarenius. 1608.
- Emmanuel Lima. 1611.
- Antonius Abreus. 1614.
- Franciſcus Mendonſa. 1617.
- Hieronymus Alvarus. 1620.
- Emmanuel Fernandius. 1623.
- Ludovicus Lobus. 1624.
- Mathias Sà. 1627.
- Petrus Rocha. 1630.
- Antonius Maſcarenius. 1631.
- Petrus Rocha. 1634.
- Emmanuel Fagundius. 1635.
- Antonius Souſa. 1638.
- Nonius Cunha. 1641.
- Petrus Moura. 1645.
- Benedictus Sequeira. 1648.
- Gaſpar Gouvea. 1651.
- Franciſcus Pinheirus. 1654.
- Antonius Amaralius Vicer. 1657.
- Joannes Cabralis. 1658.
- Gaſpar Moreira. 1661.
- Lodovicus Lopius. 1665.
- Nonius Cunha ſecundò. 1669.
- Joſephus Seixas. 1672.
- Gaſpar Alvarus. 1676.
- Joannes Gomius. 1679.
- Paulus Mendius. 1681.
- Andreas Vas. 1684.
- Joſephus Seixas. ſecundò. 1685.
- Adrianus Petrus. 1689.
- Emmanuel Correa. 1692.
- Franciſcus Coelius. 1694.
- Dominicus Nunius. 1698.
- Gonſalus Sequeira. 1701.
- Gonſalus Morais. 1704.
- Joannes Pereira. 1706.
- Dominicus Nunius ſecundò. 1710.
- Franciſcus Ribeirus. 1713.
- Petrus Quadrus. 1715.
- Joannes Oliveira. 1716.
- Joſephus Almeida. 1719.

- Antonius Veiga. 1723.
- Antonius Galvam. 1724.

Catalogus

Rectorum Eborenſis Collegii, cujus initium fuit anno 1551.

P. Melchior Carneirus. 1551.
- Alfonſus Barretus. 1554.
- Michael Barrius.
- Michael Georgius.
- Cornelius Gomius. Videtur hos quatuor potius fuiſſe Vice-Rectores.
- Leo Henriquius an. 1556. Hic etiam fuit primus Rector Academiæ conditæ an. 1559.
- Georgius Serranus. 1556.
- Mauritius Serpius. 1570.
- Emmanuel Rodericius. 1571.
- Michael Turrianus. 1572.
- Michael Alvarus. 1573.
- Franciſcus Martinius. 1577.
- Leo Henriquius. 1578.
- Petrus Silva. 1580.
- Emmanuel Sequeira. 1583.
- Franciſcus Gouvea. 1585.
- Chriſtophorus Gouvea. 1585.
- Hieronymus Dias. 1594.
- Petrus Novalius. 1596.
- Emmanuel Lima. 1600.
- Martinus Mellus. 1603.
- Antonius Vaſconcellus. 1606.
- Antonius Abreus. 1609.
- Joannes Correa. 1612.
- Hieronymus Dias. ſecundò. 1614.
- Joannes Alvarus. 1617.
- Franciſcus Coſta. 1621.
- Franciſcus Mendonſa. 1624.
- Emmanuel Fagundius. 1627.
- Antonius Souſa. 1629.
- Ludovicus Lobus. 1632.
- Joannes Martius. 1633.
- Petrus Moura. 1632.
- Antonius Moralius. 1639.
- Petrus Brittus. 1640.
- Didacus Pereira. 1642.
- Bernardinus Sampayus. 1644.
- Franciſcus Cabralis. 1647.
- Didacus Machadus. 1650.
- Bartholomæus Brittus. 1653.
- Paulus Madureira. 1656.
- Franciſcus Soares. 1658.
- Antamus Gonſalvius. 1659.
- Joannes Cabralis. 1662.
- Chriſtophorus Azebedius. 1655.
- Michael Brandanus. 1668.
- Ludovicus Alvarus. 1671.
- Emmanuel Luiſius. 1674.
- Antonius Macedo. 1677.
- Emmanuel Pereira. 1680.
- Dominicus Louſadus. 1684.
- Emmanuel Silva. 1685.
- Andreas Vas. 1689.
- Benedictus Lemius. 1691.

- P. Franciscus Pinheirus. 1694.
- Antonius Cardosus. 1695.
- Emmanuel Cordeirus. 1697.
- Paulus Silva. 1700.
- Franciscus Tavarius. 1701.
- Gregorius Costa. 1704.
- Antonius Soula. 1708.
- Emmanuel Sousa. 1711.
- Dominicus Fernandius. 1712.
- Vincentius Ferreira. 1715.
- Antonius Correa. 1718.
- Fructuosus Correa. 1719.
- Franciscus Gomius. 1723.

Catalogus

Rectorum Collegii Ulyssiponensis D. Antonii Abbatis, cujus fuit initium anno 1552. quo jussu S. Ignatii ex Residentia formatum Collegium.

Ven. P. Ignatius Azebedius. 1552.
- P. Franciscus Henriquius.
- Ambrosius Pirius.
- Gaspar Alvarus.
- Antonius Monferatius.
- Petrus Silva.
- Mauritius Serpius.
- Emmanuel Alvarus.
- Amator Rebellus.
- Christophorus Gouvea. 1580.
- Joannes Soeirus.
- Martinus Mellus.
- Fernandus Carvallius.
- Hieronymus Dias.
- Joannes Madureira. Hactenus Rectores in Collegio vetusto.
- Petrus Lopius.
- Ludovicus Alvarus.
- Franciscus Araujus.
- Nonius Mascarenius. 1603.
- Antonius Abreus. 1606.
- Antonius Castelbrancus.
- Franciscus Gouvea.
- Hieronymus Alvarus. 1611.
- Jacomius Monteirus. 1614.
- Ludovicus Lobus. 1619.
- Emmanuel Fagundius. 1622.
- Balthasar Alvarus.
- Antonius Moralius.
- Simon Alvarus. 1628.
- Petrus Rocha.
- Ludovicus Lobus Vice-Rector.
- Joannes Mattius.
- Benedictus Sequeira. 1633.
- Ludovicus Brandanus Vice-Rector.
- Nonius Cuoha. 1636.
- Antonius Barradius. 1639.
- Didacus Pereira. 1642.
- Didacus Machadus. 1643.
- Franciscus Amaralius. 1646.
- Balthasar Tellius. 1648.
- Ignatius Mascarenius. 1654.

- P. Antonius Gonsalvius. 1657.
- Joannes Tavora. 1659.
- Emmanuel Lusius Bejensis. 1661.
- Nonius Cuoha. 1668.
- Martinus Leitamus. 1669.
- Andreas Moura. 1672.
- Simon Teixeira. 1675.
- Franciscus de Cruce. 1679.
- Franciscus Almeida. 1683.
- Sebastianus Magalanius. 1686.
- Sebastianus Lima. 1689.
- Antonius Vieira. 1692.
- Paulus Mouram. 1695.
- Dominicus Nunius. 1696.
- Adrianus Petrus. 1698.
- Emmanuel Dias. 1702.
- Franciscus Botelius. 1705.
- Joannes Oliveira. 1707.
- Antonius Correa. 1711.
- Emmanuel Cardosus. 1714.
- Ludovicus Costa. 1716.
- Franciscus Salgueirus. 1719.
- Henricus Carvalius. 1722.

Catalogus

Præpositorum domus Professæ Ulyssiponensis, cujus fuit initium an. 1553.

Ven. P. Gonsalus Silveira. 1553.
- Gonsalus Vas Mellus. 1556.
- Michael Turrianus.
- Gonsalus Alvarus.
- Michael Turrianus secundò.
- Mauritius Serpius.
- Franciscus Henriquius.
- Michael Sousa.
- Emmanuel Alvarus.
- Georgius Serranus.
- Petrus Fonseca. 1580.
- Emmanuel Sequeira.
- Joannes Madureira.
- Franciscus Gouvea.
- Christophorus Gouvea. 1603.
- Franciscus Pereira. 1606.
- Joannes Alvarus.
- Franciscus Gouvea secundò.
- Nonius Mascarenius. 1714.
- Antonius Mascarenius.
- Petrus Novalius. 1619.
- Antonius Abreus. 1622.
- Didacus Monteirus. 1624.
- Petrus Novalius secundò. 1628.
- Emmanuel Fernandius. 1630.
- Antonius Moralius.
- Antonius Mascarenius secundò. 1636.
- Simon Alvarus. 1637.
- Antonius Mascarenius tertiò. 1638.
- Petrus Rocha. 1641.
- Hieronymus Vogadus. 1644.
- Franciscus Valentius. 1645.
- Nonius Cunha. 1657.
- Hieronymus Lobus. 1661.
- Franciscus Tavora. 1662.

- P. Michael Tinocus. 1664.
- Ignatius Mascarenius. 1668.
- Emmanuel Monteirus. 1672.
- Emmanuel Fernandius. 1676.
- Franciscus Almada. 1679.
- Antonius Macedo. 1681.
- Ludovicus Alvarus. 1684.
- Antonius Macedo secundò. 1688.
- Sebastianus Magalanius. 1691.
- Emmanuel Silva. 1692.
- Andreas Vas. 1695.
- Dominicus Leitamus. 1697.
- Franciscus Coelius. 1701.
- Michael Dias. 1704.
- Dominicus Nunius. 1706.
- Sebastianus Magalanius secundò. 1707.
- Franciscus Tavarius. 1710.
- Joannes Pereira. 1715.
- Joannes Secus. 1715.
- Benedictus Oliveira. 1718.
- Joannes Tavarius. 1722.

Catalogus

Rectorum Collegii Bracharensis, cujus initium fuit an. 1560.

Ven. P. Ignatius Azebedius. 1560.
- P. Emmanuel Lopius. 1566.
- Joannes Freirius. 1568.
- Cyprianus Soarius. 1571.
- Christophorus Soeirus. 1575.
- Dominicus Cardosus.
- Emmanuel Sequeira. 1579.
- Leo Henriquius. 1580.
- Martinus Mellus. 1585.
- Emmanuel Costa. 1588.
- Ruysius Martinius. 1591.
- Hieronymus Cardosus. 1595.
- Petrus Almeida. 1598.
- Ludovicus Lobus. 1600.
- Emmanuel Fernandius. 1603.
- Didacus Monteirus. 1606.
- Franciscus Veiga. 1609.
- Antonius Moralius 1611.
- Andreas Palmeirus. 1614.
- Hieronymus Barradius. 1617.
- Alvarus Pirius. 1620.
- Antonius Soula. 1623.
- Sebastianus Coutus. 1627.
- Franciscus Valentius. 1630.
- Franciscus Cabralis. 1633.
- Gaspar Gouvea. 1636.
- Franciscus Amaralius. 1639.
- Antonius Amaralius. 1642.
- Bartholomæus Pereira. 1646.
- Melchior Barrius. 1650.
- Franciscus Rodericius. 1653.
- Franciscus Teixeira. 1655.
- Emmanuel Magalanius. 1658.
- Pantaleon Carvalius.
- Emmanuel Gonsalvius.
- Josephus Seixas.
- Joannes Sousa.
- Dominicus Paiva.

P. Jo-

P. Joannes Gomius.
- Emmanuel Pereira.
- Joannes Carvalius. 1680.
- Dominicus Leitamus. 1684.
- Petrus Amaralius. 1688.
- Georgius Correa. 1691.
- Vincentius Lis. 1694.
- Emmanuel de Regibus. 1696.
- Franciscus Correa. 1697.
- Emmanuel Andrada. 1701.
- Gregorius Costa. 1703.
- Michael Furtadus. 1705.
- Franciscus Ribeirus. 1708.
- Emmanuel Furtadus. 1712.
- Antonius Veiga. 1715.
- Franciscus Gomius. 1719.
- Michael Sousa. 1723.

Catalogus
Rectorum Collegii Portuensis, cujus fuit initium an. 1560.

S. Franciscus Borgia. 1560.
- Melchior Cota.
- Emmanuel Rodericius.
- Paulus Leitamus.
- Ruysius Vincentius.
- Antonius Brittus.
- Ruysius Martinius.
- Fernandus Rebellus.
- Martialis Beliartus.
- Petrus Martinius.
- Joannes Alvarus. 1580.
- Raphael Carneirus.
- Antonius Vasconcellius.
- Ludovicus Moralius.
- Alvarus Lobus. 1603.
- Simeon Caldeira. 1606.
- Jacomius Madeirus.
- Joannes Pintus. 1611.
- Emmanuel Fagundius. 1614.
- Joannes Lopius. 1619.
- Joannes Sousa. 1622.
- Antonius Leiva. 1625.
- Georgius Almeida. 1628.
- Ludovicus Brandanus.
- Sebastianus Moralius.
- Antonius Barradius. 1632.
- Didacus Luisius. 1637.
- Michael Tinocus. 1640.
- Joannes Vasconcellus. 1643.
- Paulus Madureira. 1646.
- Joannes Tavora. 1649.
- Antonius Bandeira. 1653.
- Dominicus Barbosa. 1656.
- Christophorus Azebedius. 1659.
- Ludovicus Alvarus. 1662.
- Stephanus Ferreira. 1667.
- Emmanuel Zuzartius. 1670.
- Emmanuel Martius. 1672.
- Emmanuel Soarius. 1676.
- Antonius Alvarus. 1679.
- Antonius Sousa. 1681.
- Emmanuel Silva. 1684.
- Emmanuel Correa. 1688.
- Gaspar Ribeirus. 1691.
- Emmanuel Dias. 1694.
- Dominicus Ferreira. 1697.
- Emmanuel de Regibus. 1700.
- Gonsalus Moralius. 1703.
- Benedictus Oliveira. 1705.
- Sebastianus Barradius. 1708.
- Joannes Franeus. 1711.
- Josephus Almeida. 1714.
- Antonius Giamus. 1716.
- Hieronymus Beja. 1719.
- Ignatius Freitius. 1722.

Catalogus
Rectorum Collegii Brigantini, cujus fuit initium an. 1561.

P. Leonelus Lima. 1561.
- Ruysius Vincentius. 1564.
- Laurentius Mexia. 1572.
- Christophorus Gouvea. 1576.
- Franciscus Gomius. 1579.
- Martialis Beliartus. 1583.
- Petrus Rodericius. 1587.
- Gaspar Alfonsus. 1591.
- Petrus Marconius. 1593.
- Fernandus Guerreirus. 1596.
- Antonius Castelbrancus. 1598.
- Hieronymus Barradius. 1601.
- Joannes Sousa. 1604.
- Joannes Lopius. 1607.
- Emmanuel Rodericius. 1610.
- Melchior Seixas. 1615.
- Sebastianus Rodericius. 1617.
- Jacomius Monteirus. 1619.
- Gaspar Mendius. 1623.
- Franciscus Tavora. 1626.
- Joannes Vasconcellus. 1629.
- Bartholomæus Britus. 1632.
- Franciscus Pintus. 1636.
- Ludovicus Brittus. 1639.
- Joannes Freirius. 1640.
- Emmanuel Maris. 1643.
- Antonius Oliveira. 1647.
- Didacus Rodericius. 1648.
- Pantaleon Carvalius. 1651.
- Joannes Rocha. 1654.
- Stephanus Ferreira. 1657.
- Dominicus Dias. 1663.
- Gonsalus Guedius. 1666.
- Emmanuel Soarius. 1669.
- Ludovicus Pinheirus. 1676.
- Antonius Cardosus. 1676.
- Franciscus Correa. 1679.
- Franciscus Soarius. 1682.
- Paulus Silva. 1686.
- Antonius Correa. 1689.
- Vincentius Ferreira. 1692.
- Josephus Borgius. 1696.
- Ludovicus Pereira. 1699.
- Simon Gouvea. 1703.
- Augustinus Cunha. 1706.
- Emmanuel Luisius. 1711.
- Constantinus Barretus. 1715.
- Josephus Mellus. 1719.
- Joannes Costa. 1722.

Catalogus
Rectorum Collegii Funchalensis, seu Madeirensis, cujus initium fuit anno 1570.

P. Emmanuel Sequeira. 1570.
- Petrus Rodericius. 1577.
- Petrus Almeida. 1585.
- Fernandus Guerreirus. 1588.
- Pantaleon de Ponte. 1593.
- Christophorus Joannes. 1595.
- Petrus Lopius. 1598.
- Ludovicus Alvarus. 1602.
- Emmanuel Fagundius. 1606.
- Franciscus Faria. 1609.
- Gaspar Cardosus. 1612.
- Gaspar Mendius. 1616.
- Alvarus Tavarius. 1619.
- Benedictus Sequeira. 1625.
- Franciscus Cabralis. 1628.
- Joannes Tavares. 1632.
- Dominicus Teixeira. 1637.
- Dominicus Barbosa. 1640.
- Antonius Barrius. 1643.
- Christophorus Asebedius. 1649.
- Emmanuel Fernandius. 1653.
- Petrus Barrosus. 1656.
- Franciscus Lelius. 1657.
- Paulus Mendius. 1660.
- Sebastianus Lima. 1663.
- Vincentius Pereira. 1666.
- Emmanuel Silva. 1671.
- Martinus Taborda. 1674.
- Antonius Arnaus. 1677.
- Emmanuel Paffus. 1682.
- Ludovicus Severinus. 1686.
- Josephus Coelius. 1690.
- Ignatius Paiva. 1693.
- Michael Vittus. 1696.
- Antonius Vieira. 1699.
- Dominicus Mellus. 1704.
- Bernardus Abreus. 1707.
- Franciscus Borgius. 1711.
- Didacus Costa. 1715.
- Franciscus Figueiredus. 1718.
- Joannes Carvalius. 1722.

Catalgus
Rectorum Angrensis Collegii, cujus fuit initium an. 1570.

P. Ludovicus Vasconcellius. 1570.
- Stephanus Dias.
- Ludovicus Vasconcellus secundò. 1585.
- Petrus Almeida. 1590.
- Emmanuel Magalanius. 1595.
- Gonsalus Simontus. 1599.
- Sebastianus Machadus. 1602.
- Mathias Sâ. 1606.
- Emmanuel Vieira. 1609.
- Philippus Dias. 1613.
- Emmanuel Nunius. 1616.
- Franciscus Valentius. 1619.
- Melchior Macedo. 1622.

P. Michael Metela. 1626.
- Gregorius Luisius. 1631.
- Antonius Amaralius. 1634.
- Antonius Almeida. 1638.
- Emmanuel Monteirus. 1642.
- Emmanuel Alvarus. 1645.
- Petrus Barrozus. 1649.
- Ludovicus Alvarus.
- Gaspar Alvarus. 1657.
- Gonsalus Arez.
- Emmanuel Cordeirus. 1664.
- Emmanuel Almeida. 1667.
- Nicolaus Teixeira. 1672.
- Antonius Fonseca.
- Maurus Almeida. 1677.
- Emmanuel de Regibus. 1682.
- Thomas Arnaus. 1686.
- Joannes Pereira. 1690.
- Franciscus Andrada. 1693.
- Melchior Piotus. 1697.
- Andreas Mendius. 1700.
- Emmanuel Paiva. 1703.
- Sebastianus Mira. 1706.
- Emmanuel Seixas. 1711.
- Leonardus Oliveira. 1715.
- Dominicus Cabus. 1718.
- Ludovicus Tavarius. 1702.
- Antonius Martinius. 1723.

Catalogus Superiorum & Rectorum Angolani Collegii, cujus fuit initium an. 1574.

P. Franciscus Gouvea. Captus obiit.
- Garcia Simonius. 1574.
- Balthasar Barreira. 1580.
- Petrus Rodericius. 1592.
- Balthasar Alfonsus.
- Petrus Paes.
- Georgius Pereira.
- Georgius Dias. 1600.
- Petrus Sousa.
- Ludovicus Brandanus. 1607.
- Antonius Mattius.
- Hieronymus Vogadus. 1615.
- Matthæus Cardosus. 1617.
- Eduardus Vas.
- Gonsalus Sousa. 1632.
- Joannes Lopius.
- Philippus Francus. 1648.
- Emmanuel Maris. 1651.
- Emmanuel Mattius.
- Dominicus Lousadus.
- Emmanuel Vas.
- Emmanuel Faria.
- Petrus Vas.
- Nonius Martinius.
- Antonius Sousa.
- Antonius Moreira.
- Carolus Sylveira.
- Joannes Ribeirus. 1682.
- Emmanuel Silva. 1686.
- Joannes Veiga. 1690.
- Franciscus Salas.
- Simon Dinisius. 1698.
- Michael Sousa.
- Hippolitus Zuzartius.
- Joannes Cordeirus.
- Antonius Viegas. 1713.
- Petrus Velius. 1717.
- Emmanuel Jordanus. 1722.

Catalogus Superiorum, & Rectorum Collegii Insulæ de S. Michaele, cujus initium fuit an. 1591.

P. Fernandus Guerreirus. 1591.
- Jacomius de Ponte.
- Ludovicus Pinheirus. 1596.
- Sebastianus Machadus. 1602.
- Gonsalus Simonius. 1603.
- Matthia Sâ. 1604.
- Michael Godinius. 1606.
- Antonius Gonsalvius. 1610.
- Emmanuel Vieira. 1614.
- Antonius Dias. 1614.
- Philippus Dias. 1616.
- Rochus Abreus. 1618.
- Emmanuel Nunius. 1620.
- Antonius Leitius. 1621.
- Antonius Carneirus. 1623.
- Didacus Lusius. 1627.
- Simon Araujus. 1631.
- Ludovicus Lopius. 1636, fuit premus Rector.
- Antonius Rocha. 1639.
- Didacus Pereira. 1643.
- Joannes Freirius. 1646.
- Emmanuel Alvarus. 1649.
- Gonsalus Arez. 1652.
- Emmanuel Gonsalvius. 1657.
- Joannes Sousa.
- Emmanuel Soarius. 1665.
- Franciscus Andrada. 1668.
- Nicolaus Teixeira.
- Emmanuel Gonsalvius. 1674.
- Emmanuel Cordeirus. 1677.
- Andreas Ferreira. 1681.
- Joannes Caeirus. 1684.
- Emmanuel Sousa. 1688.
- Thomas Macedo. 1692.
- Petrus Quadrus. 1695.
- Antonius Carneirus. 1698.
- Paulus Pereira. 1701.
- Gaspar Estevens. 1705.
- Emmanuel Seixas. 1707.
- Josephus Brittus. 1711.
- Ludovicus Tavarius. 1715.
- Antonius Martinius. 1719.
- Sebastianus Mira. 1723.

Catalogus Rectorum Seminarii Ulysiponensis, cujus fuit initium an. 1593.

P. Thomas Vittus.
- Cornelius Rocha.
- Joannes Baptista.
- Guilielmus de Cruce.
- Emmanuel Vieira.
- Alvarus Tavarius.
- Didacus Pereira.
- Nonius Cunha.
- Joannes Mattius. 1636.
- Didacus Pereira secundò.
- Franciscus Amaralius. 1637.
- Balthasar Tellius.
- Emmanuel Mascarenius. 1646.
- Michael Tinocus. 1649.
- Edemundus Keiles.
- Emmanuel Monteiro.
- Antonius Barros.
- Petrus Peixoto.
- Joannes Sousa.
- Joannes Gomes.
- Dominicus Lousado.
- Benedictus Pereira.
- Ludovicus Nogueira.
- Franciscus Caldeira.
- Emmanuel Soarius. 1682.
- Antonius Vieira. 1686.
- Alfonsus Mexia. 1690.
- Franciscus Tavarius. 1692.
- Joannes Faria. 1695.
- Emmanuel de Regibus. 1698.
- Joannes Francus. 1705.
- Emmanuel Gomes. 1708.
- Augustinus Cunha. 1711.
- Josephus Almeida. 1712.
- Antonius Carneirus. 1714.
- Antonius Sousa. 1718.
- Petrus Almeida. 1721.

Catalgus, Rectorum domus Probationis Ulysiponensis, cujus fuit initium an. 1597.

P. Antonius Mascarenius. 1597.
P. Franciscus Araujus.
P. Simon Caldeira. Hi rexerunt Tirones in Campo lido, & vacavit tirocinium Ulysipone, ut promoveretur ædificium.
P. Antonius Moralius. 1619.
- Didacus Monteirus. 1623.
- Joannes Soula. 1625.
- Alvarus Tavarius. 1625.
- Simon Alvarus. 1629.
- Franciscus Tavora. 1636.
- Bernardinus Sampayus. 1641.
- Joannes Nunius. 1644.
- Bernardinus Sampayus secundò. 1649.
- Ludovicus Lopius Vice-Rector.
- Didacus Rodericius. 1660.
- Ludovicus Brittus Vice-Rector. 1661.
- Franciscus Vittus. 1665.
- Emmanuel Fernandius. 1669.
- Pantaleon Carvalius. 1670.
- Gaspar Alvarus. 1674.
- Antonius Macedo. 1677.
- Franciscus Almada.
- Vincentius Pereira Vice-Rect.
- Andreas Vas. 1682.
- Vincentius Pereira Vice-Rect.
- Joannes Fonseca. 1685.

P. Em-

- Emmanuel Cordeirus. 1690.
- Michael Dias. 1694.
- Joannes Faria. 1697.
- Gonsalus Sequeira. 1700.
- Franciscus Correa. 1701.
- Emmanuel Sousa. 1704.
- Petrus Quadrus. 1708.
- Petrus Andrada. 1711.
- Vincentius Ferreira. 1714.
- Benedictus Oliveira. 1715.
- Antonius Carneirus. 1718.
- Laurentius Ferreira. 1721.
- Antonius Mansus. 1724.

Catalogus

Moderatorum Collegii Farensis, quod initium habet sub nomine domus Professæ an. 1599.

P. Nonius Mascarenius. 1599.
- Antonius Vasconcellus.
- Emmanuel Costa.
- Antonius Castelbrancus.
- Hieronymus Barradius: hactenus fuere Præpositi.
- Didacus Valentius primus Rector.
- Antonius Sousa.
- Mathias Sâ.
- Michael Godinius.
- Emmanuel Secus.
- Gonsalus Pintus.
- Franciscus Foyus.
- Bernardinus Sampayus.
- Ludovicus Antunius. 1636.
- Franciscus Aires. 1639.
- Petrus de Sousa. 1642.
- Franciscus Rodericius.
- Michael Brandanus. 1647.
- Didacus Pereira. 1650.
- Paulus Mendius. 1653.
- Emmanuel Costa. 1656.
- Emmanuel Fernandius. 1659.
- Franciscus Leitius. 1662.
- Antonius Mellus. 1665.
- Antonius Martinius. Vice-R.
- Georgius Correa. 1674.
- Michael Nunius. 1677.
- Emmanuel Moura. 1679.
- Petrus Sequeira. 1683.
- Franciscus Nunius. 1683.
- Franciscus Moratus. 1688.
- Antonius Martinius. 1689.
- Franciscus Barretus.
- Emmanuel Veiga. 1694.
- Antonius Tenreirus. 1696.
- Franciscus Contreiras. 1697.
- Antonius Sousa. 1701.
- Franciscus Coutinius. 1704.
- Dominicus Fernandius. 1707.
- Andreas Aires. 1710.
- Josephus Moralius. 1715.
- Sebastianus Mira. 1718.
- Emmanuel Pina. 1721.

Catalogus

Præpositorum domus Professæ Villævissosæ, cujus initium fuit an. 1601.

P. Petrus Novalius. 1601.
- Ludovicus Lobus. 1606.
- Ludovicus Moralius.
- Emmanuel Lima. 1611.
- Mathias Sâ.
- Didacus Valentius.
- Lupus Castanheda. 1615.
- Antonius Sousa. 1619.
- Antonius Castelbrancus. 1622.
- Jacomius Monteirus. 1625.
- Bartholomæus Guerreirus. 1628.
- Petrus Brittus. 1631.
- Joannes Vasconcellus. 1634.
- Didacus Machadus. 1635.
- Joannes Nunius. 1638.
- Ludovicus Lopius. 1641.
- Franciscus Mansus. 1644.
- Christophorus Azebedius. 1644.
- Joannes Gomius. 1648.
- Antonius Barrius. 1651.
- Emmanuel Alvarus. 1654.
- Didacus Pereira. 1653.
- Georgius Costa. 1658.
- Ludovicus Cardeira. 1662.
- Emmanuel Mattius. 1665.
- Paulus Mendius. 1668.
- Gonsalus Guedius.
- Emmanuel Correa. 1674.
- Dominicus Ferreira. 1678.
- Emmanuel Almeida. 1681.
- Emmanuel Pintus. 1684.
- Emmanuel Sequeira. 1689.
- Franciscus Ramalius. 1692.
- Emmanuel Moura. 1696.
- Custodius Carvalius. 1697.
- Benedictus Oliveira. 1701.
- Antonius Carneirus. 1704.
- Joannes de Sanctis. 1707.
- Josephus Peres. 1711.
- Dominicus Mellus. 1714.
- Didacus Martinius. 1717.
- Antonius Mansus. 1720.
- Antonius Viegas. 1723.

Catalogus

Rectorum Collegii Portalegrensis, cujus initium fuit an. 1605.

P. Antonius Vasconcellus. 1605.
- Eduardus Carneirus. 1605.
- Hieronymus Barradius. 1608.
- Georgius Almeida. 1611.
- Antonius Vasconcellus iterum. 1612.
- Sebastianus Machadus. 1613.
- Michael Gidinius. 1614.
- Gaspar Alvarus. 1616.
- Emmanuel Vieira. 1617.
- Jacomius Monteirus. 1618.
- Simon Abrantes. 1619.
- Benedictus Sequeira. 1622.
- Petrus Sousa. 1624.
- Ludovicus Antunius. 1625.
- Stephanus Cazalius. 1627.
- Didacus Machadus. 1629.
- Alvarus Camellus. 1632.
- Gaspar Gouvea. 1633.
- Bernardus Fonseca. 1634.
- Simon Sotomayor. 1635.
- Bartholomæus Brittus. 1637.
- Melchior Barrius. 1638.
- Antonius Amaralius. 1640.
- Constantinus Gomius. 1642.
- Petrus Barrozus. 1643.
- Emmanuel Pintus. 1646.
- Gaspar Moreira. 1650.
- Didacus Fernandius.
- Joannes Costa. 1654.
- Franciscus Caldeira. 1660.
- Emmanuel Mattius. 1660.
- Emmanuel Moralius. 1664.
- Ruyfius Tavarius. 1667.
- Antonius Correa. 1670.
- Dominicus Gondimus. 1673.
- Michael Dias. 1677.
- Gonsalus Sequeira. 1680.
- Sebastianus Barbosa. 1684.
- Petrus Sequeira. 1686.
- Joannes Caeirus. 1689.
- Franciscus Nunius. 1693.
- Antonius Giamus. 1697.
- Petrus Andrada. 1700.
- Josephus Almeida. 1704.
- Antonius Sousa. 1708.
- Franciscus Silva. 1711.
- Laurentius Ferreira. 1713.
- Joannes Correa. 1716.
- Joannes Figueiredus. 1620.
- Josephus Ribeirus. 1723.
- Didacus Froes. 1727.

Catalogus

Rectorum Scalabirani Collegii, cujus initium fuit an. 1621.

P. Ludovicus Lobus. 1621.
- Mathias Sâ. 1622.
- Ludovicus Brandanus. 1628.
- Melchior Macedo. 1631.
- Michael Godinius. 1632.
- Antonius Ferreira. 1636.
- Bernardinus Sampayus. 1637.
- Joannes Vasconcellus. 1638.
- Mathias Sousa. 1641.
- Joannes Tavora. 1643.
- Joannes Cabralis. 1647.
- Franciscus Mansus. 1650.
- Martinus Leitamus. 1653.
- Joannes Cabralis. 1657.
- Petrus Valladarius. 1658.
- Emmanuel Fernandius. 1662.
- Ludovicus Cardeira. 1666.
- Emmanuel Luisius. Ulyl. 1669.
- Emmanuel de Cruce. 1673.
- Didacus Rodericius. 1675.
- Sebastianus Novalius. 1675.
- Franciscus Almeida. 1680.
- Benedictus Rodericius. 1683.
- Dominicus Ferreira. 1686.
- Franciscus Pinheirus. 1690.
- Augustinus Laurentius. 1693.
- Joannes Pereira. 1695.
- Joannes Coutinius. 1698.
- Joannes Caeirus. 1698.

P. Antonius Sousa. 1702.
- Vincentius Ferreira. 1705.
- Fructuosus Correa. 1709.
- Antonius Vieira. 1712.
- Emmanuel Paiva. 1716.
- Josephus Peres. 1719.
- Gaspar Estevens. 1723.

Catalogus

Rectorum Helviensis Collegii, cujus fuit initium an. 1654. quamvis cœperit habitari Februario sequentis anni.

P. Michael Tinocus. 1645.
- Gregorius Luisius. 1646.
- Emmanuel Luisius. 1649.
- Franciscus Aranha. Vice-R. 1652.
- Josephus Figueiredus.
- Emmanuel Faria. Vice R.
- Emanuel Fernandius. Vice-R.
- Bartholomæus Eduardus. Vice-Rector.
- Emanuel Zuzartius, Vice-R.
- Antonius Lopius. 1660.
- Mathias Vieira, Vice-R.
- Franciscus Lopius. 1664.
- Joannes Madeira 1666.
- Philippus Martinius. 1670.
- Josephus Pereira. 1674.
- Andreas Mendius. Vice-R.
- Sebastianus Cunha. 1677.
- Simon Camonius. 1681.
- Emmanuel Mattius. 1682.
- Antonius Almeida. 1683.
- Marcus Costa. 1688.
- Emmanuel Andrada. 1691.
- Emmanuel Sousa. 1695.
- Vincentius Ferreira. 1699.
- Dominicus Fernandius. 1702.
- Antonius Correa. 1705.
- Ludovicus Costa. 1708.
- Hieronymus Rebellus. 1714.
- Joannes Alvarus.
- Sylvester Carvalius. 1715.
- Felix Barretus. 1719.
- Joannes Azebedius. 1722.

Catalogus

Rectorum Collegii Fayalensis, cujus fuit initium an. 1652.

P. Laurentius Rebellus. 1552.
- Franciscus Andrada.
- Emmanuel Fernandius. 1657.
- Laurentius Rebellus Vice-R. 1658.
- Joannes Cunha. 1633.
- Antonius Alvarus. 1667.
- Joannes Marquius. 1672.
- Carolus Silveira. 1675.
- Andreas Mendius. 1678.
- Thomas Arnaus. 1681.
- Antonius Dias. 1684.
- Franciscus Andrada. 1688.
- Melchior Pintus. 1691.
- Josephus Cunha. 1695.
- Ludovicus Costa. 1698.
- Emmanuel Seixas. 1702.
- Josephus Barretus. 1705.
- Antonius Freirius. 1708.
- Emmanuel Magalanius. 1711.
- Dominicus Cabus. 1715.
- Joannes Martinius. 1718.
- Bernardus Rebellus. 1721.

Catalogus

Rectorum Collegii Cetobricensis, seu Setuvalensis, cujus initium fuit an. 1655.

- Didacus Areda, 1655.
- Antonius Barrius. 1663.
- Georgius Costa. 1668.
- Sebastianus Novalius. 1669.
- Andreas Vas. 1673.
- Antonius Coutus. Vice-R. 1677.
- Vincentius Pereira. 1677.
- Antonius Figueiredus. Vice-R. 1679.
- Benedictus Rodericius, Vice Rector.
- Ruyssius Tavarius. Vice Rect. 1680.
- Antonius Coutus. 1680.
- Joannes Faria. 1684.
- Joannes Coutinius. 1689.
- Michael Sequeira. 1693.
- Josephus Coelius. 1696.
- Simon de Sanctis. 1699.
- Fructuosus Correa. 1702.
- Antonius Francus. 1705.
- Petrus Almeida. Vice R. 1707.
- Antonius Vieira. 1708.
- Josephus Vasconcellius. 1711.
- Michael Sousa. 1714.
- Antonius Mansus. 1717.
- Antonius Viegas. 1720.
- Constantinus Barretus. 1723.

Catalogus

Rectorum Collegii Villænovæ Portumanensis, cujus fuit initium an. 1659.

P. Bartholomæus Eduardus, qui Superior, dum vixit, cœpit, & absolvit ædificium.

- Gaspar Silva, & fuit primus Rector. an. 1707.
- Antonius Correa. 1708.
- Gaspar Estevens. Vice-R. 1711.
- Xavier Lims. 1713.
- Sebastianus Mira. 1714.
- Joannes Ferrazius. 1717.
- Josephus Baptista. 1720.
- Marcellus Leitamus. 1724.

Catalogus

Aliquot Superiorum Bejensis, seu pacis-Juliæ Collegii, cujus fuit initium anno 1670.

P. Didacus Lobus. 1670.
- Ludovicus Severimus.
- Franciscus Borralius.
- Petrus Sequeira. 1684.
- Emmanuel Andrada.
- Dominicus Fernandius. 1689.
- Benedictus Oliveira. 1692.
- Dominicus Fernandius iterum.
- Andreas Mendius. 1693.
- Joannes Ribeirus. 1694.
- Franciscus Nunius. 1697.
- Rodericus Costa. 1701.
- Martinus Silva. 1702.
- Josephus Cunha. 1704.
- Antonius Sousa. 1717.
- Henricus Silva. 1718.
- Joannes Martinius. 1722.

Catalogus

Aliquot Superiorum Collegii Ulyssiponensis S. Francisci Xaverii, cujus fuit initium anno 1677.

P. Ludovicus Severini. 1677.
- Franciscus Tavares.
- Augustinus Lousado.
- Josephus Dias. 1690.
- Joannes Faria. 1696.
- Simon Gama. 1696.
- Emmanuel Andrada.
- Franciscus Salas. 1701.
- Sebastianus Barradas. 1704.
- Emmanuel Andrada. 1705.
- Josephus Borges. 1707.
- Mauritius Correa. 1708.
- Franciscus Gomes. 1712.
- Antonius Giam. 1714.
- Gualter Murcote. 1719.

Non inveni Catalogos ordinarios, ideo tantum nominavi, qui mihi occurrerunt.

(o)

Index

Index Materiarum,

de quibus tractarunt Lusitanæ Provinciæ Scriptores ab initio Societatis ad annum 1724.

Caput. I.

Sacra Scriptura.

§. 1. In Biblia universa.

Alphonsi Mendes, Expositiones in sactam Scripturam.
Didaci Lopes, Harmonia Scripturæ divinæ.
Emmanuelis Sâ, Notationes in totam Scripturam.

§. 2.

In Vetus Testamentum.

Antonii Fernandes, Commentarius in Visiones Veteris Testamenti.

In Genesim.

Antonii Fernandes, Opus sex dierum.
Benedicti Fernandes, Commentarius, & Observationes Morales in Genesim. Tomi III.
Cosmæ Magalhans, Commentaria in Cantica Moysis, & Benedictiones Patriarcharum. Lib. IV.

In Exodum.

Sebastiani Barradas, Itinerarium filiorum Israël in terram promissionis.

In Judices.

Cosmæ Magalhans, Commentarii.
Joannis Freire, Commentarii.

In Josue.

Ludovici Alvres, Josephus Bachelis filius illustris.

In Libros Regum.

Francisci Mendonsa, Commentarii in XV. capita Lib. I. Tomi III.
Gaspari Fernandes, Sceptrum Davidicum.

In Tobiam.

Bartholomæi Pereira, Commentarii.

In Judith.

Lucæ Velloso, Commentarii.

In Psalmos.

Ludovici de Crux, Psalterium carmine Latino.

In Isaiam.

Antonii Fernandes, Commentaria manuscripta.

In Prophetas minores.

Blasii Viegas, Commentarii in Prophetas minores, & Ezechielem non excusi.

§. 3.

In Novum Testamentum.

Ludovici Azevedo, Testamentum Novum Lingua Amarana redditum unà cum P. Ludovico Cardeira.

In quatuor Evangelia.

Emmanuelis Diaz super Evangelia totius anni Sinice.
Emmanuel Sâ, Scholia.
Sebastiani Barradas, Commentarii in Concordiam, & Historiam Evangelicam, Tom. IV.
Simonis Fernandes super Evangelia Dominicarum. Tom. IV. non excusi.

In Lucam.

Benedicti Fernandes, Commentarii non excusi.
Petri Amaral, in Canticum Magnificat.

Ad Titum, & Timotheum.

Cosmæ Magalhans.

Ad Hebræos.

Blasii Viegas, Commentarii, non excusi.

In Apocalypsim.

Blasii Viegas, Commentarii sæpe excusi. Tractatus de Victoria Messiæ non excusus.

Cap. II.

Theologia Scholastica.

Antonii Carvalho, Commentarii in 1. 2. D. Thom.
Antonii Cordeiro, Tom. I.
Augustini Lourenco, Tom. II.
Benedicti Pereira, Promptuarium sacræ Theologiæ speculatricis. Tom. III. sed non excusi.
Christophori Gil, de Deo.
Franciscus Sande, Tom. V. qui excuduntur.
Francisci Soares Lusitani, Commentaria in I. D. Thom.
Ludovici Molina, Concordia Gratiæ, & liberi arbitrii. Im. I. Summæ D. Thom. de justitia, & Jure. Tom. IV.
Sebastiani Abreu. Tomi VI. vel VII. non excusi.
Stephani Fagundes, de Justitia, & Contractibus. De Acquisitione, & Translatione Dominii. Lib. II.

Cap. III.

Theologia Moralis.

Antonii Cordeiro Consiliorum. Tom. II.
Io Quioqualogum. Tom. unus non excusus.
Antonii Fernandes, Instructio pro audiendis confessionibus.
Antonii Franco, Instructio Ordinandorum P. Quintana Duenhas versa in Lusitanum.
Baptista Fragozo, Regimen Reipublicæ Christianæ. Tom. III.
Benedicti Pereira Promptuarium Juridicum. Elucidarium Theologiæ Moralis. Promptuarium universæ Theologiæ Moralis. Summa operum Thomæ Sanches de Matrimonio.
Dominici Nunes, Tractatus de Opinione probabili.
Emmanuelis Cordeiro de Obligationibus Clericorum sæcularium, & Regularium. De Perfecto Parocho.
Emmanuelis Correa, Idea Consiliarii.
Emmanuelis Gomes, de Bulla Cruciatæ.
Emmanuelis Mascarenhas, de Sacramentis Tom. I.
Emmanuelis Pereira de Restitutione Tom. II.
Emmanuelis Sâ, Aphorismi Casuum Conscientiæ.
Fernandi Rebello de Obligationibus Justitiæ, Religionis, & Charitatis.
Francisci Adorno Itali, de Cambiis. De Ecclesiastica Disciplina.
Francisci Castro de Bulla Cruciatæ, & Monitoriis.
Francisci Freire Consiliorum Lib. V. non excusi.
Francisci Pinheiro de Censu, & Emphyteusi. De Testamentis. Tom. II.
Francisci Soares Lusitani, de Pœnitentia. De Censuris Ecclesiasticis, & Bulla Cœnæ.
Francisci Valente, Concordia Juris Pontificii cum Cæsareo, & Theologia.
Joannis Furtado Tomi VI. sed non excusi.

Joannis de Mattos de Judiciis Humanis, ex Divinis.
Ludovici Cardeira Informatio de Jejunio Æthiopico.
Ludovici Cerqueira, Manuale Casuum conscientiæ. Manuale ad Sacramenta Ecclesiæ ministranda.
Ludovici Nogueira, de Bulla Cruciatæ Tom. I. Consiliorum Tom. I.
Michaelis Tinoco de Justitia, & Jure.
Sebastiani Abreu, Institutio Parochi.
Stephani Fagundes, Quæstiones de Christianis Officiis, & casibus conscientiæ in quinque Ecclesiæ præcepta. In decem præcepta decalogi Tom. II.

Cap. IV.

Theologia Parænetica, seu Homiliæ, & Conciones.

Alphonsi Mendes, Conciones. Tom. I.
Antonii Moraes, Conciones publicæ. Tom. I. Domesticæ. Tom. I. non excusi.
Antonii Morim Conciones. Tom. II.
Antonii Vasconcellos de Angelo Custode Tomi II.
Bartholomæi Guerreiro Conciones de D. Thoma.
Benedicti Pereira, Concionabilia. Tom. I.
Benedicti Sequeira variæ Conciones.
Didaci Areda conciones variæ.
Didaci Areda alterius Conciones variæ.
Didaci Lobato. Tomi V.
Didaci Lobo Conciones.
Emmanuelis Fagundes Conciones.
Emmanuelis Oliveira aliquæ Conciones.
Emmanuelis Pires, Conciones.
Emmanuelis de Regibus Conciones. Tomi III.
Emmanuelis Sâ nominati Patriarchæ Æthiopiæ. Tom. I.
Emmanuelis Sylva Conciones Tomi V. De Concionibus Domesticis Tom. I.
Francisci de Amaral, Conciones. Tom. I.
Francisci Mendonsa, Conciones. Tom. II. De Concionibus domesticis. Tom. I. non excusus.
Gasparis Fernandes Conciones. Tom. XII. sed non excusi.
Georgii Costa, Sermones varii.
Ignatii Martins, Sermo de Reliquiis.
Joannis Carvalho Sermones varii.
Joannis Coutinho. Tomi III.
Joannis Pereira. Tom. I.
Josephi Mursia, Concio de S. Thoma Villænovæ.
Ludovici Azevedo Pratum spirituale Concionum super Symbolum Apostolorum Æthiopice.
Ludovici Alvres Ulysiponensis tomi aliqui Concionum, sed non excusi.
Ludovici Alvres alterius Concionum Tom. II.
Ludovici Cardeira Concionum Tom. I.
Ludovici Gonzaga Conciones.
Pauli Pereira, Conciones. Tom. I.
Pauli Rodrigues, Triumphus gloriæ utriusq; Joannis.
Simonis Gama Conciones. Tomi VII.
Stephani Cardeira Conciones. Tom. I. sed non excusus.

Cap. V.

Theologia Catechetica, seu Catechismi, variis linguis.

Alphonsi Mendes, Catechismus Æthiopice.
Andreæ Gualdames, Catechismus Æthiopice.
Antonii Fernandes, Præcepta pro audiendis confessionibus. Rituale Romanum ordinarium, & Cœremoniale Missalis. Instructio pro Jejunio, omnia Æthiopice.
Cosmæ de Magalhans Catechismus Japoniensis. Tom. II.
Emmanuelis Diaz, de modo catechizandi gentiles. Explicatio copiosa decalogi, Sinice.
Emmanuelis Fernandes, Anima instructa. Tom. III.
Emmanuelis Martins Doctrina Christiana. Tractatus de Trinitatis mysterio. Dialogus inter Ethnicum. & Christianum, omnia Lingua Tamulica.
Emmanuel Monteiro, Zelus fidei, & concordia pietatis contra cæcitatem Paganorum.
Francisci Antonii Catechismus illustratus.
Henrici Henriques, Doctrina Christiana duplex, Malabarice. & Maleanice.
Ignatii Martins, in Catechesim Marci Jorge tractatus pii IV.
Joannis Fonseca, Schola Doctrinæ Christianæ.
Joannis Monteiro, Compendium Legis Divinæ, Sinice. Item de vero, & falso Dei cultu.
Joannis Rebello, Commentationes ad Doctrinam Christianam.
Joannis Rocha, Doctrina Christiana, Sinice.
Josephi Anchieta Doctrina Christiana, Brasilice. Dialogi de Religionis mysteriis scitu dignis. Syntagma monitorium ad juvandos moribundos. Institutio ad interrogandos inter confessiones pœnitentes. Cantiones sacræ. Linguis, Latina, Lusitanica, Hispanica, Brasilica. Drama ad extirpanda Brasiliæ vitia.
Ludovici Azevedo, Catechismus Æthiopice.
Ludovici Cardeira, Calendarium Æthiopicum.
Marci Jorge, Doctrina Cristiana Lusitane.
Matthæi Cardozo, Doctrina Christiana Lingua Congensi.
Roderici Figueiredo, Explicatio fidei Christianæ. Lib. IV. Sinice.

Cap. VI.

Theologia Polemica, seu Controversiæ cum hæreticis, & aliis.

Alphonsi Mendes, Tractatus pro Societate contra Maledicos. Liber Synodalis contra errores Alexandriæ.
Andreæ Gualdames, Controversiæ cum Schismaticis, & Abasinis.
Antonii Fernandes Flagellum mendacii, seu de erroribus Æthiopiæ. De immunitate Ecclesiastica, Æthiopice. De Jejunio, in quo ostendit errores Æthiopum.
Antonii Gouvea, Innocentia Victrix.
Balthasaris Alvres, Index expurgatorius Librorum.
Francisci Freire, Apologia veritatis.
Francisci Laynes, Defensio Indicarum Missionum.
Francisci Leitam, Clypeus Pontificiæ Dignitatis. Judæus convictus. Synopsis Ecclesiæ militantis.
Henrici Henriques, Defensio Divinæ Legis contra fabulas Ethnicorum.
Joannis Ribeiro defensio pro nostris Missionariis in Angola.
Ludovici Molina, Appendix ad concordiam.
Stephani Fagundes Apologeticus tractatus ad quæstionem de Lacticiniorum, ovorumq; esu tempore Quadragesimæ.

Aca-

Academia Eborensis, Judicium sacræ Facultatis Theologicæ Academiæ Eborensis circa Constitutionem Dogmaticam, Unigenitus Filius &c.

Cap. VII.
Theologia Ascetica
seu
Libri spirituales.

Antonii Carneiro, Ars orandi.
Antonii Moraes, de Ornatu Summi Pontificis.
Didaci Monteiro, Ars orandi.
Emmanuelis Barreto, Flosculi de virtutibus, & vitiis.
Emmanuelis Martins, Lingua Tamulica de Contemptu mundi. Homo in puncto mortis. De ultimo & beato fine. Geographia ad moralem sensum traducta.
Emmanuelis Moraes, Flores Decembris.
Francisci Adorno, Ecclesiastica disciplina.
Francisci Antonii Monita pro militibus. Dorothei, Nili, Isaiæ Abbatum, Librorum translatio ad spiritualia documenta. Sixti Papæ sententiæ.
Francisci Ayres, Directorium spirituale. Exemplaria Metaphorica originis virtutum. Theatrum divinorum triumphorum contra ingratitudinem hominum. Imago prudentium, & speculum ignorantium. Parallela Academica in duas universitates, divinam, & profanam. Epitome spiritualis omnium, quæ Christianus, scire, credere debet, & operari.
Francisci Freire, Ars bene moriendi.
Francisci Leitam, Remedium peccatorum.
Gasparis Ferreira, de sanctis menstruis, Sinice.
Gasparis Correa, Opus pro Animabus Purgatorii.
Gasparis Villela, Opuscula quædam spiritualia.
Henrici Henriques, Pii libelli.
Ignatii Emmanuelis, Præparatio ad æternitatem.
Joannis Britto, Epistola in ejus vita.
Joannis Cardim, Epistolæ in ejus vita.
Joannis Fonseca, Speculum pœnitentium. Sylva moralis, & historica Tom. II. sed unus non excusus. Levamen afflictorum. Antidotum animæ. Satisfactio offensionum, & confusio vendicatorum. Dux infirmorum, & moribundorum. Septenirio spiritualis vitæ Christianæ.
Joannis Pedrosa, Instructio pro confessione sacramentali. Libellus soliloquiorum divinorum, Concanice.
Ludovici Alvres, Amor sacer. Infernus Carus, Cœlum gratuitum.
Ludovici Cardeira, de Jejunio Lingua Amarana Æthiopica.
Michaelis Diaz, Infans postremum inter vitam, & mortem.
Mathia Sá, rerum spiritualium tomi II.
Pauli Mendez, Sagittæ Divini Amoris.
Petri Gerardo Coadjutoris. Opuscula ex Belgico idiomate translata in Lusitanum.
Stephanus de Castro, Methodus juvandi moribundos.

Cap. VIII.
Theologia Mystica,
seu
Meditationes, & Preces.

Antonii Carneiro, Sanctuarium mentale, seu Meditationes de Sanctis in singulos anni dies.
Antonius Franco, Meditationes in exercitia S. Ignatii. Novendiales preces S. Ignatii, & B. Stanislai.
Antonii Franco, Preces pro diebus prævüs festo D. Antonii.
Benedicti Oliveira, Preces pro D. Quiteria.
Blasii Viegas Meditationes P. Bruni versæ in Lusitanum.
Didaci Monteiro, Meditationes de attributis divinis.
Eborensis Academia, Homiliæ per annum in formam Meditationum ab Henrico Cardinali Rege redactæ.
Emmanuelis Diaz, Lusitaniæ sanctorum Angelorum, Lingua Sinensi.
Emmanuelis Martins, Meditationes, Lingua Tamulica.
Emmanuelis Monteiro, Meditationum tomi II.
Gasparis Cardozo, Libellus Meditationum pro singulis anni diebus.
Gasparis Ferreira, Meditationes de Rosario.
Henrici Henriques, Christianæ preces.
Ignatii Martins, Litaniæ de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.
Joannis Fonseca, Meditationes in exercitia S. Ignatii, sed non excusæ.
Ludovici Brandam, Meditationum tomi IV.
Michaelis Diaz Meditationes ad accipiendam Eucharistiam.
Roderici Figueiredo, Preces, & Orationes variæ. Tom. II. Sinice.

Cap. IX.
Theologia Exemplaris,
seu
Vitæ Christi, B. Virginis, Sanctorum,
&
Clarorum Hominum.

§. 1.
De Vita, & Passione Christi Domini.

Antonii de Moraes, de Passione Domini.
Henrici Henriques, Vita Christi.
Joannis Froes, de Passione Christi cum Litaniis, & Orationibus, Sinice.
Joannis Rebello, Tractatus de Vita Christi.
Vasci Pires, Lectio spiritualis de Nativitate Christi.

§. 2.
De sacra Eucharistia, & de Missa.

Antonii Fernandes, Rituale Romanum translatum Æthiopice, cui addidit Ordinarium Canonum, Cæremoniale, & Missas festorum.
Antonii Francisco, de Sacrificio Missæ.
Francisci Aranha, Concio de S. Eucharistia.
Francisci Gomes, Concio de S. Eucharistia.
Joannis Fonseca, Instructio ante, & post sumptam Eucharistiam.
Joannis Paiva, de Cæremoniis Missæ.
Ludovici Cardeira, Calendarium festorum mobilium secundum computum anni Æthiopici ad Romanum accommodati cum explicatione illius.

§. 3.
De Vita, & Laudibus B. Virginis.

Antonii Cordeiro, Historia de Virgine Lapensi.
Antonii Fernandes, Vita B. Virginis.
Antonii Leite, de Apparitione, & miraculis B. Virginis à Lapa. Clypeus Lusitaniæ de Conceptione immaculata B. Virginis, sed non excusus.

Francisci Leitam, de Conceptione B. Virginis, sed noo excusus.

Gasparis Ferreira, de Mysteriis Rosarii, Lingua Sinensi.

Henrici Henriques, Vita B. Virginis Lingua Malabarica.

Joannis Rebello, de Rosario B. Virginis. Dialogi duo de eadem B. Virgioe.

Josephi Anchieta, Vita B. Virginis carmine Latino.

Sebastiani Novaes, de Conceptu B. Virginis Lilium inter spinas.

§. 4.
Vitæ Sanctorum.

Alvari Lobo, Martyrologium, ac de Sanctis Lusitaniæ.

Antonii Colaffo, Vitæ B.B. trium Martyrum Japoniæ Societatis JESU.

Antonii Garcia, Vita cum precibus S. Quiteriæ.

Antonii de Macedo, Sancti Tutelares Lusitaniæ.

Antonii Sylva, Compendium Vitæ S. Xaverii.

Emmanuelis Martins, Vitæ Sanctorum, Lingua Tamulica.

Emmanuelis Monteiro, Elogia S. Ignatii, S. Xaverii, & Josephi Anchietæ.

Francisci Freire, Vita S. Elisabethæ.

Francisci Fonseca, Compendium Vitæ S. Joannis Nepomuceni cum ejus officio & precibus.

Henrici Henriques, Vitæ Sanctorum idiomate Malabarico.

Hieronymi Alvres, Vita B. Aloysii reddita Lusitane.

Joannis Lucena, Vita S. Francisci Xaverii.

Petri Joannis Perpinian de vita, & moribus B. Elisabethæ.

§. 5.
Vitæ aliorum clarorum hominum.

Adriani Petri, Vita Antonii Hominis Coadjutoris, & vita Bernardi de Mello scholastici, sed non excusæ.

Alphonsi Mendes, de Martyrio Appollinaris Almeidæ.

Amatoris Rebello, Vita Regis Sebastiani.

Antonii Franco, de viris præclaris Societatis JESU Lusitanæ Provinciæ tom. IV. Annus gloriosus Societatis in eadem Provincia per singulos anni dies Latine vulgatus. Eumdem annum fecit Lusitane.

Antonii Colaffo, Vita Gonsali Sylveiræ Societatis JEsu.

Antonii Francisci Cardim. Relatio mortis IV. Legatorum Regis Lusitani pro fide in Japonia. Fasciculus è floribus Japonicis cum elogiis occisorum io odium fidei. Catalogus omnium interfectorum pro fide in Japonia.

Antonii Macedo, vita P. Joannis Almeidæ.

Bartholomæi Guerreiro, Corona gloriosa Martyrum Societatis JEsu in ditione Lusitana.

Emmanuelis Luis, vita Theodosii Principis Lusitaniæ.

Emmanuelis Monteiro, Elogia virorum illustrium Societatis JESU in Lusitana ditione per anni dies, sed non excusa.

Emmanuelis Veiga, vita Simonis Gomes, Vital, Vasci, Pires, sed hæc non excusa.

Fernandi Queroz, Vita Petri de Basto Coadjutoris.

Francisci Henriques, Epistola de duodecim è nostris pro fide occisis anno 1571. cum P. Petro Diaz.

Francisci de Macedo, vita D. Ludovici Atayde.

Francisci Rodrigues, Catalogus Martyrum è Societate JESU, qui in Japonia annis 1632. & 1633. passi sunt.

Ludovici Cerqueira, Mors sex Martyrum, qui in Japonia anno 1604. passi sunt. Mors Michaelis Bagendoni, & Diamiani Cœci anno 1605. pro Christo obita in Japonia.

Ludovici de Crux, vita Dominici Joannis Coadjutoris, sed non excusa.

Ludovici Froes, Historica narratio de XXVI. pro Christo Crucifixis in Japonia in anno 1597.

Nicolai Godinho, vita Gonsali Sylveiræ Societ. JEsu Martyris.

Nonii de Cunha, vita P. Didaci Monteiro Societ. JEsu.

Sebastiani Abreu, vita P. Joannis Cardim.

Sebastiani de Moraes, vita Seren. Mariæ Lusitanæ Puciſſæ Parmæ, & Placentiæ.

Cap. X.

Theologia positiva.

Concilia, Synodi, Jus Canonicum, Decreta Pontificum, Patres, illustrata.

Antonii Fernandes, Liber Synodorum.

Benedicti Pereira, Elucidarium Theologiæ Moralis, & utriusque Juris. Promptuarium Juridicum.

Francisci Valente, concordia Juris Pontificii cum Cæsareo, & Theologia. Patres illustrati.

Antonii Fernandes, Liber dictus Fides Patrum apud Æthiopes expurgatus.

Cap. XI.

Historia illustrata.

§. 1.
Ecclesiastica.

Alvari Lobo, Historia Lusitanæ Provinciæ primis sexdecim annis, Tom. II. sed non excusi.

Andrea Gomes, Narratio gestorum in Canonizatione S. Ignatii, & S. Xaverii in Lusitania.

Antonii Franco, Chronicon, sive Imago, aut Annales Lusitanæ Provinciæ à suis initiis ad nostra tempora, tom. IV. EorumdemSynopsis. Et item Summula Chronologica complectens annos eosdem.

Antonii Gouvea, Historia Societ. Sinica.

Antonii de Macedo, Lusitania Insulata.

Balthasaris Telles, Chronicon Societatis JESU in Lusitania complectens primos sexdecim annos. Tom. II. Historia Æthiopiæ recognita, & contracta.

Emmanuelis Almeida, Historia Æthiopiæ Altæ.

Emmanuelis Costa, Historia Societatis in Oriente.

Emmanuelis Veiga, Memoriale domus Professæ D. Rochi.

Ludovici Gonzaga, Narratio gestorum Ulyssipone in Beatificatione B. Joannis Regis.

Sebastiani Gonsalves, Historia virorum illustrium, qui in Religiosis per Indiam Orientalem familiis vitæ Sanctimonia, & litteris floruerunt, & eorum potissimum, qui Societatem JEsu Martyrii Laurea coronarunt. De præclare gestis à Societate JESU in India Orientali Tom. III.

Silvestri Aranha, Narratio de gestis Eboræ in Beatificatione B. Joannis Regis.

§. 2.
Historia profana.

Adriani Petri, Historia de excellentiis Ulyssiponis, sed non excusa.

Alphonsi Mendes, Expeditio Æthiopica Tom II.

Antonii Colasso, Additio ad Historiam Æthiopiæ Fr. Ludovici Urretæ.

Antonii Cardeiro, Historia de Insulis Tertiis.

Antonii Franco, Compendium Eboræ illustratæ à P. Emmanuel Fialho.

Antonii Vasconcellos Anacephaleoses Regum Lusitaniæ, & descriptio ejusdem, & de Philippi III. Regis expeditione.

Bartholomæi Guerreiro, Expeditio Lusitanorum ad recuperandam Bahiam captam ab Hollandis.

Emmanuelis Fialho, Ebora ejus patria illustrata. Tom. IV. Horum Compendium Lusitanum, alterum Latinum.

Emmanuelis Sá, Narratio de obsidione Mombazæ.

Fernandi Quiroz, Historia Insulæ Ceilami.

Francisci Adorni, Monitio ad Historiam Liguriæ.

Francisci Aranha, Series Historica Regum Lusitaniæ. Historia de expugnatione, & recuperatione Eboræ captæ à Castellanis, sed non excusa.

Francisci de Crux, Bibliotheca Scriptorum Lusitanorum, sed non excusa.

Francisci Fonseca, Historica Narratio de itinere Seren. Reginæ Mariæ Annæ Austriacæ in Lusitaniam.

Joannis Vasconcellos, Prodigiosa restauratio Lusitaniæ.

Nicolai Godinho, de Rebus Abassinorum, ac Patriarchis Joanne Nunio, & Andreæ Oviedo.

§. 3.
Chronologica.

Antonii Fernandes, Computum anni Æthiopici, ut cum Romano conveniat.

Francisci Macedo, Epitome Chronologiæ ab orbe condito ad Christum.

§. 4
Indica, sive de Asia, Africa, America Historicæ Relationes.

Alphonsi Mendes, Epistola de suo in Æthiopiam ingressu.

Alvari Semedo, Annuæ Sinenses an. 1622. 1623. & de aliis rebus ejusdem Regni.

Amatoris Rebelli, Capitula extracta ex variis Litteris Indicis.

Antonii Almeida, Annuæ Sinenses.

Antonii Andrade, de Regno Tibet. an. 1624. 1626.

Antonii Colasso, Annuæ ex India, & Japonia an. 1600. 1601. Rursum ex India an. 1607. 1608.

Antonii Gouvea, Innocentia Victrix, seu Relatio de Rebus Sinensibus an. 1669.

Balthasaris Gago, Litteræ è Japonia an. 1552. 1559. Ex India an. 1562.

Christophori Ferreira, Annuæ Japonicæ an. 1627.

Didaci Antunes, Annuæ è Sina.

Eduardo de Sande, de Sinis an. 1588. Itinerarium IV. Japonensium Legatorum an. 1584.

Emmanuelis Almeida, Annuæ ex Æthiopia. Historia Æthiopiæ Altæ.

Emmanuelis Diaz, Annuæ Sinenses an. 1618. 1624.

Emmanuelis Ferreira, de Rebus Cochinsinensibus tom. I.

Emmanuelis Pinheiro, Annuæ ex Mogor.

Emmanuelis Veiga, de Statu Christianitatis in Æthiopia, ab anno 1614. ad an. 1626.

Fernandi Guerreiro, Indiarum Orientis solis Historia an. 1600. & trium sequentium Lib. VI. Rursum an. 1606. 1607. L. IV.

Francisci Barreto, Relatio de re Christiana in Provincia Malabarica.

Gabrielis de Mattos, Annuæ Japonicæ 1603. 1623. & 24.

Gasparis Luis, Annuæ Goanæ, 1618. 1619. & Japonicæ 1619.

Gasparis Villela, Epistolæ ex India 1554. & 1571. Ex Japonia XI. ab anno 1557. ad 1571.

Gonsali Rodrigues, Narratio suæ legationis in Æthiopiam.

Joannis de Costa, Relatio de Missionibus Malabaricis.

Joannis Fernandes, Epistolæ VIII. de Rebus Japonicis ab anno 1551. ad 1566.

Joannis Rodrigues Giram, Annuæ Japonicæ, 1604. 1605. 1609. 10. 12. 26.

Josepqi Anchieta, Brasilica Societatis Historia, & vitæ clarorum Patrum, qui in Brasilia vixerunt.

Ludovici Cerqueira, Litteræ de Rebus Japoniæ 1613.

Ludovici Fernandes, Annuæ è Moluco 1603.

Ludovici Froes, Epistolæ XXVI. de Rebus Japoniæ ab an. 1563. ad 1592. Historica Relatio de Legatione Regis Sinensium ad Taicosamam Imperatorem, Japoniæ an. 1596. Relatio de Rebus à Societate gestis in Japonia an. 1596. Relatio de morte XXVI. Crucifixorum pro Christo in Japonia. Narratio mortis Taicosamæ persecutoris.

Ludovici Pinheiro, de Rebus Japoniæ ab an. 1612. ad 1615.

Matthæi de Couros, Annuæ Japonenses 1603.

Mathia de Sousa, Compendium gestorum in Japonia ab an. 1549.

Melchioris Nunes Barreto, Epistolæ IV. Ex India, Sina, Japonia.

Nicolai Pimenta, Epistolæ II. Goanæ Provinciæ 1599. 1600.

Petri Gomes, Epistolæ ex Japonia. 1586. 93. 98.

Sebastiani Barreto, Annuæ Goenses.

Sebastiani Vieira, Annuæ Japonicæ. 1613.

Valentini Carvalho, Annuæ Japonenses. 1600.

Cap. XII.
Philosophia

§. 1.
Logica.

Benedicti Macedo, Pharus Dialecticæ.

Francisci Furtado, de Logica Linguæ Sinensi.

Gregorii Barreto, Compendium Logicæ Conimbricensis.

Ignatii Carvalho, Compendium Logicæ Conimbricensis.

Petri Fonseca, In Isagogen Porphirii Dialecticarium Instructionum Libri VIII.

Sebastiani Couto, Logica Cursus Conimbricensis,

§. 2.
Physica.

Alphonsi Mendes, de Magia.
Balthasaris Alvres. Tractatus de anima separata.
Cosma de Magalhaes, in problemata Aristotelis.
Francisci Ribeiro, Tractatus de Generatione, & Corruptione.
Emmanuelis Goes, Cursus Conimbricensis.
Francisci Furtado, de Mundo, & Cœlo Lib. VI. Lingua Sinensi.
Roderici Figueiredo, Libri Aristotelis de Cœlo, Lingua Sinensi.

§. 3.
Metaphysica.

Francisci Furtado, Metaphysica, Sinice.
Petri Fonseca, in Aristotelis Libros Metaphysicorum Tom. IV.

§. 4.
Universa Philosophia.

Antonii Cordeiro, Cursus Philosophicus. Tom. I.
Augustini Lourenco, Cursus Philosophicus. Tom. III.
Balthasaris Telles, Summa universæ Philosophiæ.
Francisci Soarez Lusitani, Cursus Philosophicus. Tom. IV.

§. 5.
Carptim ex tota Philosophia.

Francisci Mendonsa, Viridarium sacræ, & profanæ eruditionis.

§. 6.
Ethica, Politica.

Benedicti Pereira, Pallas togata, & armata.
Emmanuelis Goes, Ethica Aristotelis.

Cap. XIII.
Mathematica.

Emmanuelis Diaz, de Sphæra Sinice.
Emmanuelis Dias, alterius de Cometis.

Cap. XIV.
Oratoria.

§. 1.
Rhetorica.

Antonii Macedo, Theses Rhetoricæ varia eruditione refertæ.
Dominici Pinheiro, Theses Rhetoricæ Eboræ eruditionis plenissimæ.
Francisci Macedo, Theses Rhetoricæ. Viridarium Rhetoricis floribus distinctum.
Francisci Mendonsa, in Viridario.
Ignatii Carvalho, Theses Rhetoricæ de Insignlis Divum Ulyssipone.
Joannis Carvalho, in Panoplia Minervæ.

§. 2.
Orationes.

Alphonsi Mendes in exceptione Philippi III. Eboræ.
Francisci Machado, in obitu Urbani VIII.
Gasparis Gonsalves, Oratio apud Pontificem pro Legatis Japoneniibus.
Petri Joannis Perpiniani, Orationes XVIII.
Georgii Costa, Elogium Ludovici XIII. Regis Galliæ.
Ignatii Ribeiro, in ortu Infantis Alexandri, Lusitane.
Sebastiani Barradas, in Ortu Petri Principis, Lusitane.
Sebastiani Novaes, de Conceptione B. Virginis.
Stephani Sequeira, pro Bulla Unigenitus Eboræ.

§. 3.
Funebres Laudationes.

Antonii Veloso, in Obitu Principis Theodosii.
Bartholomæi Guerreiro in obitu Theodosii Ducis Briganuni.
Benedicti Pereira in Obitu ejusdem.
Benedicti Rodrigues in obitu Monachi Carmelitani Fr. Benedicti Madeiræ.
Emmanuelis de Campos in Obitu Comitis Castelmelioris.
Emmanuelis Oliveira in Obitu Seren. Reginæ Mariæ Sophiæ.
Francisci Salgueiro in Obitu Petri II. Regis Lusitaniæ.
Michaelis Diaz Romæ in obitu ejusdem.

§. 4.
Aliæ

Andreæ Cardoso in Sponsalibus Principis Elisabethæ.
Andreæ Gomes coram Inquisitione contra Judaicam pravitatem.
Antonii Ferreira in Actu Fidei.
Aria Almeida in Actu Fidei.
Ludovici Alvres in Actu Fidei.
Michaelis Furtado in Actu Fidei.
Sebastiani Couto in Actu Fidei.

Cap. XV.
Poetica.

§. 1.
Præceptiones.

Benedicti Pereira Prosodia de Syllabis, primis, & mediis.
Emmanuelis Alvres de Syllabis mediis.
Francisci de Macedo, Ars poetica.

§. 2.
Poemata.

Antonii Morim, Dulces exuviæ.
Antonii Sousa, Tragicomœdia de Rege Emmanuele
Antonii Velles, vita Gonsali Sylveiræ, sed non excusa. Præcepta Grammaticæ carmine Latino pulcherrimo.
Bartholomæi Pereira, Paciedos Libri XII.
Benedicti Pereira de Collegio Eborensi in Pallade togata, & armata.
Bracharense Collegium de D. Martino Archiepiscopo Bracharensi.
Conimbricense Collegium, Lusitania coronata.
Emmanuelis Pimenta, Epigrammata de Regibus Lusitaniæ. Alia poemata. Tom. II. Poema de Purificatione Virginis.
Francisci Freire, Musæ Christianæ.
Francisci Macedo. Elogiæ in obitu P. Francisci Mendonsæ, Apotheosis S. Xaverii. Apotheosis B. Elisabethæ Parnassi nemus arboribus consitum.
Francisci Machada, Mausolæum Seren. Joannis IV. Lusitaniæ Regis.
Francisci Mendonsa, in Viridario.
Joannis Carvalho, in Panoplia Minervæ.
Ludovici de Crux, Psalterium carmine Latino, Tragicæ, Comicæque actiones.
Ludovici Pereira, Epigrammata in vita P. Joannis de Britto Martyris.
Josephi Anchieta, Poemata de B. Virgine Versu Elegiaco.
Ulyssiponensis Collegii Lusitania coronata.

§ 3.

§. 3.
Scriptiones soluti mixtim & vincti styli.

Antonii de Macedo, Elogia, & descriptiones Coronationis Reginæ Sueciæ.
Francisci Freire, de Symbolis Heroum. Lib. V.
Francisci Mendonsa, Viridarium sacræ, & profanæ eruditionis.
Joannis Carvalho, Panoplia Minervæ.

Cap. XVI.
Grammatica.

§. 1.
Præceptiones variis Linguis.

Alvari Semedo, duplex Dictionarium longe exactissimum, alterum Sinico-Lusitanium, alterum Lusitano-Sinicum.
Antonii Franco Promptuarium Syntaxeos.
Antonii Vellez, Commentarius in Grammaticam Emmanuelis, & præcepta carminibus valde elegantibus.
Benedicti Pereira. Thesaurus Linguæ Lusitanæ. Ars Linguæ Lusitanæ. Orthographia ejusdem. Florilegium partibus III. nempe Periphrases. Adagia Lusitana. Descriptiones selectæ. Prosodia, seu vocabularium Latinum, & Lusitanum.
Emmanuelis Alvres, Ars Grammaticæ.
Joannis Fernandes, Grammatica, & Dictionarium Linguæ Japonicæ.
Henrici Henriques, Grammatica, & Vocabularium Linguarum Malabaricæ, & Maleanicæ.
Josephi Anchieta, Ars Linguæ Brasilicæ.
Josephi Soares, Explicatio Syntaxeos.
Ludovici Azevedo, Grammatica Linguæ Æthiopicæ.
Ludovici Figueira, Grammatica Linguæ Brasilicæ.
Mathia Sangerman, Prosodia Benedicti Pereiræ aucta.

§. 2.
Philologia, & Critica.

Andrea Luis, Moyses Aulicus, Pastor, Orator.
Benedicti Pereira de moribus gentium.
Emmanuelis Alvres, de Mensuris, Ponderibus, & Monetis.
Francisci Freire, de excellenti magnitudine Imperii Austriaci.
Francisci Macedo, Thesaurus eruditionis pro sole Zodiacum percurrente.

§. 3.
Illustrati Scriptores profani.

Benedicti Pereira, Commentaria in Horatium. Tom. II.
Francisci Aranha Commentaria in Virgilium.
Petri Almeida Commentaria in omnes Cæsares Suetonii.



INDEX.

Antonius Franco.

Bene-

Fran-

G.

Joan-

L.

M.

N.

O.

P.

FINIS.